

ANDOVER-HARVARD LIBRARY
AH 3VHX P
Harvard Depository
Brittle Book



604.7
יהוה
INSTITVTIO THEOLOGICA
ANDOVER. FVNDATA MDCCCVII
PS. CXIX
169
כדברך
הבינני
JOH. XVII.
17.
ὁ λογος
ὁ σος
αληθεια
εστι
ΑΚΡΟΓΩΝΙ
ΟΥ ΧΡΙΣΤΟΥ




X604.7
יהוה
INSTITVTIO THEOLOGICA
ANDOVER. FVNDATA MDCCCVII
PS. CXIX. 169
כדברך הבינני
JOH. XVII. 17.
ὁ λόγος ὁ σὸς ἀλήθειά ἐστι
ΑΚΡΟΓΩΝΙ
ΟΥ ΧΡΙΣΤΟΥ.



MEDII ÆVI

BIBLIOTHECA

PATRISTICA

SEU EJUSDEM TEMPORIS

PATROLOGIA

AB ANNO MCCXVI USQUE AD CONCILII TRIDENTINI TEMPORA;

SIVE

OMNIUM DOCTORUM, JURIS CONSULTORUM, SCRIPTORUMQUE ECCLESIASTICORUM,
AC PRÆSERTIM SUMMORUM PONTIFICUM,
QUI AB INNOCENTIO III USQUE AD PIUM IV FLORUERUNT, OPERUM QUÆ EXSTANT, VEL EDITA
SED IN PLURIBUS LOCIS ET VOLUMINIBUS DISPERSA, VEL INEDITA,
IN QUANTUM FIERI POTUIT,

AMPLISSIMA COLLECTIO, CHRONOLOGICE RECUSA AD EXEMPLAR PATROLOGIÆ MIGNE

Et ad ejusdem *Patrologiæ* continuationem

JUXTA EDITIONES ACCURATISSIMAS ET CODICES MSS., TUM SOLERTI TUM DILIGENTI CASTIGATIONE EMENDATA;
DISSERTATIONIBUS, COMMENTARIIS, LECTIONIBUSQUE VARIANTIBUS ILLUSTRATA;
INDICIBUS PARTICULARIBUS ANALYTICIS AUCTA; GENERALIBUS VERO INDICIBUS AMPLIFICATA,
RERUM SCILICET ET SCRIPTURÆ SACRÆ LOCORUM.

SERIES PRIMA

QUÆ COMPLECTITUR OMNES DOCTORES SCRIPTORESQUE ECCLESIÆ LATINÆ
AD SÆCULUM DECIMUM TERTIUM PERTINENTES,

Recognoscente et annotante

HOROY,

SACERDOTE E BELLOVACENSI DIŒCESI ORIUNDO,
Dre Romano in sacra Theologia,
Licentiato in Jure Gallico, Dre Rom. in Jure civili, Dre in Jure ecclesiastico, Advocato Romano,
Dre tum in Philologia Græca et Latina, tum in Archæologia et Historia,
Dre Rom. in Philosophia, Scientiis Mathem. et Physicis,
Dre Scientifico in Philosophia et Litteris in Universitate Leodiensi.

BIBL. PATRISTICÆ TOMUS QUARTUS.

HONORII III TOMUS QUARTUS.

PARIS
IMPRIMERIE DE LA BIBLIOTHÈQUE ECCLÉSIASTIQUE
AVENUE D'ORLÉANS, 32

1880

BIBLIOTHECA
PATRISTICA
MEDII ÆVI

ELENCHUS

OPERUM QUÆ IN HOC TOMO QUARTO CONTINENTUR.



DE SEXTO HONORII III PONTIFICATUS ANNO.

Instituenti de sexto Honorii III Pontificatus anno quædam breviter referre, et huic Epistolarum libro sexto antea ponere quam ipse studiosus lector paginas evolvat, mihi in mentem venit dierum illorum recordatio, in quibus Fredericum II coronavit Pontifex. Romam ingressus est Imperator, non tantum ut regem decebat pacificum et vere christianum, sed hanc jurando Constitutionem quam in Appendice ad tertium volumen dedimus. Cum omni docilitate se gerebat Fredericus. Inter dominum papam et imperatorem nulla videbatur dissensio, et legibus civilibus sanctionem amice Romana Sedes dabat. Innocentium tertium Honorius superabat, ut ita dicam, magnitudine consilii et rerum successu. Sed brevi, Damiata capta, in Orientalibus partibus Christianorum fortuna deperiit, dum in occidente ipsemet imperator se novitatum nimis amatorem ostendit. Hæc paucis verbis sunt tibi tradenda, lector benevole.

Apud Damiatam, terrarum inundatio Sarracenis in auxilium fuit, dum aliunde Christi fideles fames urgebat. His conditionibus urbs redditur : Sarraceni partem veræ Crucis a Saladino captam et asportatam tradunt; captivi omnes libertate donantur; inducias octo annorum paciscuntur. Quæ quidem non indecora Christiano nomini fuere, sed vani erant nisus et conatus orbis Christiani, vana Summi Pontificis spes, vanum et decretum Concilii generalis sub Innocentio tertio habiti, illud inquam decretum de quo, in prima sua epistola, tom. II, lib. 1, statim ac renuntiatus fuerat Pontifex Honorius, sic ad regem Hierosolymitanum scribebat : « Non ergo propter obitum prædecessoris nostri consternatur cor tuum, neque formidet, quasi propter hoc Terræ Sanctæ impediatur succursus, quoniam et si illius sufficientiæ nostra videatur inferior, ad liberationem tamen ipsius, votis non minoribus aspiramus; quibus ipse Dominus qui sperantes in se nullatenus deserit, effectum tribuat et profectum, ut quod possibilitas nostra non obtinet, ejus nobis gratia largiatur. Serenitatem igitur regiam rogamus attente et monemus, et exhortamur in Domino, quatenus de gratiæ nostræ favore securus, utpote qui ad subventionem Terræ ipsius tota intendimus voluntate, conforteris in Domino, et in potentia virtutis ipsius, ad conservationem Terræ intendens viriliter et prudenter, *prœliaturus prœlia Domini*, quum tempus advenerit opportunum, et ob hoc recepturus ab eo gratiam in præsenti et gloriam in futuro ».

Sane, accepta cladis notitia, ad eversas res excitandas colloquium cum Frederico primum habere decrevit, posteaque comitia omnium christianorum principum amplissima indixit. Sed cum fallacia magis ac magis, in dies agebat Fredericus, qui desiderium suum de Terræ Sanctæ negotio conficiendo interdum manifestum faciebat, et sæpe sæpius transfretandi terminum differebat.

De Frederico autem, illud non omittendum. Qui, anno Domini 1221, quum feliciter e Sicilia Sarracenos expulisset feliciter, jam arma converterat in Thomam et Matthæum, Innocentii III defuncti fratres; hi enim castra tenebant in Apulia. In opprobrium Sanctæ Sedis videbatur hoc bellum fecisse. Quorum unum in obsidione captum, detrusit in carcerem, apud Siculos relegatum, et alterum fugavit, qui apud Honorium exceptus est. Nec satis illi fuit talia moliri. Nam quum allegaret plures episcopos ambobus fratribus fovisse, illos e sede depulit, et alios per intrusionem promovit. De quibus hæc ad eumdem Honorius scribebat : « Quum semper ad personam tuam veri patris affectum gesserimus et geramus, imperatoriam majestatem monemus et rogamus, attente per Dominum obsecrantes, quatenus nobis et tibi prospiciens, inter te et Ecclesiam nasci tantum scandalum non permittas ». Hæc sunt discordiarum initia, quæ tamen non nisi sub Gregorio IX eruperant, cum tanta violentia et interdum crudelitate. Ex hoc tempore, cœpit cogitare Fredericus de

Sarracenis in suo exercitu vocandis, quos e regionibus Christianis nuper ejecerat. Qui illorum ope fretus, nihil unquam pertimescendum fore reputabat. Sicque dies mali appropinquabant, dum Honorius totus in eo erat, ut Terræ Sanctæ subsidium mitteret.

Et, quia omni regi seu principi, quum in pejus paulatim ruit, non desunt viri mali et perversi qui sibi adhæreant, jam Eccelinus, vulgo *Ezzelino*, qui postea *Ferox* cognominatus est, homo potentia et opibus florentissimus, inquietum suum animum evulgabat. Qui, antequam immanissimis flagitiis contaminaretur, ad Honorium scripsit quasi cupiens militiam temporalem et omnia sæcularia abnegare, et in religioso habitu residuum vitæ consumere.

Unde, in Occidente, quum omnia speciem tranquillitatis haberent, nubecula flebat nubes, quæ serenitatem aeris, non post dies multos turbaret. Hæc sunt quæ in mente recondas volo, dum hunc Epistolarum librum sextum legeris. Is tibi traditur, sed notulam, e Raynaldo haustam, hic etiam pono :

« Hoc anno, inquit Raynaldus, terra ingenti concussa motu, plura Italiæ loca diruta ac solo æquata fuere. In Longobardia, talis terræ motus fuit, ipso die Natalis Domini, per duas hebdomadas quotidie bis perdurans, ut in pluribus locis ædificia et ecclesias everteret, hominesque opprimeret, Brixiam quoque civitatem fere totam cum populo obrueret... Cæsarius auctor est Brixiæ tum supra duodecim hominum millia interiisse, Mediolanenses vero, periculo conterritos, urbeque egressos, octo dies eoque amplius in tentoriis moratos... Duæ civitates etiam in Cypro a terræ motu corruerunt... De ejusmodi terræ motu meminit Honorius papa litteris, dum ait : Nuper namque in pluribus locis Dominus terram tangens, et faciens eam tremere, multos conterruit ad salutem ».

HONORII III, PONTIFICIS ROMANI

EPISTOLÆ

PRIMA VICE IN UNUM COLLECTÆ

LIBER SEXTUS

I

Ad abbatem Sancti Benedicti.

26 julii 1221.

[Margarini, Bull. Casinense, I, 34.]

Concedit usum annuli, ad favorem abbatis Sancti Benedicti super Padum.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio abbati Sancti Benedicti super Padum, salutem et apostolicam benedictionem.

Devotioni tuæ de solita gratificari gratia cupientes, tibi super eo, quod gratum est, benignum impertimur assensum, et quod speciale fore dignoscitur, non negamus. Quare tuis inclinantes supplicationibus aures nostras, personæ tuæ, de gratia duximus singulari, usum annuli concedendum. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani, VII kalendas augusti, pontificatus anno sexto.

II

Ad abbatem et conventum Hasnonienses.

30 julii 1221.

[Regest., lib. VI, epist. 131. Mss. La Porte du Theil.]

Sub beati Petri et sua protectione suscipit conventum cum suis bonis, et confirmat cessionem bercariæ conventui S. Nicolai Furnensi.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis.... abbati et conventui Hasnonienses, salutem, etc.

Justis petentium desideriis dignum est nos facilem præhere consensum, et vota, quæ a rationis tramite non discordant, effectu prosequente complere. Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris justis precibus inclinati, personas vestras et locum in quo divino estis obsequio mancipati cum omnibus bonis quæ in præsentiarum rationabiliter possidet, aut in futurum justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, specialiter autem annuum redditum sexaginta marcarum argenti quem... abbas et conventus Sancti Nicolai Furnensis Præmonstratensis ordinis, pro bercaria (1) red-

(1) L'abbaye et église de Saint-Pierre de Hasnon possédait jadis une grande cense à Romescaple, proche de l'abbaye de Furnes, diocèse alors de Thérouanne, puis de Saint-Omer, dans laquelle cense on élevait grand nombre de moutons; c'est ce que signifie ce mot latin *bercaria*. L'abbaye rendit cette cense aux abbés et religieux de l'abbaye de Furnes, ordre de Prémontré, moyennant la rente annuelle et perpétuelle de 60 marcs d'argent. Honorius III, par sa bulle ci-dessus, approuva et cette vente et l'engagement pris par les religieux de Furnes, de payer cette redevance à ladite abbaye de Hasnon, annuellement et perpétuellement.

dere monasterio vestro debent, ac alia bona vestra, sicut ea omnia juste ac pacifice possidetis et in authenticis exinde confectis dicitur contineri; vobis, et per vos, eidem monasterio auctoritate Apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ protectionis et confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani, III kal. aug. pontificat. nostri anno sexto.

III

Ad episcopum Lemovicensem.

2 augusti 1221.

[Regest., lib. VI, epist. 4. Mss. La Porte du Theil.]

Illi indulget ut ad exemplar prædecessorum ejus pensiones aliquas concedat.

Honorius, etc., venerabili fratri episcopo Lemovicen.

Ex parte tua fuit propositum coram nobis, quod in tua diœcesi sunt plures ecclesiæ, in quibus prædecessores tui consueverunt certas concedere pensiones; quare humiliter supplicasti ut, decedentibus illis quibus pensiones hujusmodi sunt concessæ, liceret tibi easdem idoneis conferre personis, prout retroactis temporibus noscitur esse factum; cum personæ residentes in ejusdem ecclesiis de residuo possint congrue sustentari. Nos igitur precibus tuis benignum impertientes assensum, licentiam tibi concedimus postulatam. Ad hæc, auctoritate tibi præsentium indulgemus, ut duo clerici in tuo servitio commorantes, in parochialibus quos nunc obtinent, vel de cætero canonice assequentur, possint per idoneos servire vicarios, quamdiu in tuo servitio morabuntur, statuto generalis concilii non obstante. Nulli ergo, etc., nostræ concessionis infringere. Si quis autem, etc. Datum Laterani, IV nonas augusti, anno sexto.

IV

Ad P. et W. archidiaconum et cantorem Metenses.

12 augusti 1221.

[Regest., lib. VI, epist. 9. Mss. La Porte du Theil.]

Prohibet ne Joannes, egressus e monasterio Longipontis et ad seculum reversus, nulla professione facta, super hoc molestetur.

Honorius, etc., dilectis filiis P. et W. archidiacono et cantori Meten.

Ad audientiam nostram, Johanne clerico referente, pervenit quod cum idem olim in monasterio Longipontis Cistercien. ordinis religionis habitum suscepisset, ipse considerato postmodum se asperitatem ordinis sustinere non posse, infra probationis annum, nulla professione facta, ad seculum est reversus, a nobis postulans humiliter et devote ut saluti ejus consulere super hoc misericorditer dignaremur. Nos igitur ejus devotis precibus inclinati mandamus, quatenus, si est ita, eum denuntiantes propter hoc ad regulares observantias non teneri, ipsum ab aliquibus molestari super hoc minime permittatis. Quod si non omnes, etc. Datum Laterani, II idus augusti anno sexto.

V

Ad abbatem et convetum Hasnonenses.

13 augusti 1221.

[Fonds Moreau, t. CXXIX, p. 156, Biblioth. Nationale.]

Possessiones in villa Velsestra confirmantur conventui Hasnonis.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati et conventui Hasnonis, salutem et apostolicam benedictionem.

Justis petentium desideriis dignum est nos facilem præbere consensum, et vota quæ a rationis tramite non discordant effectu prosequente complere. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis precibus inclinati, septem jornalia terræ, pomarium, domum et grangiam quæ habetis in villa de Velsestra, sicut ea omnia juste ac pacifice possidetis, vobis et per vos monasterio vestro auctoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel

ei ausu temererio contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Laterani, idibus augusti, pontificatus nostri anno sexto.

VI

Ad eosdem.

13 augusti 1221.

[Fonds Moreau, t. CXXIX, p. 150, Biblioth. Nationale.]

Villa de Montiniaco cum suis pertinentiis conventui Hasnonensi confirmatur.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis abbati et conventui Hasnonien., salutem et apostolicam benedictionem.

Justis petentium desideriis dignum est nos facilem præbere consensum, et vota quæ a rationis tramite non discordant effectu prosequente complere. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis precibus inclinati, villam de Montiniaco, cum curte, silvis, pratis, vivariis, molendinis et aliis pertinentiis suis, quæ bonæ memoriæ Richildis (1), comitissa Montensis monasterio vestro intuitu contulit pietatis, sicut ea omnia juste ac pacifice possidetis, et in ipsius comitissæ authenticis confectis exinde dicitur contineri, vobis et per vos eidem monasterio, auctoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani, idibus augusti, pontificatus nostri anno sexto.

VII

Ad eosdem.

13 augusti 1221.

[Fonds Moreau, t. CXXIX, p. 154, Biblioth. Nationale.]

Conventui Hasnonensi majoria et Furnum villæ de Monte Petraso confirmantur.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati et conventui Hasnonensi, salutem et apostolicam benedictionem.

Justis petentium desideriis dignum est nos facilem præbere consensum et vota quæ a rationis tramite non discordant effectu prosequente complere. Ea, propter dilecti in Domino filii, vestris justis precibus inclinati, majoriam et furnum villæ de Monte Petroso (2) cum pertinentiis eorumdem, sicut ea juste ac pacifice possidetis vobis et per vos monasterio vestro, auctoritate Apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam confirmationis infringere, etc. Si quis, etc., beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani, idibus augusti, pontificatus nostri anno sexto.

VIII

Ad eosdem.

13 augusti 1221.

[Fonds Moreau, t. CXXIX, p. 152, Biblioth. Nationale.]

Conventui Hasnonensi confirmatur villa de Wauvrechein cum pertinentiis.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati et conventui Hanosniensi, salutem et apostolicam benedictionem.

Justis petentium desideriis dignum est

(1) Richilde, comtesse de Flandre et de Hainaut, avait épousé Baudouin, surnommé de Mons, comte de Flandre, VIII[e] de ce nom. Par son mariage, elle réunit les deux comtés ensemble. Cette réunion ne dura que pendant la vie de Baudouin, les comtés ayant été partagés entre ses deux fils Arnoult, surnommé le Malheureux, IX[e] de ce nom, comte de Flandre, et son frère Baudouin, qui fut comte de Hainaut. Richilde qui aimait beaucoup l'église et l'abbaye de Saint-Pierre de Hasnon, parce qu'elle et son mari l'avaient restaurée, lui avait légué et donné à perpétuité la terre de Montigny en Hainaut, qu'on nomme plus communément Montigny-sous-Lenes, éloignée de deux lieues de la ville de Mons. Honorius, par sa bulle, confirma cette donation à l'abbaye.

(2) Le village de Mouchy-Lepreux, qui veut dire pierreux, est situé dans le diocèse d'Arras, à deux lieues et demie de cette ville, entre la rivière et le grand chemin de Cambrai, sur une élévation. L'abbaye de Hasnon, outre la majorité et le four banal qu'elle possédait audit Mouchy-Lepreux, y détenait un grand domaine et une bonne partie de la seigneurie : l'évêque d'Arras possédait l'autre. Honorius ne parle pas de ce domaine, ni de la seigneurie, parce qu'ils lui appartenaient déjà longtemps avant cette bulle. Il confirme donc seulement à l'abbaye la possession de ladite majorité et du four, qu'elle avait réunis à son domaine.

nos facilem præbere consensum, et vota quæ a rationis tramite non discordant effectu prosequente complere. Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris justis precibus inclinati, villam de Wauvrechein (1) cum advocatia ejusdem, terris etiam, pratis et aliis bonis vestris, sicut ea omnia juste ac pacifice possidetis, et in litteris claræ memoriæ B. comitis Hasnon. plenius dicitur contineri, ex cujus donatione vos asseritis obtinere prædicta, vobis et per vos monasterio vestro, auctoritate Apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani, idibus augusti, pontificatus nostri anno sexto.

(1) Wauvrechain, grand village de la province du Hainaut, situé proche Valenciennes. Ce village fut donné par Baudouin, comte de cette province, à l'église et abbaye de Saint-Pierre de Hasnon, diocèse d'Arras.

IX

Ad Fredericum Romanorum imperatorem et regem Siciliæ.

21 augusti 1221.

[Raynaldi Ann., ad an. 1221, § 32.]

De episcoporum intrusione Fredericum arguit Honorius.

Aliquot tantum fragmenta hujus Epistolæ leguntur apud Raynaldum; sed ex analysi facile excipitur quid Pontifex scripsit Frederico. At quanquam Fredericus non mediocrem gloriam restitutis Ecclesiæ Romanæ suis juribus collegit, non leve tamen aliunde dedecus aliarum ecclesiarum labefactata dignitate libertateque oppressa suscepit: quem merito Honorius tentati facinoris perstrinxit atque magna constantia vetuit ne electionibus episcoporum se immisceret. Deinde his verbis imperatorem interpellat Pontifex:

« Et quid est quod jamdudum audivimus, et nuper etiam perculit aures nostras, quod ad electiones, episcoporum videlicet, manus extendas, electioni Aversenæ præsertim ecclesiæ et episcopatuum in provincia Salernitana vacantium te immiscens? An forte suspiras ad progenitorum tuorum abusum, quem Dominus zelotes abominans, ita illis sua providentia obviavit, ut præter te vix de ipsorum progenie quis supersit? Sed et recolis abjurasse te abusum eumdem, et bonæ memoriæ Innocentio Papæ prædecessori nostro, et postmodum nobis renuntiationem hujusmodi privilegio confirmasse: numquid ergo spretis privilegiis et promissionibus tuis, et juramenti religione contempta, gladium in nos acues? » (Post alia eodem pertinentia, ut a cœptis animum ejus avertat, subdit Honorius :)

« Quum semper ad personam tuam veri patris affectum gesserimus et geramus, imperatoriam majestatem monemus et rogamus attente per Dominum obsecrantes, quatenus nobis et tibi prospiciens, inter te et Ecclesiam nasci tantum scandalum non permittas, quia profecto si in hoc scandalizati a te fuerimus, in quo contra nos nostra reputaremus interiora moveri, hujusmodi doloris aculeus transverberaret cor nostrum, et per intima ossium pertransiret; sed quum ad te ob hoc dilectum filium.... priorem Sanctæ Mariæ Novæ cum nostris litteris, et transcripto tui privilegii dirigamus, per teipsum, quæ aliter quam deceat acta sunt, corrigas, electiones juxta privilegium et promissiones tuas, libere ac sine impressionis vitio fieri permissurus. Alioquin noveris, quod id nulla poterimus ratione in propriæ animæ periculum sustinere; præsertim cum contra nos intra et extra Romanam Ecclesiam jugiter acclametur, quod tibi detulerimus in pluribus contra Deum. Sed difficultates tuas, in quas te hactenus ingessisti et inducis, in totius orbis notitiam adducemus, cœli et terræ testimonium invocantes, quod ad hoc procedimus dolentes plurimum et inviti. Datum Laterani, XII kalendas septembris, pontificatus nostri anno sexto. »

X

Ad abbatem S. Laurentii in Campo et priorem S. Severini.

22 augusti 1221.

[Theiner, Codex dipl. dominii temp., I, 68, n. 110.]

Ut Aesinos ad obediendum marchioni Estensi censuris ecclesiasticis compellant.

Honorius episcopus, servus servorum Dei,

dilectis filiis abbati Sancti Laurentii in Campo et priori Sancti Severini, Fanensis et Camerinensis diœcesum, salutem et apostolicam benedictionem.

Præsentium vobis auctoritate mandamus, quatenus homines Esii, qui nobilem virum Az. marchionem Anconitanum et Estensem graviter in multis offendisse dicuntur, nisi ad mandatum marchionis ejusdem cum humilitate redierint, appellatione postposita, excommunicatos publice nuntietis et ab omnibus de Marchia faciatis tanquam excommunicatos arctius evitari. Datum Laterani, XI kalendas septembris, pontificatus nostri anno sexto.

XI

Ad abbatem et monachos Marchien. diœcesis Atrebatensis.

27 augusti 1221.

[Fonds Moreau, t. CXXIX, p. 160, Biblioth. Nation.]

Prohibet ne a monachis Marchien. de animalibus decimæ exigantur.

Honorius episcopus, etc., dilectis filiis abbate et monachis Marchien., salutem, etc.

Solet annuere Sedes Apostolica piis votis, et honestis petentium precibus favorem benevolum impertire. Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, auctoritate vobis præsentium, ad instar felicis memoriæ Lucii et Innocentii prædecessorum nostrorum Pontificum, misericorditer duximus indulgendum, ut de nutrimentis animalium vestrorum nullus a vobis decimas exigere vel extorquere præsumat. Nulli ergo omnino hominum, etc. Si quis autem præsumpserit, etc. Datum Laterani, VI kalendas septembris, pontificatus nostri anno sexto.

XII

Ad episcopum et capitulum Xanctoren.

3 septembris 1221.

[Regest., lib. VI, epist. 3. Mss. La Porte du Theil.]

Commendat illis P. archipresbyterum de Surgerii qui diu devote serviit in eorum ecclesia, et tamen non habet unde commode possit sustentari.

Honorius, etc., venerabili fratri episcopo et dilectis filiis capitulo Xanctoren.

Etsi non nisi gratis sint ecclesiastica beneficia conferenda, hi tamen qui, prævenienti gratia, per grata devotionis obsequia se coaptant quasi quodam gratuito juris debito ad ea, sunt aliis præferendi ; ne devotio, digna retributione fraudata, non solum non exterreat indevotos, verum etiam remissiorem reddat obedientiam devotorum. Cum igitur sicut dilectus filius P. archipresbyter de Surgerii, in nostra proposuit præsentia constitutus, diu in choro ecclesiæ vestræ servierit fideliter et devote ac pro bonæ memoriæ prædecessore tuo, frater episcope, ac vobis, filii capitulum, pluries ad Sedem Apostolicam laboravit, nec ultra triginta solidos habens in archipresbyteratu suo in redditibus, possit exinde commode sustentari; quia indecens vobis, et ipsi non immerito est molestum, quod qui laboravit in spe, contra fiduciam refraudetur, universitatem vestram rogantes et monentes attentius per Apostolica vobis scripta mandamus, quatenus eidem suæ devotionis obtentu, et nostrarum precum intuitu taliter providere velitis, quod ipse ad obsequia ecclesiæ vestræ tam in spiritualibus, quam in temporalibus fortius astringatur, et nos devotionem vestram possimus merito commendare. Datum Laterani, III nonas septembris anno sexto.

XIII

Ad archiepiscopum Maguntinensem.

3 septembris 1221.

[Scheid, Origines Guelficæ, III, 679.]

Electionem magistri Conradi in episcopum ecclesiæ Hildensemensis confirmat Honorius.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri archiepiscopo Maguntinensi salutem et apostolicam benedictionem.

Litteras tuas recepimus continentes, quod nuper, ecclesia Hildensemensis vacante, capitulum ejusdem ecclesiæ dilectum filium magistrum Conradum, capellanum et pœnitentiarium nostrum, invocata Spiritus Sancti gratia, canonice et concorditer in episcopum elegerit : cujus electionem examinans diligenter, eam auctoritate metropolitica, prout ad te pertinet, confirmasti. Nos itaque, attendentes ejusdem electi merita probitatis, et sperantes, eidem ecclesiæ

per ipsum tam in spiritualibus, quam in temporabilibus, utiliter providendum; tam electionem capituli, quam confirmationem tuam ratam habemus et gratam, tibi et ipsis auctore Domino digna vicissitudine responsuri, utpote qui reputamus nos in eo plurimum honorari. Datum Laterani, III nonas septembris, pontificatus nostri anno sexto.

XIV

Ad ministeriales ecclesiæ Hildensemensis.

9 septembris 1221.

[Scheid, Origines Guelficæ, III, 682.]

Illos monet ne se ingerant electionibus pontificum.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis, ministerialibus ecclesiæ Hildensemensis, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum sciatis vel scire vos deceat, quod non erit hæres filius ancillæ cum filio liberæ; nequaquam ad ancillandam Hildensemensem ecclesiam, matrem vestram, sed potius in libertate servandam totis viribus niti debetis, ne, quod absit, exhæredes, sed hæredes magis testamento adscribi mereamini summi Patris. Quare non sine causa miramur, quod, cum quælibet ecclesia secundum canonicas sanctiones in electione prælatorum plena gaudeat libertate, vos pro eo, quod estis ministeriales Hildensemensis ecclesiæ, jus in electione pontificis nitamini usurpare, non attentendo, quod ad hoc dominus Ozam, qui manum arcæ apposuit inclinatæ, percussit, ut laicis interdiceret audaciam se rebus ecclesiasticis ingerendi. Quia igitur ex simili vel ex graviori culpa similem vel acriorem potestis formidare vindictam; universitatem vestram monemus et hortamur attente, per Apostolica vobis scripta firmiter præcipiendo mandantes, quatenus electionibus pontificum vos de cætero nullatenus ingeratis, cum id nequaquam possimus æquanimiter tolerare, quia pati nec volumus nec debemus ecclesias taliter subjici servituti. Datum Laterani, V idus septembris, pontificatus nostri anno sexto.

XV

Ad Bertoldum patriarcham Aquileiensem.

10 septembris 1221.

[Ughelli, Italia sacra, V, 479.]

Mandat ut Polensem episcopum compellat ad cedendum, quum prius ipsemet ab Apostolica Sede postulaverit ut sua admittatur cessio.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri patriarchæ Aquileiensi, salutem et apostolicam benedictionem.

Dilecti filii archidiaconus, et capitulum Polense, transmissa nobis petitione, monstrarunt, quod cum venerabilis frater noster I. Polensis episcopus propter diversas causas, quas nobis per suas litteras intimavit, petiisset cum instantia [ut acciperemus] cessionem, nos tandem ejus devicti precibus, venerabili fratri nostro episcopo et archidiacono Absarensi nostris dedimus litteris in mandatis, et vice nostra, cessionem recipientes ipsius, capitulo Polensi mandarent, ut sibi de persona idonea per electionem canonicam in episcopum providerent. Sed nunc prædictus Polensis episcopus monitus ab eisdem, cedere prætermittitur, prout iidem suis nobis litteris insinuarunt. Cum itaque prædictus Polensis episcopus in postulatione cessionis hujusmodi, aut ecclesiæ commodum, cui præest, aut salutem videatur propriam attendisse, nos neutrum eorum volentes levitate qualibet præpediri, fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus, si est ita, eum ad cedendum juxta statuta concilii generalis auctoritate nostra, cessante appellatione, compellas; mandans capitulo Polensis ecclesiæ, ut sibi per electionem canonicam de persona idonea, quæ tanto congruat oneri et honori, provideant in episcopum et pastorem. Datum Laterani, IV id. sept. anno sexto.

XVI

Ad archiepiscopos, episcopos et alios ecclesiarum prælatos per Teutoniam constitutos.

10 septembris 1221.

[Sudendorf, Registrum, I, 84, n. 38.]

Rogat Honorius ut crucesignatos earum diœcesum habeant commendatos neque eos indebite vexent, verum eisdem aliquid debitorum remittant.

Honorius episcopus, servus servorum Dei,

venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis et aliis ecclesiarum prælatis per Teutoniam constitutis, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum ii, qui fidei amore succensi, affixo suis humeris signo crucis se adscribunt obsequio Jesu Christi, ad prælium Domini præliandum in partibus transmarinis, gerere intendant rempublicam totius populi christiani, non sine causa mœremus, nec immerito commovemur, quod, sicut audivimus, quidam vestrum, qui deberent eos intuitu crucifixi favoribus et subsidiis adjuvare, spreto timore divino, ipsos exactionibus indebitis et aliis vexationibus fatigantes, pium eorum propositum præpediunt et retardant, minime attendentes, quod dum sic Christi amicis officiunt, ejusdem proficiunt inimicis. Ne igitur causam Christo negligere videamur, qui ejus sumus, licet immeriti, vicarii constituti, universitatem vestram rogamus, monemus et hortamur attente per Apostolica scripta mandantes, quatenus singuli, crucesignatos terrarum vestrarum habentes omnimodis commendatos, non solum indebite non vexetis eosdem, verum etiam ejus intuitu, cujus se devoverunt obsequiis, remittatis aliquid debitorum, ita quod eum, cui debetis omnia, quæ habetis, vobis constituatis merito debitorem, et nos, qui quod [fit] crucesignatis, [nobis] fieri reputamus, devotionem vestram prosequi debeamus actionibus gratiarum. Datum Laterani, III idus septembris, pontificatus nostri anno sexto.

XVII

Ad comitem Bertoldum.

22 septembris 1221.

[Bullarium Rom., ed. Taur., III, 381, n. 58.]

Confirmatio infeudationis terræ Partuselli comiti Bertholdo sub annua præstatione duarum marcarum argenti.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio comiti Bertholdo salutem et apostolicam benedictionem.

Cum terram, quæ dicitur Partuselli a Romana Ecclesia recognoscens, dilecto filio magistro Bartholomeo subdiacono et capellano nostro, Apostolicæ Sedis legato, nomine nostro fidelitatis præstiteris juramentum, obligans te ac tuos hæredes, quod nobis et successoribus nostris, duas marcas argenti singulis annis pro terra ipsa persolves; nos tuis precibus inclinati terram ipsam sicut eam juste possides et quiete, auctoritate tibi Apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani, X kalendas octobris, pontificatus nostri anno sexto.

XVIII

Ad abbatem Sancti Dionisii, et vicedecanum ac magistrum de Bermont, canonicos Remenses.

5 octobris 1221.

[Regest., lib. VI, epist. 35. Mss. La Porte du Theil.]

Clero civitatis et diœcesis Tullensis appellante de sententia excommunicationis ab executoribus in eis lata, mandat Pontifex ut querimonias Tullensis cleri examinent et quod fuerit canonicum statuant.

Honorius, etc., dilectis filiis abbati Sancti Dionisii... vicedecano et magistro de Bermont canonicis Remen.

Intellecto quondam ex relatione venerabilis fratris nostri... Tullen. episcopi, quod Tullen. ecclesia trium millium marcarum debito tenebatur, providimus, ut per clerum civitatis et diœcesis Tullen., facta inter eos contributione, dimidia pars totius debiti, et per eumdem episcopum alia dimidia solveretur... abbati Derven. monasterii et ejus collegis, nostris dantes litteris in mandatis, ut eumdem clerum per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, compellerent ad prædictam partem totius debiti persolvendam. Verum ex conquestione quorumdam de clero nuper audivimus, quod prædictus episcopus multo majorem summam pecuniæ suggerens se debere, multo plura exigit ab eisdem, ordinans cum prædictis executoribus ut singuli clerici civitatis in diœcesis Tullen. usque ad tres annos quintam decimam suorum reddituum ad hoc darent, quæ quia exacte solvere noluerunt, ab hujusmodi gravamine appellantes, iidem executores in eos excommunicationis sententiam

promulgarunt. Quare nobis ex parte ipsorum fuit humiliter supplicatum ut super hoc eis providere misericorditer dignaremur, cum parati sint in mille quingentis marcis, ob reverentiam nostram, juxta prioris mandati nostri tenorem eidem episcopo subvenire, computata tamen pecunia, quam propter hoc a clericis noscitur accepisse. Ideoque discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus, si est ita, denuntiantes sententiam prædictam non tenere, non obstante ordinatione præmissa, memoratum clerum sufficiente ab eo cautione recepta, quod mille quingentas marcas episcopo prædicto sine difficultate persolvant, non permittatis super ulteriore summa de cætero aggravari. Quod si non omnes, etc. Datum Laterani, III nonas octobris, anno sexto.

XIX

Ad abbatem Sancti Martini et præpositum ac Th. de Cruce canonicum Ambianensem.

20 octobris 1221.

[Regest., lib. VI, epist. 31. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat ut quædam statuta super residentia faciant inviolabiliter observari in ecclesia Sancti Audomari.

Honorius, etc., dilectis filiis abbati Sancti Martini de Lameto, et præposito ac Th. de Cruce canonico Ambianen.

Dilecti filii decanus et capitulum Sancti Audomari nobis humiliter supplicarunt ut quædam, quæ super residentia facienda in ecclesia eorumdem, de assignatione præbendarum, aliisque articulis provide statuerunt, ipsorum episcopo eadem approbante, obtinere firmitatem debitam faceremus. Ideoque discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus statuta ipsa sicut sunt provida et honesta faciatis inviolabiliter observari, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Quod si non omnes, etc. Datum Laterani, XIII kalend. novembris, anno sexto.

XX

Ad universos Christi fideles.

25 octobris 1221.

[Bouquet, Rec. des Hist., t. XXIX, p. 715.]

Sententiam exhæredationis in Raimundum comitis Tolosani filium olim ab Apostolicæ Sedis legato latam Honorius denuo confirmat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis universis Christi fidelibus præsentem paginam inspecturis, salutem, etc.

Ea quæ contra hæreticos vel eorum fautores provide statuuntur, Apostolico decet munimine roborari, ut inconcussam semper obtineant firmitatem. Cum igitur dilectus filius noster B[ertrandus] tituli SS. Johannis et Pauli presbyter cardinalis, tunc Apostolicæ Sedis legatus, attendens quod R[aimund. VII], filius R. quondam comitis Tolosani non solum imitabatur patris malitiam, sed etiam anteibat, sententialiter eidem abjudicavit omne jus quod, in terra quæ dicti patris sui fuerat vel erat in legatione cardinalis prædicti, videbatur habere, nos ejusdem cardinalis sententiam, sicut juste lata est et in ipsius cardinalis litteris plenius continetur, auctoritate Apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo liceat nostræ confirmationis infringere. Datum Laterani, VIII kal. novembris, anno sexto.

XXI

Ad abbatem et conventum Sancti Pauli de Urbe.

26 octobris 1221.

[Margarini, Bullarium Cassinense, II, 256.]

Abbati et conventui S. Pauli de Urbe intimat Honorius se prohibere omnino ne quis præsumat vendere vel donare ornamenta pretiosa quæ eorum ecclesiæ ipse contulit.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati, et conventui Sancti Pauli de Urbe, salutem, etc.

Multa devotio, quam habemus, ad venerandam vestram ecclesiam, nos inducit, ut ejus, tanquam veræ domus Dei, decorem intime diligamus, et satagamus, ut non solum nostris, sed futuris quoque temporibus decoretur ornatu ecclesia tanta digno, et eo maxime, quem illi noscimur contulisse,

quatenus, et divini nominis cultus celebretur in eadem, et hoc nostræ devotionis indicio ibi perpetuo permanente, ibidem nostri memoria in benedictione jugiter habeatur. Hinc est quod auctoritate præsentium inhibemus expresse, ne quis ea, quæ ipsi ecclesiæ in auro, argento, pannis sericis, et quibuscumque aliis ecclesiasticis ornamentis, usque ad hanc diem contulimus, vel etiam in posterum conferemus, ullo tempore donare, vendere, obligare, ad alium locum transferre, seu quomodolibet alienare, vel ab ipsa ecclesia sequestrare præsumat; sed conservetur ibidem ad exornandum divina servitia, temporibus opportunis. Si quis autem, huic nostræ inhibitioni præsumpserit contraire, sententia excommunicationis, et anathematis, se noverit innodatum, quam ex nunc in ejusdem inhibitionis transgressores quoslibet promulgamus. Datum Laterani, VII kalendas novembris, pontificatus nostri anno sexto.

In eumdem modum scriptum est ad Stephanum abbatem et conventum monasterii Cassinensis. (Gattula, *Historia abbatiæ Cassinensis,* II, II.)

XXII

Ad abbatem Sancti Jacobi de Pruvino, Senonensis diœcesis.

27 octobris 1221.

[Regest., lib. VI, epist. 42. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat ut ad cautelam impendat absolutionis beneficium magistro Stephano, ne forte vinculo sit innodatus pro vicesima non soluta.

Honorius, etc., dilecto filio abbati Sancti Jacobi de Pruvino Senonen. diœcesis.

Magister Stephanus de Pruvino sua nobis petitione monstravit, quod cum extra regnum Franciæ studii causa consistens, procuratori suo injunxisset expresse, ut vicesimam proventuum ejus singulis annis integre solveret, secundum statutum Concilii generalis, idem procurator proventuum cujusdam grangiæ, quam.... abbas et conventus de Britolio dicto magistro in vita sua dederunt, vicesimam non persolvit, asserens se super hoc viros consuluisse peritos, et ab eis sibi fuisse responsum, quod cum laicus tenere posset grangiam supradictam, et aliquando etiam tenuisset, præfatus magister ad solvendum de proventibus ejus vicesimam minime tenebatur. Unde præfatus magister volens a conscientia sua scrupulum removere, ad nos duxit provide recurrendum, supplicans, ut cum vicesimam ipsam, si nobis visum fuerit, solvere sit paratus, absolvi faceremus eumdem, si forte vinculum aliquod pro illius detentione incurrit. Nos igitur attendentes, quod abbas et conventus prædicti procul dubio solverent de grangia prædicta vicesimam, si ad manus suas eamdem grangiam retinerent, ac ideo tutius existimantes ut eamdem vicesimam dictus magister exsolvat, discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus eam recipias ab eodem in Terræ Sanctæ subsidium convertendam, licet autem idem magister nullum hac de causa videatur vinculum incurrisse, cum secundum ea, quæ præmissa sunt nulla in eo malitia fuerit vel contemptus, si tamen voluerit, iidem auctoritate nostra impendas absolutione beneficium ad cautelam. Datum Laterani, VI kal. novembris anno sexto.

XXIII

Ad Cameracensem episcopum.

27 octobris 1221.

[Regest., lib. VI, ep. 41. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat ut circa clericos in minoribus ordinibus constitutos, qui ecclesiastica beneficia obtinuerunt et matrimonia contraxerunt, statuat quid secundum Deum viderit statuendum.

Honorius, etc., venerabili fratri... Cameracen. episcopo, salutem, etc.

Ad nostram noveris audientiam pervenisse, quod quidam clerici tuæ diœcesis in minoribus ordinibus constituti, ecclesiastica beneficia obtinentes a multis retroactis temporibus matrimonia contraxerunt, pro suæ arbitrio voluntatis nihilominus in jam obtentis beneficiis ministrantes. Nos igitur de discretione tua gerentes fiduciam pleniorem negotium ipsum tibi, qui cum eorum diœcesanus existas, de ipso, et ejus circumstantiis universis scire poteris plenius veritatem, duximus committendum, fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandantes, quatenus super his auctoritate nostra statuas circa ipsos quod secundum Deum ad honorem Ecclesiæ videris statuendum, contradictores per censuram ecclesiasticam ap-

pellatione postposita compescendo. Datum Laterani, VI kal. novembris anno sexto.

XXIV

Ad Robertum Vesprimiensem episcopum.

10 novembris 1221.

[Theiner, Monum. Hungariæ, I, 30; n. 60.]

Episcopo Vesprimiensi redditus per ipsum canonicis assignatos confirmat.

Honorius episcopus, etc., venerabili fratri.... Vesprimiensi episcopo, salutem, etc.

Sane cum olim, te nobis humiliter supplicante, ut providendis ecclesiæ tuæ canonicis, qui erant paupertate gravati, de parochialibus ecclesiis tuæ diœcesis, vel de redditibus episcopalibus tibi facultatem concedere dignaremur, nos tibi nostris dedissemus litteris in mandatis, ut super hoc faceres, quod secundum Deum et generalis statuta Concilii nosceres faciendum : tu de tuis redditibus ad sustentationem canonicorum ipsorum centum marcarum annuos redditus assignasti, prout in tuis litteris exinde confectis perpeximus plenius contineri. Nos itaque tuis precibus inclinati, quod per te super his provide actum est, auctoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo, etc., nostræ confirmationis infringere. Si quis autem, etc. Datum Laterani, IV idus novembris, pontificatus nostri anno sexto.

XXV

Ad abbatem et conventum monasterii Sancti Martini de Valle.

10 novembris 1221.

[Bull. Vat., II, 106.]

Abbatiæ Sancti Martini de Valle institutionem a Credindeo (1) factam confirmat; ecclesias eidem monasterio subjectas enumerat; bona, ac jura tuetur.

Honorius episcopus, etc., dilectis filiis abbati, et conventui monasterii Sancti Martini de Valle, Theatin. diœcesis, salutem, etc.

Sacrosancta Romana Ecclesia devotos, et humiles filios ex assuetæ pietatis officio propensius diligere consuevit, et tanquam pia mater sua protectionis munimine confovere. Unde sicut accepimus per instrumentum donationis, quod Credindeus Credindei (1) dominus Theatin., timore futuri judicii, dicto monasterio irrevocabiliter, de suis propriis bonis condonavit castrum suum, quod dicitur Fara Sancti Martini de Valle cum bonis stabilibus ipsius districtus, cujus confines tales inscribebantur : Vallis Cupa, Sylva Montanaria, Petræ Fracidæ Pinzoni, Pesculum, Pandum, Pesculum de Apolori de Roccha Juñicella, Portelle frondesque, Mons Malus, Serra de Ponte, Femina Morta, Sulcum, Serra Orfentis, Serra Vallis Bonæ, Seregetum, Furca, Serra Rotaro, Collis Sarmone, Mons Giraldi, Portella Ferucæ, Fons Renaliosi, Ara Casuleri, Cere Piconi, Pena Corva, cum ædificiis in flumine viridi per Longon, cujus de terris seminativis ducentorum modiorum. Verum, etiam quod quidam nobiles Christicoli ipsi monasterio ecclesias per eos dotatas ad collationem condonaverunt, quas iis propriis nominibus appellarunt : Ecclesiam Sancti Sylvestri, ecclesiam Sancti Petri, ecclesiam Sancti Angeli, ecclesiam Sancti Clerici, ecclesiam Sancti Pauli de Colle Macinarum, ecclesiam Sanctæ Mariæ, Sanctæ Luciæ, Sancti Sylvestri de Castro Larome ; ecclesias Sancti Angeli, Sancti Fabiani in castro Palumbani, ecclesias Sancti Justini, et Sanctæ Mariæ in castro Civitellæ. Nos volentes ne in posterum pravorum hominum molestiis idem monasterium agitetur, vestris piis postulationibus grato concurrentes assensu, personas, et monasterium, in quo estis divino obsequio mancipati, cum omnibus oblationibus, incorporationibus prænominatorum, quæ in præsentiarum rationabiliter idem monasterium possidet, aut in futurum juste possidebit, sancimus, et auctoritate Apostolica roboramus. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat supradictum monasterium perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, vel temerariis vexationibus fatigare; sed omnia integra asserventur, eorum pro quorum sustentatione, et gubernatione concessa, usibus omnimodis profutura. Porro ad memoriam et indicium hujus perceptæ a Romana Ecclesia constitutionis, et acceptationis, pro liberiori gratia, per annos singulos duos solidos Lateranensi Palatio per-

(1) *Croix-en-Dieu*, nomen viri, aut nomen terræ. In ultimo casu, erit in summario : ... institutionem a domino Credendei factam, — et in epist. : ... quod Credindei dominus Theatin., timore judicii, dicto monasterio irrevocabiliter, de suis propriis... In primo casu, nihil addendum in summario, sed in epist. : Credindeus dominus Theatin.

solvetis. Si quis igitur in futurum archiepiscopus, aut episcopus, imperator aut rex, princeps aut dux, comes, vicecomes, baro, aut ecclesiastica persona, aut sæcularis, hanc nostram constitutionis, et acceptationis paginam, sciens, contra eam venire tentaverit, secundo tertiove commonita, si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis, honorisque sui careat dignitate, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore, et sanguine Dei, et Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem monasterio sua jura servantibus, sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus et hic fructum bonæ actionis percipiant, et apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant.

Datum Laterani, IV idus novembris, pontificatus nostri anno sexto.

XXVI

Ad monasterium et conventum monasterii Sancti Martini de Valle.

10 novembris 1221.

[Bullarium Vatic., I, 107.]

Monasterium Sancti Martini de Valle, ejusque bona, Apostolicæ Sedis patrocinio tuetur.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati et conventui monasterii Sancti Martini de Valle, salutem, etc.

Sacrosancta Romana Ecclesia devotos, et humiles filios, ex assuetæ pietatis officio propensius diligere consuevit, et ne pravorum hominum molestiis agitentur, eos tanquam pia mater suæ protectionis munimine confovere. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, personas, et monasterium vestrum, in quo divino estis obsequio mancipati, cum omnibus bonis, quæ in præsentiarum rationabiliter possidet, aut in futurum justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, sub beati Petri, et nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Ad indicium autem hujusmodi a Sede Apostolica protectionis perceptæ, duos solidos denariorum senatus (1) gratis oblatos, nobis, nostrisque successoribus annis singulis persolvetis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ protectionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani, IV idus novembris, pontificatus nostri anno sexto.

XXVII

Ad præpositum et fratres Mortarienses ord. S. Augusti monasterii.

13 novembris 1221.

[Pennotus, Sacri ordinis clericorum hist., 200.]

Translatio monasterii de Cœlo Aureo de Papia ad monasterium Mortariense ordinis Sancti Augustini, ab Honorio confirmatur.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis præposito et fratribus Mortariensibus, ordinis Sancti Augustini, salutem et apostolicam benedictionem.

Quæ Apostolicæ Sedis firmitatis auctoritate provide ordinantur, ab eadem debent

(1) *Denarii senatus* eos indicant nummos, qui senatus populique romani nomen præseferebant. Horum alii a senatoribus procusi, quo tempore urbs Roma a pontificibus dissidebat; alii, rebus compositis, ac Romano Pontifice annuente, a senatu percussi. Rem hanc multis pertractat in suo opere de *Antiquis Romanorum Pontificum denariis*, eruditus sane vir ac antiquitatis studiosus Benedictus Floravanta, hic consulendus. Putamus tamen, Honorium posterioris generis nummos hic intelligere; cum alioqui denarii invito Pontifice signati, adulterinis accenseantur; quos idcirco ab usu atque commercio penitus exulare jubet Martinus IV in epistola ad Philippum Caveri Urbis vicarium scripta, die 26 decembris 1282, quam memoratus Floravanta suis inserit *lucubrationibus*, page 34. Ad geminam igitur senatus monetam, solidos revocat Honorii constitutio.

Quis vero solidorum valor hic definiendus? Nolumus ab ea quam Grimaldus in opere de Veronica figit, taxa recedere. *Solidi*, inquit ille, *erant bononenorum, seu obolorum XII semis*, pro quolibet. Quo pretio statuto, supputationem prosequitur : *Decem solidi argentei conficiebant nummum aureum juliorum X baj. 25... XXX. Solidi valebant marcam unam argenteam, scilicet...... (scuta) tria baj.* 75. Hac mensura servata, annuus census a monasterio solvendus, non nisi obolos viginti quinque nostrates conficit : Tenuis sane, ac curta supellex. Si quis forte objiciat, Grimaldum, cujus verba in notis ad superiorem Honorii bullam protulimus, alio, in marcarum valore librando, uti pretio; reponimus, dissimilem supputationis rationem a diversa marcarum notione repetendam. Marcas sterlingorum, sive anglicanas ibi explicat; hic vero eas, quarum frequentior Romæ usus, describit.

robur accipere, ne in posterum facile quatiantur. Sane venerabili fratri nostro Hugoni, Ostiensi episcopo, Apostolicæ Sedis legato, et nonnullis aliis viris religiosis ac fide dignis, nobis olim per suas litteras intimantibus, monasterium Sancti Petri in Cælo Aureo de Papia, nobis immediate subjectum, in spiritualibus, et temporalibus graviter corruisse, ita ut ejusdem loci abbatem occasione multæ dissolutionis ad quam monasterium ipsum devenerat, intrempto, et usuris jugiter excrescentibus, non speraretur, quod locus ipse per Nigros posset monachos reformari : ac suggerentibus nobis, ut caput domus vestræ ad prædictum monasterium, ubi corpus ipsius sancti noscitur requiescere, tranferremus, nos eidem episcopo dedimus in mandatis, ut consideratis circumstantiis universis, in negotio ipso auctoritate nostra procederet, prout secundum Deum cognosceret procedendum. Porro idem episcopus variis negotiis occupatus, mandavit venerab. fratri nostro Jacobo episcopo Taurinensi, ut personaliter ad memoratum monasterium accedens, diligenter inquireret voluntatem episcopi, cleri et populi Papiensis, et si videret posse fieri sine scandalo, Mortariensium domui monasterium concederet sæpius dictum, alioquin quod super hoc inveniret, ei per suas litteras intimaret. Præfatus vero Taurinensis, juxta ipsius legati mandatum, personaliter ad Papiensem civitatem accedens, et super prædicto negotio diligenter inquirens episcopi, cleri et populi voluntatem, omnes in hoc invenit unanimes et concordes, et quum tandem deliberato consilio respondissent, quod hujusmodi translationem plurimum acceptabant, salvo tamen jure Apostolicæ Sedis, et imperii et episcopi, et civitatis Papiensis, ac jure ac honore advocatorum monasterii memorati, idem Taurinensis ad sæpe dictum monasterium cum præfato Papiæ episcopo, et cleri, et populi multitudine copiosa procedens, monasterium ipsum cum omnibus ecclesiis, possessionibus, juribus et pertinentiis suis domui Mortariensi libere et absolute, ea qua fungebatur auctoritate concessa expressa, ut monasterium ipsum caput Mortariensis ordinis de cætero habeatur, ac te, fili præposite, vice et nomine dictæ domus in ipsius monasterii corporalem possessionem induxit, tribuendo tibi liberam facultatem possessionum omnium temporalium, et spiritualium, quæ ad ipsum monasterium pertinent, auctoritate propria nanciscendi, ejusque processum auctoritate legationis sibi commissæ confirmavit præfatus episcopus Ostiensis. Nos igitur instrumentis, quibus omnia supradicta plenius continentur, diligenter inspectis, concessionem prædictam auctoritate apostolica roborante, monasterium ipsum cum universis juribus, possessionibus, ecclesiis et pertinentiis suis temporalibus, et spiritualibus, vobis et per vos ordini vestro auctoritate apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus, statuentes, ut ordo Mortariensis ibidem perpetuis temporibus observetur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis, et constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Laterani, idibus novembris, pontificatus nostri anno sexto.

XXVIII

Ad abbates, priores, decanos, etc., per Remensem provinciam constitutos.

15 novembris 1221.

[Bouquet, Rec. des Hist., t. XIX, p. 715.]

Honorius significat se dedisse Remensi et archiepiscopo potestatem, ut in Remensi et Rothomagensi provinciis vicesimam proventuum ecclesiasticorum per triennium jubeat conferri, quæ reparandis belli Albigensis cladibus adhibeatur.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbatibus, prioribus, decanis, archidiaconis et aliis ecclesiarum prælatis ac clericis universis per Remensem provinciam constitutis, salutem, etc.

Cum venerabiles fratres nostri Remensis archiepiscopus A. S. legatus et suffraganei sui, auctoritate mandati nostri, quo ipsi archiepiscopo dedimus potestatem faciendi in sua et Rothomagensi provinciis, tam in indulgentiis quam in aliis, omnia quæ ad relevationem negotii fidei quod in partibus Provinciæ geritur cognosceret expedire, communi consilio et consensu statuerint, ut ipsi et omnes omnino personæ ecclesias-

ticæ in Remensi provincia consistentes vicesimam ecclesiasticorum proventuum usque ad triennium integre conferant ad relevationem negotii memorati, exceptis venationibus, piscationibus, procurationibus, quæ de facili extimari [*lege* æstimari] non possunt, et hujusmodi onus imposuerint etiam religiosis omnibus, Cisterciensibus, Templariis, Hospitalariis et Carthusiensibus dumtaxat exceptis, nos statutum hujusmodi, tanquam provide factum, auctoritate apostolica confirmamus, dantes eidem archiepiscopo liberam potestatem contradictores (si qui fuerint) ad exsolvendam ipsam vicesimam districtione canonica, sublato appellationis obstaculo, compellendi. Ideoque universitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus vicesimam ipsam exsolvatis ita liberaliter et libenter, quod ob hoc alicujus difficultatis articulum incurrere non possitis. Datum Laterani, XVII kalend. decembris, pontificatus nostri anno sexto.

In eumdem fere modum scriptum est super hoc eisdem Remensi et suffraganeis ejus. Cum auctoritate mandati nostri, quo tibi, frater archiepiscope, dedimus potestatem faciendi in tua et Rothomagensi provinciis, tam in indulgentiis, etc., *ut supra usque* provide factum, auctoritate apostolica confirmamus, et præsenti scripti patrocinio communimus, salvo Apostolicæ Sedis mandato, dantes tibi frater archiepiscope, liberam potestatem contradictores, si qui fuerint, etc., *ut supra usque* compellendi. Absolvendi etiam juxta formam ecclesiæ, tuæ legationis incendiarios et violentarum manuum injectores, ut sic eos efficacius inducere valeas ad negotii memorati succursum, tibi facultatem auctoritate præsentium indulgemus. Datum *ut supra.*

XXIX

Ad Margaretam, Joannæ Flandriæ comitissæ sororem.

16 novembris 1221.

[Bouquet, Rec. des Hist., XIX, 716.]

Margaretam, ab excommunicatione absolutam, monet Honorius ut, prudenter deinceps sororis suæ consiliis acquiescens, laudabiliter ac honeste se habeat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, nobili mulieri M. germanæ J. comitissæ Flandrensis, spiritum consilii sanioris.

Quod tibi salutationis alloquium denegamus, non ex alia causa procedit, nisi quia numquam salutare consuevimus excommunicatione ligatos. Cum autem sis per studium nostrum de illius manibus liberata, cum quo in salutis et famæ tuæ periculum morabaris, nosque venerabili fratri nostro episcopo Cameracensi, et dilectis filiis abbati Sancti Joannis in Valencenis Cameracensis diœcesis, et archidiacono Cameracensi, dedimus in mandatis ut te absolvant ab excommunicationis sententia quam incurreras hac de causa; nobilitatem tuam rogandam duximus et monendam, per Apostolica tibi scripta mandantes, quatenus, consilio et voluntati dilectæ in Christo filiæ nobilis mulieris comitissæ Flandrensis, germanæ tuæ, sicut tuam decet prudentiam, acquiescens, studeas in omnibus te habere laudabiliter et honeste pro ut magnitudo tuæ voluntatis [*forte* nobilitatis] exposcit: sciens quod, si hoc feceris, nos, in quibus decuerit, tibi favorem apostolicum libenter et liberaliter impendemus. Datum Laterani, XVI kal. decembris, anno sexto.

XXX

Ad Godefridum, Cameracensem episcopum, etc.

17 novembris 1221.

[Bouquet, Recueil des Hist., XIX, 716.]

Mandat Honorius, ut Margaretam, Joannæ Flandrensis comitissæ sororem, quæ propter cohabitationem cum Burchardo de Avesnis excommunicationis sententia damnata fuerat, absolvant.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri episcopo Cameracensi, et dilectis filiis abbati Sancti Joannis in Valencenis Cameracensis diœcesis et archidiacono Cameracensi, salutem, etc.

Cum B[urchardus] de Avesnis nobilem mulierem M[argaretam] germanam dilectæ filiæ nobilis mulieris, J[oannæ] comitissæ Flandrensis detinere præsumeret in subdiaconatus ordine constitutus, propter hoc in eum auctoritate nostra fuit excommunicationis sententia promulgata, expresso ut præfata M. sententia involveretur eadem, si, facultate habita discedendi, cohabitaret

subdiacono memorato (1). Nuper autem eadem M. nobilis humiliter supplicavit ut, cum a B. supradicto discesserit, et ad eum nunquam habeat propositum redeundi, ipsam a præfata sententia quam se incurrisse formidat, faceremus absolvi. Ideoque discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus ipsam a sententia hujusmodi absolvatis, injuncto ei quod videritis injungendum. Quod si non omnes, etc. Datum Laterani, XVI kal. decembris anno sexto.

XXXI

Ad Bajocensem episcopum.

17 novemb. 1221.

[Regest., lib. VI, epist. 59. Mss. La Porte du Theil.]

Innovatio nec jus novum conferat, nec etiam tollat vetus.

' Honorius, etc., venerabili fratri episcopo Bajocensi.

Supplicantibus nobis olim dilectis filiis abbate ac conventu monasterii Sancti Stephani Cadornen., quoddam scriptum in regesto bonæ memoriæ Alexandri papæ tertii prædecessoris nostri repertum duximus innovandum, venerabili fratri nostro episcopo, et dilectis filiis decano Lexovien., et... priori Sanctæ Barbaræ Lexoviensis diœcesis nostris dantes litteris in mandatis, ut eosdem abbatem et conventum non permitterent contra ejusdem scripti tenorem temere molestari, molestatores indebitos per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescentes. Sane tu, propter hoc, ad Apostolicam Sedem accedens in nostra conquerendo proposuisti præsentia constitutus, quod idem abbas, et conventus nullum privilegium libertatis vel exemptionis habebant, cui, si etiam habuissent, cum hoc, ut dicebas, quadraginta annis et amplius usi non fuerint, extiterat derogatum, sed ipsi occasione innovationis hujusmodi in quibusdam se ab episcopali jure subtrahere nitebantur, ac eis quibusdam quasi possessionem juris ipsius indebite perturbabant. Unde petebas, ut ne forte de facto quod ad opinionem hominum lædi Bajocen. ecclesiæ justitia videretur, providere super hoc de quadam cautelæ abundantia dignaremur. Quia vero [in] intentione nostra [non] extitit, ut per innovationem prædictam derogaretur juri ecclesiæ memoratæ, quum innovatio nec jus novum conferat, nec etiam tollat vetus, te in eo statu esse volumus, in quo, tempore impetratæ innovationis dignosceris extitisse. Cæterum nullum per hoc intendimus juri alias eidem monasterio competenti præjudicium generari. Datum Laterani, XV kalend. decembris, pontificatus nostri anno sexto.

Scriptum est super hoc eisdem in eumdem fere modum ut supra *usque* dignoscitur, extitisse. Ea propter volumus per prædictas litteras ad vos ab abbate ac monachis impetratas aliquem de cætero haberi processum, et si quod eorum occasione factum est in ejusdem episcopi præjudicium, ad statum pristinum revocamus. Cæterum nullum per hoc, etc. Ut supra *usque in finem.*

XXXII

Ad Fredericum Romanorum imperatorem.

19 novemb. 1221.

[Huillard-Bréholles, Hist. dipl., II, 220; Raynald, Ann. ad an. 1221, § 18.]

Frederico imperatori infelicem exercitus christiani casum exprobrat, quem illi multi imputant. Hortatur eum ad hanc vituperationem coram Deo et hominibus diluendam.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Frederico, salutem et apostolicam benedictionem.

Mœrore plenas tibi cogimur litteras destinare, quia nostram animam acerbi doloris gladius pertransivit, et adhuc incessanter concidimur vulnere super vulnus. Cum enim flebilis casus exercitus christiani nos dolore intolerabili sauciaverit; deplorantes non tam labores et sumptus quos jam per quinque annos indesinenter pertulimus quosque christianus populus, in rebus et personis subiit, esse prorsus amissos, quam confusionem christiani nominis, et ipsius injuriam Jesu Christi qui, peccatis nostris exigentibus, blasphematur, ecce novi doloris vulnere sauciamur, clamante contra nos universo populo christiano, et nobis ruinam præfati exercitus imputante ac publicis im-

(1) Relegendæ sunt Honorii litteræ adversus Burchardi de Avesnis matrimonium superius recitatæ, lib. III, epist. CCI, col. 211 ad annum 1219, 24 aprilis.

properante clamoribus, quod totum orbem confudimus christianum, eo quod te, sicut voveras, transire non compulimus in subsidium Terræ Sanctæ, culpam tuam in nos penitus refundendo, et utique non prorsus immerito, quia revera dum tibi nimis detulimus, reliquimus christianum exercitum sub periculo casus quem hodie deploramus. Ut enim recenseamus ab exordio culpam nostram, scis quod te jam a pluribus annis crucesignatos sub spe ac specie tui transitus detinente, nos tuæ morem gessimus voluntati, ne promotio tuæ sublimitatis ad quam aspirabamus ex animo, posset nobis aliter facientibus retardari. Postmodum vero te cum instantia postulante, ut excommunicaremus te et crucesignatos Theutoniæ universos nisi una cum illis in subsidium Terræ Sanctæ transires infra eum, quem ipse tibi terminum præfixisti, in hoc quoque gessimus tibi morem. Sed quoties ipsum prorogari terminum postulaveris et quoties in hoc tuæ acquieverimus voluntati, et nos scimus, et tua prudentia non ignorat. Denique quam solemniter et quam publice in tua coronatione promiseris te in succursum dicti exercitus transiturum, cismarini noverunt et etiam transmarini. Unde propter expectationem tui subsidii quod etiam per litteras tuas promisisti exercitui sæpe dicto, refutata est compositio, per quam Hierosolymitana civitas restituebatur cultui christiano; ac demum tota christianitas passa est illius confessionem opprobrii, quod nulla poterit oblivione deleri. Quid igitur mirum si contra nos et contra te murmurat, imo clamat populus christianus, si credit et dicit nos tibi dedisse licentiam remanendi, ac per hoc nobis imputans totum malum quod accidit, nos et Romanam Ecclesiam pro te inauditis lacessere contumeliis non desistit? Certe si hoc tecum digna meditatione pensaveris, recognosces in te gravis culpæ periculum nec ante lætitia lætaberis, quam feceris aliquid per quod satisfecisse Deo et hominibus videaris. Expergiscere igitur, expergiscere, serenissime princeps, et ad vindicandam injuriam Christi et nominis christiani accingere totis viribus toto corde....

Plura addit ut ejus animum ad suppetias crucesignatis illis quam primum ferendas; tum etiam memorat litteras ac legationem quas haud multo ante ad se Fredericus miserat, in quibus magno dolore ex christiani exercitus infortunio affectum se ostendere conabatur affirmabatque omnem operam studiumque in sacra expeditione instruenda conferre. Tum pergit Papa :

Illud autem nolumus te latere quod si nec christianæ fidei zelo, nec nostris exhortationibus excitatus, in negotio, quod absit, fueris tepidus memorato, nos tibi non parcemus ulterius nec saluti nostræ ac utilitati totius populi christiani te amplius præferemus. Quinimo te tanquam voti proprii contemptorem excommunicatum solemniter publicabimus; idque per totum christianum orbem faciemus in confusionem tuam publice nunciari. Tu ergo sicut vir sapiens et catholicus princeps, diligenter attende quæ dicimus et cave prudenter ne te ipsum in ejus articulum difficultatis inducas de quo facile nequeas expediri....

Postremo de legatione ad Fredericum decreta subjungit mitti Nicolaum Tusculanum episcopum, Apostolicæ Sedis legatum, quem honorifice excipiendum mandat, atque imperatorem illius monitis faciles aures præbere adhortatur.

Datum Laterani, XIII kalendas decembris, pontificatus nostri anno sexto.

XXXIII

Ad Hugonem præpositum de Wido, monachum Corbeiensem.

20 novemb. 1221.

[Regest., lib. VI, epist 58. Mss. La Porte du Theil.]

Circa Natalium defectum Hugonem dispensat.

Honorius, etc., dilecto filio Hugoni præposito de Wido monacho Corbeien.

Apostolicæ Sedis benignitas exuberantiam gratiæ suæ favorabiliter exhibet circa illos, qui se illa dignos satagunt exhibere, quatenus et ipsi grata virtutum suarum præmia se recepisse lætentur; et alii eorum exemplo ad honestatis studium debeant animari. Hinc est quod attendentes honestatem tuam, et conversationem laudabilem, de quibus recepimus testimonium plurimorum, natalium defectum, quem patiris, per dispensationis gratiam abolemus, auctoritate tibi præsentium indulgentes, ut, eo non obstante, ad actus legitimos libere admittaris. Nulli ergo, etc., nostræ dispensa-

tionis infringere. Si quis autem, etc. Datum Laterani, XII kalendas decembris, pontificatus nostri anno sexto.

XXXIV

Ad abbatem et conventum Dolenses.

26 novembris 1221.

[Regest., lib. VI, epist. 109. Mss. La Porte du Theil.]

Statutum Concilii generalis de provisione congrua, non tollit provisionem specialem.

Honorius, etc., dilectis filiis abbati et conventui monasterii Dolen.

Cum olim super partitione proventuum ecclesiarum, in quibus vestrum monasterium jus obtinet patronatus, facienda inter priores et capellanos ipsarum Bituricensis diœcesis, quæstio coram felicis memoriæ Innocentio Papa, prædecessore nostro fuisset diutius agitata, tandem ipse hujusmodi quæstionem sapiens providendo determinavit, quod priores quidem perciperent capellani, sicut in ejus litteris factis super provisione hujusmodi evidenter apparet. Sed quidam capellani ecclesiarum ipsarum, occasione statuti Concilii generalis, quo dicitur, ut provisio congrua parochialium ecclesiarum presbyteris, non obstante patroni consuetudine, assignetur, provisionem eamdem, sicut asseritis, infringere moliuntur. Quum ergo generali statuto non tollatur provisio specialis, nos de consilio fratrum nostrorum provisionem jamdictam auctoritate Apostolica roborantes, districtius inhibemus ne quis illa occasione prædicta contrarie præsumat. Nulli ergo, etc., nostræ inhibitionis infringere. Si quis autem, etc. Laterani, VI kalendas decembris anno sexto.

XXXV

Ad archiepiscopum Remensem Apostolicæ Sedis legatum.

27 novembris 1221.

[Regest., lib. VI, epist. 32. Mss. La Porte du Theil.]

Indulget ne legatus trahi possit extra regnum Franciæ quamdiu legationis officio fungitur.

Honorius, etc., venerabili fratri archiepiscopo Remen. Apostolicæ Sedis legato.

Ut efficacius intendere valeas legationis officio, quod tibi pro negotio fidei duximus committendum, auctoritate tibi præsentium indulgemus, ne quamdiu eodem fungeris officio in causam extra regnum Franciæ trahi possis per litteras a Sede Apostolica de cætero impetrandas. Nulli ergo nostræ concessionis infringere. Si quis autem, etc. Datum Laterani, V kalendas decembris anno sexto.

XXXVI

Ad abbates Sancti Eligii Noviom. et Sancti Joannis in Vineis ac magistrum de feritate, canonicum Sancti Joannis in Vineis, Suessionensem.

29 novemb. 1221.

[Regest., lib. VI, epist. 66. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat ut informent de electione in abbatem Corbeiensis conventus et de causa quæ inter episcopum Ambianensem ex una parte, et eumdem conventum ex altera.

Honorius, etc., dilectis filiis Sancti Eligii Noviomen., et Sancti Joannis in Vineis abbatibus, et magistro de feritate canonico Sancti Joannis in Vineis Suessionen.

...... Prior, et conventus monasterii Corbeiensis immediate, ad Sedem Apostolicam pertinentis suis nobis litteris intimarunt, quod eorum ecclesia pastore vacante, ipsi Hugonem ejusdem monasterii monachum virum, ut asserunt, providum et honestum in suum abbatem concorditer elegerunt, per quem sperant monasterium ipsum spiritualiter et temporaliter auctore Domino, profuturum, nobis humiliter supplicantes ut confirmare electionem ipsorum et electo munus benedictionis faceremus impendi. Adjecerunt etiam ad cautelam quod ven. frater noster Ambianensis episcopus, pro eo quod quidam eorum monachi quamdam possessionem auctoritate nostra, causa rei servandæ, adjudicatam eisdem, intrarunt, eodem episcopo renitente, in eos auctoritate propria excommunicationis sententiam promulgavit, quam ipsi tanquam non suo judice promulgatam, quum in eis jurisdictionem aliquam non habeat, nullam penitus reputantes, nequaquam eam servarunt. Quare supplicarunt instanter, ut, ne propter hoc, contra electionem tam concorditer celebratam, turbationes possent in enorme dispendium monasterii concitari, nuntiaremus eam penitus non tenere. Pro

prædicto vero episcopo fuit propositum coram nobis, quod tam electores, quam electos quando ad electionem hujusmodi processerunt, erant pro eo, et adhuc sunt per....... decanum Parisien. et suos conjudices, delegatos a nobis in causa quæ inter eumdem episcopum ex parte una et monasterium ipsum ex altera, super quibusdam decimis vertetur, excommunicationis vinculo innodati; quare petebatur eamdem electionem irritam nuntiari. Volentes igitur tam indemnitati monasterii, quam juri ejusdem episcopi congrue providere, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus latam ab episcopo hujusmodi excommunicationis sententiam decernentes irritam et inanem, a prædictis electo et electoribus, idonea, de congrua episcopo satisfactione præstanda, si justa fuerit delegatorum judicum reperta sententia, cautione recepta, infra quindecim dies impendatis eisdem absolutionis beneficium ad cautelam, et causam ad priorum judicum remittatis examen. Sed ne, propter hoc, interim provisio monasterii retardetur et de facili gravem incurrat rétardatione jacturam, præsertim quum non oporteat illud novis onerari debitis, quod nondum a veteribus respiravit, volumus, ut personam examinantes electi, si eum idoneum inveneritis ad regimen abbatiæ, non obstante defectu natalium quo pati dicitur, ex eo quod pater suus in sacris ordinibus, ante ingressum monasterii, eum genuit de soluta, de provisione nostra, sublato appellationis obstaculo, monasterio præficiatis eumdem, facientes ei a priore et conventu prædictis obedientiam et reverentiam debitam exhiberi, et injungentes cui maluerint ex episcopis convicinis, ut eidem, vice nostra, munus benedictionis, impendat. Quod si non omnes, etc., duo vestrum, etc. Datum Laterani, III kal. decembris, pontificatus nostri anno tertio.

XXXVII

Ad S. Walerici et... abbates, priorem S. Walerici Ambianensis et Rothomagen. diœcesum.

29 novemb. 1221.

[Regest., lib. VI, ep. 63. Mss. La Porte du Theil.]

Appellationis remedium in subsidium oppressorum, non in malignorum subterfugium est inventum. Ac proinde mandat ut, monachi exhibeant obedientiam abbati.

Honorius, etc., dilectis filiis...... Sancti Walerici et.... de Ango abbatibus, et priori Sancti Walerici, Ambianen. et Rothomagen. diœcesum.

Ad nostram audientiam, dilecto filio [abbate] S. Luciani Belvacen. significante, pervenit, quod cum idem monachorum suorum excessus, secundum Deum et beati Benedicti regulam, caritate satagat castigare, iidem in elusionem monasticæ disciplinæ, statim in vocem appellationis prorumpunt; propter quod eorum excessus remanent incorrecti, et ibidem tepescit observantia regularis. Cum igitur appellationis remedium in subsidium oppressorum, non in malignorum subterfugium sit inventum, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus monachos antedictos, ut, appellatione hujusmodi non obstante in elusionem disciplinæ monasticæ interjecta, eidem abbati obedientiam, et reverentiam debitam exhibeant, ut tenentur, ipsius salubria monita et mandata recipientes humiliter et inviolabiliter observantes, monitione præmissa, per censuram ecclesiasticam appellatione remota cogatis. Quod si non omnes, etc. Datum Laterani, III kalendas decembris, pontificatus nostri anno sexto.

XXXVIII

Ad capitulum Rothomagense.

1 decembris 1221.

[Regest., lib. VI, epist. 63. Mss. La Porte du Theil.]

Quum in electione pastoris, in diversa divisi abierint canonici, quod factum est pro electione cassat et mandat ut de idonea persona fiat.

Honorius, etc., dilectis filiis Rothomagen. capitulo.

Ecclesia vestra destituta pastore, et votis vestris, quum de futuri prælati haberetis successioni tractatum, in diversa divisis, quidam in Thomam, quidam in singulares personas ejusdem ecclesiæ consensistis. Verum cum super iis, in nostra et fratrum nostrorum præsentia, multa fuissent hinc inde proposita, invenimus, quod illi, qui sua in Thomam desideria dirigebant, licet partem majorem facerent, partium [in] comparationem minorum, non tamen ad majorem partem capituli pervenerunt. Consideravimus nihilominus, quod post publicationem consensuum, et collationis tractatum ad electionem, nullus habitus est processus,

quamvis deportationis solemnitas, etiam post appellationem legitimam, fuerit subsecuta, quam pro electione nec deceret, nec expediret haberi. Unde de fratrum nostrorum consilio quod factum est de Thoma prædicto cassavimus, petitione consentientium in cancellarium non admissa. Ne igitur ecclesia vestra pro defectu pastoris dispendium patiatur, universitatem vestram monemus attentius, per Apostolica scripta mandantes quatenus vobis et ecclesiæ de persona idonea, quæ tanto congruat oneri et honori provideatis per electionem canonicam in pastorem. Datum Laterani, kalendas decembris, pontificatus nostri anno sexto.

XXXIX

Ad Johannem archiepiscopum Viennensem et Guillelmum episcopum Gratian.

2 decembris 1221.

[Bull. Rom., ed. Taur. III, 381, n. 57; Martene, Thesaurus anecd., I, 887.]

Mandat ut tam de vita quam de miraculis Hugonis quondam abbatis monasterii Bonævallis, Cisterciensis ordinis inquirant, et veritatem quam de his invenerint, fideliter Sedi Apostolicæ rescribant.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiscopo Viennensi, et episcopo Gratianopolitano, salutem et apostolicam benedictionem.

Qui sua incommutabili providentia cuncta disposuit ab æterno, licet in operibus primæ creationis mirabilem se ostenderit, et mirabiliorem in exhibitione redemptionis humanæ, adhuc tamen misericordias suas mirificare non desinens, variis miraculorum insignibus ecclesiam suam ornat, dum electos ejus, quos in ecclesiæ fidei veritate renatos provehit, in argumentum virtutum, dat miraculis coruscare, ut sic magis et magis fides in Christo credentium roboretur, spes proficiat et caritas accendatur, ut confundantur et revereantur Ecclesiæ inimici, qui vitam ejus insaniam æstimantes, eidem detrahere multipliciter moliuntur. Sane gaudemus in Domino, et in ejus laudibus gloriamur, quod, sicut dilecti filii abbas et conventus Bonævallis Cisterciensis ordinis suis nobis nuntiis et litteris, adhibitis quoque multorum prælatorum testimoniis, intimarunt, felicis memoriæ Hugo quondam eorum abba, spie ac juste in hoc sæculo vivens, multa obtinuit a Domino miracula fieri manifesta, et nunc anima ejus in sanctorum splendoribus habitante, corpus ipsius multis fulget mirabilibus gloriosum. Quare nobis supplicarunt instanter, ut cum valde deputetur indignum eum, quem pro suæ merito sanctitatis constat a Domino in triumphali ecclesia taliter honorari, ab hominibus sine debita veneratione in Ecclesia militanti relinqui, eumdem sanctorum catalogo adscribi faceremus. Nos igitur, licet supplicationes hujusmodi libentissime amplectamur, ne tamen in hoc aliquid de contingentibus videamur omittere, fraternitatem vestram, de qua plenam in Domino fiduciam obtinemus, rogamus et monemus attente per Apostolica scripta vobis mandantes, quatenus tam de vita, quam miraculis sancti prædicti plenissime inquirentes, rescribatis nobis super his fideliter veritatem, qua cognita, procedamus exinde prout secundum Deum viderimus procedendum. Datum Laterani, IV nonas decembris, pontificatus nostri anno sexto.

XL

Ad magistrum Accontium subdiaconum et capellanum, Apostolicæ Sedis legatum.

3 decembris 1221.

[Theiner, Mon. Hungariæ, t. I, p. 31, n. 61.]

Monet magistrum Accontium, ut contra hæreticos in Bosnia et regno Hungariæ procedat.

Honorius episcopus, etc., dilecto filio magistro Accontio subdiacono et capellano nostro, Apostolicæ Sedis legato, salutem, etc.

Inter alias sollicitudines innumeras et immensas, quibus angimur ultra vires, hæc fere potissime perurgemur, ut de vinea Domini Sabaoth, cujus nobis licet immeritis cura et custodia est commissa, hæreticos, qui, velut vulpeculæ inter sarmenta latentes, moliuntur eamdem multipliciter demoliri, penitus profligemus, discutiendo etiam latibula sarmentorum, dum hæreticorum receptatores et fautores non relinquimus impunitos. Cum itaque, sicut audivimus, in partibus Bosniæ tamquam in cubilibus struthionum, hæretici, velut lamiæ nudatis

mammis catulos suos lactent, dogmatizando palam suæ pravitatis errores in enorme gregis Dominici detrimentum, nos volentes pestilentes hujusmodi, si datum fuerit desuper, effugare, carissimo in Christo filio nostro... illustri regi Hungariæ, necnon universis archiepiscopis et episcopis illius regni direximus scripta nostra, ut cum a te fuerint requisiti, ad profligandos illos procedant viriliter et potenter. Quocirca discretionem tuam, de qua plenam in Domino fiduciam obtinemus, monemus attentius, per Apostolica scripta mandantes, quatenus contra perfidos illos tam regem, quam clerum et populum advocans, illos studeas profligare, adversus receptatores et fautores eorum auctoritate nostra magnanimiter processurus, prout tibi fuerit desuper inspiratum. Alias etiam alia, quæ in regno Hungariæ circa cultum ecclesiasticæ honestatis inveneris reformanda, studeas reformare, contumaces severitate debita castigando. Nos enim sententiam, quam tuleris in rebelles, ratam habebimus, et faciemus, auctore Domino, firmiter observari. Datum Laterani, III nonas decembris, anno sexto.

XLI

Ad Gunzellum archiepiscopum Spalaten.

4 decembris 1221.

[Fejer, Codex diplomaticus Hungariæ, III, 348.]

Honorius Gunzello archiepiscopo Spalatensi pallium, per Robertum, episcopum Vesprimensem imponendum, mittit.

Quum dilectus filius Vulcarius, canonicus Spalatensis, nuntius tuus, ad Apostolicam Sedem accedens, nobis supplicasset instanter, ut pallium, plenitudinis videlicet officii pontificalis insigne, tibi concedere dignaremur; nos ejus, imo tuæ instantiæ benignum impertientes assensum, pallium ipsum eidem commisimus, venerabili fratri nostro, Vesprimensi episcopo assignandum, qui secundum formas, quas tibi sub bulla nostra destinamus inclusas, a te nomine nostro fidelitatis recipiat juramentum, et ipsum pallium tibi tradat. Datum Laterani, II nonas decembris, pontificatus nostri anno sexto.

XLII

Ad Robertum Vesprimensem episcopum.

4 decembris 1221.

[Fejer, ibid., p. 348.]

Mandat ut Gunzello Spalatensi archiepiscopo pallium tradat.

Olim tibi dedisse meminimus in mandatis, ut electionem de G. fratris hospitalis Sancti Stephani regis, a Spalatensi capitulo celebratam examinares diligenter; si personam invenires idoneam, et electionem canonicam illam, auctoritate Apostolica confirmares, et impenderes munus consecrationis electo. Nuper autem per tuas litteras intimasti, quod quum electionem invenisses canonicam, et concordem, et de idoneitate personæ te certum antiqua notitia reddidisset, electionem confirmasti prædictam, et electum in presbyterum ordinans, et ei consecrationis munus juxta mandatum Apostolicum impendisti. Ipso igitur electo a nobis pallium, insigne videlicet plenitudinis pontificalis officii cum instantia postulante, illud per dilectum filium Vulcarium, canonicum Spalatensem, tibi, de quo gerimus fiduciam specialem, duximus transmittendum. Fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus secundum formas, quas tibi sub bulla nostra destinamus inclusas, ab ipso electo nomine nostro fidelitatis recipiatur juramentum, et ipsum pallium sibi tradas, ut illo intra suam utatur ecclesiam diebus, qui in ejusdem ecclesiæ privilegio exprimentur. Datum Laterani, II nonas decembris, pontificatus nostri anno sexto.

XLIII

Ad episcopum Leonensem et abbatem S. Lupi Corisopitensis.

4 decembris 1221.

[Manrique, Ann. Cisterc., IV, p. 241, *non integra.*]

Mandat ut de vita et miraculis Mauritii quondam abbatis S. Mauritii Cisterciensis ordinis veritatem diligenter inquirant, eamque Sedi Apostolicæ per litteras suas fideliter intiment.

Piæ memoriæ Mauritio abbate monasterii Sancti Mauritii Cisterciensis ordinis, claris, ut dicitur, divino munere, coruscante miraculis, adeo, ut monasterium ipsum qua-

dam usurpatione usus, seu quadam anticipatione futuri, nomen ab ejus nomine sortiatur : venerabilis frater noster episcopus, et dilecti filii capitulum Corisopitense, in quorum diœcesi locus ille consistit, atque universi abbates Cisterciensis ordinis, in generali capitulo congregati, multique alii episcopi, et religiosi, una cum abbate, et conventu præfati monasterii, nobis humiliter supplicarunt, ut ipsum annumerari sanctorum catalogo faceremus : quia quod populus devota præsumptione usurpat, seu forsan divino instinctu anticipat, illum appellando *Sanctum*, et absque auctoritate Sedis Apostolicæ venerando, rite tandem jussione Apostolica fiat, ad gloriam Christi, et nominis christiani. Licet igitur quos divina, honorat dignatio, humana devotio prompto debeat affectu venerari; quia tamen Apostolica Sedes in talibus cum multa maturitate procedere consuevit; discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus inquiratis super dicti viri vita et miraculis diligentissime veritatem, et nobis per litteras vestras fideliter intimetis, ut ea plene comperta, pio postulantium desiderio securius annuere valeamus. Datum Laterani, secundo nonas decembris, pontificatus nostri anno sexto.

XLIV

Ad præpositum, decanum et capitulum Suessionen.

4 decembris 1221.

[Regest., lib. VI, epist. 33. Mss. La Porte du Theil.]

Confirmatio statuti quod capitulum Suessionense stabilivit ut pauperes capellani et clerici qui frequentant chorum, aliquod solatium ex eorum obsequiis consequantur.

Honorius, etc., dilectis filiis..... præposito..... decano et capitulo Suessionen.

Cum a nobis petitur, etc., *usque* effectum. Ex vestris sane litteris intelleximus, quod cum frequentent quidam pauperes capellani et clerici chorum vestrum, et eorum obsequia vestræ sunt ecclesiæ plurimum opportuna, quidam concanonici vestri, ut iidem capellani et clerici consecuti aliquod ex obsequio suo solatium, libentius ad ecclesiam ipsam conveniant, et devotius Domino famulentur, emptis quibusdam redditibus, et ipsis eidem concessis ecclesiæ, statuerunt, ut ex eis memorati capellani et clerici singulis diebus, quibus in eadem ecclesia officiis mortuorum intersint, sustentationis suæ subsidium juxta ipsorum quantitatem reddituum consequantur. Nos igitur vestris justis precibus inclinati, quod ab eisdem concanonicis vestris super hoc pia est, et provida deliberatione statutum, auctoritate Apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo, etc., nostræ confirmationis infringere. Si quis autem, etc. Datum Laterani, II nonas decembris anno sexto.

XLV

Ad eosdem.

[Ibid., epist. 34.]

Cum a nobis petitur, etc., *usque* effectum. Ex vestris sane litteris intelleximus, quod cum ante portam claustri vestri quod jam in honorem beati Nicolai hospitale construxistis, statuistis, ut sexaginta scolares pauperes recipiantur in ipso qui ex jam acquisitis in eo possessionibus, et in posterum acquirendis, ac ex eleemosynis, quæ ipsi hospitali proveniunt nutriantur, nos ergo vestris justis precibus inclinati, quod a nobis super hoc pie ac provide noscitur institutum, auctoritate Apostolica confirmamus, etc., ut supra, *usque in finem.*

XLVI

Ad Johannem Strigoniensem archiepiscopum et suffraganeos ejus.

5 decembris 1221.

[Fejer, l. c., p. 351 ; Theiner, Mon. Hungariæ, I, 31, n. 63.]

Illos monet et hortatur ut hæreticos studeant extirpare.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus... Strigoniensi archiepiscopo et suffraganeis ejus, salutem et apostolicam benedictionem.

Si zelus vos comederet domus Dei, et opprobria Christo exprobantium super vos caderent, ut deberent, hæreticos, qui unicam sponsam ejus sacrosanctam Ecclesiam multipliciter polluere moliuntur, antea curassetis de vestris finibus eminus profligare,

quam a nobis ad eos excitaremini profligandos, cum jam vix valeatis de tanta negligentia excusari. Cum igitur, sicut audivimus, in partibus Bosniæ tanquam in cubilibus struthionum, etc., ut supra *usque* errores, per quod grave imminere potest commisso nobis gregi Dominico detrimentum, fraternitatem vestram monemus et hortamur attente, per Apostolica vobis scripta præcipiendo mandantes, quatenus universi et singuli ad pestem hujusmodi abolendam omne studium, omnemque diligentiam adhibentes, commonefaciatis subditos vestros et in remissionem eis peccaminum injungatis, ut cum a dilecto filio magistro Accontio subdiacono et capellano nostro, Apostolicæ Sedis legato, quem ad hoc specialiter providimus deputandum, fuerint requisiti contra hæreticos ipsos, nec non receptatores et fautores eorum, exsurgant viriliter et potenter, aliasque prædicto legato impendatis ad id consilium et auxilium opportunum, acturi sic ex animo causam Dei; quod Pater, qui videt in abscondito, reddat vobis, et nos zelum vestrum dignis debeamus in Domino laudibus commendare. Sciatis autem, quod si quos forte inveniremus, quod non credimus, tepidos vel remissos, nos nequaquam possemus æquanimiter sustinere quin eos severius puniremus. Datum Laterani, nonis decemb., anno sexto.

XLVII

Ad episcopum Barchinonensem.

7 decembris 1221.

[Ripolli, Bullar. Prædicat., I, 14, n. 27.]

Ut Fratres ordinis Prædicatorum habeat commendatos exhortatur.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri episcopo Barchinonen., salutem et apostolicam benedictionem.

Fraternitatem tuam rogamus, monemus, et exhortamur attentius, quatenus dilectos filios, fratres ordinis Prædicatorum, qui sæculi vanitatibus abdicatis, obtulerunt Domino laudis sacrificium semetipsos; pietatis intuitu, precumque nostrarum obtentu habere studeas taliter commendatos, quod iidem preces nostras apud te sibi sentiant fructuosas, et nos devotionem tuam possimus propter hoc non immerito commendare. Datum Laterani, VII idus decembris, pontificatus nostri anno sexto.

XLVIII

Ad abbatem Sancti Germani de Pratis.

7 decembris 1221.

[Regest., lib. VI, epist. 125. Mss. La Porte du Theil.]

Indulget ut abbas Sancti Germani et successores ejus pallas altaris et sacerdotalia indumenta benedicant.

Honorius, etc., dilecto filio abbati Sancti Germani de Pratis.

Cum a nobis petitur, etc., *usque* effectum. Ea propter *usque* assensu, ut liceat tibi et successoribus tuis ecclesiæ tuæ pallas altaris et sacerdotalia benedicere indumenta, auctoritate præsentium indulgemus. Datum Laterani, VII idus decembris, pontificatus nostri anno sexto.

XLIX

Ad abbatem et conventum Sancti Germani de Pratis Parisiensis.

8 decembris 1221.

[Regest., lib. VI, epist. 38. Mss. La Porte du Theil.]

A regimine abbatiæ Sancti Germani remotio H., et successoris ejus electio.

Honorius, etc., dilectis filiis abbati et conventui Sancti Germani de Pratis Parisien.

Auditis olim et intellectis quæ contra dilectum filium H., tunc abbatem vestrum, et ab eo ad defensionem suam, fuerunt proposita coram nobis, de fratrum nostrorum consilio decernentes ipsum esse a monasterii vestri regimine amovendum, venerabili fratri nostro... Trecen. episcopo et dilecto filio... priori Sancti Victoris Parisien. districte dedimus in præceptis, ut ad ipsum monasterium accedentes, præfatum H. diligenter inducerent ad cedendum. Alioquin eumdem ab ipsius monasterii regimine amoventes, personam idoneam, de qua dignam Deo possent reddere rationem in abbatem præficerent monasterii sæpedicti, idem facturi, si forte dictus abbas ultra viginti dies differret redire ad monasterium memoratum. Nuper autem ex prædictorum episcopi et prioris, ac vestris litteris intel-

leximus quod licet dictus H. a principio se difficilem exhibens ad cedendum, ad appellationis diffugium convolarit, ipsi tamen nihilominus in executione mandati apostolici procedentes, ipsum publice nuntiarunt remotum a vestræ regimine abbatiæ, et quantum in ipsis extitit, amoverunt. Et cum vota singulorum provide jam in te, fili abbas, unanimiter convenissent, præfatus H., saniori usus consilio, appellationi renuntiavit emissæ, et sie omni sublato scrupulo, et lata excommunicationis sententia in quemlibet qui contradiceret nominationi, seu electioni abbatis, quam facerent, sive de ipso sive de alio facta esset, te invocata Spiritus Sancti gratia, præfuerunt ipsi monasterio in abbatem, quorum factum non solum a vobis, filii conventus, sed etiam a præfato H. unanimi concordia extitit acceptatum. Nos igitur benigno consensu, honestis precibus vestris, exhibito, processum jam dictorum episcopi, et prioris auctoritate apostolica roborantes, præsentium vobis auctoritate mandamus, quatenus tu, fili abbas, regimen dicti monasterii de gratiæ nostræ favore securus gerere studeas ita sollicite ac prudenter, quod ea, quæ de honestate, ac prudentia tua lætantes audivimus comprobari exhibitione opinionum audiamus. Vos etiam, filii conventus, eidem abbati tamquam patri et pastori vestro intendatis et obediatis ita humiliter et devote quod prudentia ejus, et vestra obedientia concurrentibus, monasterium vestrum et temporalibus commodis, et spiritualibus, annuente Deo, proficiat incrementis. Datum Laterani, VI idus decembris, pontificatus nostri anno sexto.

L

Ad fratrem Dominicum priorem ordinis Prædicatorum.

8 decembris 1221.

[Ripolli, Bullar. Prædic., I, 11, n. 17.]

Dominico concedit facultatem dispensandi cum receptis ad habitum ejus ordinis, si qui in sæculo existentes ad ordines ecclesiasticos minus canonice accessissent.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio fratri Dominico priori ordinis Prædicatorum, salutem et apostolicam benedictionem.

Ex parte tua nobis fuit humiliter supplicatum, ut cum quibusdam de fratribus tuis, quorum quidam, adhuc in sæculo existentes, minus canonice ordines ecclesiasticos assumpserunt, dignaremur misericorditer dispensare, ut ministrare in ordinibus sic susceptis, et ad superiores valeant promoveri. Nos ergo de tua discretione gerentes fiduciam pleniorem, per Apostolica tibi scripta mandamus, quatenus sic, prout eorum saluti videris expedire, cum ipsis duntaxat qui jam habitum ordinis susceperunt, super hoc misericorditer agas, quod justitiam non relinquas, ac sic moderate mandatum hujusmodi exsequaris, quod in extremo [die] districti examinis, dignam coram Domino possis reddere rationem. Datum Laterani, VI idus decembris, pontificatus nostri anno sexto.

LI

Ad Dublinensem archiepiscopum.

8 decemb. 1221.

[Wilkins, Concilia Britanniæ et Hiberniæ, IV, 80.]

Inhibet ne alius archiepiscopus vel prælatus Hiberniæ, sine suo assensu, bajulet crucem, celebret conventus, vel ecclesiasticas causas tractet in provincia Dublin., nisi a Sede Apostolica delegatus fuerit.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Dublin. archiepiscopo, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum secundum divinæ legis præceptum nemo falcem suam debet mittere in messem alienam, ne quod ab alio non vult sibi fieri alii facere videatur, nos tuis precibus inclinati auctoritate præsentium inhibemus, ne cuiquam archiepiscopo vel alii prælato Hiberniæ præter suffraganeos tuos, aut Apostolicæ Sedis legatum, sine tuo et successorum tuorum assensu bajulare crucem, celebrare conventus, religiosis exceptis, vel causas ecclesiasticas, nisi a Sede Apostolica delegatus fuerit, tractare liceat in provincia Dublin. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ inhibitionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli, apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Laterani, VI id. decembris, pontificatus nostri anno sexto.

LII

Ad episcopum Famagustanum.

9 decembris 1221.

[Theiner, Vet. Mon. Slavorum, I, 72, n. 85.]

Concedit episcopo Famagustano, ut præbendas vacantes, dissentientibus canonicis, conferre possit.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri archiepiscopo Famagustano, salutem et apostolicam benedictionem.

Pervenit ad nos, quod cum aliquam contingit in ecclesia tua vacare præbendam, propter voluntates canonicorum ejusdem ecclesiæ varias et diversas, quod accidit, quia cum de diversis sint nationibus, quilibet præfert hominem gentis suæ, vix eorum vota possunt in aliquem convenire. Quia ergo in hoc dicti canonici quæ sua, non autem quæ Christi sunt, quærunt, cum non utilitatem ecclesiæ, sed suorum, quibus providere de ipsa desiderant, prosequantur : fraternitati tuæ præsentium auctoritate concedimus, ut quotiens in eadem ecclesia præbendam vacare contigerit, canonicis taliter ad invicem dissidentibus, cum majoris eorum partis assensu eam possis conferre personæ idoneæ, quæ de nominatis existat, vel aliis, submoto appellationis impedimento. Datum Laterani, V idus decembris, pontificatus nostri anno sexto.

LIII

Ad eumdem.

9 decembris 1221.

[Theiner, Vetera Monum. Slavorum, I, p. 73, n. 86.]

Confirmatur senarius canonicorum numerus in ecclesia Famagustana institutus.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri... episcopo Famagustano, salutem et apostolicam benedictionem.

Sacrosancta Romana Ecclesia, etc., *usque* confovere. Eapropter, venerabilis in Christo frater, tuis precibus inclinati, senarium canonicorum numerum, quem annumeratis in ipso personis, in tua proponis ecclesia institutum, cum ecclesia ipsa tenuis redditibus et aliis facultatibus esse dicatur, auctoritate Apostolica confirmamus, etc., *usque* communimus, statuentes ut prædicta ecclesia eodem numero sit contenta, nisi ejus excrescentibus facultatibus prætaxatum numerum Ecclesia Romana duxerit augmentandum, salvo in omnibus Apostolicæ Sedis mandato. Nulli ergo, etc., nostræ confirmationis infringere, etc. Datum Laterani, IV idus decembris, pontificatus nostri anno sexto.

LIV

Ad decanum et capitulum Nivernenses.

10 decembris 1221.

[Regest., lib. VI, epist. 83. Mss. La Porte du Theil.]

Concessio annualium præbendarum ab electo Nivernensi capitulo facta confirmatur.

Honorius, etc., dilectis filiis decano et capitulo Nivernen.

Justis petentium, etc., *usque* complere. Cum igitur dilectus filius Nivernen. electus vobis provida deliberatione concesserit annualia præbendarum ecclesiæ Nivernen., nos vestris justis precibus inclinati, concessionem ipsam sicut provide facta est, et in litteris ejusdem electi super hoc factis plenius continetur, auctoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo, etc., nostræ confirmationis infringere. Si quis autem, etc. Datum Laterani, IV idus decembris, pontificatus nostri anno sexto.

LV

Ad abbatem et conventum de Camberon.

11 decembris 1221.

[Monum. pour servir à l'hist. des provinces de Namur, tom. II, I, 24, n. 16.]

Redditus de Lens, de Helchies, etc., ac alia bona confirmat.

Honorius, etc.

Quum a nobis petitur quod justum est et honestum, tam vigor æquitatis quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus inclinati, redditus de Lens, de Helchies, de Naste, de Novo Sarto, de Canaste, de Hoves, de Papengin, de Ligne, de Vanesbecha et de Udengin redditus ac alia bona vestra, sicut ea omnia juste ac pacifice possidetis, vobis et per vos monasterio vestro auctoritate Apostolica con-

firmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo, etc. Si quis autem, etc. Datum Laterani, III idibus decembris, pontificatus nostri anno sexto.

LVI

Ad magistrum C. archidiaconum, et...... officialem, ac archipresbyterum de Houton, diœcesis Lemovicensis.

12 decembris 1221.

[Regest., lib. VI, epist. 82. Mss. La Porte du Theil.]

Causa, de quodam nemore, vertente inter conventum de Lacu rubeo ex una parte et F. de Chamboro ex altera, coram magistro A. Claromontensi, idem F. frustratorie obtinuit ut coram officiali Bituricensi causa remittatur. Ex hoc appellatio conventus ad Sedem Romanam, et ab Honorio delegatio ejusdem ad archidiaconum Lemovicensem.

Honorius, etc., dilectis filiis magistro C. archidiacono et.... officiali Lemovicen. et... archipresbytero de Houton diœcesis Lemovicen.

Dilecti filii... prior et conventus de Lacu rubeo transmissa nobis petitione monstrarunt, quod cum inter ipsos ex parte una, et F. de Chamboro militem Claromontensis diœcesis ex altera, super quodam nemore, et rebus aliis coram magistro A. canonico Claromontensi, non ex delegatione Apostolica, quæstio verteretur, idem miles ad venerabilem fratrem nostrum Bituricensem archiepiscopum frustratorie vocem appellationis emittens, causam super his.... officiali Bituricen. obtinuit delegari, coram quo ex parte dictorum prioris et conventus fuit excipiendo propositum, quod cum omisso diœcesano episcopo fuisset ad eumdem archiepiscopum appellatum, ad quem gradatim fuerat appellandum, in causa ipsa de jure procedere non poterat nec debebat; sed quia dictus officialis hujusmodi eorum exceptionem admittere denegabat, ipsi ad nostram audientiam appellarunt. At ille ipsorum appellatione contempta, suspensionis, et interdicti tulit sententias in eosdem. Discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus si dictas sententias post hujusmodi appellationem inveneritis esse latas, denuntiantes eas penitus non tenere, audiatis causam, et appellatione remota fine debito terminetis, facientes, etc. Alioquin partes ad prædicti officialis remittatis examen. Appellantes, etc. Testes, etc. Quod si non omnes, etc. Datum Laterani, II idus decembris, pontificatus nostri anno sexto.

LVII

Ad abbatem et conventum Sancti Germani de Pratis Parisien.

16 decembris 1221.

[Regest., lib. VI, epist. 89. Mss. La Porte du Theil.]

Statuit ut inquisitio in monasterio ipsorum ab archiepiscopo Parisiensi et archidiacono Senonensi de mandato speciali facta, nullum libertati ejusdem monasterii præjudicium in posterum generet.

Honorius, etc., dilectis filiis abbati, et conventui Sancti Germani de Pratis.

Cum monasterium vestrum ad Apostolicam Sedem immediate pertinere noscatur, nos justis providentiæ vestræ precibus benignum impertientes assensum, præsentium auctoritate statuimus, ne per hoc quod venerabilis frater noster... Parisien. episcopus et... archidiaconus Senonen. inquisitionem in monasterio ipso specialis mandati nostri auctoritate fecerunt, libertate ejusdem monasterii præjudicium aliquod in posterum generetur. Nulli ergo, etc., nostræ constitutionis infringere. Si quis autem, etc. Datum Laterani, XVII kalend. januarii, anno sexto.

LVIII

Ad archiepiscopum Senonensem.

16 decembris 1221.

[Regest., lib. VI, epist. 99. Mss. La Porte du Theil.]

Statutum de vicesima per triennium pro negotio fidei in partibus Provinciæ confirmatur.

Honorius, etc., venerabili fratri archiepiscopo Senonen.

Tua nobis fraternitas intimavit quod nuper de suffraganeorum tuorum consilio cum deliberatione provida statuisti, ut omnes tuæ diœcesis clerici vicesimam ecclesiasticorum proventuum per triennium solvant pro commisso tibi fidei orthodoxæ negotio, quod in Provinciæ partibus agitur exsequendo. Nos igitur providentiam tuam dignis in Domino laudibus commendantes,

statutum hujusmodi, sicut provide factum est, auctoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo, etc., nostræ confirmationis, etc. Si quis autem, etc. Datum Laterani, XVII kalendas januarii, anno sexto.

LIX

Ad episcopum Ariminensem.

16 decembris 1221.

[Sbaralea, Bullarium franciscanum, I, 8, n. 8.]

Ut fratres de pœnitentia super juramento de armis sumendis et sequendis locorum prætoribus exhibito, defenderet.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri episcopo Ariminensi, salutem et apostolicam benedictionem.

Significatum est nobis, quod Faventiæ, et in quibusdam aliis civitatibus, et locis vicinis quidam sunt, quibus illum Dominus inspiravit affectum, ut mundi jam gloriam non quærentes, sed ex humilitate abjicientes in sæculo semetipsos ad pœnitentiam se converterent, et ad hoc totum deputaverint tempus suum, signum humilitatis et pœnitentiæ in habitu exhibentes. Quia vero tales super juramento de armis sumendis et sequendis locorum potestatibus exhibendo, multotiens molestantur, ex eo quod nunquam defuit, qui bonis actibus invideret; fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus cum a talibus fueris requisitus, molestatores suos super hujusmodi juramento, præmissa monitione, sublato appellationis impedimento, auctoritate nostra compescas. Datum Laterani, XVII kalendas januarii, pontificatus nostri anno sexto.

LX

Ad archiepiscopum Nicosiensem.

16 decembris 1221.

[Mas Latrie, Histoire de l'île de Chypre, III, 618.]

Mandat ut capellas et oratoria indotata et sine consensu episcoporum erecta removeat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri archiepiscopo Nicosiensi, salutem et apostolicam benedictionem.

Significatum est nobis quod plures in propriis laribus, infra tuam diœcesim, capellas et oratoria, quorum indotata sunt aliqua, construxerunt. Harum igitur occasione, multi matricem contemnunt ecclesiam, nec verbum Dei audiunt, ut deberent. Volumus itaque, auctoritate tibi præsentium injungentes, quatinus, prout saluti expedit animarum, superflua studeas ex hujusmodi capellis et oratoriis, præsertim quæ sine tuo seu prædecessorum tuorum erecta consensu vel indotata constiterint, removere; contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Datum Laterani, XVII kalendas januarii, pontificatus nostri anno sexto.

LXI

Ad Remensem archiepiscopum Apostolicæ Sedis legatum.

17 decembris 1221.

[Regest., lib. VI, epist. 111. Mss. La Porte du Theil.]

Confirmatur statutum ab archiepiscopo de vicesima solvenda ab omni persona ecclesiastica.

Honorius, etc., venerabili fratri archiepiscopo Remen. Apostolicæ Sedis legato.

Cum auctoritate mandati nostri, quo tibi dedimus potestatem faciendi in Rothomagensi provincia tam in indulgentiis, quam in aliis, omnia quæ ad relevationem negotii fidei, quod in partibus Provinciæ geritur, cognosceres expedire, provida deliberatione statueris, ut omnes omnino personæ ecclesiasticæ, in dicta provincia consistentes, vicesimam ecclesiasticorum proventuum usque ad triennium integre conferant ad relevationem negotii memorati, exceptis venationibus, piscationibus et procurationibus, quæ de facili æstimari non possunt, et hujusmodi onus imposueris etiam religiosis omnibus, Cistercien., Templariis, Hospitalariis, et Carthusien. dumtaxat exceptis. Nos statutum hujusmodi tamquam provide factum auctoritate Apostolica confirmamus, salvo in omnibus Apostolicæ Sedis mandato. Dantes tibi liberam potestatem contradictores, si qui fuerint, ad exsolvendam ipsam vicesimam districtione canonica compellendi. Absolvendi quoque juxta formam Ecclesiæ, tuæ legationis incendiarios et violentarum manuum injectores tibi licentiam indulgemus. Datum Laterani, XII kalendas januarii, anno sexto.

LXII

Ad Petrum archiepiscopum Senonensem.

18 decembris 1221.

[Bouquet, Rec. des Hist., t. XIX, p. 716.]

Senonensis archiepiscopi et suffraganeorum ejus statutum, quo vicesimam proventuum ecclesiasticorum persolvi, Albigensis negotii causa promovendi, jusserunt, Honorius auctoritate Apostolica confirmat.

Honorius episcopus..., venerabili fratri archiepiscopo Senonensi, salutem et apostolicam benedictionem.

Tua nobis fraternitas intimavit quod nuper de suffraganeorum tuorum consilio cum deliberatione provida statuisti, ut omnes tuæ diœcesis clerici vicesimam ecclesiasticorum proventuum per triennium solvant, pro commisso tibi fidei orthodoxæ negotio quod in Provinciæ partibus agitur exsequendo. Nos igitur, providentiam tuam dignis in Domino laudibus commendantes, statutum hujusmodi, sicut provide factum est, auctoritate Apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus. Datum Laterani, XVII kalendas januarii, anno sexto.

LXIII

Ad rectorem et fratres hospitalis S. Johannis Coventrensis.

18 decembris 1221.

[Dugdale, Monast. Angli., VI, II, 659, n. 4.]

Sub Sancti Petri et sua protectione suscipit personas cum omnibus bonis hospitalis S. Joannis Coventrensis.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis rectori et fratribus hospitalis S. Johannis Coventren., salutem et apostolicam benedictionem.

Cum a nobis petitur quod justum est et honestum, tam vigor æquitatis, quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Quapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, personas vestras, cum omnibus bonis, quæ in præsentiarum rationabiliter possidetis, aut in futurum justis modis, præstante Domino, poteritis adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscepimus; specialiter autem terram de Smercote, cum assartis et domibus et aliis pertinentiis suis, sicut ea omnia juste et pacifice possidetis, vobis et eidem domui vestræ per vos, auctoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, etc. Datum Laterani, XV kalendas januarii, pontificatus nostri anno sexto et anno Domini MCCXXI.

In eumdem modum scriptum est decano et capitulo Novæ Domus, et specialiter eis confirmat ecclesiam de Herlineshem. (BAUR, *Hessische Urk.*, V, 12, n. 11.)

LXIV

Ad H. archidiaconum et magistros G. Rem. et Jo. de Firmitate Sancti Johannis in Vineis canonicis Suessionen.

19 decembris 1221.

[Regest., lib. VI, epist. 149. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat ut injungant capitulo Arien. infra duos menses in præpositum personam idoneam canonice provideant.

Honorius, etc., dilectis filiis H. archidiacono et magistris G. Gom. Remen., et Jo. de Firmitate Sancti Johannis in Vineis canonicis Suessionen.

Quæstione super electione de dilecto filio Philippo Arien. canonico, in præpositum Arien. ecclesiæ, a quibusdam ipsius loci canonicis canonice celebrata, ventilata diutius coram nobis, quia constitit quod idem Ph. post appellationem ipsam, decanatum Sancti Audomari recipiens, residentiam a decano debitam in eadem ecclesia Sancti Audomari juravit, decrevimus, electione præfata penitus non obstante Arien. ecclesiæ, de præposito qui residere in ea curam habeat animarum annexam per electionem canonicam providendum. Ideoque discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus auctoritate nostra injungatis capitulo Arien. ut infra duos menses postquam a vobis commoniti fuerint, in præpositum personam idoneam canonice sibi provideant, qui in eorum ecclesia continue velit, et valeat residere. Alioquin vos auctoritate nostra suffulti, personam quæ factura sit continuo residentiam in ecclesia memorata, sublato cujuslibet contradictionis et

appellationis obstaculo, in præpositum præficiatis eidem. Quod si non omnes, etc. Datum Laterani, XIV kalendas januarii anno sexto.

LXV

Ad Petrum Senonensem archiepiscopum.

19 decembris 1221.

[Bouquet, Rec. des hist., XIX, 717.]

Post gravem christianis in urbe Damiata a Sarracenis inflictam cladem, Honorius, dum agit cum imperatore Frederico de instauranda in Syriam expeditione, Senonensis provinciæ rogat episcopos, ut acerrime hortentur populos ad eam tempore statuto suscipiendam.

Honorius episcopus.... venerabilibus fratribus archiepiscopo Senonensi, et suffraganeis ejus, salutem, etc.

Licet, graviter conturbati super gravi casu qui accidit in partibus transmarinis (1), distulerimus hactenus super hoc vobis scripta nostra dirigere, non tamen credatis nos dormitare super ipso negotio vel etiam interim dormitasse. Quinimmo quanto casus est gravior, tanto fortius cum Dei adjutorio surgere fortius satagentes, ad carissimum in Christo filium nostrum F[redericum] Romanorum imperatorem semper augustum et regem Siciliæ, venerabilem fratrem nostrum N[icolaum] episcopum Tusculanum propter hoc curavimus destinare, studentes eumdem imperatorem ad relevationem casus hujusmodi tam litteris nostris quam viva voce ipsius episcopi animare. Sed et ipse imperator, Spiritu divino præventus, antequam ad eum præfatus episcopus pervenisset, propter hoc idem negotium solemnes ad præsentiam nostram nuntios destinavit, tam litteris suis quam viva voce ipsorum nuntiorum nobis insinuans, quod ejus est desiderium et propositum hanc injuriam Christi et populi christiani, si de- super datum fuerit, vindicare, super hoc se omnino beneplacito nostræ voluntatis exponens (2).

Quia igitur per mutuos nuncios et etiam per colloquium, si commode fieri poterit cum ipso imperatore habendum, ordinare satagimus tam de passagii termino quam de aliis quæ sunt circa tantum negotium ordinanda moxque ordinata fuerint, significaturi Christi fidelibus, et eos ad subventionem negotii, pro ut expedire videbimus, hortaturi, fraternitatem vestram rogamus et hortamur in Domino, per Apostolica vobis scripta mandantes, quatenus interim singuli commissos vobis populos ad id sedulis exhortationibus animetis, ut exhortatio nostra eos tanto paratiores inveniat, quanto vestra fuerint exhortatione præventi. Datum Laterani, IX kal. januarii, anno sexto.

LXVI

Ad Bernardum episcopum Lemovicensem.

20 decembris 1221.

[Bouquet, 717.]

Matrimonium quod olim Rainaldus vicecomes de Albuconio cum Margareta nobili muliere contraxerat, propter consanguinitatem Honorius irritum pronunciat.

Honorius episcopus, venerabili fratri episcopo Lemovicensi, salutem et apostolicam benedictionem.

Coram dilecto filio B. (3), titulo Sanctorum Johannis et Pauli presbytero cardinali, tunc Apostolicæ Sedis legato, A. milite de Albuconio accusante matrimonium quod olim nobilis vir R[ainaldus], vicecomes ejusdem loci cum nobili muliere M[argareta] diœcesis tuæ contraxit, de qua jam prolem susceperat cum aliquandiu cohabitasset, idem cardinalis ipse abbati Sancti Genesii et decano Claromontensi commisit hujus-

(1) Christianis scilicet ad deditionem urbis Damiatæ coactis, anno 1221, mense septembri.

(2) Sequenti anno 1222, Fredericum eo de negotio cum Honorio habuisse colloquium tradit Richardus de Sancto Germano, apud Muratorium, t. VII, *Rerum Ital.*, col. 995, his verbis : « Joannes, rex Hierosolymorum, qui postmodum de filia sua cum imperatore contraxit, veniens in partibus transmarinis cum magistro Hospitalis Hierosolymitani, Romam vadunt ad Honorium Papam, qui tunc graviter patiebatur in crure. Imperator de Sicilia in Apuliam venit, inde in Terram Laboris, et exinde ad Sanctum Germanum, ubi fieri cum cardinalibus colloquium sperabatur, quum ipse Papa propter infirmitatem colloquio interesse non posset. Tunc tractus a cardinalibus est in Campaniam imperator, ubi etiam, hortatu regis Hierosolymitani et magistri Hospitalis, se commisit ipse Papa, et, apud Ferentinum habens cum imperatore colloquium promisit publice usque ad biennium in Terræ Sanctæ subsidium transfretare, et filiam dicti regis ducere in uxorem juravit. »

(3) Bertrando, qui in Narbonensi provincia legationis officio functus erat ab anno 1214 usque ad 1219.

modi negotium terminandum, qui quum, receptis quibusdam testibus, vellent ad legatum eumdem illud remittere, in eo procedere recusantes, jam dictus miles ex sufficienti gravamine vocem ad nos appellationis emisit, qui causam super hoc a nobis obtinuit dilecto filio G[uillelmo] abbati Usercensi et suis conjudicibus delegari; quibus cum constitisset appellationem eamdem legitimam exstitisse, ipsi præfatum militem ad prosecutionem principalis negotii admiserunt.

Judicibus ergo ipsis in causa, servato juris ordine procedentibus, cum jam foret in ea utrimque conclusum, et partes sententiam postularent (quoniam arduum erat ratione personarum, quæ nobiles sunt et potentes, negotium (2), et iidem judices fuerunt, auditis consanguineorum et amicorum comminationibus, suspicati quod sibi et ecclesiis suis ex hoc periculum immineret), ipsi ad nos causam eamdem sufficienter instructam de consensu partium remiserunt. Earum itaque procuratoribus in nostra præsentia constitutis, dilectum filium nostrum G[ualonem] tituli S. Martini, presbyterum, cardinalem, eis concessimus auditorem; qui cum nobis fideliter retulisset causæ processum et quæ hinc inde fuerunt proposita coram ipso, nos, cum fuerit plene probatum quod idem vicecomes et mulier quarto se consanguinitatis gradu contingant, de consilio fratrum nostrorum sententialiter decrevimus non esse matrimonium inter eos, et ipsos ad invicem separandos, eisdem, quibus aliis voluerint, nubendi licentiam tribuentes. Quocirca fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus quod a nobis est super hoc sententialiter diffinitum, sublato cujuslibet contradictionis et appellationis obstaculo, facias observari. Datum Laterani, XIII kal. januarii, pontificatus nostri anno sexto.

LXVII

Ad populum de Porcena.

21 decembris 1221.

[Theiner, Cod. dipl. dominii temp., I, 70, n. 112.]

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis populo de Porcena, salutem et apostolicam benedictionem.

Auctoritate vobis præsentium districtius inhibemus, ne cuiquam nisi nobis et nuntiis nostris abbergarias, procurationes, vel alia, quæ ad dominium pertinent, exsolvatis, nec præsumatis subire judicium in alia curia quam in nostra. Datum Laterani, XII kal. januarii, pontificatus nostri anno sexto.

LXVIII

Ad archiepiscopum Remensem.

21 decembris 1221.

[Regest., lib. VI, epist. 104. Mss. La Porte du Theil.]

De his qui immediate succedunt patribus suis in ecclesiasticis beneficiis.

Honorius, etc., venerabili fratri archiepiscopo Remen., Apostolicæ Sedis legato.

Cum in diœcesi tua nonnulli esse dicantur qui patribus suis immediate in ecclesiasticis beneficiis successerunt, in scandalum aliorum, faciendi super illis, appellatione remota, quod secundum Deum et ecclesiasticam honestatem videris faciendum, tibi auctoritate præsentium concedimus liberam facultatem. Nulli ergo, etc., nostræ concessionis infringere. Si quis autem, etc. Datum Laterani, XII kalendas januarii, anno sexto.

LXIX

Ad episcopum Virdunensem.

21 decembris 1221.

[Regest., lib. VI, epist. 103. Mss. La Porte du Theil.]

Dat facultatem absolvendi de excommunicatione pro retenta vicesima vel non integra soluta, et de irregularitate.

Honorius, etc., venerabili fratri episcopo Virdunen.

Exhibita nobis ex parte tua petitio continebat, quod plures sunt in diœcesi tua clerici quorum quidam pro vicesima omnino retenta, quidam vero pro et integra non soluta, excommunicationis se metuunt sententiæ subjacere. Alii autem manus injecerunt in clericos violentas qui venire ad

(2) Quanta nobilitate a sæculo IX claruerint in Lemovicino tractu Albuconenses vicecomites, docent scriptores heraldici operis cui titulus: *Histoire généalogique de la maison royale de France.* Tradunt idem, t. V, 325, nuptas Rainaldo VI duas uxores, Ælidem et Margaretam; sed utram prius, ambigunt. Margareta, juxta hanc Honorii epistolam, prior censenda videretur.

Sedem Apostolicam nequeunt, absolutionis beneficium petituri; sunt et alii, qui excommunicati et suspensi, juris ignari, se fecerunt ad sacros ordines promoveri, et aliqui excommunicati et suspensi se divinis ingerere præsumpserunt: nonnulli quoque senes impotentes et succursui Terræ Sanctæ omnino inutiles transfretare jurarunt, coacti a prælatis suis, qui passim omnes crucesignatos hoc jurare auctoritate Apostolica compellebant. Unde cum circa hujusmodi grave immineat periculum animarum, et provideri a nobis super his humiliter postulasti, nos autem de tuæ fraternitatis prudentia confidentes, per Apostolica tibi scripta mandamus, quatenus, tam illis, qui pro vicesima, dummodo de ipsa integre satisfaciant, quam eis, qui violentarum manuum injectione in clericos excommunicationis sententiam incurrerunt, secundum formam ecclesiæ absolutis, nisi fuerit adeo grave delictum, quod merito sint ad Sedem Apostolicam destinandi, super aliis facias quod animarum saluti, et Terræ Sanctæ profectui cognoveris expedire. Quidquid autem de vicesima tibi fuerit persolutum, tuis nobis litteris studeas fideliter intimare. Datum Laterani, XII kalendas januarii, anno sexto.

LXX

Ad Bituricensem archiepiscopum Apostolicæ Sedis legatum.

22 decembris 1221.

[Regest., lib. VI, epist. 159. Mss. La Porte du Theil.

Irritæ sunt litteræ a Sede Apostolica impetratæ, nulla mentione facta de illis antea concessis.

Honorius, etc., venerabili fratri Bituricen. archiepiscopo, Apostolicæ Sedis legato.

Ad audientiam nostram, te significante, pervenit, quod quidam clerici obtentis a Sede Apostolica litteris super provisione sua, in aliquibus ecclesiis tibi lege diœcesana subjectis, ab ecclesiis ipsis recipiunt annuas pensiones seu alia beneficia et sic ab eorum impetitione desistunt, renunciantes nostrarum beneficio litterarum. Deinde ad Sedem Apostolicam accedentes, super provisione sua, obtinent alias litteras ab eadem, de litteris antea impetratis non habita mentione, et sic gratia benignitatis Apostolicæ abutentes, ecclesias multipliciter inquietant. Ne igitur tales de suæ circumventionis astutia glorientur, fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus eos, qui post litteras nostras taliter venditas, alias, de illis mentione non habita, impetrabunt de cætero, vel hactenus impetrarunt, carere decernentes commodo earumdem, ecclesias, contra quas fuerint impetratæ, non permittas earum occasione vexari, revocando in irritum, si quod earum prætextu inveneris ipse factum. Datum Laterani XI kalendas januarii, anno sexto.

LXXI

Ad communem de Porcena.

22 decembris 1221.

[Theiner, Cod. dipl. dominii temp., 71, n. 113.]

Concedit, Porcennatibus ut viros prudentes in consules eligant qui sciant et possint castrum gubernare.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis communi de Porcena, salutem et apostolicam benedictionem.

Præsentium vobis auctoritate hac vice concedimus facultatem, ut ex hominibus castri vestri aliquos prudentes et fideles viros vobis in consules eligatis, qui nobis de jure Romanæ Ecclesiæ fideliter respondentes, sciant et possint ejusdem castri regimen salubriter gubernare. Datum Laterani, XI kalendas januarii, pontificatus nostri anno sexto.

LXXII

Ad decanum SS. Apostolorum, S. Mariæ de Gradibus Colonien. præpositum et magistrum.

25 decembris 1221.

[Lappenberg, Hamburg., UB. I, 395, n. 449.]

Mandat ut de querimonia præpositi et capituli Bremensis informent et quod canonicum fuerit statuant.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis, decano sanctorum Apostolorum, præposito et magistro A. canonico Sanctæ Mariæ de Gradibus Coloniensis, salutem et apostolicam benedictionem.

Dilecti filii, præpositus et capitulum Bremense, transmissa nobis petitione monstrarunt, quod eorum electus, qui jura et

dignitates Bremensis ecclesiæ ignorabat, utpote quem nuper de terra vocaverunt aliena, a præposito et canonicis Hammaburgensibus circumventus, ipsis, irrequisito eorumdem assensu, in præjudicium et injuriam ecclesiæ præfatæ concessit, quod ultra flumen quod Albia dicitur Hammaburgensis, citra vero Bremensis archiepiscopus se vocabat. Quocirca discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus vocatis, qui fuerint evocandi, et auditis hinc inde propositis, quod canonicum fuerit, appellatione remota, statuere procuretis, facientes quod statueritis per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Testes autem qui fuerint nominati, si se gratia, odio vel timore subtraxerint, per censuram eamdem, ipsorum appellatione cessante, cogatis veritati testimonium perhibere. Quod si non omnes his exsequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nihilominus exsequantur. Datum Laterani, VIII kalendas januarii, pontificatus nostri anno sexto.

LXXIII

Ad Alicem reginam Cypri.

30 decembris 1221.

[Bullarium Romanum, III, I, 222.]

Confirmatio concordiæ inter Cypri reginam, et prælatos ejusdem regni; id est, Græci in locis ritus latini degentes suos episcopos habere minime possint, latinis tamen subesse teneantur episcopis.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, carissimæ in Christo filiæ A[lici] illustri reginæ Cypri, salutem et apostolicam benedictionem.

Licet diligentiam, quam adhibuit venerabilis frater noster Amachostanus episcopus in tuis negotiis promovendis, non esset necessarium commendare, quia, sicut credimus, expertam habes circumspectionem ipsius, commodum et honorem tuum devote, ac fideliter procurantis, ut tamen plenius de sua providentia, et sinceritate præsumas, eum tibi super hoc reddimus commendatum. Quia vero compositione nuper a te cum regni tui prælatis inita, nobis per eumdem episcopum præsentata, et ipsius tenore diligenter inspecto perpendimus, quod non solum ecclesiis debita jura decimarum, quæ sunt egentium animarum tributa, restituis; sed tanquam benedictionis filia, oves errantes ad Domini caulas studes adducere. Devotionem tuam in Domino commendamus, cum in sexu fragili virile robur induas et amorem, quem erga Deum geris in animo, devotis operibus repræsentes : propter quod tuis, et prædictorum prælatorum precibus inclinati, compositionem ipsam auctoritate Apostolica duximus confirmandam, magnificentiam tuam monentes, et per Apostolica tibi scripta mandantes, quatenus compositionem eamdem observes in omnibus, et ab aliis facias quantum in te fuerit observari, ita quod bonum pacis, et concordiæ inter te, ac prædictos prælatos firmius radicetur, et devotionis affectus, quem ad Deum geris et ecclesias, clarius agnoscatur. Quum autem prælatorum Latinorum diœcesibus regni tui quidam Græci Romanæ inobedientes ecclesiæ, et [in] ecclesiis Latinorum tanquam pontifices commorentur, pro quibus nobis humiliter supplicasti, ut in dictis diœcesibus, prout sunt, remanere permitteremus eosdem; nos licet tibi, et regno tuo deferre quantum cum honestate nostra valemus, et Græcos ad obedientiam Sedis Apostolicæ revertentes fovere, ac honorare velimus, mores et ritus Græcorum ipsorum, quantum coram Deo possumus sustinendo; in his tamen, quæ periculum generant animarum, et ecclesiasticæ derogant honestati, apud nos esse non debet acceptio personarum. Quare talia de cætero sustinere nolentes, cum monstruosum esset, sicut in constitutionibus dicitur Concilii generalis, unam, et eamdem diœcesim diversos habere pontifices : tanquam diversa capita unum corpus haberet, venerabilibus fratribus nostris patriarchæ Hierosolymitano et Tyren. et Cæsarien. archiepiscopis nostris damus litteris in mandatis, ut eos morari de cætero, velut præsules in dictis diœcesibus nullatenus patiantur, sacerdotibus, et diaconibus Græcis prædicti regni nihilominus firmiter injungentes, ut præfatis archiepiscopo, et episcopis Latinorum, pro ut sunt, et fuerint in eorum diœcesibus constituti; canonicam obedientiam juxta compositionem faciant supradictam; se tanquam obedientiæ filii conformantes sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ matri suæ, ut sit de cætero unum ovile, ac etiam unus pastor. Ad quod tanquam devotam ecclesiæ filiam, opem, et operam te

volumus fideliter impertiri, quia per eos de facili quidem contingeret, quod processu temporis non solum a Romanæ ecclesiæ obedientia et magisterio, sed ab hæredum tuorum, et Latinorum dominio se totum regnum subtraheret memoratum. Datum Laterani, tertio kalendas januarii, anno sexto.

LXXIV

Ad præpositum Cappembergensem Monasteriensis diœcesis, et decanum S. Pauli, ac scolasticum Lutgerii.

30 decembris 1221.

[Lappenberg, Hamburg. UB., I, 396, n. 451.]

Eis mandat ut investigent num concilia provincialia, sicut canonici velint Hamburgenses, in sua ecclesia debeant celebrari.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis, præposito Cappemburgensi, Monasteriensis diœceseos, decano Sancti Pauli et scolastico Sancti Lutgerii Monasteriensis, salutem et apostolicam benedictionem.

Ex parte præpositi et capituli Bremensis fuit propositum coram nobis, quod cum olim bonæ memoriæ A. Bremensis archiepiscopus, suffraganeos suos per Daciam, Swetiam, et Norwegiam constitutos, ad provinciale concilium apud Hamburgensem ecclesiam, ex eo duntaxat, quia ratione vicinitatis ad hoc commodior habebatur, aliquotiens convocarit; ea tandem destructa incendio, præfati archiepiscopi successores ex tunc idem concilium apud Bremensem, ut debebant, ecclesiam celebrarint. Sed post multum temporis canonici alterius ecclesiæ, quæ Hamemburgensis dicitur, nominis equivocatione decepti, jura et consuetudines, quæ prior Hamburgensis ecclesia obtinuerat, suæ contendentes ecclesiæ vendicare, ac ad instar illius in sua dicentes ecclesia provinciale debere concilium celebrari, quanquam eadem Bremensis ecclesia præscriptione quadragenaria muniatur, super hoc et aliis metropolitico juri præfatæ Bremensis ecclesiæ derogare præsumunt. Quia vero nobis non constat de præmissis, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus partibus convocatis, causam audiatis et quod justum fuerit, appellatione postposita statuatis, facientes quod statueritis per censuram ecclesiasticam firmiter observari, testes autem, si qui fuerint nominati, si se gratia, odio vel timore subtraxerint per censuram eamdem, appellatione cessante, cogatis veritati testimonium perhibere. Quod si non omnes iis exsequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nihilominus exsequantur. Datum Laterani, pontificat. nostri anno sexto.

LXXV

Ad regem Cypri.

30 decembris 1221.

[Raynald., Ann. eccl., ad ann. 1222, § 8, 9.]

Regi Cypri qui supplicaverat, ut prælatis Græcis in ecclesiis Latinorum tamquam pontificibus commorantibus permitteretur, prout sint, remanere in dictis diœcesibus, respondet Honorius in eis quæ periculum generent animarum et ecclesiasticæ derogent honestati, apud Sedem Apostolicam esse non debere acceptionem personarum, ac proinde se patriarchis latinis mandasse ut illos Græcos prælatos morari velut præsules in Latinis diœcesibus nullatenus patiantur.

Quum in prælatorum Latinorum diœcesibus regni tui quidam Græci Romæ inobedientes ecclesiæ, etiam in ecclesiis Latinorum tanquam pontifices commorentur, pro quibus nobis humiliter supplicasti, ut in dictis diœcesibus prout sunt remanere permitteremus eosdem; nos licet tibi et regno tuo deferre, quantum cum honestate nostra valeamus, et Græcos ad obedientiam Sedis Apostolicæ revertentes fovere ac honorare velimus, mores et ritus Græcorum ipsorum, quantum cum Deo possumus, sustinendo, in iis tamen, quæ periculum generant animarum et ecclesiasticæ derogant honestati, apud nos esse non debet acceptio personarum.

Quare talia de cætero sustinere nolentes, quum monstruosum esset, sicut in constitutionibus dicitur Concilii generalis, unam et eamdem diœcesim diversos habere pontifices, tanquam diversa capita unum corpus haberet, venerabilibus fratribus nostris patriarchæ Hierosolymitano, et Tyren. et Cæsariensi archiepiscopis nostris damus litteris in mandatis ut eos morari de cætero velut præsules in dictis diœcesibus nullatenus patiantur, sacerdotibus, et diaconibus Græcis prædicti regni nihilominus firmiter

injungentes, ut præfato archiepiscopo, et episcopis Latinorum, prout sunt et fuerint in eorum diœcesibus constituti, canonicam obedientiam juxta compositionem faciant supradictam, se tanquam obedientiæ filii conformantes sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ matri suæ, ut sit de cætero unum ovile, ac etiam unus pastor, etc. Datum Laterani, III kalendas januarii, pontificatus nostri anno sexto (1).

LXXVI

Ad archiepiscopum Bituricensem.

31 decembris 1221.

[Regest., lib. VI, epist. 118. Mss. La Porte du Theil.]

Indulget ut idoneis personis conferat præbendas per sex menses vacantes.

Honorius, etc., venerabili fratri archiepiscopo Bituricensi.

Ex parte tua fuit nobis humiliter supplicatum ut cum collatio præbendarum Bituricensis ecclesiæ ad te simul, et ecclesiæ ipsius capitulum pertinere noscatur, ne si forte aliquando præbendas ultra sex menses, votis vestris dissidentibus, vacare contigit, ibidem tibi objiciatur quod eas conferre non possis, eo quod in earum collatione fuisse sicut et alii negligens videaris, et sic impediatur potestas conferendi easdem, ad te, secundum sanctiones canonicas, per lapsum semestris temporis devoluto super hoc debito, providere sollicitudini dignaremur. Volentes igitur honorem tuum, et jura illibata servare, auctoritate tibi præsentium indulgemus ut præbendas quas in ecclesia tua ultra sex menses vacare contigerit, libere conferre valeas personis idoneis, exceptione hujusmodi non obstante, nisi forsan causam præstiteris ut ultra præfatum tempus ipsarum collatio differatur. Nulli ergo, etc., nostræ concessionis infringere. Si quis autem, etc. Datum Laterani, II kalendas januarii, anno sexto.

LXXVII

Ad Ecelinum (2).

30 decembris 1221.

[Raynaldi, Ann. ad an. 1221, § 50.]

Cum temporali militia, et desideriis sæcularibus abnegatis in religiosa conversatione, ac habitu disposueris agere residuum vitæ tuæ; nos precibus tuis benignum impertientes assensum, personam tuam cum iis quæ retinere pro tua sustentatione curasti, videlicet Guticum cum curia sua, tres villas cum Pudissolo, Villarazo, Lorlea, Ramone, Castillione, et cum iis, quæ habes in Angarano ejusque districtu, sub B. Petri, et nostra protectione suscipimus.

(1) Quanquam de Cypriis episcopis Græcis ea statuit Honorius, quæ in ejus epistola a Raynaldo hic allata leguntur; jussa tamen pontificia executioni demandata fuisse vix credo. Collegisse id mihi videor ex epistola I Germani II, patriarchæ Constantinopolitanæ schismatici ad Cypriorum consulta, legenda inter monumenta vulgata a Cotelerio tom. II, pag. 473. Ex ea discimus Græcos in Cypro agentes ablegatos suos ad Germanum misisse; a quo in synodum ea de re collectam (Nicææ forte) introducti, exposuerunt Latinos in Cypro dominantes tria exigere a Græcis. I. Ut episcopi ipsi, cæterique sacri ordines Græci Latino pontifici se submitterent, in cujus subjectionis argumentum, cogebant sacros Græcorum homines manus inserere manibus sacerdotum (nempe episcoporum Latinorum). II. Ne *Romanus* (Græcus scilicet) *ad sacerdotalem honorem promovendus*, sive in episcoporum promoveretur, sive ad aliam ordinationem absque Latini notitia μὴ δίχα τῆς τοῦ Λατινοῦ εἰδήσεως (id est, ut ego interpretor, absque Latini ejus loci episcopi assensu) *constitueretur in dignitate ad se pertinente*. III. Græcis a suis episcopis ita jus dicatur, ut a lata sententia fas sit partibus *ad Latinorum archiepiscopum provocare*. Exposuerunt pariter legati luctuosum Græcæ ecclesiæ per Cyprum statum, cujus archiepiscopum Neophytum Latini expulerant, cum *alter ille eorum* (Latinorum) *archiepiscopus nullatenus alium sustineret audire archiepiscopum*. Ex hac legatorum expositione deduco a Latinis Græcos episcopos per Cyprum toleratos, non in ecclesiis tantummodo, in quibus nullus Latinus præsidebat episcopus, sed in omnibus indiscriminatim, nullumque e sua ecclesia expulisse Græcum, nisi unum eorum archiepiscoporum, eamdemque pœnam minitatos fuisse illis episcopis qui subjectionem Latinis recusassent. Quid vero responderit ad consulta illa concilium, ex eadem epistola Germani, quæ synodica est, discimus. Vetat enim patriarcha, ne subjectio Latinis fiat, cætera tolerari posse definit. Data est epistola anno Græcorum 6731, id est, Christi 1223. Sequente igitur anno statuenda est synodus schismatica Græcorum, de qua collectores prorsus silent. (Mansi.)

(2) Ecelinus vir in Marchia Tarvisina opibus ac potentia florentissimus, immanissimis flagitiis contaminatus aperuit Honorio consilium optimum sæcularia abnegandi et in religiosa conversatione agendi residuum vitæ suæ. Utinam Ecelinus quod verbis præ se ferebat, reipsa perfecisset. Non enim tot tantisque malis Italia concussa sub tyrannide miserrima luxisset.

LXXVIII

Ad archiepiscopum Mediolanensem.

Sine signo chronologiæ.

Vide *Quintam Compilationem*, lib. I, tit. 8, *De ætate et qualitate et ordine præficiendorum*, t. I, col. 148.

Potthast de errore arguit Cironium quod affirmat agi in hac Decretali *De episcopo Calliensi*, non vero de *Calinensi*, ad probationem suæ interpretationis affert nomen urbis episcopalis, quod dicit esse *Carinola*. Cf. notulam (*d*) a Cironio allatam loc. cit.

LXXIX

Ad abbatem et conventum Sancti Audoeni Rothomagensis.

1 januarii 1222.

[Regest., lib. VI, epist. 155. Mss. La Porte du Theil.]

Indulget illis ut locent eorum ecclesiæ decimas quibus utile viderint.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati et conventui Sancti Audoeni Rothomagensis, salutem et apostolicam benedictionem.

Vestra nobis relatio declaravit quod quum ad firmam dare fructus vestrarum consueveritis decimarum, diœcesani locorum statutum quoddam de hujusmodi decimis locandis parochialibus presbyteris ediderunt, per quod utilitas vestra non modicum impeditur ; quare super hoc Apostolicæ provisionis remedium implorastis. Nos igitur utilitates vestras nolentes indebite impediri, auctoritate vobis præsentium indulgemus, ut statuto hujusmodi non obstante, vestrarum decimarum proventus libere locare possitis quibus vobis expedire judicaveritis et cum [clausulis] quibus ecclesiæ vestræ conditionem poteritis facere meliorem ; ita tamen ut hujusmodi locatio ad feudum vel alienationem non judicetur extendi. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani, kalendas januarii, pontificatus nostri anno sexto.

LXXX

Ad abbatem de Ceuetel Cisterciensis ordinis.

3 januarii 1222.

[Archiv. für Kunde österr. Gesch. Quellen, t. IX, p. 285.]

Mandat ut audiant causam inter conventum Ceuetel ex una parte, et Meinhardum laicum ex altera, et fine canonico terminent.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati de Ceuetel Cisterciensis ordinis, præposito de Neunburch et decano de Sancta Anatha, Pataviensis diœcesis, salutem et apostolicam benedictionem.

Dilecti filii... præpositus et conventus ecclesiæ Sancti Georgii nobis conquerendo monstrarunt quod Meinhardus laicus et... filii ejus Pataviensis diœcesis ipsos ecclesia de Rudnich contra justitiam spoliarunt. Cum igitur spoliatis injuste restitutionis sit beneficio succurrendum, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus quatenus eis, sicut justum fuerit, restitutionis audiatis causam, et appellatione remota, fine canonico terminetis, facientes quod decreveritis per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Testes autem qui fuerint nominati si se gratia, odio, vel timore subtraxerint per censuram eamdem, appellatione cessante, cogatis veritati testimonium perhibere; quod si non omnes his exsequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nihilominus exsequantur. Datum Laterani, III nonas januarii, pontificatus nostri anno sexto.

LXXXI

Ad universos abbates ordinis Cisterciensis.

4 januarii 1222.

[Manrique, Annales Cisterc., IV, 228.]

Eos hortatur ut grato animo procurationes exhibeant G. Ecclesiæ Romanæ legato.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, universis abbatibus, et conventibus Cisterciensis ordinis præsentes litteras inspecturis.

Quanto Apostolica Sedes majora vobis exhibet indicia caritatis, tanto vos ei majorem devotionem exhibere debetis. Frequenter autem conquesti sunt Ecclesiæ Romanæ legati, quod vos præ cæteris inveniant in-

devotos; privilegiis, vobis ab ea concessis, quæ obsequentes reddere deberent, vos e contrario reddentibus insolentes. Ut ergo gratiam vobis factam, gratitudo conservet, vestram caritatem sollicitandam duximus et hortandam, per Apostolica scripta mandantes, quatenus dilecto filio nostro G. de Crescentio, Sancti Theodori diacono cardinali, Apostolicæ Sedis legato, quem inter cæteros fratres nostros speciali prærogativa diligimus caritatis, vos tam in exhibendis procurationibus, quam aliis opportunis obsequiis impendendis, ita devotos, et promptos exhibere curetis, quod solitæ querimoniæ ad nostras, et fratrum nostrorum aures de vobis non perferantur hac vice, quia eas obaudire non poterimus. Datum Laterani, II nonas januarii, pontificatus nostri anno sexto.

LXXXII

Ad Guillelmum Delfinum, Alverniæ comitem.

5 januarii 1222.

[Bouquet, Rec. des Hist., XIX, 718; Regest., lib. VI, epist. 140.]

Sponsionem qua pro centum militibus in Terræ Sanctæ subsidium conducendis mille marcas marchio Montisferrati Delfino ex parte Pontificis Romani promisit, Honorius ratam facit.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio nobili viro comiti Delfino Alverniæ, salutem et apostolicam benedictionem.

Gaudemus in Domino quod, sicut dilecto filio nobili viro Wilhelmo, marchione Montisferrati referente didicimus, ad succurrendum negotio Terræ Sanctæ promptum geris affectum. Cum igitur per hoc possis et temporalem et æternam gloriam promereri, nobilitatem tuam rogamus et hortamur attentius, quatenus ad dictæ Terræ succursum, secundum quod magnitudinem tuam decet, te studeas præparare, ita quod, junctis viris dicti marchionis ac tuis, digne possitis Domino militare, sciens quod promissionem mille marcarum ex parte nostra tibi factam a marchione prædicto ratam habemus et gratam, eamque tempore opportuno curabimus adimplere, te nimirum ducente in dictæ Terræ subsidium centum milites, sicut diceris promisisse, ac præstante idoneam cautionem quod, si aliquo casu contingeret te non transire in dictæ Terræ succursum, ipsam nobis pecuniam restitueres in ejusdem Terræ subsidium convertendam. Datum Laterani, IX januarii, pontificatus nostri anno sexto.

LXXXIII

Ad abbates et conventum Molismens.

8 januarii 1222.

[Bull. Rom., edit. Taur., III, 383, n. 59.]

Indulget ut beatus Robertus, cujus corpus multis coruscans miraculis in ecclesia monasterii Molismensis requiescit, tanquam sanctus veneretur a monachis ejusdem cœnobii.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati, et conventui Molismensi, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum olim nobis per litteras, et nuntios vestros supplicassetis instanter adjuti testimoniis, et intercessionibus plurimorum ut sanctæ memoriæ beatum Robertum, cujus corpus in vestra requiescens ecclesia, multis et magnis miraculis coruscabat, sanctorum catalogo adscribere deberemus; nos, ne in tanto negotio videremur uti aliqua levitate, tam de vita ipsius, quam de miraculis per venerabiles fratres nostros Lingonen. et Valentinen. episcopos mandavimus diligenter inquiri; cum ad hoc, ut aliquis habeatur sanctus in ecclesia militanti necesse sit, ut et veræ fidei, quæ per dilectionem operatur, sana merita cum perseverantia finali præcedant, et clara miracula subsequantur, nec alia sine aliis plene sufficiant ad indicium sanctitatis, eo quod nonnulli faciunt opera sua, ut videantur ab hominibus, et nonnunquam angelus Satanæ se in lucis angelum transfigurans, hominibus frequenter illudit, sicut de Magis legitur Pharaonis. Cum itaque inquisitores prædicti nobis super his plene rescripserint veritatem, quia licet nobis quædam miracula, quæ post mortem fecerat, intimarint, de his tamen, quæ in vita fecisse dicitur, fidem plenariam non fecerunt : nos ne precibus vestris videremur omnino deesse, concedimus vobis, ut eum tanquam sanctum in vestra ecclesia venerantes [ejus] etiam apud Dominum suffragia fiducialiter imploretis.

Datum Laterani, VI idus januarii, pontificatus nostri anno sexto.

LXXXIV

Ad capitulum Bremense.

9 januarii 1222.

[Lappenberg, Hamburg., I, 398, n. 453.]

Capitulo Bremensi Hammaburgensem aliasque ecclesias confirmat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis, capitulo Bremensi, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum a nobis petitur quod justum est et honestum, tam vigor æquitatis, quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, Rameslensem, Buccensem, Repesholcensem et Hammaburgensem ecclesias, cum pertinentiis suis, sicut eas juste et pacifice possidetis, vobis et per vos ecclesiæ vestræ, auctoritate Apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli, apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Laterani, V idus januarii, pontificatus nostri anno sexto.

LXXXV

Ad Vicedominum episcopum Placentinum.

11 januarii 1222.

[Campi, Hist. di Piacenza, II, 390, n. 73.]

Concedit episcopo Placentino ut de hiemali tempore ad mensem maii transferat visitationem ad limina apostolorum.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri episcopo Placentino, salutem et apostolicam benedictionem.

Tua nobis fraternitas supplicavit, ut cum singulis annis per te, vel per nuntium tuum tenearis beatorum apostolorum Petri et Pauli limina visitare, et tempus visitationis occurrat in tempore hiemali, quapropter asperitatem itineris, dicta visitatio adimpleri sine gravi difficultate non potest, terminum ipsum transferre in tempus aliud dignaremur. Nos igitur precibus tuis benignum impertientes assensum, præsentium tibi auctoritate concedimus, ut in mense maii visitationem adimpleas memoratam. Datum Laterani, III idus januarii, pontificatus nostri anno sexto.

LXXXVI

Ad episcopum Tullensem.

11 januarii 1222.

[Regest., lib. VI, epist. 156. Mss. La Porte du Theil.]

Præbendæ ac alia beneficia majora sub nomine generali beneficiorum continentur.

Honorius, etc., venerabili fratri episcopo Tullen.

Tua nobis fraternitas intimavit, quod quum tibi pro relevatione oneris debitorum quo premeris, duxerimus indulgendum, ut fructus beneficiorum, quæ interim in diœcesi tua vacare contigerit, tibi liceat biennio retinere; quidam Apostolicæ gratiæ privilegium sinistra interpretatione restringere molientes, asserunt præbendas et majora beneficia nequaquam beneficiorum nomine contineri, super quo interpretationem Apostolicam postulasti. Nos igitur interpretationem hujusmodi sententiæ reprobantes, auctoritate præsentium declaramus, quod præbendæ ac alia beneficia generali beneficiorum nomine continentur. Datum Laterani, III idus januarii, pontificatus nostri anno sexto.

LXXXVII

Ad abbates Derven. monasterii et Belli Loci et priorem Derven. monasterii, Cathalaunen. et Tullen. diœcesum.

11 januarii 1222.

[Regest., lib. VI, epist. 153. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat ut non sinant episcopum Tullen. gratia sibi facta defraudari per sinistram beneficiorum interpretationem.

Honorius, etc., dilectis filiis Derven. monasterii et Belli Loci abbatibus et priori Derven. monasterii, Cathalaunen. et Tullen. diœcesum.

Ex parte venerabilis fratris nostri... Tullensis episcopi, nostris fuit auribus intimatum, quod cum ei pro relevatione oneris debitorum, quo premitur, duximus in-

dulgendum, ut fructus beneficiorum, quæ interim in diœcesi sua vacare contigerit sibi liceat biennio retinere, quidam Apostolicæ gratiæ privilegium, *usque* continere, super quo idem episcopus interpretationem apostolicam postulavit. Nos igitur, etc., *usque* reprobantes, dicimus, quod præbendæ, etc., *usque* continentur. Quocirca discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus ipsum episcopum occasione hujusmodi non sinatis facta sibi gratia defraudari, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Quod si non omnes, etc. Datum Laterani, III idus januarii, anno sexto.

LXXXVIII

Ad officialem Stephanum de Bria et magistrum Jacobum canonicos Laudunen.

12 januarii 1222.

[Regest., lib. VI, epist. 165. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat eis quatenus inducant abbatem Sancti Medardi et alios prælatos ad proferendum privilegia quibus a jurisdictione episcopi Suessionensis se exemptos asserunt.

Honorius, etc., dilectis filiis officiali Stephano de Bria et magistro Jacobo canonicis Laudunen.

Venerabilis frater noster Suessionen. episcopus nobis exponere procuravit, quod abbas Sancti Medardi, et alii ecclesiarum prælati suæ diœcesis, qui a jurisdictione ipsius asserunt se exemptos occasione privilegiorum, quæ se ab Apostolica Sede habere proponunt, contra ipsum et Suessionen. ecclesiam graviter insolescunt et assumunt frequenter audaciam malignandi, privilegia ipsa nolentes in medium exhibere. Unde nobis humiliter supplicavit, ut, ne ipse de prædictorum prælatorum exemptione dubitare cogatur et inter eos exinde discordiarum scintillæ suscitentur, providere super hoc de benignitate Sedis Apostolicæ dignaremur. Ideoque discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus prælatos ipsos, ut privilegia, quibus se a jurisdictione memorati episcopi exemptos esse proponunt, coram vobis ostendant, moneatis attentius, et inducere procuretis, eos ad id, si necesse fuerit, districtione qua convenit compellendo. Quod si non omnes, etc. Datum Laterani, II idus januarii, pontificatus nostri anno sexto.

LXXXIX

Ad abbatem et conventum Cluniacenses.

12 januarii 1222.

[Regest., lib. VI, epist. 168. Mss. La Porte du Theil.]

Concedit ut fratres Cluniacenses in causam trahi non possint per litteras apostolicas, nisi de ordine Cluniacensi specialem fecerint mentionem.

Honorius, etc., dilectis filiis abbati et conventui Cluniacen.

Vestra nobis discretio supplicavit, ut cum nonnulli frequenter in causam malitiose vos trahant per litteras generales, ut sic a vobis eorum vexationes redimentibus, aliquid valeant extorquere, ipsorum malitiæ obviare competenti remedio dignaremur. Nos igitur quieti vestræ paterna sollicitudine providere volentes, auctoritate vobis præsentium indulgemus, ne vos, vel fratres vestri ubilibet commorantes, in causam trahi possitis per litteras Apostolicas, nisi de ordine Cluniacensi fecerint mentionem. Nulli ergo, etc., nostræ concessionis infringere. Si quis autem, etc. Datum Laterani, II idus januarii, pontificatus nostri anno sexto.

XC

Ad Derven. monasterii et Belli Loci abbates, et priorem Derven. monasterii, Cathalaunen. et Tullen. diœcesum.

13 januarii 1222.

[Regest., lib. VI, epist. 158. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat ut faciant solvi episcopo Tullensi ad relevationem ejusdem ecclesiæ, mille et quingentas marcas juxta quod statutum fuerat.

Honorius, etc., dilectis filiis Derven. monasterii et Belli Loci abbatibus et priori Derven. monasterii, Cathalaunen. et Tullen. diœcesum.

Cum olim nobis esset intimatum, quod Tullen. ecclesia intolerabili premebatur onere debitorum, nos attendentes dignum esse ut in necessitatis articulo membra compatiantur capiti patienti, vobis dedimus in mandatis, ut clerum civitatis, et diœcesis Tullen. ad contribuendum mille et quin-

gentas marcas in relevationem oneris supradicti, pensatis singulorum facultatibus, monere prudenter ac, si opus esset, cogere curaretis. Nuper autem venerabilis frater noster... Tullensis episcopus nobis insinuare curavit, quod vos statuistis de consensu omnium fere clericorum civitatis et diœcesis, prædictorum quintam decimam partem ecclesiasticorum proventuum in compensationem dictæ summæ usque ad triennium reddi episcopo memorato. Sed id, propter appellationem quorumdam priorum capitulorum et clericorum diœcesis antedictæ, in magna parte fuit hactenus impeditum; ideoque per iterata vobis scripta præcipiendo mandamus quatenus, cessante cujuslibet appellationis, seu exceptionis obstaculo; vel etiam litteris, si quæ sunt contra provisionem subventionis hujusmodi forsitan impetratæ, in negotio ipso juxta formam vobis traditam procedentes, prædictam pecuniæ quantitatem solvi faciatis episcopo sæpedicto. Ita tamen quod si ratione præfati statuti, aliqua jam recepit, ea computet in solutum. Quod si non omnes, etc. Datum Laterani, idibus januarii, pontificatus nostri anno sexto.

XCI

Ad thesaurarium, decanum et capitulum Sancti Hilarii Pictaviensis.

13 januarii 1222.

[Regest., lib. VI, epist. 163. Mss. La Porte du Theil.]

Indulget Honorius ut non possint compelli ad plures canonicos accipiendum quam facultates suæ ecclesiæ possunt sustinere, salvo tamen statuto ab Innocentio III dato.

Honorius, etc., dilectis filiis thesaurario, decano et capitulo Sancti Hilarii Pictavien.

Cum a nobis petitur, etc., *usque* effectum. Sane ex parte vestra fuit propositum coram nobis quod felicis memoriæ I. Papa prædecessor noster, pro inæqualitate præbendarum ecclesiæ vestræ ad æqualitatem reducenda, constituit, ut simplices canonici residentiam in ipsa ecclesia facientes præter communem, et quotidianum censum præbendæ qui quatuor denariorum, et unius lacunæ vini in die, ac unius eminæ grani per hebdomadam esse solet, pro consecuta octo mensium residentia decem libras perciperent annuatim; quare nobis humiliter supplicastis ut quoniam tantum posset excrescere numerus personarum, quod ad exhibendam provisionem hujusmodi non sufficerent ipsius ecclesiæ facultates, super hoc paterna vobis providere sollicitudine dignaremur. Nos igitur vestris justis precibus inclinati, auctoritate vobis præsentium indulgemus ne ad recipiendum in dicti statuti præjudicium plures quam ipsius ecclesiæ facultates, salvo dicto statuto, valeant sustinere, compelli possitis invite, salvo in omnibus Apostolicæ Sedis mandato. Nulli ergo, etc., nostræ confirmationis infringere. Si quis autem, etc. Datum Laterani, idibus januarii, pontificatus nostri anno sexto.

XCII

Ad episcopum, decanum et cantorem Sancti Frambaldi Silvanectensis.

13 januarii 1222.

[Regest., lib. VI, epist. 164. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat ut informent de electione F. in abbatem monasterii Sancti Dionysii, et, si invenerint eam fuisse canonicam et de persona idonea, illam confirment, et faciant electo munus benedictionis imponi.

Honorius, etc., venerabili fratri..... episcopo et dilectis filiis decano et cantori Sancti Frambaldi Silvanecten.

Dilecti filii conventus monasterii Sancti Dionysii suis nobis litteris intimarunt, quod bonæ memoriæ H... eorum abbate viam universæ carnis ingresso, iidem sicut moris est convenientes in unum, invocata Spiritus Sancti gratia, tractatuque habito diligenti, dilectum filium P. monachum suum virum, ut asserunt, litteratum et morum honestate conspicuum, per quem credunt monasterio suo tam in spiritualibus, quam in temporalibus bona plurima provenire, in abbatem suum concorditer elegerunt. Unde nobis humiliter supplicarunt, ut cum eorum electus commode ad Apostolicam Sedem accedere nequeat confirmandus, electionem de illo canonice celebratam auctoritate dignanemur Apostolica confirmare. Quia vero de forma electionis, et electi meritis nobis constare non potuit, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus examinata electione pariter et electo, si

eam de persona litterata, et idonea invenéritis canonice celebratam, ipsam auctoritate Apostolica confirmetis et faciatis electo munus benedictionis imponi. Quod si non omnes, etc. Datum Laterani, idibus januarii, pontificatus nostri anno sexto.

XCIII

Ad abbatem et conventum Cluniacenses.

16 januarii 1222.

[Regest., lib. VI, epist. 130. Mss. La Porte du Theil.]

Licentiam concedit Sancti Hugonis corpus transferendi in locum celebriorem.

Honorius, etc., dilectis filiis abbati et conventui Cluniacen., salutem, etc.

Ex parte vestra fuit nobis humiliter supplicatum, ut cum corpus beati Hugonis confessoris, quem felicis memoriæ Innocentius papa II, prædecessor noster sanctorum catalogo aggregavit, sit in nimis humili loco sepultum, illud in locum celebriorem transferri de nostra permissione liceret. Nos igitur piis precibus vestris benignum impertientes assensum, auctoritate præsentium licentiam vobis concedimus postulatam. Datum Laterani, XVII kalendas februarii, pontificatus nostri anno sexto.

XCIV

Ad Suessionensem episcopum.

17 januarii 1222.

[Regest., lib. VI, epist. 134. Mss. La Porte du Theil.]

Dat illi licentiam statuendi quod secundum Deum viderit expedire saluti animarum in prioratibus monialium fontis Ebraudi quæ propter nimiam paupertatem in lenocinium incidebant.

Honorius, etc., venerabili fratri Suessionen. episcopo.

Tua nobis fraternitas intimavit, quod cum in diœcesi tua quidam prioratus monialium fontis Ebraudi consistant, moniales ipsorum ex eo quod præ nimia multitudine de propriis facultatibus sustentari non possunt, in lenocinium, et alia impudica et enormia plerumque propter intolerabilem paupertatis inopiam miserabiliter incidunt, in suæ salutis dispendium et scandalum plurimorum. Unde tibi visum est expedire, ut in eisdem prioratibus certus monialium numerus statuatur, ita videlicet ut decedentibus aliquibus ex eisdem aliæ non substituantur ibidem, donec ipsarum multitudo monialium ad statutum numerum redigatur, nisi forte in tantum eorumdem prioratuum excreverint facultates quod plures in eis moniales valeant congrue sustentari. Quare nobis humiliter supplicasti, ut super his Apostolicæ dignaremur provisionis oculos aperire. Nos igitur plenam de discretione tua fiduciam obtinentes, præsentium tibi auctoritate mandamus, quatenus in dictis prioratibus statuas quod saluti animarum servientium in eisdem et ipsarum ecclesiarum utilitati secundum Deum videris expedire. Datum Laterani, XVI kalendas februarii, anno sexto.

XCV

Ad magistrum et fratres domus Dei Sanctæ Catharinæ Parisiensis.

17 januarii 1222.

[Félibien, Histoire de Paris, III, 67; Malingre, Antiquités de Paris, 545 et Du Breul, 956.]

Sub beati Petri et sua protectione domum Dei Sanctæ Catharinæ suscipit.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis magistro et Fratribus Hospitalis domus Dei Sanctæ Catharinæ Parisiensis, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum a nobis petitur quod justum est et honestum, tam vigor æquitatis quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, personas vestras et locum in quo divino estis obsequio mancipati, cum omnibus bonis quæ in præsentiarum rationabiliter possidetis, aut in futurum justis modis præstante Domino poteritis adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ protectionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani, XVI kalendas februarii, pontificatus nostri anno sexto.

XCVI

Ad Johannem archiepiscopum Strigoniensem, episcopum Vesprimensem.

20 januarii 1222.

[Theiner, Mon. Hungariæ, t. I, p. 32, n. 64.]

Judicibus mandatur, ut G. in præposituram, qua spoliatus fuerat, restituant, regique commendent.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus..... archiepiscopo Strigoniensi et..... episcopo Vesprimensi, et dilecto filio..... abbati de Egres Chenadiensis diœcesis, salutem, etc.

Cum videatur satis notorium, dilectum filium G. Orode, præpositum, præpositura et omnibus aliis bonis suis, tam ecclesiasticis, quam mundanis, spoliatum fuisse, non utique absque gravi dispendio ecclesiasticæ libertatis, nos paterno sibi compatientes affectu, discretioni vestræ per Apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus præposituram ipsam, et alia omnia sibi ablata, nostra freti auctoritate sine moræ dispendio restituatis eidem, ipsum in corporalem possessionem omnium ablatorum, sublato cujuslibet difficultatis obstaculo, inducentes et defendentes inductum; contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Cæterum quia dictus præpositus a gratia carissimi in Christo filii nostri A. Hungariæ regis illustris creditur excidisse, volumus et mandamus, quatenus eumdem regem ad recipiendum ipsum in gratiæ suæ sinu precibus et monitis inducatis. Verum quia enormia gravamina ipsi præposito in nostrum et Apostolicæ Sedis opprobrium irrogata sic nolumus transire inulta, in virtute vobis obedientiæ districte injungimus, quatenus non deferentes alicui contra Deum, inquiratis diligenti et studiosa sollicitudine veritatem, quorum favore vel quibus procurantibus spoliatus fuerit præpositus memoratus, quive fuerint, qui bona ejusdem præpositi abstulerunt, et retinuerint ablata: et quod inveneritis, sub sigillis vestris infra duos menses post receptionem præsentium nobis fideliter intimetis, ut per vestram relationem instructi super his, prout secundum Deum expedire viderimus, procedamus. Alioquin noveritis nos dedisse venerabili fratri nostro... episcopo Agriensi, et dilectis filiis..... de Cyrce et... de Pelis abbatibus Vesprimiensis diœcesis districte nostris litteris in mandatis, ut si forte in exsequendis præmissis negligentes fueritis, vel remissi, ut experiri possitis, quantum existat inobedientiæ culpa gravis, terminum duorum mensium vobis statuant, infra quem vos nostro conspectui personaliter præsentetis, quod debetur inobedientiæ, recepturi. Quod si non omnes, etc. Datum Laterani, XII kalendis februarii, pontificatus nostri anno sexto.

XCVII

Ad archiepiscopum Cæsariensem.

20 januarii 1222.

[De Mas Latrie, Histoire de l'île de Chypre, III, 618.]

Mandat ut ad obedientiam et reverentiam archiepiscopo vel episcopis diœcesum in quibus sunt, cogant Surianos, Jacobinos, Nestorinos.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiscopo Cæsariensi et episcopo Acconensi et dilecto filio P. thesaurario Cæsariensi, salutem et apostolicam benedictionem.

Venerabilis frater noster archiepiscopus Nicosiensis pro se ac venerabilibus fratribus nostris suffraganeis suis, regni Cypri prælatis, in nostra fecit præsentia recitari quod in diœcesibus eorumdem Suriani, Jacobini, Nestorini et quidam alii commorantur, qui nec Ecclesiæ Romanæ, nec prædictis archiepiscopo, prælatis, nec ecclesiis obediunt Latinorum, sed, tanquam acephali evagantes, suis sectis antiquis et erroribus innituntur. Unde, præfatus archiepiscopus, pro se ac prælatis eisdem, humiliter postulavit a nobis ut aperire super hoc Apostolicæ circumspectionis intuitum et providere salubriter dignaremur. Quocirca, fraternitati vestræ per Apostolica scripta mandamus quatenus Surianos, Jacobinos, et Nestorinos et alios supradictos ad obedientiam et reverentiam archiepiscopo ipsi et suffraganeis ejus, prout sunt et fuerunt in eorum diœcesibus, impendendam, monitione præmissa, per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, cogatis; contradictores per censuram eamdem, appellatione postposita, compescendo. Quod si non omnes his exsequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nihilominus exsequantur, nonobstante constitutione Concilii generalis qua cavetur ne

quis ultra duas diætas extra suam diœcesim per litteras Apostolicas ad judicium trahi possit. Datum Laterani, XIII kalendas februarii, pontificatus nostri anno sexto.

XCVIII

Ad decanum et capitulum Silvanectenses.

26 januarii 1222.

[Regest., lib. VI, epist. 203. Mss. La Porte du Theil.]

Quorumdam reddituum distributio canonicis pro celebratione missarum approbatur et confirmatur.

Honorius, etc., dilectis filiis decano et capitulo Silvanecten.

Justis petentium, etc. Ea propter, dilecti in Domino filii, venerabilis fratris nostri... Silvanecten. episcopi et vestris precibus inclinati, concessionem quorumdam reddituum, quos vobis idem episcopus assignavit pro distributione facienda canonicis, qui intererunt celebrationi missarum, quas bis in singulis septimanis, exceptis Passionis Dominicæ, Paschæ, Pentecostes et Natalis Domini, pro eo celebrare tenemini, et iis etiam qui anniversario ejus intererunt celebrando, sicut sine pravitate, provide, pie ac canonice facta est, et in authenticis exinde confectis plenius continetur auctoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo, etc., nostræ confirmationis infringere. Si quis autem, etc. Datum Laterani, VII kalendas februarii, pontificatus nostri anno sexto.

XCIX

Ad archipresbyterum et canonicos basilicæ principis Apostolorum.

27 januarii 1222.

[Bullarium Vaticanum, t. I, p. 107.]

Diploma Innocentii III de proventibus signorum plumbeorum vel stagneorum eis confirmat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis archipresbytero et canonicis basilicæ principis Apostolorum, salutem et apostolicam benedictionem.

In litteris felicis recordationis Innocentii Papæ prædecessoris nostri sic perspeximus contineri :

« Innocentius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Hug. archipresbytero et canonicis basilicæ principis Apostolorum, salutem et apostolicam benedictionem. Derivata in nos ab Apostolorum principe per ipsius merita potestatis ecclesiasticæ plenitudine, et apostolatus successione non ratione carnis per hominem, sed per Deum, ipsius gratia legitime procurata, inter cæteras sollicitudines cordis nostri, et occupationes quibus assidue premimur, utpote quibus sollicitudo universarum ecclesiarum incumbit, ad honorandam ejusdem principis Apostolorum basilicam specialiter nos inducunt ut cum Propheta psallamus : *Domine, dilexi decorem domus tuæ, et locum tabernaculi gloriæ tuæ.* Sane cum Dominus noster in beato Petro, cui nos licet immeritos constituit successores, in spiritualibus prætulerit universis, et ecclesiam in temporalibus etiam dilatavit, conveniens esse dignoscitur, ut eidem beato Petro in vobis, imo Christo in eo, qui nobis exhibuit universa, etsi modicum, tamen aliquid retribuere studeamus, affectum nostrum in effectum humiliter producentes; dignum est etenim ut quia variis pressi negotiis, dum circa lapsum religionis nobis propositum in melius reformandum intendimus, dum justitiæ consulimus oppressorum, dum singulorum consultationibus respondemus, dum ad reformandam inter discordantes pacis concordiam, et pro diversis ecclesiarum et provinciarum necessitatibus legatos a latere nostro dirigimus, dum de terræ Orientalis subventione pensamus, principis Apostolorum basilicam dignis obsequiis frequentare non possumus, aliquibus munusculis honoremus, nihil in hoc Apostolorum principi largientes de proprio, sed de suo potius rependentes. Verum quum decor ecclesiarum, et earum thesaurus præsertim pendeat ex personis, quæ ipsis deserviunt, et Domini laudes horis intonant constitutis, psallentes ei tam ore, quam corde, vos qui ad honorem Apostolorum principis in ejus ecclesia Domino jugiter deservitis, invocantes nomen ipsius et laudes ejus voce consona modulantes, imo beatum Petrum in vobis tenui nostræ devotionis munusculo decrevimus honorare; sperantes, quod qui minuta viduæ pauperis acceptavit, nostræ quoque humilitatis acceptabit affectum, non quid, sed ex quo potius tribuamus attendens. Ea propter, di-

lecti in Domino filii, tam redditum, quem de signis plumbeis sive stagneis Apostolorum Petri et Pauli imaginem præferentibus, quibus eorum limina visitantes in argumentum propriæ devotionis et testimonium itineris consummati se ipsos insigniunt, prædecessores nostri, et nos ipsi percipere consuevimus, quam auctoritatem fundendi ea, vel quibus volueritis fusoribus concedendi, qui vobis tantum de ipsis respondeant, vobis et per vos canonicæ vestræ præsentium auctoritate concedimus et præsentis scripti patrocinio communimus. Ad hoc, sub pœna excommunicationis districtius inhibemus, ne quis ea præter assensum, et concessionem vestram, aliquatenus formare præsumat. »

Nos ergo quod ab eodem prædecessore nostro super his factum est, ratum habentes, illud auctoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus, sub prædicta pœna districtius inhibentes, ne quis in Urbe sub nomine aliarum ecclesiarum alia signa supradictorum Apostolorum imaginem præferentia fundere vel vendere audeat sine nostra et Ecclesiæ Romanæ licentia speciali.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis et inhibitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, etc. Datum Laterani, VI kalendas februarii, pontificatus nostri anno sexto.

C

Ad Andream regem Hungariæ.

27 januarii 1222.

[Theiner, Mon. Hung., I, 32, n. 64.]

Rex Hungariæ a quodam juramento incaute præstito absolvitur.

Honorius episcopus, etc., carissimo in Christo filio... illustri regi Hungariæ, salutem, etc.

Quum te sicut carissimum in Christo filium nostrum sincera diligamus in Domino caritate, dubitare te nolumus, quin preces et petitiones tuas exaudire libenter velimus, quantum cum Deo et Apostolicæ Sedis et nostra possumus honestate. Nuper enim ex parte tua fuit propositum coram nobis, quod quum dudum... regi, nato tuo secundo genito, ad regnum Galetiæ sibi datum, per venerabilem fratrem nostrum... Strigoniensem archiepiscopum auctoritate Sedis Apostolicæ coronato in regem... filiam nobilis viri... ducis Poloniæ matrimonialiter copulasses, tam a te quam ab ipso duce corporali juramento præstito, quod neuter vestrum dissolvi hujusmodi matrimonium procuraret; quin imo regem prædictum in obtinendo regnum ipsum defenderetis toto tempore vitæ vestræ : quum sinistre accidit, regem ipsum cum sponsa sua et pluribus aliis viris nobilibus a tuis hostibus captivari, et tamdiu extra regnum ipsum mancipatos custodiæ detineri, donec necessitate compulsus, cum ipsos aliter liberare non posses, juramento præstito promisisti, quod et... filio tuo tertio genito concessimus ipsi regnum præfatum (1)... filiam nobilis viri Misozlau matrimonialiter copulares, super quo utique Apostolicæ provisionis suffragium postulasti. Nos igitur hac et aliis petitionibus tuis in præsentia fratrum nostrorum diligenter expositis, de ipsorum consilio juramentum hujusmodi in eo duntaxat, quod regnum prædictum alii regi auctoritate Apostolica coronato, primo concessum tetigisse videtur, tamquam illicitum et primo juramento contrarium decrevimus non tenere. In eo vero quod spectat ad aliud matrimonium contrahendum, expedire non vidimus ut absolvaris a nobis : quum enim, sicut accepimus, præfatus filius tuus et filia supradicti M. in minori existant constituti ætate, antequam ad nubiles annos perveniant, tibi cautius et consultius provideri poterit in hoc casu. Super eo autem, quod causam, quæ vertitur inter te ac carissimam in Christo filiam nostram Constantiam Romanorum imperatricem semper augustam et reginam Siciliæ, ad nostram petisti audientiam renovari, noveris nos eidem imperatrici nostras super hoc litteras destinasse, credentes quod et ipsa velit libenter, ut idem negotium ad Apostolicæ Sedis remittatur examen. Pro eo vero quod in negotio venerabilis fratris nostri... episcopi Geuriensis petitionem tuam exaudire nequivimus, regia serenitas non turbetur. Nam cum ab honore Apostolicæ Sedis et nostro despendeat honor tuus, quantumcumque præfatum episcopum diligas, multo

(1) Forsan : [Post concessam] ipsi regnum præfatum, ... filiam, etc.

amplius Deum et nostram debes diligere honestatem : securus itaque, quod quum personam tuam in caritatis visceribus habeamus, postulationibus tuis curabimus favorem benivolum, quotiens expedire viderimus, exhibere. Datum Laterani, VI kal. februarii, pontificatus nostri anno sexto.

CI

Ad Philippum regem Francorum.

1 februarii 1222.

[Bouquet, Rec. des Hist., t. XIX, p. 718.]

Dolens Honorius quod, postquam filius ejus Ludovicus arma adversus Tolosanos suscepisset, in pejus ruisset fidei negotium, regem obtestatur ut ad bellum instaurandum se acriter accingat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, carissimo in Christo filio Philippo, regi Francorum illustri, salutem et apostolicam benedictionem.

Quanto negotium fidei videtur in partibus Albigensium gravius cecidisse, tanto amplius expedit ut magnifice ad ejus relevationem intendas, et majorem inde possis laudem et gloriam apud Deum et homines promereri. Ideoque serenitatem tuam monemus, rogamus et obsecramus in Domino Jesu Christo, quatenus ad relevandum ipsum negotium studium et operam sic impendas, quod ex hoc assequaris laudes hominum in præsenti, et a Domino præmium in futuro. Datum Laterani, kal. februarii, pontificatus nostri anno sexto.

CII

Ad abbatem et conventum de Sconetal.

1 februarii 1222.

[Wirtembergisches Urkundenbuch, III, 129, n. 653.]

Ecclesiam de Beringen eis confirmat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis.... abbati et conventui de Sconetal Cisterciensis ordinis, salutem et apostolicam benedictionem.

Quum a nobis petitur quod justum est et honestum, tam vigor æquitatis quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, ecclesiam de Beringen, quam de concessione venerabilis fratris nostri Ottonis, Herbipolensis episcopi, capituli sui accedente consensu, vos proponitis canonice assecutos, sicut eam juste ac pacifice possidetis et in ejusdem episcopi authentico plenius continetur, vobis et per vos monasterio vestro auctoritate Apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani, kalendis februarii, pontificatus nostri anno sexto.

CIII

Ad capitulum Laudunen.

1 februarii 1222.

[Regest., lib. VI, epist. 223. Mss. La Porte du Theil.]

Inhibet sub pœna censuræ ecclesiasticæ ne quamdam consuetudinem jurari faciant.

Honorius, etc., dilectis filiis capitulo Laudunen.

Quum ecclesia vestra inter convicinas eminere credatur numero et merito personarum, decet prudentiam vestram sollicite providere, ne fiat aliquid in eadem, quod canonicam non sapiat puritatem, vel turpitudinem videatur aliquam continere. Sane ad audientiam nostram noveritis pervenisse, quod prætextu cujusdam consuetudinis, ut dicitur, juramento firmato a singulis, quos in ecclesia vestra canonicari contingit, unum scyphum argenteum exigitis, et etiam extorquetis eis fructum præbendarum suarum nisi consuetudinem jamdictam adimpleant, denegando. Quia igitur consuetudo hujusmodi habere videtur speciem pravitatis et continet turpitudinem manifestam, universitati vestræ auctoritate præsentium inhibemus, ne prædictam consuetudinem jurare faciatis de cætero, vel ejus occasione aliquid exigatis, aut subtrahatis aliquibus suarum redditus præbendarum. Alioquin venerabili fratri nostro... episcopo Laudunen., et dilectis filiis abbati Sancti Johannis in Vineis et... decano Suessionen. nostris

damus litteris in mandatis ut si vos aliquem de cætero vexare præsumpseritis, occasione consuetudinis memoratæ, ipsi vos a præsumptione hujusmodi, monitione præmissa, per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, cognita veritate, compescant. Datum Laterani, kalendas februarii anno sexto.

CIV

Ad D. archidiaconum Lemovicen., priorem de Altis Vallibus et S. Sillar canonicum S. Juniani.

1 februarii 1222.

[Regest., lib. VI, epist. 209. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat ut ecclesiam Dauraten. de personis idoneis ordinare studeant.

Honorius, etc., dilectis filiis D. archidiacono Lemovicen... priori de Altis Vallibus, et S. Sillar canonico Sancti Juniani Lemovicen. diœcesis.

A canonico Dauraten. ecclesiæ accepimus intime, ut quum septem, vel plures ex canonicis ejusdem ecclesiæ de medio sint sublati, licet ipsius ecclesiæ redditus non sint in aliquo diminuti, capitulum tamen ejusdem ecclesiæ ipsam non curant de personis idoneis ordinare, redditus ipsos in usus proprios convertendo, propter quod dicta ecclesia, in qua divini nominis cultus hactenus floruisse dignoscitur, debitis obsequiis defraudatur. Quia igitur instantia nostra quotidiana est ecclesiarum omnium sollicitudo continua, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus personaliter accedentes ad locum et habentes præ oculis solum Deum, si constiterit de præmissis, dictam ecclesiam studeatis de personis idoneis ordinare, contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescentes. Quod si non omnes, etc. Datum Laterani, kalendas februarii, pontificatus nostri anno sexto.

CV

Ad abbatem et conventum S. Maglorii Parisiensis.

3 februarii 1222.

[Mss. latins, fonds Moreau, tom. 130, p. 160.]

Eis decimas de novalibus concedit.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati et conventui Sancti Maglorii Parisiensis, salutem et apostolicam benedictionem.

Quanto sincerius loca religiosa diligimus, tanto libentius super his quæ ipsorum profectum respiciunt, favorem eis benivolum impertimur. Ex vestra sane parte fuit nobis humiliter supplicatum, ut quum longe ante Concilium generale sit vobis indultum percipere decimas de laboribus terrarum ecclesiarum quæ ratione juris patronatus ad vos spectare noscuntur, indulgere vobis misericorditer dignaremur, ut de terris quæ infra parochias ecclesiarum ipsarum rediguntur noviter ad culturam haberetis de indulgentia nostra exigendi decimas facultatem. Nos ergo vestris justis precibus inclinati, præsentium vobis auctoritate concedimus ut infra terrarum ipsarum terminos de novalibus percipere decimas valeatis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani, III nonas februarii, pontificatus nostri anno sexto.

CVI

Ad archiepiscopum Bituricensem.

4 februarii 1222.

[Regest., lib. VI, ep. 215. Mss. La Porte du Theil.]

In ecclesia de Chaumunt instituendi clericos sæculares licentiam concedit.

Honorius, etc., venerabili fratri nostro archiepiscopo Bituricen., Apostolicæ Sedis legato.

Lecta nobis tua petitio continebat, quod in ecclesia de Chaumunt, tuæ diœcesis sunt canonici pauci, et pauperes, qui licet se regulares appellent, nulli tamen certæ regulæ sunt adstricti, per quorum defectum ipsa ecclesia desolata est quasi penitus, et de die in diem amplius desolatur, quare petiisti, ut instituendi in ea clericos sæculares, per quos recuperari valeant bona ejus a diversis clericis, et laicis occupata, licentiam tibi concedere dignaremur. Nos igitur gerentes de tua caritate fiduciam specialem, præsentium tibi auctoritate concedimus, ut pro-

viso competenter ibi vel alibi ecclesiæ jamdictæ canonicis, eam de clericis sæcularibus ordinis dummodo fieri valeat absque scandalo, et juris præjudicio alieni. Datum Laterani, II nonas februarii, anno sexto.

CVII

Ad eumdem.

Eodem die.

De vicesima ecclesiasticorum proventuum in subsidium Terræ Sanctæ convertenda.

Ex parte tua fuit nobis humiliter supplicatum, ut quum statutum fuerit vicesimam ecclesiasticorum proventuum in subsidium Terræ Sanctæ [impendere], tuque donaria reddituum nomine contineri non credens, de ipsis vicesimam non persolveris, super hoc nostrum tibi beneplacitum rescribere dignaremur, a sententia in eos qui circa hoc fraudem committerent promulgata [eximentes], licet in hac parte nihil egeris fraudulenter. Noveris igitur nostrum beneplacitum esse, ut de donariis in quacumque specie factis quorum singula summam sexaginta solidorum monetæ Turonen. excedunt, quantum recolere poteris, solvas vicesimam in prædictæ Terræ subsidium convertendam, a timore prædicto te securum præsentium auctoritate reddentes, cum sententia ipsa nequaquam in probabiliter dubitantes, sed in committentes scienter fraudem fuerit promulgata. Quod si forsan, pro pleniori conscientiæ tuæ securitate, volueris a pœnitentiario tuo te auctoritate nostra secreto absolvi facias ad cautelam. Datum ut supra.

CVIII

Ad præpositum et capitulum Gurcen.

4 februarii 1222.

[Fonds Moreau, Mss., t. 1182, p. 66. Biblioth. nation.]

Ut venerationem beatæ Mariæ Virginis hebdomadalem continuent.

Honorius, etc., præposito et capitulo Gurcen.

Solet annuere, *usque* impertiri. Ex parte siquidem vestra fuit nostris auribus intimatum, quod quum in ecclesia vestra, quæ in honore beatæ Mariæ semper Virginis est constructa, semel in hebdomada officium ejusdem Virginis solemniter celebrare consueveritis ab antiquo, de Ranshoven, et de Richersperg præpositi Pabreburgen. diœcesis, quibus venerabilis frater noster Salzpurgensis episcopus metropolitanus vester visitationem suæ provinciæ duxerat committendum, ne id de cætero faceretis inhibere vobis pro suæ voluntatis arbitrio præsumpserunt; propter quod ad Sedem Apostolicam appellastis, ut deinceps officium ejusdem Virginis, sicut consuevistis hactenus, celebrare de nostra vobis concessione liceret, inhibitione hujusmodi non obstante. Nos igitur vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, auctoritate vobis præsentium concedimus postulata. Nulli ergo, etc., et nostræ concessionis, etc. Si quis autem, etc. Datum Laterani, II nonas februarii, pontificatus nostri anno sexto.

CIX

Ad abbatem et conventum Sancti Petri de Sella Trecen.

4 februarii 1222.

[Regest., lib. VI, epist. 263. Mss. La Porte du Theil.]

Eis decimas de novalibus concedit.

Honorius, etc., dilectis filiis abbati et conventui S. Petri de Sella Trecen.

Quanto sincerius loca religiosa diligimus, tanto libentius super his, quæ ipsorum profectum respiciunt, favorem eis benevolum impertimur. Ex vestra sane parte fuit nobis humiliter supplicatum, ut quum sit vobis indultum de laboribus terrarum ecclesiarum, quæ ratione juris patronatus ad vos spectare noscuntur, decimas cum integritate percipere indulgere vobis misericorditer dignaremur, et de terris, quæ infra ecclesiarum ipsarum [terminos] haberetis de indulgentia nostra percipiendi decimas facultatem. Nos ergo vestris justis precibus inclinati præsentium vobis auctoritate concedimus, ut infra terrarum ipsarum terminos de novalibus percipere decimas valeatis. Nulli ergo, etc., nostræ concessionis, etc. Si quis autem, etc. Datum Laterani, II nonas februarii, anno sexto.

CX

Ad archiepiscopum Bituricensem.

7 februarii 1222.

[Regest., lib. VI, epist. 263. Mss. La Porte du Theil.]

Indulget ut crucesignatos a vinculo excommunicationis, quam propter inexecutionem voti incurrerant, absolvat.

Honorius, etc., venerabili fratri archiepiscopo Bituricen.

Quum amissa, peccatis exigentibus, Damiata necesse sit ut de novo instauretur exercitus christianus, non expedit ut crucesignati particulariter iter accipiant transfretandi, sed expectent passagium generale quod auctore Domino in proximo præfigemus. Quum itaque, sicut ex parte tua fuit propositum coram nobis, quamplures crucesignati tuæ provinciæ, qui voverunt in Terræ Sanctæ subsidium proficisci, pro eo quod votum suum non sunt hactenus exsecuti, sint excommunicationis sententia innodati, fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus illos, si sufficientem præstiterint cautionem, quos ad mandatum tuum iter arripiant transfretandi a vinculo excommunicationis absolvas, nec ipsos, nec alios crucesignatos ad prosequendum infra prædictum passagium votum suum compellas vel ab aliis compelli permittas. Datum Laterani, VII idus februarii, pontificatus nostri anno sexto.

CXI

Ad abbates de Anglia Cisterciensis ordinis.

8 februarii 1222.

[Manrique, Annales Cisterc., t. IV, p. 228.]

Eos a præstatione decimarum de animalium nutrimentis immunes declarat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbatibus de Anglia Cisterciensis ordinis, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum sitis per privilegia Sedis Apostolicæ a præstatione decimarum, de animalium nutrimentis immunes, et sicut, vobis referentibus, intelleximus, quidam ecclesiarum rectores, in quibus pascuntur parochiis oves vestræ, a vobis de lana, lacte, ac agnis earumdem ovium decimas exigere moliantur; nos vestris justis precibus inclinati, auctoritate præsentium districtius inhibemus, ne quis contra eadem privilegia a vobis decimas de prædictis exigere, vel extorquere præsumat. Datis Laterani, VI idus februarii, pontificatus nostri anno sexto.

CXII

Ad judices in Livonia.

8 februarii 1222.

[Turgenevius, Historica Russiæ monumenta, I, 13, n. 12.]

Mandat ut Rutheni venientes inhabitare Livoniam Latinorum observantiis constringantur.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, judicibus in Livonia, salutem et apostolicam benedictionem.

Ex parte venerabilis fratris nostri episcopi ecclesiæ Livoniensis nobis innotuit, quod Rutheni quidam veniunt inhabitare Livoniam, qui Græcorum ritus pro parte sectantes, Latinorum baptismum, quasi rem detestabilem exsecrantes, solemnitates et statuta jejunia non observant, contracta inter neophytos matrimonia dissolventes. Ne igitur, nisi talium insolentia compescatur, schisma Græcorum suscitetur, antequam nos illud videamur sub dissimulatione fovere, mandamus, quatenus hujusmodi Ruthenorum insolentiam auctoritate Apostolica compescatis, facientes pro neophytorum scandalo evitando, ut prædicti Rutheni Latinorum observantiis constringantur ubi ritibus innitendo Græcorum separari a capite, hoc est a Romana Ecclesia, dignoscuntur. Datum Laterani, VI idus februarii, pontificatus nostri anno sexto.

CXIII

Ad abbatem et conventum Grandiscampi.

14 feb. 1222.

[Regest., lib. VI, epist. 231. Mss. La Porte du Theil.]

Honorii sententia de decimis novalium quæ ante aut post Concilium generale acquisita sunt.

Honorius, etc., dilectis filiis abbati et conventui Grandiscampi, Præmonstraten. ordinis.

Petentibus olim a nobis... abbate, ac conventu Sancti Maglorii Parisien. coram...

abbate Sancti Johannis Senonen. et collegis suis, a Sede Apostolica delegatis, decimas novalium, quæ vos excolueratis in loco, qui dicitur Aquilina, præfati judices, lite super hoc legitime contestata, productis testibus et exhibitis privilegiis, vos a præstatione decimarum novalium extirpatorum ante Concilium generale, quandiu ex propriis manibus vel sumptibus coleretis sententialiter absolverunt, et ad solutionem decimarum novalium eorumdem, quæ post idem extirpaveratis Concilium condemnantes. A quorum sententia procurator vester ad audientiam nostram appellans, magistro J. de Vezeliaco et conjudicibus suis doctoribus Parisien. apostolicas super hoc obtinuit litteras destinari, qui eodem magistro legitime excusato et priorum judicum irritata sententia, vos ab illorum impetitione duxerunt sententialiter absolvendos. Sed quum procurator partis adversæ ab eorum sententia ad Sedem Apostolicam appellasset, nos olim utriusque partis procuratoribus in nostra præsentia constitutis, dilectum filium nostrum P., Sancti Georgii ad Velum Aureum diaconum cardinalem, eis concessimus auditorem. Sed procuratore Sancti Maglorii proponente se depositionem quorumdam testium coram primis judicibus productorum, quæ, sicut dicebat, multum ad negotium faciebat, exhibere non posse, decano Trecen. et collegis suis causam de utrorumque commisimus procuratorum assensu, qui profecto eodem decano in subsidium Terræ Sanctæ, inspecto quoque juxta formam sibi traditam judicum utrorumque processu, vos ad præstationem decimarum novalium, quæ post generale Concilium extirpastis sententialiter condemnarunt. Sane ab istorum sententia procuratore vestro ad appellationis remedium convolante, ipso tandem et procuratore partis alterius ad nostram præsentiam accedentibus, dilectum filium magistrum B., subdiaconum et capellanum nostrum deputavimus auditorem ejusdem, qui cum ea, quæ procuratores ipsi coram eo proponere curaverunt, nobis et fratribus nostris fideliter retulisset, Parisien. demum et Trecen. judicum sententiis irritatis de nostro et fratrum nostrorum mandato priorum judicum sententiam quoad primam partem, videlicet ut ad præstationem non teneamini decimarum novalium, quæ coluistis ante Concilium generale, quamdiu propriis manibus vel sumptibus ea colitis, sententialiter confirmavit. In reliqua vero parte, scilicet, ut decimas solvatis de novalibus, quæ post generale Concilium extirpastis sententiam reprobavit eorum, absolvendo vos a præstatione decimarum novalium eorumdem, ut videlicet de ipsis ad decimas non teneamini persolvendas, quamdiu ipsa propriis manibus vel sumptibus duxeritis excolenda; maxime cum ex partium confessione constaret, quod nil de terris petitis vobis fuit post memoratum concilium acquisitum. Super decimis vero novalium, quæ sunt extra Aquilinam in loco qui... dicitur, nihil statuit, quia ea non fuere petita; reducens in irritum quidquid a prædictis judicibus Trecen. post appellationem ab eis interpositam extitit attentatum. Nos ergo sententiam auditoris ejusdem ratam habentes, eam auctoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo, etc., nostræ confirmationis infringere. Si quis autem, etc. Datum Laterani, XVI kalend. martii, pontificatus nostri anno sexto.

CXIV

Ad priorem et subpriorem S. Victoris Parisien.

14 feb. 1222.

[Regest., lib. VI, epist. 232. Mss. La Porte du Theil.]

Duos menses ad plenam instructionem litis, inter episcopum Ambianen. et abbatem et conventum monasterii S. Richerii in Pontivo pendentis, eis indulget.

Honorius, etc., dilectis filiis... abbati... priori et... subpriori Sancti Victoris Parisien.

Grave gerimus et indignum quod quum de venerabilis fratris nostri... Ambianen. episcopi et dilectorum filiorum abbatis et conventus monasterii Sancti Richerii in Pontivo, procuratorum assensu, vobis dederimus in mandatis, ut exceptionibus super possessorio nulli prorsus obstantibus, infra septem menses continuos post susceptionem litterarum nostrarum reciperetis probationes, quas idem episcopus super petitorio duxerit inducendas et defensiones monasterii memorati, et ex tunc injungeretis partibus, ut infra duos menses sequentes quos pro termino peremptorio assignaretis eis-

dem, per procuratores idoneos cum relatione vestra et actis negotii nostro se conspectui præsentarent, sententiam recepturæ; vos, sicut dilectus filius G. ejusdem monasterii legitimus procurator proposuit coram dilecto filio nostro Egidio, Sanctorum Cosmæ et Damiani diacono cardinali quem ipsi et O., ad impetrandum et contradicendum procuratori ejusdem episcopi dedimus auditorem, licet usque ad publicationem testium processeritis, quorum depositiones idem procurator non sub sigillis vestris secum detulerat, ut dicebat, acta diei ultimæ in qua tu, fili abbas, eras infirmitate detentus, te, fili prior, sigillo tuo renuente munire partes, ad terminum constitutum cum actis judicii vestri sigillis munitis ad præsentiam nostram remittere noluistis, quin potius per litteras vestras, quas exhibuit pars adversa, nostro apostolatui intimastis, quod cum probationes dicti episcopi, et defensiones monasterii recipere cepissetis, vobis, filii abbas et subprior, diutius in ægritudinis lecto detentis, et te, fili prior, non solum negotiis monasterii vestri, verum etiam cura Belvacen. diœcesis occupato, probationes episcopi memorati recipere nequivistis ad plenum, nec causam ipsam ad nos remittere sufficienter instructam. Licet igitur non sit malitiis hominum indulgendum, volentes tamen in bono vincere malum et eidem episcopo omnem materiam murmuris amputare, adhuc duos menses continuos ad plenam instructionem negotii partibus duximus indulgendos, per Apostolica vobis scripta in virtute obedientiæ districte præcipiendo mandantes quatenus infra eos, a susceptione præsentium computandos, recipiatis probationes ejusdem episcopi quantum de jure licuerit et defensiones monasterii ad instructionem negotii, facientes, et ex tunc infra alios duos continuos sequentes, quos pro peremptorio termino partibus assignetis ipsas cum probationibus, defensionibus et omnibus actis judicii utrique sub sigillis vestris exhibitis penes vos originalibus tantum retentis, ad nostram præsentiam remittatis, auctore Domino, sententiam recepturas, præceptum nostrum hac vice taliter impleturi, quod non possitis de negligentia reprehendi et in districti examinis die, dignam Deo ex hoc valeatis reddere rationem, nullis litteris obstantibus, harum tenore tacito, a Sede Apostolica impetratis, nec obstante quod in litteris prioribus ad vos directis apposita fuit hæc clausula: «Nullis litteris obstantibus præter assensum partium a Sede Apostolica impetratis.» Testes autem, etc. Quod si non omnes, etc. Datum Laterani, XVI kalendas martii, pontificatus nostri anno sexto.

CXV

Ad abbatem Compendiensem.

17 februarii 1222.

[Fonds Moreau. Mss. latins, t. CXXX, p. 158. Bibl. nat.]

Ut monachis et clericis suis primam tonsuram facere et altaris pallas benedicere valeat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio abbati Compendiensi, salutem et apostolicam benedictionem.

Quum monasterium tibi commissum ad jus et proprietatem Apostolicæ Sedis nullo mediante pertinere noscatur, te sicut filium specialem singulari prærogativa volumus honorare ac votis tuis, quæ a rationis tramite non discordant, benignum impertiri favorem. Inde est quod nos tuis precibus inclinati, de speciali gratia devotioni tuæ, auctoritate præsentium indulgemus, ut monachis et clericis tuis primam tonsuram facere valeas; et cum opus fuerit, altaris tui monasterii benedicere pallas. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani, XIII kalendas martii, pontificatus nostri anno sexto.

CXVI

Ad episcopum Pictaven.

17 februarii 1222.

[Regest., lib. VI, epist. 230. Mss. La Porte du Theil.]

Indulget ut per vicarium idoneum, propter suam senectutem, visitationis suæ diœcesis officium exercere valeat.

Honorius, etc., venerabili fratri episcopo Pictaven.

Non est reverenda senectus temporalibus

destituenda subsidiis, sed potius confovenda, quando multa sunt senescentis ætatis ex defectu corporis incommoda varia utique, ac diversa. Unde, quum sicut ex parte tua fuit propositum coram nobis propter invaletudinem tui corporis in senium jam vergentis, prout debes personaliter visitare non possis tuæ diœcesis ecclesias universas, nec episcopales redditus tibi ad congruam tui, et tuorum sustentationem sufficere dignoscantur, nos senectutis et infirmitatis tuæ precibus inclinati, præsentium tibi auctoritate concedimus, ut per idoneum exercens vicarium visitationis officium, quod non potes gerere per te ipsum, moderatas procurationes per tuam diœcesim exigendi habeas facultatem. Nulli ergo, etc., nostræ concessionis infringere. Si quis autem, etc. Datum Laterani, XIII kalendas martii, anno sexto.

CXVII

Ad Hugonem de Feritate canonicum Carnotensem.

18 februarii 1222.

[Regest., lib. VI, epist. 251. Mss. La Porte du Theil.]

Indulget ut, non obstante electionis in episcopum Carnotensem cassatione, ad ecclesiasticas dignitates eligi valeat.

Honorius, etc., dilecto filio Hugoni de Feritate canonico Carnoten.

Ad instar arcæ fœderis in pectore summi pontificis continetur virga correctionis, qua feriat reprobos et manna dulcedinis, qua mansuetos reficiat et devotos. Hinc est, quod considerata devotione, quam ad sacrosanctam Romanam Ecclesiam habere dignosceris, necnon et humilitate, ac patientia, quam habere te novimus in adversis, licet cassaverimus electionem de te factam in episcopum Carnotensem, justitia exigente, quia tamen postmodum continuo theologicis disciplinis insistens laudabiliter, sicut accepimus, profuisti, auctoritate tibi præsentium indulgemus, ut non obstante cassatione præfata, ad dignitates ecclesiasticas eligi valeas libere, ac licenter. Nulli ergo, etc. Si quis autem, etc. Datum Laterani, XII kalendas martii, anno sexto.

CXVIII

Ad archipresbyterum et clerum Varcenates.

18 februarii 1222.

[Spicilegium Liber., 724, n. 18.]

Ut episcopo Alatrino sine difficultate ea exhibeant, quæ consueverunt ejus prædecessoribus exhibere.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis archipresbytero et clero Varcenati, salutem et apostolicam benedictionem.

Præsentium vobis auctoritate mandamus quatenus, sine difficultate qualibet, ea exhibeatis venerabili fratri nostro episcopo Alatrino, quæ consuevistis ejus prædecessoribus exhibere, quod propter hoc amplius scribere non cogamur. Datum Laterani, XII kalendas martii, pontificatus nostri anno sexto.

CXIX

Ad episcopum et magistrum B. canonicum Ambianenses.

19 februarii 1222.

[Regest., lib. VI, epist. 65. Mss. La Porte du Theil.]

Ut causas divortii inter Mathildam mulierem et Albericum, virum ejus, examinent.

Honorius, etc., venerabili fratri episcopo et dilecto filio magistro B. canonico Ambianen.

Litteræ vestræ nobis exhibitæ continebant, quod quum causa matrimonii, quæ inter Mathildam mulierem et Albericum, virum ejus, Atrebaten. diœcesis, vertitur, nobis fuisset a bonæ memoriæ..... Papa prædecessore nostro commissa, dicta M. proposuit coram nobis, quod quum jam octo annis elapsis dicto A. fuisset matrimonialiter copulata, et diu cohabitasset eidem, nunquam tamen, licet esset viripotens, ab eo cognita fuerat, sed adhuc integra permanebat, eo quod prædictus vir ejus non habebat potentiam coeundi; quare petebat inter eos divortium celebrari. Prædictus vero A. nihilominus fatebatur, quod illam nunquam cognoverat, licet ad ejus obsequium se facilem exhibuerit, et paratum, sed tamen se habere potentiam cognoscendi

alias asserebat. Vos vero ne forte confiteretur in fraudem, a matronis bonæ opinionis ac fide dignis, ac expertis in opere nuptiali, dictam fecistis inspici mulierem, quæ perhibuerunt testimonium ipsam adhuc virginem permanere. Postmodum per presbyterum, de cujus parochia vir prædictus extitit, fecistis diligenter inquiri utrum vir ipse aliquam cognovisset, nec per inquisitionem ipsam vobis constitit ab eodem. Ipsis autem viro et muliere frequenter comparentibus coram vobis, ac muliere instanter divortium requirente, et dicente quod mater esse volebat, et filios procreare, viro autem dicente, quod paratus erat stare consilio et voluntati Ecclesiæ, injunxistis eisdem ut humiliter reciperent et agerent pœnitentiam de commissis, et sic forsan placeret Deo, qui matrimonii fuit institutor et auctor, ut opus matrimonii consummarent. Qui post plures terminos ad vestram reversi præsentiam consona voce dixerunt, quod non poterant carnaliter commisceri, propter quod, de ipsorum consensu, causam hujusmodi Apostolico duxistis judicio relinquendam. Quia igitur nobis scrupulum dubitationis ingessit, quod quum litteræ dictæ prædecessoris nostri, quarum auctoritate in ipso negotio processistis, ad vos et.... cantorem Ambianen. directæ fuerint, sicut nobis earum tenor vestris insertus litteris declaravit, vos in relatione hujusmodi de ipso cantore nullam fecistis penitus mentionem, et dubitatione hujusmodi adaugente, quod sigilla vestris appensa litteris conspeximus jam vetusta, negotium ad vos, a quarum non debet excidisse memoria, utrum ea quæ præmisimus acta fuerint coram vobis, utrumve nobis litteras direxeritis prænotatas, duximus remittendum, per Apostolica vobis scripta mandantes, quatenus si recolitis rem taliter se habere et vobis constitit, vel adhuc constiterit præfatos virum et mulierem infrà prædictos octo annos per continuum triennium insimul habitasse, ipsis cum septima propinquorum manu juramento firmantibus se nequivisse carnaliter commisceri, proferatis divortii sententiam inter eos. Datum Laterani, II kalend. martii, anno sexto.

CXX

Ad Eberhardum archiepiscopum Salzeburgensem.

20 februarii 1222.

[Weis, Urkundenbuch der Cisterciens., I, 62.]

Mandat et præcipit ut malefactores qui possessiones vel res fratrum monasterii Sanctæ Crucis Cisterciensis ordinis invaserint, publice excommunicationis sententia percellant.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiscopo Salzeburgensi et suffraganeis ejus ac dilectis filiis abbatibus, prioribus et aliis ecclesiarum prælatis per Salzeburgensem provinciam constitutis, salutem et apostolicam benedictionem.

Non absque dolore cordis et plurima turbatione didicimus, quod ita in plerisque partibus ecclesiastica censura dissolvitur et canonicæ sententiæ severitas enervatur, ut viri religiosi et hi maxime, qui per Sedis Apostolicæ privilegia majori donati sunt libertate, passim a malefactoribus suis injurias sustineant et rapinas, dum vix invenitur, qui congrua illis protectione subveniat, et pro fovenda pauperum innocentia, se murum defensionis opponat. Specialiter autem dilecti filii abbas et fratres monasterii Sanctæ Crucis Cisterciensis ordinis tam de frequentibus injuriis, quam de ipso quotidiano defectu justitiæ conquerentes, universitatem vestram litteris petierunt Apostolicis excitari, ut ita videlicet eis in tribulationibus suis contra malefactores eorum prompta deberetis magnanimitate consurgere, quod ab angustiis, quas sustinent et pressuris vestro possint præsidio respirare; ideoque universitati vestræ per Apostolica scripta mandamus atque præcipimus, quatenus illos, qui possessiones, vel res, seu domos prædictorum fratrum, vel hominum suorum, irreverenter invaserint, aut ea injuste detinuerint, quæ prædictis fratribus ex testamento decedentium relinquuntur, seu in ipsos fratres contra Apostolicæ Sedis indulta sententiam excommunicationis aut interdicti præsumpserint promulgare, vel decimas laborum de possessionibus habitis ante Concilium generale, quas propriis manibus aut sumptibus excolunt, seu nutrimentis ipsorum, spretis Apostolicæ Sedis privilegiis extorquere, monitione præmissa,

si laici fuerint, publice candelis accensis excommunicationis sententia percellatis, si vero canonici regulares, vel clerici, seu monachi fuerint, eos, appellatione remota, ab officio et beneficio suspendatis, neutram relaxaturi sententiam donec prædictis fratribus plenarie satisfaciant; et tam laici quam clerici sæculares, qui pro violenta manuum injectione anathematis vinculo fuerint innodati, cum diœcesani episcopi litteris, ad Sedem Apostolicam venientes ab eodem vinculo mereantur absolvi. Villas autem, in quibus bona prædictorum fratrum vel hominum suorum per violentiam detenta fuerint, quamdiu ibi sunt, interdicti sententiæ supponatis. Datum Laterani, X kalendas martii, pontificatus nostri anno sexto.

Scriptum est in eumdem modum et eodem die ad Sigfridum archiepiscopum Maguntinum, suffraganeos ejus aliosque ecclesiarum prælatos per Maguntinensem provinciam constitutos, ut abbatem fratresque monasterii de Scondal (Scœnthal) ordinis Cisterciensis tueantur.

CXXI

Ad archiepiscopos, episcopos, abbates et alios ecclesiarum prælatos.

20 februarii 1222.

[Strehlke, Tab. ord. Theut., p. 320, n. 367.]

Honorius jubet prælatos ordinem Theutonicum manu tenere in quærendis per ecclesias eleemosynis et legatis plenarie recipiendis.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis et dilectis filiis abbatibus, prioribus, archidiaconis, decanis et aliis ecclesiarum prælatis, ad quos litteræ istæ pervenerint, salutem et apostolicam benedictionem.

Querelam gravem recepimus dilectorum filiorum Fratrum Hospitalis Sanctæ Mariæ Theutonicorum Hierosolymitani, quam præ magnitudine culpæ ac pauperum dispendio dissimulare nec volumus nec debemus. Proposuerunt siquidem jam dicti fratres, quod, cum pro confratriis et eleemosynis pauperum requirendis secundum quod eis indulsimus ad ecclesias quorumdam presbyterorum accedunt, eos recipere nolunt, sed, quod gravius est, ab ecclesiis ipsis prædictos fratres ejicere non verentur, cum deberent eos benigne ac patienter audire et parochianos suos ad conferendas pauperibus eleemosynas attentius exhortari. Accedit ad hæc, quod iidem presbyteri quamdam partem eleemosynarum pauperum exigunt impudenter, et, ut possint extorquere quod quærunt, parochianis suis reclamantibus pauperum obsequium impedire pro suæ voluntatis arbitrio non formidant. Unde, quoniam tantum prædictorum fratrum gravamen et pauperum dispendium clausis non debemus oculis pertransire, quibus ex debito pastoralis officii patrocinium tenemur contra omnium insolentiam impertiri, universitati vestræ per Apostolica scripta mandamus atque præcipimus, quatinus universis presbyteris vestræ potestati subjectis sub pœna officii et beneficii [amittendi] injungatis, ut prædictos fratres in ecclesiis suis ad opus pauperum prædicare et eleemosynas libere quærere, juxta quod eis duximus indulgendum sine qualibet contradictione permittant, salva moderatione Concilii generalis, nec ab eis aliquid exigere vel extorquere præsumant. Si vero postmodum de jam dictis presbyteris ad audientiam vestram querela pervenerit, in transgressores præcepti nostri juxta modum culpæ taliter vindicetis, quod eos suæ temeritatis pœniteat et fratres ipsi pro defectu justitiæ non cogantur ad nostram præsentiam laborare. Pervenit præterea ad audientiam nostram, quod, si quando parochiani vestri præfatis fratribus de rebus suis quicquam in testamento relinquunt, hæredes eorum, vel illi qui res ipsas penes se habent, ipsum legatum eis solvere contradicunt. Quia vero gravem culpæ maculam contrahunt et non mediocriter oculos divinæ majestatis offendunt, qui ea, quæ sacris Dei ecclesiis et viris religioni et honestati deditis rationabiliter in testamento legantur, temeritate qualibet detinere præsumunt; universitati vestræ per Apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus, si quando prædicti fratres apud vos exinde querimoniam deposuerint, illos, quos vobis nominaverint, si vobis ita esse constiterit, moneatis attentius et districtius compellatis, ut ea, quæ prædictis fratribus sunt in testamento legata, remoto appellationis obstaculo, sine malitiosa dilatione absque diminutione, persolvant vel in præsentia vestra, appellatione remota, exhi-

beant justitiæ complementum. Quodsi monitis vestris parere contempserint, eos, appellatione cessante, usque ad condignam satisfactionem excommunicationis vinculo astringatis. Datum Laterani, X kalendas martii, pontificatus nostri anno sexto.

CXXII

Ad priores Sancti Mauricii et... de Martiniaco, Sedunen. diœcesis, et sacristam Sedunen.

21 februarii 1222.

[Regest., lib. VI, epist. 255. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat eis ut denuntient non teneri ad observantiam ordinis postulantem qui infra tempus probationis exivit et professionem non fecit.

Honorius, etc., dilectis filiis Sancti Mauricii et... de Martiniaco prioribus Sedunen. diœcesis et sacristæ Sedunen.

Dilectus filius canonicus Sedunen. in nostra proposuit præsentia constitutus, quod idem in monasterium de Fontaneto Cisterciensis ordinis simpliciter et sine qualibet protestatione intravit; sed idem non volens asperitatem ordinis sustinere, exinde infra tempus probationi præfixum exivit. Unde postulavit a nobis, ut cum ibi professionem non fecerit, super hoc ab ejus conscientia dignaremur totius dubitationis scrupulum removere. Ideoque mandamus, quatenus si vobis constiterit de præmissis, ipsum... denuncietis ad prædicti ordinis, vel alterius observantiam occasione hujusmodi non teneri. Quod si non omnes, etc. Datum Laterani, IX kalendas martii, anno sexto.

CXXIII

Ad abbatem Sancti Leonardi de Calmis, priorem de Anesi ac archidiaconum Almisien. Xanctonensis diœcesis.

26 februarii 1222.

[Regest., lib. VI, epist. 230. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat, quamdiu guerra durat, ne patiantur aliquos conveniri apud judices in terris inimicorum habitantes.

Honorius, etc., dilectis filiis abbati Sancti Leonardi de Calmis... priori de Anesi, et... archidiacono Almissien. Xanctonensis diœcesis.

Significavit nobis carissimus in Christo filius noster H. rex Anglorum illustris, quod cum quidam inimici sui contra homines ejus de Rupella exerceant vivam guerram, rapientes bona eorum et personas etiam captivantes, ita quod homines ipsi vix audeant e finibus terrarum suarum exire, multi de partibus illis litteras Apostolicas ad judices de terris inimicorum impetrant contra eos, quare nonnunquam intercipiuntur ab hostibus, vel dum non audent coram judicibus comparere, puniuntur ab eis, vel damnosas pactiones subire coguntur. Unde idem rex nobis humiliter supplicavit, ut super hoc paterna dignaremur consulere pietate. Volentes igitur illorum obviare malitiæ, ac istorum oppressionibus subvenire, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus prædictos homines per impetratas, vel impetrandas hujusmodi litteras, quandiu guerra durat, non patiamini conveniri inhibentes judicibus, ne ipsarum litterarum auctoritate procedant; et si opus fuerit, eos per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescatis. Quod si non omnes, etc. Datum Anagniæ, IV kalendas martii anno sexto.

In eumdem modum scriptum est... abbati et... priori Sancti Leodegari, et... decano de Fontiniaco Pictavensis diœcesis pro villa de Niorto.

In eumdem modum scriptum est... abbati Fontis Dulcis..., priori Sancti Egidii de Surgeriis et... archidiacono Alnisien. Xanctonensis diœcesis pro hominibus de Sancto Johanne Angeliciensi.

CXXIV

Ad Beatricem abbatissam ejusque sorores, monasterii S. Mariæ de Percheio Constantinop. diœcesis.

27 februarii 1222.

[Manrique, Ann. Cisterciens., IV, 240.]

Illud monasterium sub beati Petri et sua protectione suscipit, omnesque ejus possessiones ac bona, jura et privilegia confirmat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, Beatrici, abbatissæ monasterii de Percheio, quondam de Ysostis nominato, Cisterciensis ordinis, Constantinopolitanæ diœcesis, ejusque sororibus præsentibus, et futuris, regu-

amplius Deum et nostram debes diligere honestatem : securus itaque, quod quum personam tuam in caritatis visceribus habeamus, postulationibus tuis curabimus favorem benivolum, quotiens expedire viderimus, exhibere. Datum Laterani, VI kal. februarii, pontificatus nostri anno sexto.

CI

Ad Philippum regem Francorum.

1 februarii 1222.

[Bouquet, Rec. des Hist., t. XIX, p. 718.]

Dolens Honorius quod, postquam filius ejus Ludovicus arma adversus Tolosanos suscepisset, in pejus ruisset fidei negotium, regem obtestatur ut ad bellum instaurandum se acriter accingat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, carissimo in Christo filio Philippo, regi Francorum illustri, salutem et apostolicam benedictionem.

Quanto negotium fidei videtur in partibus Albigensium gravius cecidisse, tanto amplius expedit ut magnifice ad ejus relevationem intendas, et majorem inde possis laudem et gloriam apud Deum et homines promereri. Ideoque serenitatem tuam monemus, rogamus et obsecramus in Domino Jesu Christo, quatenus ad relevandum ipsum negotium studium et operam sic impendas, quod ex hoc assequaris laudes hominum in præsenti, et a Domino præmium in futuro. Datum Laterani, kal. februarii, pontificatus nostri anno sexto.

CII

Ad abbatem et conventum de Sconetal.

1 februarii 1222.

[Wirtembergisches Urkundenbuch, III, 129, n. 653.]

Ecclesiam de Beringen eis confirmat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis.... abbati et conventui de Sconetal Cisterciensis ordinis, salutem et apostolicam benedictionem.

Quum a nobis petitur quod justum est et honestum, tam vigor æquitatis quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, ecclesiam de Beringen, quam de concessione venerabilis fratris nostri Ottonis, Herbipolensis episcopi, capituli sui accedente consensu, vos proponitis canonice assecutos, sicut eam juste ac pacifice possidetis et in ejusdem episcopi authentico plenius continetur, vobis et per vos monasterio vestro auctoritate Apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani, kalendis februarii, pontificatus nostri anno sexto.

CIII

Ad capitulum Laudunen.

1 februarii 1222.

[Regest., lib. VI, epist. 223. Mss. La Porte du Theil.]

Inhibet sub pœna censuræ ecclesiasticæ ne quamdam consuetudinem jurari faciant.

Honorius, etc., dilectis filiis capitulo Laudunen.

Quum ecclesia vestra inter convicinas eminere credatur numero et merito personarum, decet prudentiam vestram sollicite providere, ne fiat aliquid in eadem, quod canonicam non sapiat puritatem, vel turpitudinem videatur aliquam continere. Sane ad audientiam nostram noveritis pervenisse, quod prætextu cujusdam consuetudinis, ut dicitur, juramento firmato a singulis, quos in ecclesia vestra canonicari contingit, unum scyphum argenteum exigitis, et etiam extorquetis eis fructum præbendarum suarum nisi consuetudinem jamdictam adimpleant, denegando. Quia igitur consuetudo hujusmodi habere videtur speciem pravitatis et continet turpitudinem manifestam, universitati vestræ auctoritate præsentium inhibemus, ne prædictam consuetudinem jurare faciatis de cætero, vel ejus occasione aliquid exigatis, aut subtrahatis aliquibus suarum redditus præbendarum. Alioquin venerabili fratri nostro... episcopo Laudunen., et dilectis filiis abbati Sancti Johannis in Vineis et... decano Suessionen. nostris

damus litteris in mandatis ut si vos aliquem de cætero vexare præsumpseritis, occasione consuetudinis memoratæ, ipsi vos a præsumptione hujusmodi, monitione præmissa, per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, cognita veritate, compescant. Datum Laterani, kalendas februarii anno sexto.

CIV

Ad D. archidiaconum Lemovicen., priorem de Altis Vallibus et S. Sillar canonicum S. Juniani.

1 februarii 1222.

[Regest., lib. VI, epist. 209. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat ut ecclesiam Dauraten. de personis idoneis ordinare studeant.

Honorius, etc., dilectis filiis D. archidiacono Lemovicen... priori de Altis Vallibus, et S. Sillar canonico Sancti Juniani Lemovicen. diœcesis.

A canonico Dauraten. ecclesiæ accepimus intime, ut quum septem, vel plures ex canonicis ejusdem ecclesiæ de medio sint sublati, licet ipsius ecclesiæ redditus non sint in aliquo diminuti, capitulum tamen ejusdem ecclesiæ ipsam non curant de personis idoneis ordinare, redditus ipsos in usus proprios convertendo, propter quod dicta ecclesia, in qua divini nominis cultus hactenus floruisse dignoscitur, debitis obsequiis defraudatur. Quia igitur instantia nostra quotidiana est ecclesiarum omnium sollicitudo continua, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus personaliter accedentes ad locum et habentes præ oculis solum Deum, si constiterit de præmissis, dictam ecclesiam studeatis de personis idoneis ordinare, contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescentes. Quod si non omnes, etc. Datum Laterani, kalendas februarii, pontificatus nostri anno sexto.

CV

Ad abbatem et conventum S. Maglorii Parisiensis.

3 februarii 1222.

[Mss. latins, fonds Moreau, tom. 130, p. 160.]

Eis decimas de novalibus concedit.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati et conventui Sancti Maglorii Parisiensis, salutem et apostolicam benedictionem.

Quanto sincerius loca religiosa diligimus, tanto libentius super his quæ ipsorum profectum respiciunt, favorem eis benivolum impertimur. Ex vestra sane parte fuit nobis humiliter supplicatum, ut quum longe ante Concilium generale sit vobis indultum percipere decimas de laboribus terrarum ecclesiarum quæ ratione juris patronatus ad vos spectare noscuntur, indulgere vobis misericorditer dignaremur, ut de terris quæ infra parochias ecclesiarum ipsarum rediguntur noviter ad culturam haberetis de indulgentia nostra exigendi decimas facultatem. Nos ergo vestris justis precibus inclinati, præsentium vobis auctoritate concedimus ut infra terrarum ipsarum terminos de novalibus percipere decimas valeatis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani, III nonas februarii, pontificatus nostri anno sexto.

CVI

Ad archiepiscopum Bituricensem.

4 februarii 1222.

[Regest., lib. VI, ep. 215. Mss. La Porte du Theil.]

In ecclesia de Chaumunt instituendi clericos sæculares licentiam concedit.

Honorius, etc., venerabili fratri nostro archiepiscopo Bituricen., Apostolicæ Sedis legato.

Lecta nobis tua petitio continebat, quod in ecclesia de Chaumunt, tuæ diœcesis sunt canonici pauci, et pauperes, qui licet se regulares appellent, nulli tamen certæ regulæ sunt adstricti, per quorum defectum ipsa ecclesia desolata est quasi penitus, et de die in diem amplius desolatur, quare petiisti, ut instituendi in ea clericos sæculares, per quos recuperari valeant bona ejus a diversis clericis, et laicis occupata, licentiam tibi concedere dignaremur. Nos igitur gerentes de tua caritate fiduciam specialem, præsentium tibi auctoritate concedimus, ut pro-

sentium indulgemus, ut in ecclesiis vestris, civitatibus, et etiam locis ipsarum suppositis interdicto, excommunicatis et interdictis exclusis, clausis januis, non pulsatis campanis, et suppressa voce, divina possitis officia celebrare; attentius provisuri, ne hujusmodi occasione indulgentiæ, aliis scandalum excitetis. Nulli ergo, etc. Datum Anagniæ, III nonis martii, pontificatus nostri anno sexto.

CXXX

Ad Albertum archiepiscopum Magdeburgensem et suffraganeos ejus.

7 martii 1222.

[Gersdorf, Codex dipl. Saxoniæ regiæ, II, I, 87, n. 94.]

Mandat ut Bertranum advocatum et socios ejus, qui abbatem Nieuburgensem exoculare ac mutilare præsumpserint, nonobstante absolutione subrepticia, excommunicatos solemniter nuntient.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus... archiepiscopo Magdeburgensi et suffraganeis ejus, salutem et apostolicam benedictionem.

Ad audientiam nostram noveritis pervenisse, quod Bertranus advocatus, Gebertus præco, Fredericus miles de Hehsleve, Radulfus, Theodericus, Leonardus et quidam alii Magdeburgensis et Halberstadensis diœcesum, qui dilectum filium... abbatem Nieuburgensen exoculare ac mutilare ausu sacrilego præsumpserunt, et nondum curarunt, saltem quatenus possunt ei satisfacere de tanto impietatis excessu, nec eidem illa etiam restituere, quibus ipsum et ejus comites spoliarunt, quin immo etiam quidam ipsorum ad Apostolicam Sedem accessisse dicuntur et a pœnitentiario nostro absolutionem sui excessus, enormitate nobis non exposita, recepisse. Ideoque fraternitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus hujusmodi absolutione subrepticia non obstante, illos et quoslibet alios, qui dicto vel facto ad ipsius mutilationem abbatis opem et operam impenderunt, tamdiu, appellatione remota, excommunicatos solemniter nuntietis et faciatis per loca, in quibus expedire videritis nuntiari, donec de tanto excessu satisfecerint competenter et cum litteris vestris rei seriem continentibus ad Apostolicam Sedem venerint absolvendi. Illos quoque qui dictum abbatem et ejus socios spoliarunt, ut ablata restituant universa, monitione prævia per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, cognita veritate cogatis, cum ligari possunt fortius jam ligati. Datum Anagniæ, nonis martii, pontificatus nostri anno sexto.

CXXXI

Ad scolasticum... custodem..., et Florentium canonicum Burmen., Polonien. diœcesis.

10 martii 1222.

[Regest., lib. VI, epist. 245. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat ut nobilem ducem qui sacrilego ausu detinuerat in vinculis ferreis præpositum Sanctæ Mariæ ad Gradûs, donec ab eo ducentas marcas acceperat, per sententiam interdicti in terras ejus, compellant ad satisfactionem congruam, non obstantibus litteris subreptice obtentis a Sede Apostolica.

Honorius, etc., dilectis filiis scolastico... custodi, et... Florentio canonico Burmen., Polonien. diœcesis, salutem, etc.

Cum olim ad nostram audientiam pervenisset, quod claræ memoriæ... frater nobilis viri ducis Lotheringii cujusdem hæres existit, dilectum filium magistrum Henricien. præpositum S. Mariæ ad Gradus, adhuc scolasticum Sancti Gereonis in Colonia, ad Sedem Apostolicam accedentem, ausu sacrilego capi faciens, tamdiu detinuerat in vinculis ferreis illigatum, donec ducentas marcas extorquerat ab eodem; et ad majoris injuriæ cumulum cum ne ipsas ab eo, vel ab alio repeteret, vel repeti faceret, præstare exegerat juramentum. Nos provide attendentes, quod prædictus magister, etsi personæ suæ, non tamen Ecclesiæ potuerat remittere injuriam irrogatam, prædicto nobili direximus scripta nostra, ut suæ ac fratris sui salubriter consulens animabus, præfato magistro ablata restitueret universa, vobis dantes nihilominus nostris litteris in mandatis, ut si dictus nobilis mandatum nostrum negligeret adimplere, vos eum ad satisfactionem eidem magistro debitam exhibendam per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, cogeretis, cumque, sicut postmodum intelleximus, ipsius ducis contumacia exigente, in terram ejus tuleritis

sententiam interdicti, memoratus dux nobis captiose, suggessit quod cum præfatus præpositus quasdam a nobis contra eum ad vos super quadam summa pecuniæ, litteras impetrasset, vos, prætermisso juris ordine, terram ipsius supposueratis ecclesiastico interdicto. Et licet per procuratorem suum sufficientem offerens cautionem relaxari a vobis sententiam petiisset, vos tamen denegaverastis efficere, propter quod ipse ad nostram audientiam appellavit, ad quosdam suos judices nostras litteras impetravit, ut si esset ita, ipso faciente quod obtulerat, dictam sententiam relaxarent in causa juxta mandati nostri tenorem ratione prævia processuri; alioquin negotium ad vos remitterent, impetrantem in expensis legitimis condemnando. Nos autem provide attendentes quod hujusmodi litteræ non fuerunt sine subreptionis vitio impetratæ, cum nos, sicut ex primis litteris ad vos directis patet expresse, causam Ecclesiæ persequentes, mandaverimus, prænominatum ducem ad satisfaciendum eidem magistro per vos ecclesiastica censura compelli, litteras ad illos directas decernimus irritas et inanes, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandantes, quatenus eisdem litteris non obstantibus latam a vobis interdicti sententiam faciatis auctoritate nostra, usque ad satisfactionem condignam, appellatione remota inviolabiliter observari. Quod si non omnes, etc. Datum Anagniæ, sexto idus martii, anno sexto.

CXXXII

Ad episcopum Cenomanensem, et abbates Vadaunen. et Claromonten. diœcesis Cenoman.

11 martii 1222.

[Regest., lib. VI, epist. 268. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat ut personaliter accedentes ad monasterium... inquirant de criminibus abbatis veritatem, et quæ invenerint sub suis sigillis intiment.

Honorius, etc., venerabili fratri episcopo Cenomanen., dilectis filiis Vadaunen. et Claromonten. abbatibus Cenomanen. diœcesis.

Ne virgæ vigilantis officium inofficiose gerere videamur, expedit ut, cum ecclesiarum omnium sit nobis sollicitudo commissa, eas, cum expedit, visitemus, corrigendis correctionis virgam salubriter apponendo, quæ consequenter consolationis etiam virga merito sit dicenda. Sane ad nostram noveritis audientiam pervenisse, quod... abbas monasterii..., crimine irretitus ac simoniaca labe respersus, alia committit enormia per quæ Deum offendit, monasticum ordinem dehonestat et fratres plurimum scandalizat. Idem quoque qui, suis culpis exigentibus, vinculo excommunicationis, adstrictus divina temere celebrare, vel potius prophanare præsumit, bona ejusdem monasterii multipliciter dilapidat et dispergit, unde prædictum monasterium usque adeo per ipsius abbatis incuriam, vel potius malitiam jugiter in spiritualibus diminuitur quod nisi per Apostolicæ Sedis providentiam celeriter succurratur eidem, incurret procul dubio irrecuperabile detrimentum. Quia igitur melius est in tempore occurrere, quam post exitum vindicare, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus ad monasterium ipsum personaliter accedentes et habentes præ oculis solum Deum, inquiratis super iis et aliis tam in capite, quam in membris diligentius veritatem, et quæ inveneritis nobis sub vestris sigillis fideliter intimetis, ut ex vestra relatione sufficienter instructi procedamus exinde prout secundum Deum viderimus procedendum. Quod si non omnes, etc. Datum Anagniæ, V idus martii, pontificatus nostri anno sexto.

CXXXIII

Ad capitulum Ragusinum.

12 martii 1222.

[Fejer, Codex diplom., VII, v, 229.]

Monet capitulum Ragusinum ut ad electionem archiepiscopi canonicam procedant, et contra hæreticos in Dalmatia Acontio Sedis Apostolicæ legato pro viribus assistant.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis... et capitulo Ragusino, salutem et apostolicam benedictionem.

Super gregem Dominicum vigilantes, quia nobis sunt oves Christi ex officio pastorali commissæ, lupos ab eisdem arcemus, ne, quod absit, mercenario comparemur. Rursus inter operarios vineæ Domini Sabaoth, licet circa horam undecimam, a patrefamilias evangelico constituti ad vulpeculas capien-

das; demolientes eamdem, summopere laboramus, ut, quod avertat Dominus, cum malis agricolis non perdamur, super eo etiam, quod inhabitatores castri Almisien. eam in christianos immanitatem exerceant, ut non ecclesiis, aut personis earum, viduis, pupillis et senibus, nec cuilibet parcant sexui, et ætati, sed paganorum more universa vastantes, tanquam eorum sint deliciæ operari perverse, in perditione rerum, et hominum glorientur. Quodam compassionis igne perstringimur, contra pestem utramque, sicut possumus, occurrere cupientes. Cum itaque, sicut audivimus, vicini sitis castro prædicto; et partibus de Bossina, ubi hæretici quidem dogmatizando palam suæ pravitatis errores, Christi gregem et vineam, idest sacrosanctam orthodoxam Ecclesiam, exterminant et disperdunt, et ecclesia vestra vacet pastore, cujus et vestrum ad hoc cognoscimus auxilium opportunum, Universitatem vestram monemus per Apostolica scripta mandantes, quatenus ad electionem archiepiscopi canonicam et concordem, sublato cujuslibet difficultatis obstaculo, procedatis; contra hæreticos et Almisienses eosdem dilecto filio magistro A. subdiacono et capellano nostro, Apostolicæ Sedis legato, pro vestris libenter viribus assistentes, hujusmodi ex animo sic acturi, quod Pater qui videt in abscondito, reddat vobis, et nos vestræ devotionis integritatem Apostolicis benedictionibus prosequamur. Datum Anagniæ, IV idus martii, pontificatus nostri anno sexto.

CXXXIV

Ad præpositum majoris ecclesiæ et Sanctæ Mariæ ad Gradus... decanos Colonienses.

13 martii 1222.

[Heinemann, Codex Anhaltinus, p. 50, n. 60.]

Præposito et decanis Coloniensibus, ut judicibus datis in causa abbatis Nieuburgensis injungant, quatenus locum tutum partibus assignent.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, præposito majoris ecclesiæ et Sanctæ Mariæ ad Gradus... decanis Coloniensibus, salutem, etc.

Quum causam, quæ inter dilectum filium Gernotum abbatem Nieuburgensem et nobilem virum Albertum ducem Saxoniæ, Magdeburgensis diœcesis, super constructione cujusdam pontis et exstructione cujusdam aggeris, sylvis et possessionibus ac rebus aliis vertitur, venerabilibus fratribus Alberto Magdeburgensi archiepiscopo et Friderico Halberstadensi et Conrado quondam Halberstadensi episcopis, de consensu præfati ducis et procuratoris partis alterius, duxerimus committendam, et idem abbas asserat, se non posse secure in prædictorum judicum præsentia comparere, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus auctoritate nostra eisdem judicibus injungatis, ut assignantes locum utrique parti competentem et tutum, procedant in ipso negotio juxta traditam eis formam. Quod si non fecerint, vos id auctoritate nostra sub Apostolica obedientia exsequi procuretis, non obstante constitutione de duabus diætis edita in Concilio generali vel quod fuit in litteris commissionis expressum, ne ullæ valerent litteræ absque consensu partium impetratæ. Quod si non omnes his exsequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nihilominus exsequantur. Datum Laterani, III idus martii, pontificatus nostri anno sexto.

CXXXV

Ad præpositos majoris ecclesiæ et Sanctæ Mariæ ad Gradus et.... decanos Colonienses.

14 martii 1222.

[Heinemann, Codex Anhaltinus, p. 50, n. 61.]

Mandat majoris ecclesiæ et Sanctæ Mariæ ad Gradus præpositis et decanis Coloniensibus, ut monasterium Nieuburgense, si læsio fuerit, in integrum restituant.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis... majoris ecclesiæ et... Sanctæ Mariæ ad Gradus præpositis et.... decanis Coloniensibus, salutem et apostolicam benedictionem.

Quæstione inter Nieuburgense monasterium ex parte una et nobilem virum Henricum comitem Ascariæ, diœcesis Halberstadensis ex altera, diutius agitata, super quibusdam possessionibus ipsius monasterii, quas dictus comes dicebatur contra justitiam detinere, ac super damnis et injuriis ab eodem comite et claræ memoriæ

Bernhardo duce Saxoniæ, patre suo, eidem monasterio irrogatis, ac demum ipsius loci abbate, occasione hujusmodi controversiæ, a quibusdam de familia præfati comitis non sine ipsius conniventia, sicut creditur, privato lumine oculorum et lingua etiam mutilato, tandem Rodegero procuratore ipsius monasterii et præfato comite in nostra præsentia constitutis, facta fuit quædam compositio inter partes et bullæ nostræ munimine roborata. Postmodum vero idem abbas personaliter ad Apostolicam Sedem accedens proposuit coram nobis, monasterium ipsum in multis per compositionem hujusmodi esse læsum, quum multi processus prius circa quæstionem prædictam, pro ipso monasterio habiti, videantur per compositionem ipsam in ejusdem monasterii præjudicium et gravamen extinctis, et per eamdem etiam ipsius monasterii privilegiis derogetur, quibus est indultum Gernoto abbati et conventui monasterii sæpedicti, ut possint quemcumque voluerint, assumere advocatum et assumptum, si eis gravis vel inutilis fuerit, removere, quod non poterit fieri, si servetur compositio memorata. Quare supradictis causis et nonnullis aliis coram nobis expressis supplicavit instanter, ut eidem monasterio per restitutionis beneficium succurrere dignaremur. Quum igitur ecclesiarum indemnitatibus, exigente debito pastoralis officii, occurrere teneamur, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus quatenus si, partibus convocatis et diligenter auditis, inveneretis per compositionem seu provisionem jam dictam multum læsum esse monasterium memoratum, illud, appellatione remota, in integrum restituere, dicta compositione penitus revocata, curetis, ac deinde processus prædictos facientes, sicut justum fuerit, firmiter observari, audiatis, si quid remanserit quæstionis, et appellatione remota fine debito terminetis, facientes, quod statueritis, per censuram ecclesiasticam, firmiter observari, nullis obstantibus litteris super hoc hactenus a Sede Apostolica impetratis vel constitutione de duabus diætis edita in Concilio generali. Testes autem, etc. Quod si non omnes his exsequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nihilominus exsequantur. Datum Anagniæ, II idus martii, pontificatus nostri anno sexto.

CXXXVI

Ad episcopum Halberstadensem.

14 martii 1222.

[Heinemann, Codex Anhaltinus, p. 51, n. 62.]

Episcopo Halberstadensi, ut ducem Saxoniæ et comitem Ascariæ citet, quotiens opus fuerit.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Friderico episcopo Halberstadensi, salutem, etc.

Dilectus filius Gernotus abbas Nieuburgensis nobis humiliter supplicavit, ut quum causas quæ inter ipsum et nobiles viros Albertum ducem Saxoniæ ac Henricum, comitem Ascariæ, fratrem ejus, Magdeburgensis et Halberstadensis diœcesium, super diversis articulis agitantur, duxerimus committendas, et nuntii ejusdem abbatis citationum litteras non audeant porrigere nobilibus memoratis, super hoc provideremus eidem. Ideoque fraternitati tuæ per Apostolica scripta firmiter injungendo mandamus, quatenus, quotiens opus fuerit, per te, vel per tuum certum et idoneum nuntium, citationes dictis nobilibus porrigas pro causis hujusmodi porrigendas. Datum Anagniæ, II idus martii, pontificatus nostri, anno sexto.

CXXXVII

Ad Gernotum abbatem Nieuburgensem.

14 martii 1222.

[Heinemann, Codex Anhaltinus, p. 52, n. 63.

Indulget abbati Nieuburgensi, ut receptis simoniace in suo monasterio et ob id, translatis ad alia loca, pœnitentiam injungere possit.

Honorius episcopus, etc., dilecto filio Gernoto abbati Nieuburgensi, salutem, etc.

Precibus tuis benignum impertientes assensum, auctoritate tibi præsentium indulgemus, ut si aliqui fuerint in monasterio tuo vel in aliis tibi subjectis recepti mediante vitio simoniæ illis translatis de locis, in quibus sic recepti fuerunt, in alia tuo monasterio subdita possis super hoc pœnitentiam injungere competentem, ac in locis dimittere in quibus ob causam translati fuerunt supradictam. Ad hæc, si qui subditi tui, pro fraude commissa in solutione vicesimæ excommunicationis laqueum incurrerint, tibi liceat eos absolvere vice

nostra, proviso quod ea, quæ fraudarunt, restituant in Terræ Sanctæ subsidium convertenda. Datum Anagniæ, II idus martii, anno sexto.

CXXXVIII

Ad Tornacensem episcopum.

14 martii 1222.

[Raynald, Ann. ad an. 1222, § 25.]

Indulget ut Eustachius, capellanus Demetrii regis Thessalonicensis obtineat aliquod beneficium.

Honorius, etc.

Cum carissimus in Christo filius noster Demetrius rex Thessalonicensis illustris, in nostra constitutus præsentia, supplicarit instanter, ut dilecto filio Eustachio capellano suo providere in aliquo beneficio, divino et suo intuitu dignaremur; nos deferentes regiæ dignitati, ac sperantes quod idem rex imitari debeat progenitorum suorum vestigia qui semper devoti Ecclesiæ Romanæ fuerunt, ejus precibus duximus annuendum, etc. Datum Anagniæ, II id. martii, pontificatus nostri anno sexto.

CXXXIX

Ad Simonem archiepiscopum Apostolicæ Sedis legatum, decanum ac cantorem Bituricenses.

15 martii 1222.

[Martene, Thesaur. anecd., I, 895.]

Mandat ut in monasterio Sancti Laurentii includi faciant moniales Sancti Hippolyti, si id fieri potest absque scandalo et læsione juris alieni.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri archiepiscopo Apostolicæ Sedis legato et dilectis filiis decano et cantori Bituricensi, salutem et apostolicam benedictionem.

Ex parte tua, frater archiepiscope, fuit propositum coram nobis, quod in civitate Bituricensi sunt duo monasteria monialium, Sancti Laurentii et Sancti Hippolyti; quorum moniales frequenter per vicos et plateas incedunt, in animarum suarum periculum et scandalum plurimorum. Quare petebas ut ipso monasterio Sancti Laurentii, quod ad hoc est magis idoneum, faceremus utriusque moniales includi; ita quod exeundi monasterii septo facultas de cætero adimatur, bonis præfati monasterii Sancti Hippolyti ipsi monasterio Sancti Laurentii applicandis, excepta aliqua eorum congrua portione, de qua personis jam dicto monasterio Sancti Hippolyti servituris valeat provideri, ne locus ipse sine cultu divini nominis relinquatur. Cum igitur in talibus oporteat cum multa maturitate procedi, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus universis negotii circumstantiis diligenter inspectis, si saluti animarum videritis expedire, et fieri poterit absque scandalo et juris præjudicio alieni, moniales ipsas in jam dicto Sancti Laurentii monasterio faciatis includi, alterius monasterii bonis applicatis eidem, excepto unde aliqui servituri in eadem ecclesia valeant sustentari, qui et ipsi sæpedicto Sancti Laurentii monasterio respondere de temporalibus teneantur. Quod si non omnes his exsequendis potueritis interesse, tu frater archiepiscope, cum eorum altero ea nihilominus exsequaris. Datum Anagniæ, idus martii, pontificatus nostri anno sexto.

CXL

Ad Simonem archiepiscopum, Apostolicæ Sedis legatum.

16 martii 1222.

[Martene, Thesaurus Anecd., I, 896.]

Annuit, ut sæculares canonicos in abbatia de Cellis Sancti Eusicii pro canonicis regularibus in ea habitantibus instituat, dummodo id fieri valeat absque scandalo et juris præjudicio alieni.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Bituricensi archiepiscopo, Apostolicæ Sedis legato, salutem et apostolicam benedictionem.

Tua petitio nobis exhibita continebat, quod abbatia de Cellis Sancti Eusicii tuæ diœcesis, in qua sunt canonici regulares, per malitiam habitantium in eadem, adeo est collapsa, ut non speretur quod aliquatenus possit a sua ruina resurgere, nisi tales personæ instituantur in ea, quæ bona ejus a diversis clericis laicisque detenta potenter valeant vindicare : quare suades, ut quum in ea fuerint olim canonici sæculares, ad antiquum statum reduci faceremus eam-

dem. Gerentes itaque de tua caritate fiduciam specialem, præsentium tibi auctoritate mandamus, quatenus, si verum est, sæculares canonicos olim in ecclesia fuisse prædicta, et pensatis omnibus circumstantiis videris expedire, ut ad statum reducantur antiquum, ipsius loci canonicis alibi congrue collocatis, in eadem instituas canonicos sæculares, dummodo id fieri valeat absque scandalo, et juris præjudicio alieni. Datum Anagniæ, XVII kalendas aprilis, pontificatus nostri anno sexto.

CXLI

Ad archiepiscopum Turonensem.

16 martii 1222.

[Regest., lib. VI, epist. 295. Mss. La Porte du Theil.]

Indulget ut in pluribus beneficiis curam animarum habentibus cum tribus commensalibus dispenset.

Honorius, etc., venerabili fratri archiepiscopo Turonen.

Tua nobis fraternitas supplicavit, ut cum propter varias ecclesiæ tuæ causas viros juris peritos te habere oporteat commensales, et propter tenuitatem reddituum ecclesiarum tuæ diœcesis, tales vix velint in ipsa diœcesi permanere; dispensandi cum tribus commensalibus tuis obtinentes super pluribus beneficiis habentibus curam animarum annexam, licentiam tibi concedere dignaremur. Nos igitur tuæ fraternitati licentiam in tua diœcesi concedimus postulatam, ita tamen quod summam viginti marcarum argenti ratione hujusmodi indulgentiæ non excedas. Datum Anagniæ, XVII kalendas aprilis, anno sexto.

CXLII

Ad Simonem Bituricensem archiepisc. et Apostolicæ Sedis legatum.

16 martii 1222.

[Bouquet, Recueil des Hist., XIX, 719; Regest., lib. VI, epist. 288.]

Eamdem, quam Remensi archiepiscopo dederat Honorius, Simoni potestatem confert, ut in Bituricensi et Turonensi provinciis vicesimam indicat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Bituricensi archiepiscopo, A. S. legato.

Cum auctoritate mandati nostri, quo tibi dedimus potestatem faciendi in tua diœcesi et provincia Turonensi, tam in indulgentiis quam in aliis, omnia quæ ad relevationem negotii fidei quod in partibus Provinciæ geritur, cognosceres expedire, provida deliberatione statueris, ut omnes omnino personæ ecclesiasticæ in dictis diœcesi et provincia consistentes vicesimam ecclesiasticorum proventuum, usque ad triennium integre conferant in relevationem negotii memorati, Templariis, Hospitalariis, Cisterciensibus et Carthusiensibus duntaxat exceptis, adjecto ut clerici qui personaliter illuc ibunt redditus suos per annum unum valeant obligare; nos statutum hujusmodi tanquam provide factum, auctoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus, salvo mandato Apostolico quod pro Dolensi monasterio emanavit, et quolibet alio a Sede Apostolica faciendo, dantes tibi liberam potestatem contradictores (si qui fuerint) ad exsolvendam ipsam vicesimam districtione canonica compellendi, et absolvendi etiam, juxta formam Ecclesiæ, vice nostra, tuæ legationis incendiarios et violentarum manuum injectores. Nulli ergo nostræ confirmationis et concessionis paginam infringere [liceat]. Si quis autem, etc. Datum Anagniæ, XVII kalendas aprilis, anno sexto.

CXLIII

Ad episcopum Xanctonen.

17 mart. 1222.

[Regest., lib. VI, epist. 283. Mss. La Porte du Theil.]

Ei indulget ut præbendas, in ecclesia Xanctonensi ultra sex menses vacantes, personis idoneis conferre valeat.

Honorius, etc., venerabili fratri episcopo Xanctonen.

Etsi superfluum videatur precibus postulari quod conceditur a jure communi; quia tamen non nunquam confidentius quis indulta quam ordinaria utitur potestate, altera per alteram reddita fortiore, nos fraternitatis tuæ precibus inclinati, auctoritate tibi præsentium indulgemus, ut præbendas quas in ecclesia Xanctonen. ultra sex menses vacare contigerit, libere valeas secundum statuta Lateranen. Concilii, non

obstante frivolæ appellationis objectu, idoneis conferre personis, contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, compescens. Nulli ergo, etc., nostræ concessionis infringere. Si quis autem, etc. Datum Anagniæ, XVI kalendas aprilis, anno sexto.

CXLIV

Ad magistrum Bartholomæum, decanum Carnoten.

18 martii 1222.

[Regest., lib. VI, epist. 332. Mss. La Porte du Theil.]

Ut quod capitulum Meten. erga Vivianum clericum, seu propter receptionem in canonicum, seu propter provisionem decreverit fieri, faciat et servari.

Honorius, etc., dilecto filio magistro Bartholomæo, decano Carnoten.

Quum olim pro dilecto filio Viviano clerico, Meten. capitulo scripsissemus, ut ipsum reciperent in canonicum, et in fratrem..., abbate Sancti Michaelis et collegis suis sibi super hoc a nobis executoribus deputatis, coram ipsis nomine ipsius capituli servilis conditionis exceptio fuit opposita contra ipsum; in qua licet ipsum capitulum penitus defuisset, ad instantiam tandem dilecti filii E. Meten. primicerii, qui se pro Meten. ecclesiæ procuratore gerebat, ita duximus providendum, ut capitulum ipsum prædicto clerico pro sua provisione quindecim libras proveniensium Franciæ solverint annuatim, donec majus ei, vel æquivalens beneficium assignarent, et hujusmodi fuerit idem clericus provisione contentus. Nuper autem multorum de capitulo recepimus eodem litteras continentes, quod prædictus primicerius, quo instante ad provisionem processimus supradictam, non fuerat Meten. ecclesiæ procurator, et eamdem provisionem ipsi ecclesiæ existere onerosam, et maximum inde posse scandalum generari, et quod sicut ipsarum litterarum series exprimebat, bonæ conversationis idem clericus, et sanguine generosus existit; propter quod in eisdem litteris attentius rogabamur, ut provisionem revocantes eamdem, eis et eorum ecclesiæ supradictum clericum concedere in canonicum dignaremur. Idem quoque clericus tam suppliciter quam humiliter postulavit, ut, non imminuentes gratiam quam exercere cœpimus erga ipsum, sed eam de benignitate solita potius ampliantes, promptum circa receptionem ipsius majoris et sanioris partis propositum favore Apostolico prosequamur. Quocirca discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus quod major et sanior pars Meten. capituli sive circa receptionem ipsius, seu provisionem eamdem acceptare se dixerit, tu illud auctoritate Apostolica fieri facias et servari. Quod si Meten. capitulum, vel major pars ejus et sanior in annuam ejusdem clerici provisionem duxerit declinandum, quindecim libras usualis monetæ facias eidem annis singulis exhibere, quia cum de proveniensi moneta scripsimus, eam regionis credimus usualem, non obstantibus litteris ad... abbatem Sancti Vincentii Meten. et collegas ipsius super hoc a Sede Apostolica impetratis. Contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Non obstante constitutione Concilii generalis, qua cavetur, ne quis ultra duas diætas extra suam diœcesim ad judicium per litteras Apostolicas trahi possit. Datum Anagniæ, XV kalendas aprilis, anno sexto.

CXLV

Ad episcopum Xanctonen.

19 martii 1222.

[Regest., lib. VI, epist. 293. Mss. La Porte du Theil.]

Ut quæ reformationis officio noverit indigere, corrigere ac reformare valeat.

Honorius, etc., venerabili fratri episcopo Xanctonen.

Etsi ad corrigendos subditorum tuorum excessus, satis tibi sufficiat auctoritas ordinaria, attamen ut adjectæ potestatis vigore suffultus confidentius ad correctionem procedere valeas, et processus tuus reverentius observetur, auctoritate tibi præsentium indulgemus, ut non obstante frivolæ appellationis objectu libere corrigere, ac reformare valeas quæ tam circa prælatos, quam subditos, nec non religiosos et alios, qui tibi sunt lege diœcesana subjecti, correctionis ac reformationis officio noveris indigere. Contradictores, etc. Datum Anagniæ, XIV kalendas aprilis, anno sexto.

CXLVI

Ad episcopum Xanctonensem.

20 martii 1222.

[Regest., lib. VI, epist. 291. Mss. La Porte du Theil.]

Indulget ut, non obstante contradictione paucorum, cum majori et saniori parte capituli, præbendas vacantes de personis idoneis provide ordinare valeat.

Honorius, etc., venerabili fratri episcopo Xanctonen.

Cum turpis sit pars suo toti non congruens, imo nec pars sit etiam nominanda, quæ ab integritate recedit, indignum est, ut si quisquam ex his, qui debent ambulare in domo Domini cum consensu, servando in vinculo pacis spiritus unitatem, non rationis judicium, sed proprium secutus affectum, a provida universitatis dispositione dissentit, in suo permittatur prævalere dissensu, ne contingat exinde profectum retardari communem. Exhibita siquidem nobis tua petitio reservavit, quod si quando præbendas in ecclesia Xanctonen. vacantes, quarum collatio ad te, ac capitulum communiter noscitur pertinere, vis una cum eodem capitulo de personis idoneis ordinare, quidam ex ipsis, ordinationi se temere opponentes, ne procedat quod a majori et saniori parte proponitur, nisi aliqui, quos ipsi voluerint ordinentur, improbe reluctantur, consuetudinem, juramento firmatam, quam dicunt Apostolicæ Sedis privilegio roboratam, prætendentes abusam, secundum quam pro eo quod in eodem privilegio continetur ut nullus, nisi de communi assensu fratrum secundum rationabilem ipsius ecclesiæ consuetudinem canonicus instituatur ibidem; asserunt quod si vel unus dissentiat ad ordinationem, procedere nequeunt universi. Ne igitur consuetudo hujusmodi, quæ dicenda est potius corruptela, præjudicare Lateranen. Concilio videatur, quo provide statutum est, ne quod a majori et saniori parte capituli provide ordinatur contradictio præpediat paucorum, nisi parte paucioribus aliquid rationabile objectum fuerit et ostensum, quare id fieri non debeat, vel non possit. Nos fraternitatis tuæ precibus inclinati, auctoritate tibi præsentium indulgemus, ut contradictione paucorum temeraria non obstante, valeas cum majori et saniori parte capituli juxta ejusdem statuta Concilii vacantes præbendas de personis idoneis provide ordinare. Contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Datum Anagniæ, XIII kalendas aprilis, pontificatus nostri anno sexto.

CXLVII

Ad Lemovicen. episcopum.

21 martii 1222.

[Regest., lib. VI, epist. 294. Mss. La Porte du Theil.]

Concedit ut de assumendis canonicis aut de conferendis beneficiis, cum majori parte capituli agere possit.

Honorius, etc., venerabili fratri Lemovicen. episcopo.

Ex parte tua fuit propositum coram nobis quod in Lemovicen. ecclesia quædam consuetudo noxia inolevit, quod videlicet si major pars capituli ejusdem conveniat, et concordet de aliquibus in canonicos assumendis, vel conferendis beneficiis ad eorum donationem spectantibus, aut aliis negotiis ecclesiæ ordinandis, et unus solus de ipso capitulo contradicat, aliorum voluntas suo carebit effectu. Unde quum per hoc negotia ipsius ecclesiæ inordinata multotiens relinquantur, Apostolicæ provisionis remedium implorasti. Nos igitur præsentium tibi auctoritate, de providentia speciali concedimus, ut si duæ partes præfati capituli concordaverint, aut de assumendis canonicis, aut de beneficiis conferendis, seu de aliis ecclesiæ negotiis provide ordinandis, tu, aliorum non obstante dissensu, id in quo duæ partes provida deliberatione consenserint, valeas cum eisdem, appellatione remota, perducere ad effectum; contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Nulli ergo, etc., nostræ concessionis infringere, etc. Si quis autem, etc. Datum Anagniæ, XII kalendas aprilis, anno sexto.

CXLVIII

Ad episcopum Tornacen.

24 martii 1222.

[Regest., lib. VI, epis. 282. Mss. La Porte du Theil.]

Ut capellano regis Thessalonicensis beneficium præbendale in ecclesia Tornacensi conferat.

Honorius, etc., venerabili fratri episcopo Tornacen.

Sedis Apostolicæ circumspectio provide pensans status et merita personarum, his favorabilem se consuevit propensius exhibere, quos gratia sua conspicit dignos esse. Quum igitur carissimus in Christo filius noster Demetrius, rex Thessalonicen. illustris, in nostra constitutus præsentia supplicavit instanter, ut dilecto filio Eustachio capellano suo providere in aliquo beneficio divino, et suo intuitu dignaremur; nos deferentes regiæ dignitati, ac sperantes, quod idem rex imitari debeat progenitorum suorum vestigia, qui semper devoti Ecclesiæ Romanæ fuerunt, ejus precibus duximus annuendum. Ideoque fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus atque præcipimus, quatenus in præbendali beneficio, si quod vacat in ecclesia Tornacen., vel quam cito se facultas obtulerit, capellano provideas memorato, quum de illis sit partibus oriundus. Alioquin præbendam primo in ipsa ecclesia vacaturam Apostolicæ donationi servamus, decernentes irritum si secus de ipsa fuerit attentatum. Datum Anagniæ, II idus martii, anno sexto.

CXLIX

Ad episcopum et capitulum Catalaunen.

24 martii 1222.

[Regest., lib. VI, epist. 441. Mss. La Porte du Theil.]

Eis mandat atque etiam præcipit ut præbendam in eorum ecclesia vacantem E. presbytero conferant.

Honorius, etc., venerabili fratri episcopo, et dilectis filiis capitulo Catalaunen.

Dilectus filius E. presbyter in nostra proposuit præsentia constitutus, quod quum olim pro ipso preces nostras vobis direxerimus et mandatum, ut ipsum ob reverentiam Apostolicæ Sedis et nostram, in canonicum vestrum reciperetis et fratrem, sibi stallum in choro et locum in capitulo assignantes, venerabili fratre nostro Parisien. episcopo et collegis suis sibi super hoc monitoribus deputatis, nos, licet nihil objeceritis in personam ejusdem quare id non deberet vel non fieri posset, mandatum tamen nostrum, et monitiones monitorum ipsorum surdis auribus transeuntes, id quod grave gerimus et indignum, quamvis pluries obtulerit se facultas efficiendi, hactenus non curastis, dicentes ipsum in ecclesia Beatæ Mariæ Catalaunen. præbendale beneficium obtinere, propter quod idem presbyter nostram audientiam appellavit; quare a nobis humiliter postulabat, ut quum obtenta ecclesiæ vestræ præbenda jamdictum beneficium sic resignare paratus [esset], quod de provisione ipsius incœpimus ad effectum perduci per discretos aliquos faceremus. Nolentes igitur quod verba, quæ de nostris labiis processerunt, ad nos vacua revertantur, præsertim quum bonæ memoriæ H. decanus vester ac quamplures ex vobis, filii capitulum, presbytero memorato de scientia et moribus laudabile testimonium perhibentes per receptionem ipsius, per vestras litteras nos rogaveritis humiliter et devote, universitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, atque præcipimus quatenus præcedentem inobedientiam redimentes per obedientiam subsequentem, et ipsum saltem hac vice, juxta primi mandati nostri tenorem, recipiatis in canonicum et in fratrem, præbendam, quæ nunc in ecclesia vestra vacare proponitur, illa, quam in ecclesia memorata obtinet, resignata, sine dilatione ac difficultate qualibet, assignantes eidem. Alioquin dilectis filiis... cantori... succentori et magistro Revaldo canonico Parisien. dedimus in mandatis, ut vos ad id, nisi aliquid rationabile objectum fuerit et probatum, quare hoc fieri non debeat, sublato appellationis obstaculo, auctoritate nostra compellant. Datum Anagniæ, V kalendas aprilis, pontificatus nostri anno sexto.

Scriptum est super hoc eisdem executoribus.

CL

Ad Leonem Ravellensen episcopum.

27 martii 1222.

[Ughelli, Italia sacra, tom. I, p. 1187.]

Ecclesiam Ravellensem tuendam suscipit, omnesque ejus bona et possessiones, jura ac privilegia confirmat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Leoni Ravellensi episcopo, ejusque successoribus canonice substituendis in perpetuum.

Quum ex injuncto nobis a Deo apostolatus officio, quo cunctis Christifidelibus, auctore Domino, præeminemus, singulorum paci, et tranquillitati debeamus intendere, præsertim pro illorum quiete nos oportet esse sollicitos, qui pastorali dignitate sunt præditi, et ad officium pontificale promoti, et qui speciali prærogativa noscuntur ad jus Romanæ Ecclesiæ pertinere; nisi enim nos eorum utilitatibus intendentes, ipsorum dignitates et jura in quantum Deo permittente possumus, integra conservemus, et auctoritate Apostolica eos ab iniquorum hominum incursibus defendamus, de illorum salute non vere poterunt esse solliciti, qui sibi ad regendum Domino sunt disponente commissi. Eapropter, venerabilis in Christo frater Joannes episcope, tuis justis postulationibus clementer annuimus, et Ravellensem ecclesiam, cui Deo auctore præesse dignosceris, ad exemplar prædecessorum nostrorum sanctæ recordationis Adriani et Alexandri paparum sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti privilegio communimus; statuentes, ut quascumque possessiones, quæcumque bona eadem ecclesia in præsentiarum juste et canonice possidet, aut in futurum, concessione pontificum, largitione regum, vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma tibi, tuisque successoribus, et illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Monasterium Sancti Triphonis, monasterium Sanctæ Trinitatis, et monasterium Sanctæ Mariæ de Castiglione. Omnem vero ambitum Ravellensis parochiæ, sicut a prædecessoribus tuis, et a te ipso hactenus rationabiliter possessus est, tibi, tuisque successoribus in perpetuum confirmamus. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatam ecclesiam temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare; sed omnia integra conserventur eorum, pro quorum sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura, salva Sedis Apostolicæ auctoritate. Si qua igitur in futurum ecclesiastica, sæcularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temere venire tentaverit, secundo, tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis, honorisque sui careat dignitate, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore et sanguine Dei et Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini Nostri Jesu Christi quatenus et hic fructum bonæ actionis percipiant, et apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Amen.

Ego Honorius, catholicæ Ecclesiæ episc.

Ego Hugolinus, Ostiensis et Velitren. episcopus.

Ego Leo, tit. Sanctæ Crucis in Hierusalem presb. card.

Ego Stephanus, basilicæ XII Apostolorum presb. card.

Ego Thomas, tit. Sanctæ Sabinæ presb. card.

Ego Octavianus, SS. Sergii et Bacchi diac. card.

Ego Raynerius, Sanctæ Mariæ in Cosmedin diac. card.

Ego Stephanus, Sancti Adriani diac. card.

Ego Ægidius, SS. Cosmæ et Damiani diac. card.

Ego Petrus, S. Georgii ad Velum Aureum diac. card.

Datum Anagniæ, per manus Willelmi S. R. E. vicecancellarii, VI kalendas aprilis, indictione X, Incarnationis Dominicæ anno 1222, pontificatus vero domini Honorii Papæ III, anno sexto.

CLI

Ad episcopum, decanum et capitulum Xanctonen.

28 martii 1222.

[Regest., lib. VI, epist. 324. Mss. La Porte du Theil.]

Ut quum generale terræ fuerit interdictum, liceat eis januis clausis, etc., divina officia celebrare.

Honorius, etc., venerabili fratri episcopo et dilectis filiis decano et capitulo Xanctonen.

Devotionis vestræ precibus inclinati, auctoritate vobis præsentium indulgemus, ut quum commune terræ fuerit interdictum, liceat vobis clausis januis, excommunicatis et interdictis exclusis, non pulsatis campanis, suppressa voce, divina officia celebrare, dummodo vos causam non dederitis interdicto. Nulli ergo, etc., nostræ concessionis infringere. Si quis autem, etc. Datum Anagniæ, IV kalendas aprilis, anno sexto.

CLII

Ad archiepiscopum Bituricensem.

28 martii 1222.

[Regest., lib. VI, epist. 329. Mss. La Porte du Theil.]

Quasdam constitutiones in civitate Bituricensi irritas et inanes decernit.

Honorius, etc., venerabili fratri... archiepiscopo Bituricen.

Ad audientiam nostram noveris pervenisse quod quædam capitula sæcularium canonicorum Bituricen. civitatis et diœcesis statuerunt, ut canonici instituendi de cætero in ecclesiis eorumdem per biennium careant suarum fructibus præbendarum, nihilominus constitutiones alias nec jure fultas, nec consonas æquitati temere attentantes. Ideoque præsentium tibi auctoritate mandamus, quatenus constitutiones hujusmodi cognita veritate, decernens irritas et inanes, eorum fabricatores ab eorum usu, monitione præmissa, per censuram ecclesiasticam appellatione remota, compescas. Datum Anagniæ, V kal. aprilis, anno sexto.

CLIII

Ad decanum, subdecanum majoris ecclesiæ et subdecanum Sanctæ Radegundis, Pictavien.

28 martii 1222.

[Regest., lib. VI, epist. 341. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat ut ad libertatem reddatur miles injuste in carcere detentus.

Honorius, etc., dilectis filiis decano et subdecano majoris ecclesiæ et subdecano Sanctæ Radegundis Pictavien.

Dilectus filius... cantor Turonen. sua nobis petitione monstravit, quod quum quondam vicecomes de Ventador pater ejus, E. militem filium suum, ejusdem cantoris germanum, ad instantiam uxoris suæ militis prædicti novercæ, per duodecim annos tenuisset carcerali custodiæ mancipatum, nos, ... succentori Pictavien., et conjudicibus dedimus in mandatis, ut si dominus terræ ad eorum commonitionem liberari non faceret militem memoratum, ipsi ad liberandum eumdem per censuram ecclesiasticam vicecomitem, et vicecomitissam cogerent supradictos. Quumque idem judices in præfatos vicecomitem et vicecomitissam excommunicationis, et in terram interdicti sententias protulissent, et eisdem sententiis, occasione quarumdam litterarum, veritate tacita obtentarum a Sede Apostolica, relaxatis, ipso milite in carcerali angustia remanente, sæpedictos vicecomitem et vicecomitissam mandassemus in easdem retrahi sententias, nisi eumdem militem commoniti liberarent, ipse vicecomes interim positus in extremis, dictæ vicecomitissæ ac filiis ipsis injunxit, ut jamdictum filium ejus restituerent libertati, quod iidem se facturos promiserunt præstito juramento. Sed nunc id facere contradicunt, ut eo deficiente, et cantore, filii vicecomitissæ jamdictæ hæreditatem jamdicto militi debitam assequantur. Nolentes igitur tantam inhumanitatem sub dissimulatione transire, nec sustinere, quod pia defuncti voluntas suo defraudetur effectu, jamdicto milite in carcere corporaliter, et illis in præjudicio spiritualiter morituris, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus sæpedictam vicecomitissam et filios ejus, ut ipsum militem, sicut juraverunt, restituant libertati, monitione præmissa, per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, cogatis.

Nullis litteris obstantibus harum tenore tacito a Sede Apostolica impetratis. Quod si non omnes, etc. Datum Anagniæ, quinto kalend. aprilis, anno sexto.

CLIV

Ad fratrem Franciscum et alios fratres ordinis Minorum.

29 martii 1222.

[Wadding, Annales Minorum, II, 50.]

Concedit fratribus Minoribus ut in suis ecclesiis, cum generale terræ fuerit interdictum, liceat eis, submissa voce et januis clausis, divina officia celebrare.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis... fratri Francisco et aliis fratribus ordinis Minorum, salutem et Apostolicam benedictionem.

Devotionis vestræ precibus inclinati, auctoritate vobis præsentium indulgemus, ut in ecclesiis, si quas vos habere contigerit, cum generale terræ fuerit interdictum, liceat vobis januis clausis, et excommunicatis et interdictis exclusis, submissa voce, divina officia celebrare. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, aut ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Anagniæ, IV kalendas aprilis, anno sexto.

CLV

Ad priores Prædicatorum Fratrum Minorum.

29 martii 1222.

[Wadding, Annales Minorum, II, 51.]

Mandat ut cessari faciant exactiones in diœcesi Ulixbonensi adhibitas quibus confessores compellunt fideles ad relinquendam ecclesiis tertiam partem, vel certum quid de bonis suis in ultima ipsorum voluntate; si injunctionem repellunt fideles, ecclesiastica denegantur sacramenta.

Honorius episcopus, servus servorum Dei... prioribus Prædicatorum Fratrum Minorum, salutem et Apostolicam benedictionem.

Ex parte universitatis Ulixbonensis et ejusdem diœcesis nobis est oblata querela, quod venerabilis frater noster N. episcopus et prælati tam civitatis, quam diœcesis Ulixbonensis, non absque vitio avaritiæ, compellunt homines tertiam partem, vel certum quid de bonis suis ipsorum ecclesiis relinquere in ultima voluntate, quibus etiam, si cupiditati eorum non satisfecerint, ecclesiastica denegant sacramenta; unde universitas ipsa nobis humiliter supplicavit, ut cum libere debeant, pravis cessantibus exactionibus et extorsionibus importunis, ecclesiastica sacramenta conferri, quamquam a laicis conservanda sit consuetudo laudabilis erga sanctam Ecclesiam, pia devotione fidelium introducta, providere super hoc dignaremur. Ideoque discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus vocatis, qui fuerint evocandi, auctoritate nostra illud fieri jubeatis, quod secundum Deum et institutiones canonicas videritis expedire. Quod si non omnes interesse potueritis, unus vestrum, etc. Datum Anagniæ, IV kalend. aprilis, anno sexto.

CLVI

Ad Eboracensem archiepiscopum, Karleolensem et Oxonensem episcopos.

30 martii 1222.

[Theiner, Monum. Hiberniæ, p. 20.]

Ut causam matrimonii Alani comestabularii regni Scotiæ audiant.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus... Eboracensi archiepiscopo, et... Karleolensi et... Oxonensi episcopis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Olim dilectus filius frater Jacobus capellanus et pœnitentiarius noster, tunc Apostolicæ Sedis legatus, et episcopi quamplures regni Scotiæ suis nobis litteris intimarunt, quod nobilis vir Alanus comestabularius regni ejusdem, eo gradu consanguinitatis et affinitatis suæ attineret uxori, quod sine mortali peccato illi non posset carnaliter commisceri. Idem quoque legatus, quid esset in hujusmodi causa facturus, per suas nos duxit litteras consulendos. Quare moti ex his pariter et inducti, legato ipsi scripsimus, ut prædicti regni convocatis episcopis, quos

crederet evocandos, communicato quoque illorum et aliorum prudentum consilio, si constaret eidem, computatis canonice gradibus et distinctis, quod prædicti vir et uxor in gradu sibi prohibito attinerent, super hoc faceret, prout secundum Deum prospiceret expedire. Sane quum procurator ipsius nobilis, cum obtentis a nobis super hoc litteris remearet, quoniam ad legatum eumdem applicuit, cum in itinere foret ad nostram præsentiam redeundi, ad nos infecto negotio iterum est reversus, suppliciter postulans et humiliter ac instanter exposcens, ut ne sustinuisset in vacuum tot labores, negotium ipsum viris discretis committere dignaremur. Nos autem licet favore matrimonii hac sicut alia vice difficiles aliquandiu fuissemus, ne tamen negaremus justitiam, in qua sumus omnibus debitores, et quam fieri super hoc procurator ipse attentius postulabat, fraternitati vestræ in virtute obedientiæ districte præcipiendo mandamus, quatenus habituri præ oculis solum Deum, et reddituri de hoc in die districti examinis rationem, convocatis episcopis et aliis viris honestis, quos videritis evocandos, audiatis causam in qua cum omni circumspectione ac diligentia processuri, nihil unquam de contingentibus omittendo, ut circumveniri et tandem redargui non possitis. Cum hujusmodi factum ex causis quibusdam, quas audivimus, non valeamus non habere suspectum, cum ea, qua decet, maturitate consilii, appellatione postposita, faciatis, quod secundum Deum et animarum salutem fuerit faciendum. Quod si non omnes his exsequendis potueritis interesse, tu ea, frater archiepiscope, cum eorum altero, etc. Datum Anagniæ, III kalendas aprilis, pontificatus nostri anno sexto.

CLVII

Ad præpositum et capitulum Sancti Viti Frisingensis.

31 martii 1222.

[Meichelbeck, Historia Frisingensis, III, 576.]

Sub beati Petri et sua protectione ecclesiam Sancti Viti cum omnibus bonis, quæ possidet, suscipit.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis præposito et capitulo Sancti Viti Frisingensis, salutem, etc.

Sacrosancta Romana Ecclesia devotos et humiles filios ex consueto pietatis officio propensius diligere consuevit, et ne pravorum hominum molestiis agitentur, eos tanquam pia mater suæ protectionis munimine confovere. Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris justis precibus inclinati, personas vestras et locum, in quo divino estis obsequio mancipati, cum omnibus bonis, quæ in præsentiarum rationabiliter possidetis, aut in futurum, præstante Domino, justis modis poteritis adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus; specialiter autem de Anzingen, de Synzhausen et de Purckhausen et de Chynhausen ecclesias cum earum pertinentiis, quas venerabilis frater noster episcopus Frisingensis, de capituli sui consensu, pia vobis et provida liberalitate concessit, nec non alia bona vestra, sicut ea omnia juste ac pacifice possidetis, vobis, et per vos ecclesiæ vestræ, auctoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ protectionis et confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Anagniæ, II kalendas aprilis, pontificatus nostri anno sexto.

CLVIII

Ad Mabiliam abbatissam monasterii Sancti Cosmæ de Talliacotio, ejusque sorores.

3 aprilis 1222.

[Gattula, Hist. abbat. Cassin., II, 806.]

Monasterium illud sub beati Petri et sua protectione suscipit.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis in Christo filiabus Mabiliæ abbatissæ monasterii S. Cosmæ de Talliacotio, ejusque sororibus tam præsentibus quam futuris, regularem vitam professis in perpetuum.

Quotiens illud a nobis petitur, quod religioni et honestati convenire dignoscitur, animo nos decet libenti concedere, et petentium desideriis congruum suffragium impertiri. Eapropter, dilectæ in Domino filiæ,

vestris justis postulationibus clementer annuimus et præfatum monasterium in quo divino estis obsequio mancipatæ, ad exemplar felicis recordationis Alexandri et Cœlestini prædecessorum nostrorum Romanorum pontificum sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti privilegio communimus. Statuentes ut quascumque possessiones, quæcumque bona idem monasterium in præsentiarum juste et canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum, vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis, et his quæ post vos successerint, et illabata permaneant, in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Ecclesiam Sancti Viti cum omnibus pertinentiis suis, ecclesiam S. Johannis de Camerata cum pertinentiis suis; jus quod habetis in ecclesia S. Andreæ, quæ est in Elereto, medietatem oblationum in ecclesiis castri de Talliacotio in solemnitatibus Paschæ et Natalis Domini, et medietatem de oblationibus mortuorum, sepulturam majorum hominum præfati castri : Sepulturam Podii Bufaræ cum medietate oblationum mortuorum. Decimas molendinorum, quæ sunt in valle SS. Cosmæ, et Damiani, et in alveo suo, salva moderatione Concilii generalis, triginta modios sementaricios terræ, vineas, terras, sylvas, domos, casularia quæ in prædicto castro habetis, duo molendina, viginti duos pedes terrarum, de quibus homines vestri monasterii sunt infeudati, ecclesiam S. Mariæ de Sorbo cum omnibus pertinentiis suis, medietatem molæ S. Donati, aquæductum in valle de Talliacotio cum pertinentiis suis, medietatem sylvæ capitis aquæ, sylvam de colle de Coci per suos terminos. Præterea refutationem coram prædicto Alexandro prædecessore nostro promissam, quam nobilis vir Bartholomœus de Talliacozo de pravis consuetudinibus, quas a vestro monasterio exigebat coram personis pluribus fecit, ratam et firmam habentes, auctoritate Apostolica prohibemus ne, quas consuetudines ipsas idem Bartholomæus vel hæredes ejus aliquo tempore in monasterium exercere præsumant. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatum monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur earum, pro quarum gubernatione ac sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura, salva Sedis Apostolicæ auctoritate, et Cassinensis monasterii debita justitia et reverentia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica sæcularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore et sanguine Dei et Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus et hic fructum bonæ actionis percipiant, et apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen, Amen, Amen.

Ego Honorius, Catholicæ Ecclesiæ episcopus, suscripsi.

Ego Hugo, Hostiensis et Velletrensis episcopus suscripsi.

Ego Guido Prænestinus episcopus suscripsi.

Ego Leo, tituli S. Marcellini presbyter card. ss.

Ego Stephanus, tit... presbyter card. ss.

Ego Thomas, tituli Sanctæ Sabinæ presb. card. ss.

Ego Joannes, tit. Sanctæ Praxedis presb. card. ss.

Ego Octavius, SS. Sergii et Bacchi diac. card. ss.

Ego Raynerius, S. Mariæ in Cosmedin diac. card. ss.

Ego Romanus, S. Angeli diac. card. ss.

Ego Ægidius, SS. Cosmæ et Damiani diac. card. ss.

Ego Petrus, S. Georgii ad Velum Aureum diac. card. ss.

Datum Verulis per manum Willi, S. Romanæ Ecclesiæ vicecancellarii, III non. aprilis, ind. IX, Incarnationis Dominicæ anno MCCXXII, pontificatus vero domini Honorii papæ III anno sexto.

CLIX

Ad Januensium universitatem.

3 aprilis 1222.

[Raynald, Annales ecclesiastici, ad annum 1222, § 34.]

Prohibet ne habeant cum Lucanis commercium.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, Januensium universitati, salutem et Apostolicam benedictionem.

Universitati vestræ sub obtentu gratiæ divinæ ac nostræ, per Apostolica scripta, firmiter injungendo mandamus, quatenus dictos cives (1), donec præfatum Parentium a regimine suæ civitatis ejecerint et... episcopo, et clero Lucano cum honorificentia debita revocatis, eis de damnis et injuriis, ac Apostolicæ Sedi de contemptu satisfecerint competenter, nullatenus receptetis, nec a vestris permittatis civibus receptari, nullumque cum eis exerceatis, vel a vestris exerceri permittatis commercium vel contractum, nec eis solvi debita permittatis, nihilominus bona eorum, quæ ad terram vestram evenerint facientes interim detineri. Si qui vero hujusmodi mandatum, scientes, aliquos de prædictis civibus interim scienter in suis hospitiis receptaverint, vel tenuerint, aut contraxerint cum eisdem aut debita ipsis persolverint, hoc ipso sint excommunicationis vinculo innodati.

CLX

Ad magistrum et fratres militiæ Templi.

17 aprilis 1222.

[Strehlke, Tabulæ ord. Theutonici, p. 322, n. 368.]

Honorius dehortatur Templarios, ne ob alba mantella a fratribus ordinis Theutonici ferri solita moveantur.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectiis filiis... magistro et fratribus domus militiæ Templi, salutem, etc.

Quanto vos ampliori caritate diligimus, tanto nobis amplius displiceret, si, quod absit, reprehensione seu etiam irrisione dignum aliquid faceretis. Siquidem privilegia fratribus domus Sanctæ Mariæ Theutonicorum ab Apostolica Sede concessa manifeste demonstrant, quod ordo vester in clericis et militibus ac aliis fratribus, Hospitalis vero in pauperibus et infirmis in ipsa domo jam dudum extitit institutus et per Sedem Apostolicam confirmatus. Licet autem fratres ipsi tum propter negligentiam suam, dum essent pauci et pauperes, tum etiam propter scandali vestri metum tam in habitu deferendo quam in quibusdam aliis aliquando contra institutionem fecerint memoratam, nos tamen inclinati suæ religionis merito et precibus carissimi in Christo filii nostri F(riderici), Romanorum imperatoris illustris, semper augusti et regis Siciliæ, qui in die coronationis suæ id a nobis pro speciali munere postulavit, institutionem ipsam, de communi consilio fratrum nostrorum, nostro privilegio confirmavimus, domum ipsam aliis privilegiis, indulgentiis et libertatibus munientes. Accepimus autem, quod vos occasione alborum mantellorum, super quibus deferendis specialem a nobis indulgentiam impetrarunt, pro eo quod in hoc specialiter fecisse contra institutionem hujusmodi videbantur, moti estis aliquantulum contra eos, quod quantum sit vestra religione indignum, quisquis recogitare voluerit, facile recognoscet. Si enim vos ab hujusmodi metu nec Apostolica nec imperialis reverentia cohibet, cohibere saltem omnium id audientium subsanatio vos deberet, quibus videtur sicut est revera ridiculum vos indigne ferre alios a vobis album portare mantellum præsertim a vestro habitu sic distinctum signaculo speciali, ut timeri non possit, ne quis unius ordinis fratres ordinis esse alterius arbitretur. Ideoque circumspectionem vestram attente rogandam duximus et hortandam, quatinus, omni rancore deposito, si quem forte contra dictos fratres occasione hujusmodi concepistis, ambuletis in caritatis spiritu et unitatis vinculo cum eisdem, eorum profectum, sicut decet viros religiosos, proprium reputantes, ita quod idem imperator, cum illuc, Deo dante, pervenerit, fraternam inter vos inveniat unitatem, quia, si aliter faceretis, non solum Apostolicam et imperialem incurreretis offensam, verum etiam in detractionem vestram ora quorumlibet audientium laxaretis. Datum Verul., XV kalendas maii, pontificatus nostri anno sexto.

(1) De Lucanis qui una cum Parentio ecclesiarum bona invaserant, qui ecclesiasticos viros durissime vexaverant, qui episcopum et clerum civitate exegerant, qui in deterius ruentes interdicti sententiam in se latam contemnebant, hic agitur.

CLXI

Ad magistrum et fratres Hospitalis Sanctæ Mariæ Hierosolymitani.

19 aprilis 1222.

[Strehlke, Tab. ord. Theut., p. 148, n. 151.]

Honorius confirmat domui hospitalis Sanctæ Mariæ Theutonicorum Friderici II imperatoris privilegium de redditibus annuis CC. unciis auri Brundusii percipiendis.

Honorius, etc., magistro et fratribus, etc. Justis petentium desideriis dignum est, nos facilem præbere consensum et vota, quæ a rationis tramite non discordant, effectu prosequente complere. Cum igitur carissimus in Christo filius noster, Romanorum imperator semper augustus et rex Siciliæ, in civitate Brundusii de redditibus suis sive de bajulatione sive de sicla, specialiter pro emendis albis mantellis ad usum fratrum vestrorum militum, annuatim CC. uncias auri ad pondus Baruli vobis imperiali liberalitate donarit, tam diu vobis annis singulis exsolvendas de redditibus supradictis, donec in terris laboratoriis seu aliis possessionibus regni, competens vobis excambium imperialis munificentia largiatur, sicut in ejus privilegio aurea bulla munito perspeximus contineri; nos ipsius imperatoris et vestris precibus inclinati donationem ipsam, sicut pie ac provide facta est et in ipso privilegio plenius continetur, auctoritate Apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo, etc. Si quis autem, etc. Datum Verulis XIII kalendas maii pontificatus nostri anno sexto.

CLXII

Ad Pelagium Albanensem episcopum, Apostolicæ Sedis legatum.

25 aprilis 1222.

[Raynald., Annal. ad ann. 1222, § 2.]

Scribit se de rebus Terræ Sanctæ cum Friderico, Romanorum imperatore, novum colloquium apud Veronam indixisse, ad quod invitandos Johannem Hierosolymitanum regem ipsumque Pelagium decernit.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, Pelagio Albanensi episcopo, Apostolicæ Sedis legato, salutem, etc.

Cœlestis altitudo consilii ex his quæ mala videntur, bona novit elicere et adversa feliciter in prospera commutare. Licet igitur gravem jacturam et grande opprobrium in partibus transmarinis nuper passus fuerit populus Christianus, et inimicis fidei videatur nimis prospere successisse, speramus tamen in eo, in cujus manu cuncta sunt posita et cujus nemo potest resistere voluntati, quod permisit cadere suum exercitum ut resurgeret fortior et passus est infideles erigi ut gravius allidentur. Cum enim carissimus in Christo filius noster Fredericus Romanorum imperator semper augustus et rex Siciliæ dudum in animo gereret ad liberationem intendere Terræ Sanctæ, nunc propter casum qui accidit digno dolore permotus, et animatus divinitus ad ulciscendam tantam injuriam Christi et populi Christiani, tanto ferventius ad id se præparat et accingit quanto ipsum prædicti casus adversitas et indignatio vehementius animavit. Denique nos et ipse ad id unanimiter intendentes celebre colloquium nuper habuimus specialiter pro negotio memorato; et post multos tractatus super hoc diligentissime habitos demum concorditer disposuimus aliud colloquium in Lombardia in civitate Veronæ, circa festum beati Martini proximum celebrare, in quo nos et ipse imperator personaliter esse decrevimus, Domino annuente, et ad illud christianos principes tam ecclesiasticos quam mundanos, ac fideles alios quos expedire videbimus convocare, ut prosecutio dicti negotii, quod Christianos tangit communiter universos, cum deliberatione in tanto negotio necessaria ordinetur, et universi et singuli eo magis proprium ipsum negotium reputantes, quo cum ipsorum consilio et deliberatione ordinatum fuerit, ad illud prosequendum fortius animentur. Cum igitur ad ipsum colloquium, in quo tam de ipsius imperatoris passagio quam de aliis negotium contingentibus decrevimus plenius ordinare, invitemus charissimum in Christo filium nostrum Johannem regem Hierosolymitamum illustrem, et in eo propter notam industriam et probatam prudentiam tuam, habere tuam quoque præsentiam affectemus, fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus quatenus super hoc habens consilium cum ipso rege et patriarcha et aliis, quos ad hoc videris opportunos, quod

sine discrimine terræ quam Christiani tenent in partibus transmarinis possis venire ad colloquium sæpe dictum, ad illud personaliter venire cures termino suprascripto; quod si venire forte nequiveris, per litteras vel nuncios tuos super jamdicto negotio tua nos fraternitas procuret instruere de quibus videris expedire. Id autem fraternitati tuæ volumus esse notum, quod ipse imperator volens propositum, et desiderium suum super dicto Terræ Sanctæ negotio facere manifestum, et ad sublimitatis sequelam alios animare, in jam celebrato colloquio publice in conspectu multitudinis prælatorum, principum et baronum et aliorum qui ad colloquium ipsum convenerant, manu propria, spontanea voluntate juravit quod iter transfretandi arripiet termino quem sibi seu in colloquio apud Veronam ut diximus celebrando, seu circa tempus quo colloquium ipsum indictum est duxerimus præfigendum. Datum Verulis, VII kalend. maii, pontificatus nostri anno sexto.

CLXIII

Ad R. crucesignatum, capellanum Andreæ regis Hungariæ.

30 aprilis 1222.

[Theiner, Mon. Hungariæ, I, 33, n. 66.]

Recipitur cum bonis suis sub Apostolicæ Sedis protectione.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio R. crucesignato, capellano carissimi in Christo filii nostri illustris regis Hungariæ, salutem et Apostolicam benedictionem.

Cum a nobis petitur, etc. Eapropter, etc., *usque* assensu. Personam tuam cum omnibus bonis, quæ in præsentiarum rationabiliter possides, aut in futurum, etc., *usque* suscipimus. Specialiter autem quartam partem reddituum de Bursa, quos canonice te proponis adeptum, sicut eos juste possides et quiete, auctoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo, etc. Si quis autem, etc. Datum Verulis, II kalendas maii, pontificatus nostri anno sexto.

CLXIV

Ad abbatem et priorem de Sikador Quinqueeccles. diœcesis.

30 aprilis 1222.

[Fejer, Cod. diplom., III, I, p. 383.]

Jubet abbatem de Sikador litem prioris Hospitalariorum circa decimas componere.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati et priori de Sikador, Quinqueecclesiensis diœcesis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Dilecti filii prior et fratres Hospitalis Hierosolymitani de Hungaria nobis conquerando monstrarunt, quod abbas de Sasarda (Sexard) Quinqueecclesiensis diœcesis, quasdam decimas ipsorum contra justitiam detinet, et reddere contradicit. Idcirco discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus partibus convocatis, audiatis causam, et appellatione remota, fine debito terminetis; facientes, quod decreveritis per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Testes autem, qui fuerint nominati, si se gratia, odio, vel timore subtraxerint, per censuram eamdem, appellatione cessante, cogatis veritati testimonium perhibere. Datum Verulis, II kal. maii, pontificatus nostri anno sexto.

CLXV

Ad plebanum Sancti Juliani diœcesis Castellanæ.

2 maii 1222.

[Cornelius, Ecclesiæ Venetæ, VIII, 233.]

Mandat ut ad debitum finem perducat causam inter abbatem monasterii Sancti Georgii majoris ex una parte, et canonicos Justinopolitanæ ecclesiæ ex altera.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio plebano S. Juliani Castellanæ diœcesis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Dilectus filius abbas monasterii Sancti Georgii majoris nobis exposuit conquerendo, quod canonici Justinopolitanæ ecclesiæ ac quidam alii Justinopolitanæ diœcesis ecclesiam Sanctæ Mariæ de Monte, ac possessiones ipsius ad idem monasterium de jure spectantes, contra justitiam detinentes,

ei reddere contradicunt. Ideoque discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus partibus convocatis audias causam, et appellatione remota, debito fine decidas, faciens, quod decreveris per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Testes autem, qui fuerint nominati, si se gratia, odio vel timore subtraxerint, censura simili, appellatione cessante, compellas veritati testimonium perhibere. Datum Alatri, VI nonas maii, pontificatus nostri anno sexto.

CLXVI

Ad Gotfridum de Agmundæ et Regimbertum de Gersten abbates, etc.

3 maii 1222.

[Raab Urkundenbuch, XXXIII, 137.]

Mandat ut causam inter abbatem et conventum Sytansteten ex parte una, et Meinhardum Rapotonemque de Prunsperch ex altera, super terris sylvis et rebus aliis vertentem, fine debito terminent.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis.... de Agmundæ, etc.... de Gersten abbatibus et.... præposito Sancti Floriani, Saltzburg. et Patavien. diœcesium, salutem et Apostolicam benedictionem.

Dilectii filii... abbas et conventus de Sytansteten suam ad nos querimoniam destinarunt, quod Meinhardus et Rapoto de Prunsperch, Patavien. diœcesis, super terris, sylvis et rebus aliis injuriantur eisdem. Quocirca discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatinus partibus convocatis audiatis causam, et, appellatione remota, fine debito terminetis, facientes quod decreveritis per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Testes autem qui fuerint nominati, si se gratia, odio vel timore subtraxerint, per censuram eamdem appellatione cessante cogatis veritati testimonium perhibere. Quod si non omnes his exsequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nihilomimus exsequantur. Datum Alatri, V nonas maii, pontificatus nostri anno sexto.

CLXVII

Ad præpositum, custodem et scholasticum Augustenses.

9 maii 1222.

[Monumenta Boica, VII, 389.]

Mandat ut terminent causam vertentem inter abbatem conventumque in Wessenbrun, et C. militem et S. fratrem ejus qui boves, pecudes et res alias per violentiam conventui abstulerant.

Honorius episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis... præposito... custodi... scholastico Augustensibus, salutem et Apostolicam benedictionem.

Dilecti filii... abbas et conventus in Wessenbrun nobis conquerendo monstrarunt, quod C. miles et S. frater ejus de Fronhoven, Augustensis et Constantiensis diœcesis, quondam boves, pecudes, et res alias ipsorum eis per violentiam abstulerunt, et reddere contradicunt. Ideoque discretioni vertræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus partibus convocatis audiatis causam, et appellatione remota fine debito terminetis, facientes quod decreveritis per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Testes autem qui fuerint nominati, si se gratia, odio vel timore subtraxerint, per districtionem eamdem appellatione cessante, cogatis veritati testimonium perhibere. Quod si non omnes his exsequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nihilominus exsequantur. Data Alatri, VII idus maii, pontificatus nostri anno sexto.

CLXVIII

Ad universas regni Franciæ communitates.

13 maii 1222.

[Bouquet, Rec. des Histor., XIX, 719; Regest., lib. VI, epist. 383.]

Tolosanis adversus Amalricum de Monteforti magis ac magis convalescentibus, Honorius regni Franciæ communitates excitat ad succurrendum fidelibus contra illos decertantibus.

Honorius episcopus..., dilectis filiis universis communitatibus civitatum, burgorum, castrorum et villarum, per regnum Franciæ consistentium, etc.

Ex grandi indignatione Dei credimus evenire quod hæreticorum factio in Provinciæ

partibus adeo invalescit, ut, nisi aliter miseratio divina provideat, videantur pauci de multis, et infideles de fidelibus triumphare in cunctorum Christianorum opprobrium et specialiter regni Franciæ, quod belli gloria consuevit gentes alias anteire, et in cujus terminis, imo infra quod, hæc pestis hæreticæ pravitatis exsurgit (1). Cum igitur adversus pestem eamdem clerus Galliarum consurgat studio indefesso, nobilitatem vestram rogamus et obsecramus in Domino Jesu Christo, et in remissionem vobis injungimus peccatorum, quatenus et vos adversus jamdictos hæreticos magnanimitate solita consurgentes, fidelibus in partibus illis decertantibus contra illos potenter ac festinanter, sicut necessitas exigit, succurratis, per hoc assecuturi temporalem gloriam et æternam. Datum Alatri, III idus maii, anno sexto.

In eumdem modum universis comitibus, baronibus et militibus per regnum Franciæ constitutis.

CLXIX

Ad Guillelmum, Remensem archiepisc.

13 maii 1222.

[Bouquet, ibid., p. 720; Regest., lib. VI, epist. 382.]

Mandat Honorius, ut episcopi crucesignati, qui vicesimæ concessionem in suis diœcesibus obtinuerunt, mittere stipendiarios contra hæreticos Albigenses cogantur.

Honorius episcopus..., venerabili fratri Remensi archiepiscopo, A. S. legato.

Cum quidam episcopi tuæ legationis, crucesignati contra hæreticos Albigenses, concessionem vicesimæ suæ diœcesis obtinuisse dicantur, fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus tam illos quam alios, quos similem concessionem contigerit obtinere, ut tot stipendiarios contra hæreticos teneant antedictos, quot de ipsa vicesima poterunt justa æstimatione teneri, monitione præmissa, sublato appellationis obstaculo, auctoritate nostra compellas. Datum Alatri, III idus maii, anno sexto.

CLXX

Ad Philippum Francorum regem.

14 maii 1222.

[Bouquet, ibid.; Regest., lib. VI, epist. 395.]

Honorius ut regem inducat ad expellendos e regno Albigenses hæreticos et eorum fautores, multis cum eo agit rationibus, et quæ exinde tam ecclesiæ quam regno proveniunt emolumenta commemorat.

Honorius episcopus......., carissimo in Christo filio Philippo, regi Francorum illustri, salutem et Apostolicam benedictionem.

Nosti, fili carissime, quantum his temporibus sancta Ecclesia, peccatis nostris exigentibus, graviter sit concussa, maxime circa partes Albigensium intra terminos regni tui, ubi hæretici manifeste impugnant Ecclesiam Dei, et aperte prædicant contra fidem nostram, scholas infidelitatis tenentes, et episcopos suos contra nostros in totius sanctæ Ecclesiæ dedecus erigentes. Quantum autem laboraverit Romana Ecclesia ad extirpandam de regno tuo pestem illam, non tantum per censuram ecclesiasticam, verum etiam auxilium temporale in personis et rebus, quoad potuit, impendendo, ad tuam et omnium fere notitiam credimus pervenisse. Scire autem debes, fili carissime, quod sæcularis potestas tenetur rebelles gladio materiali comprimere, quos spiritualis gladius non potest a sua malitia cohibere, et quod principes terrarum debeant purgare malis hominibus terras suas; ad hoc etiam, si negligentes exstiterint, a sancta Ecclesia de jure possunt compelli. Cum igitur aliis principibus scribamus ut purgent ab hæreticis terras suas, et pestis illa in regno tuo solito acrius invalescat, ut jam videantur inimici fidei (quod dolentes referimus) prævalere, et infideles de fidelibus triumphare, tuam decet excellentiam, si honori tuo et saltem animæ tuæ vis, sicut teneris, consulere, dictos hæreticos de regno tuo cum ipsorum fautoribus tam potenter quam celeriter expugnare, ne, si diutius differas, fides ibi om-

(1) Quantum invaluissent Tolosanorum fautores narrat Guillelmus de Podio Laurentii : tunc temporis oppida multa in ditionem Raimundi juvenis venisse, ac præcipuum Montis Regalis castrum in Carcassonæ territorio ab eodem juvene expugnatum et captum, domino ipso Alano de Rociaco interfecto. « Et alia multa, inquit Guillelmus, facta sunt in diebus illis, quæ esset prolixitas enarrare, per quæ patet, etsi non in favorem hostium, tamen in eorum odium qui a statu suo ceciderant, offensum eis esse Dominum et iratum. Et ista aguntur anno Domini MCCXX et MCCXXI. »

nino pereat, illud residuum terræ quod tenent catholici amittatur, et, quod timendum est, pestis illa ad loca etiam tibi proxima se transfundat.

Quantum autem Ecclesiæ Dei ac toti regno tuo possit inde periculum imminere, tuam discretionem non credimus ignorare. Ne ergo tuo defectui vel nobis, qui te ad expellendum dictos hæreticos debuimus excitare, sicut multotiens improperatum est nobis, fidei subversio possit aliquatenus imputari, excellentiam tuam rogamus attentius et exhortamur in Domino quantumcumque possumus affectu, de communi fratrum nostrorum consilio requirentes, et in tuorum remissionem peccaminum injungentes, quatenus terram illam totam, quam in partibus illis a te in feudum immediate comes tenuit Montisfortis (1), cum eam comes ipse non sufficiat defensare, et jam obtulerit eam tibi, sicut per solemnes nuncios et fide dignos, Nemausensem (2) et Biterrensem episcopos (3), et per litteras ipsius comitis, quas inde confectas vidimus, nuper nobis innotuit (4), in dominio tuo accipias, a te et hæredibus tuis libere deinceps et quiete in perpetuum possidendam, et ad relevationem dicti negotii nobiscum cito et viriliter, sicut regiam decet magnificentiam, te accingas, ita tamen quod terræ illius dominium extra manum tuam aut filiorum tuorum nullatenus alienes. Pro certo autem scias quod Raymundum (5) quondam Tolosanum comitem et filium ejus cum eorum fautoribus dudum excommunicavimus, nec ad emendationem, licet benigne admoniti, volunt (6) ut debent, sed contumaciter in sua malitia perseverant. Ad promotionem vero hujus negotii, tam de vicesima quæ propter hoc colligetur, et indulgentiis his qui contra Albigenses crucem assumpserint faciendis, quam de protectione et defensione terræ tuæ, si aliqui (quod absit!) in te vellent insurgere, quamdiu vacaveris huic negotio Jesu Christi, bona fide consilium quod poterimus et auxilium impendemus (7). Datum Alatri, pridie idus maii, anno sexto.

CLXXI

Ad decanum et capitulum S. Martini Leodiensis.

16 maii 1222.

[Martene, Ampliss. collectio, I, 1166.]

Ad relevandam illius inopiam concessas jam ecclesias ipsi confirmat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei,

(1) Amalricus.
(2) Arnaldum.
(3) Bernardum de Goxiaco.
(4) Litteras eas recitat in hunc modum D. Vaissetius, t. III, *probat.* col. 276.

« Excellentissimo domino et carissimo in Christo Philippo, Dei gratia, illustri Francorum regi, Conradus, ejusdem miseratione Sanctæ Ruffinæ episcopus et A. S. legatus, Lodovensis, Magalonensis, Biterrensis et Agathensis episcopi, salutem in Christo Jesu.

« Cum venerabilis et fidelis noster in Christo comes Amalricus supplicaverit nobis per litteras suas et per nuncios suos, videlicet dilectos filios nostros C. cancellarium ejusdem A. comitis, et fratrem Johannem pœnitentiarium, ut dignemini, juxta beneplacitum vestrum, terram accipere vobis et hæredibus vestris in perpetuum, quam tenuit vel tenere debuit ipse vel pater suus in partibus Albiensibus et sibi vicinis; gaudemus super hoc, desiderantes ecclesiam et terram illam sub umbra vestri nominis gubernari, et rogantes affectuose, quantum possumus, quatenus celsæ majestatis vestræ regia potestas intuitu Regis regum, et pro honore sanctæ matris Ecclesiæ ac regni vestri, terram prædictam ad oblationem et resignationem dicti comitis recipiatis; et invenietis nos et cæteros prælatos paratos vires nostras effundere in hoc negotio pro vobis, et expendere quicquid Ecclesia in partibus illis habet vel est habitura. De statu autem terræ ecclesiæ et comitis et nostro, latoribus præsentium adhibere dignemini fidem indubitatam. Datum Biteris, IV nonas decembris, anno 1221. »

(5) Raymundum IV.
(6) *Suppl.* venire.
(7) Talibus et tantis incitamentis animum non inclinavit suum Philippus; diversa tamen regni principium studia haud compescuit, prout liquet ex sequenti ad Theobaldum, Campaniæ comitem, epistola, quæ legitur apud Vaissetium ibidem :

« Philippus comiti Theobaldo Trecensi. Misistis ad nos litteras vestras de credentia per Lambertum Bochittum, qui nobis dixit, quod legatus Albigensis locutus fuerat cum comitissa matre vestra, ut vos intromitteretis de negotio terræ Albigensis, et caperetis super vos affarium Albigense, et vos multa et magna haberetis auxilia a legato, et clero et ecclesiis, ad istud factum faciendum. Nos autem vobis ad hoc respondemus, quod commodum et honorem vestrum volumus; et, si gentes vestræ et consilium vestrum dederint vobis, quod de hoc vos intromittatis, id nobis non displicebit, salvis tamen nobis in omnibus feodis et servitiis nostris sine quæstione, et quando ea habere volemus. Et sciatis quod de nulla promissione volumus in hoc affario nos ligari, quia guerra nostra quæ in promptu est, vel treuga, non duret inter nos et regem Angliæ, nisi ab instanti Pascha in unum annum. Nec decet nos, ut aliquas imprisias faciamus, quin ad defensionem nostram et regni summopere intendere valeamus, omnia alia negotia nostra prætermittentes. »

dilectis filiis decano et capitulo S. Martini Leodiensis, salutem et apostolicam benedictionem.

Sane significastis nobis, quod a longis retro temporibus ecclesia vestra superior in temporalibus inter alias habebatur, sed invalescentibus contra eam variis et diversis persecutionibus, ad tantam devenerat inopiam, quod de præbendis ipsius ecclesiæ non poteratis sustentari, et consuetum eidem impendere famulatum. Unde venerabilis frater noster Coloniensis archiepiscopus metropolitanus, et episcopus Leodiensis diœcesanus loci, miserabili ejusdem ecclesiæ statu pensato, ad relevamen ipsius et cultum in ea pristinum reparandum de Milehem cum pertinentiis suis, de Famala, de Berreste, de Usci et de Marciis ecclesias, capitulorum suorum accedente consensu, vobis et eidem loco, pietatis intuitu concesserunt. Nos ergo vestris supplicationibus annuentes, quod per archiepiscopum et episcopum, et capitula sua prædicta pie super hoc et provide factum est, vobis et per vos ecclesiæ vestræ auctoritate Apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ protectionis et confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani, XVII kal. junii, pontificatus nostri anno (sexto).

CLXXII

Ad capitula et clericos Remensis provinciæ.

17 maii 1222.

[Bouquet, Recueil des Hist. XIX, p. 721; Regest. lib. VI, epist. 385.]

Persuadet Honorius clericis, ut vicesimam, hoc triennium, voluntarie persolvant, et metum de imposita taxatione in posterum demit asserta eorum libertate contra episcopos et archiepiscopos.

Honorius episcopus... dilectis filiis capitulis et toti clero Remensis provinciæ, satem, etc.

Non moveatur vestra discretio vel turbetur, quod ea quæ venerabiles fratres nostri Remensis archiepiscopus (1) A. S. legatus, et suffraganei sui, de vicesima pro negotio fidei ordinarunt, licet dilecti filii Suessionensis et Cameracensis decani, et magister Stephanus Suessionensis canonicus, nuncii vestri super hoc, sicut viri providi et fideles, nobis vehementer institerint, non duximus immutanda, hoc maxime devitantes ne contra nos laxarentur labia detrahentium, nobisque imputarent ipsius ruinam negotii, si contra illud in instantis necessitatis articulo fecisse aliquid videremur. Volentes autem libertati vestræ in posterum præcavere, auctoritate præsentium declaramus, onus ipsius vicesimæ persolvendæ ab archiepiscopo supradicto et aliis non potestate ordinaria, sed auctoritate Apostolica impositum vobis esse, decernendo ne ex eo quod vobis irrequisitis impositum fuit onus hujusmodi, præjudicium aliquod vobis in posterum generetur, ac districtius inhibendo ne archiepiscopi vel episcopi vestri, hujusmodi occasione, præsumant in vos sibi vindicare novam aut insolitam potestatem. Ad hæc, quidquid subsidii personarum aut rerum conferetis negotio memorato, vobis in satisfactionem vestrorum injungimus peccatorum. Vos igitur sic voluntarii subveniatis negotio sæpedicto, quod obsequium vestrum tamquam spontaneum Domino sit acceptum, et nos caritatem vestram debeamus merito commendare. Datum Alatri, XVI kal. junii, anno sexto.

(1) Guillelmus de Joinville.

CLXXIII

Ad Guillelmum, Remensem archiepisc.

17 maii 1222.

[Bouquet, ibid., p. 722; Regest., lib. VI, epist. 386.]

Quoniam Remensis archiepiscopus, superiori anno, amicabilem fecerat compositionem cum quibusdam capitulis cathedralibus de solvenda vicesima parte reddituum, censet Honorius similiter agendum annis insequentibus.

Honorius episcopus..., venerabili fratri archiepiscopo Remensi, A. S. legato, salutem, etc.

Licet, tibi deferentes, per patentes litteras tuæ fraternitati mandemus, ut vicesi-

mam pro negotio Albigensium per duos sequentes annos integre solvi facias, contradictores districtione canonica compescendo; nihilominus tamen, commendantes prudentiam tuam, quod a quibusdam capitulis anno præterito satisfactionem amicabilem pro vicesima recepisti, expedire credimus, ut etiam duobus sequentibus annis circa universos et singulos simili modo procedas, præsertim si hoc solituris ipsam vicesimam videris complacere, cum vicesima ipsa vix ita exacta ratione valeat computari, quin remaneat conscientiæ scrupulus et animarum timeatur periculum imminere, et ubi tanta multitudo in causa est, expediat et deceat scandalum studiosius evitari. Datum Alatri, XV kal. maii, anno sexto.

CLXXIV

Ad episcopum Morinen.

17 maii 1222.

[Regest., lib. VI, epist. 361. Mss. La Porte du Theil.]

Significat ei se ad Sedem Apostolicam revocare monasterium Caricampi, inhibetque ne cuiquam episcopo intendant abbas et conventus.

Honorius, etc., venerabili fratri episcopo Morinen.

Quum sicut audivimus monasterio Caricampi, Cistercien. ordinis in finibus tuæ ac Ambianen. diœcesum constituto, tu, et venerabilis frater noster... Ambianen. episcopus asseratis vos in ipso jurisdictionem habere, et tam auctoritate vestra, quam occasione litterarum nostrarum eis nonnunquam inferatis molestiam et gravamen, sicque iidem abbas et conventus distracti nequaquam se valeant expedire ; nos eorum quieti providere volentes, monasterium ipsum ad manus nostras duximus advocandum, et donec ad quem pertineat discussum fuerit retinendum, inhibentes eisdem ne interim cuiquam vestrum intendant. Ideoque fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus si est ita eos occasione hujusmodi nulla molestatione fatiges, sicut nobis vis existere non molestus. Datum Alatri, XVI kalendas junii, anno sexto.

In eumdem modum scriptum est episcopo Ambianen.

CLXXV

Ad abbatem et conventum Caricampi, Cisterciensis ordinis.

17 maii 1222.

[Regest., lib VI, epist. 360. Mss. La Porte du Theil.]

Ad Sedem Apostolicam revocat monasterium Caricampi, donec discussum fuerit ad quem episcopum pertineat in illud jurisdictio.

Honorius, etc., dilectis filiis abbati et conventui Caricampi, Cistercien. ordinis.

Quum sicut audivimus monasterio vestro in finibus Ambianen. et Morinen. diœcesis constituto, uterque diœcesanorum in ipso jurisdictionem habere se asserat, et tam auctoritate sua, quam occasione litterarum nostrarum, vobis nonnunquam molestiam inferat et gravamen, sicque distracti vos nequaquam expedire possitis, nos quieti vestræ providere volentes, monasterium ipsum si est ita ad manus nostras duximus advocandum; et donec ad quem pertineat, [discussum fuerit retinendum] vobis præsentium [auctoritate] inhibentes ne cuiquam eorum interim intendatis. Datum Alatri, XVI kalend. junii, anno sexto.

CLXXVI

Ad Gervasium episcopum Sagiensem, majorem archidiaconum Remensem et decanum Ambianensem.

18 maii 1222.

[Bessin, Concilia Rothom., II, 45.]

Mandat ut electionem Theobaldi Rothomagensis capituli thesaurarii ad archiepiscopatum ejusdem ecclesiæ examinent, et, si sit de persona idonea, eam confirment.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri episcopo Sagiensi, et dilectis filiis majori archidiacono Remensi, et decano Ambianensi, salutem et Apostolicam benedictionem.

Dilecti filii decanus et capitulum Rothomagensis ecclesiæ suis nobis litteris intimarunt quod ecclesia ipsorum pastoris solatio destituta, ipsi, vocatis qui vocandi fuerint, et quibusdam se excusantibus, aliisque committentibus juxta formam generalis Concilii vices suas, dilectum filium Theobaldum ipsius ecclesiæ thesaurarium, scientia, vita et fama conspicuum, in pas-

torem suum concorditer elegerunt : quare misso nobis decreto singulorum suscriptionibus roborato, electionis suæ confirmationem a nobis humiliter petierunt. Licet autem ipsi ecclesiæ, quantum rite possumus, favorem Apostolicum velimus exhibere, quia tamen Apostolica Sedes citra examinationis diligentiam non consuevit electiones hujusmodi confirmare, nec ex electoribus ipsius thesaurarii aliqui ad nostram venerunt præsentiam nisi unus, propter quod debitum habere nequivimus in ipsius electionis examinatione processum, jam dicti capituli preces exaudire non potuimus in hac parte. Volentes autem quantum honeste possumus parcere ipsorum laboribus et expensis, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus examinata electione pariter et electo, si electionem ipsam inveneritis de persona idonea, quæ tanto congruat oneri et honori, canonice celebratam, illam auctoritate nostra sublato appellationis obstaculo confirmetis, ipsi capitulo, et clericis, ac laicis ejusdem ecclesiæ subditis injungentes ut eidem electo reverenter obediant et intendant. Quod si non omnes his exsequendis potueritis interesse, tu ea, frater episcope, cum earum altero nihilominus exsequaris. Datum Alatri, XV kalendas junii, pontificatus nostri anno sexto.

CLXXVII

Ad eosdem.

[Regest., lib. VI, epist. 339. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat ut informent an thesaurarius ecclesiæ Rothomagensis morbo lepræ infectus sit.

Honorius, etc., venerabili fratri episcopo Sagien. et dilectis filiis majori archidiacono Remen. et... decano Ambianen.

Cum examinationem electionis de thesaurario Rothomagen. ecclesiæ in ipsa ecclesia celebratæ vobis duxerimus committendam, et insinuatum sit nobis, quod idem thesaurarius infectus esse dicitur morbo lepræ, discretioni vestræ sub obtestatione divini judicii firmiter injungendo, mandamus, quatenus inter alia inquirenda, circa hunc articulum, advocatis medicis fidelibus, et in hoc peritis, inquisitionem diligentissimam faciatis. Quod si non omnes, etc. Datum Alatri, anno sexto.

CLXXVIII

Ad patriarcham Constantinopolitanum.

18 maii 1222.

[Fonds Moreau, Mss. lat., t. MCLXXXII, p. 117. Bibl. Nat.]

Arguit Honorius patriarcham quod nullo modo fungebatur officio pastoris, illumque monet et hortatur ut seipsum corrigat insistens sollicite officio pastorali.

Honorius, patriarchæ Constantinopolitano.

Timemus ne de te dicere oporteat : pœnitet nos hominem hunc fecisse; cum enim hujus rei gratia te ad Constantinopolitanæ ecclesiæ regimen vocassemus, ut quasi lucerna super candelabrum luceres in domo Domini proficiendo verbo tuis subditis et exemplo; tuusque esset super tuos humeros principatus, ac prodesses potius quam præesses, tu sicut ad audientiam nostri Apostolatus pervenit, non factus forma gregis ex animo, sed in clero potius dominans, factus es multis offendiculum per exemplum, quæ tua sunt quærens, potius quam quæ Christi. Statim siquidem ut ad commissam tibi applicuisti ecclesiam, ipsius mobilia, in quantitate non modica, detraxisti, adhuc Apostolicæ Sedis legato præsente, cujus saltem debueras præsentiam revereri, ne in ejus oculis talia attentares. Plombum quoque ac cuprum aliarum ecclesiarum regiæ urbis, contra statuta a venerabili fratre nostro P. Albanen. episcopo, dum illic legationis officio fungeretur, edita, distrahere non metuens, mercenarium te exhibes potius quam pastorem, cum lac et lanam quærens ex ovibus, vagas non reducas ad caulas, nec lentas stimules, et languidas non sustentes, prædicationi minime insistendo, qua ipsas arguere, obsecrare, ac increpare deberes in omni patientia et doctrina.

Missarum vero solemnia rarissime celebras et excommunicatis communicare non metuis, et cum Venetis, ut haberi ex fama publica dicitur, iniisti contra nationes alias illicitas pactiones; et ut quasi velis ab aquilone tuum solium collocare, excommunicatos a legato Apostolicæ Sedis, passim absolvis et appellationibus legitime interpositis ad eamdem differre contemnis; et addens contemptum contemptui, quosdam clericos, quos dilectus filius noster J., tit. S. Praxedis

presbyter cardinalis, tunc Apostolicæ Sedis legatus, pro suis excessibus ad Sedem Apostolicam destinarat, tibi prohibens expresse ne ipsos absque litteris Apostolicis continentibus veritatem reciperes, sine hujusmodi litteris recepisti. Cæterum te per murum pro domo Domini non opponens ascendentibus ex adverso, et remissus in justitia exhibenda, Venetis bannientibus clericos, in subversionem libertatis ecclesiasticæ non resistis, sed dissimulas potius; ut videaris societatis occultæ scrupulo non carere : dum manifesto facinori desinis obviare, multa insuper contra pastoralis officii debitum alia referens, quæ longum esset præsentibus annotare. Ne igitur tacti dolore cordis intrinsecus dicere compellamur : delebimus hominem quem creavimus; fraternitatem tuam monemus et exhortamur in Domino per Apostolica scripta mandantes quatenus in his et in aliis te ipsum taliter corrigas et emendes, insistens sollicite officio pastorali, opus tibi commissum adimplens, ut securim infructuosæ arbori apponere non cogamur; utinam autem sic objurgatio hæc, circa infructuosam ficulneam foderit, fimo correctionis apposito, quod fructum afferat requisitum, et succidi non debeat in futurum. Datum Alatri, XV kalendas junii pontificatus nostri anno sexto.

CLXXIX

Ad abbatem de Sichen Cisterciensis ordinis.

19 maii 1222.

[Manrique, Ann. Cisterc., IV, 450.]

Abbati de Sichen, visitationem et curam monasterii monialium de Sacra Valle Cisterciensis ordinis in spiritualibus et temporalibus committit.

Dilectæ in Christo filiæ, abbatissa et sorores de Sacra Valle Cisterciensis [ordinis], nobis humiliter supplicarunt, ut earum monasterium visitationi, et sollicitudini, necnon et tuæ dispositioni in spiritualibus, et temporalibus committere dignaremur; ita etiam ut ad te debeat personarum institutio, et ordinatio pertinere. Quia ergo eadem abbatissa, et sorores, spem ad provisionem tuam, sicut dicitur, erexerunt, firmam habentes fiduciam, quod sub circumspectionis tuæ cura, spiritualibus et temporalibus debeant proficere institutis : monasterium, et locum ipsarum in prædictis tibi duximus committendum, discretionem tuam monentes, et per Apostolicam Sedem mandantes, quatenus in his omnibus curam monasterii memorati recipias, et regulariter, prudenter, per te ac fratres ordinis tui studeas exercere; ita quod, sicut de te speraverunt, reperiant in effectu, et a Deo meritum, ac a nobis gratias, ex hoc tibi valeas comparare. Datum Alatri, XIV kalendas junii, pontificatus nostri anno sexto.

CLXXX

Ad Petrum, Senonensem archiepiscopum.

19 maii 1222.

[Bouquet, ibid., p. 722; Regest. lib VI, epist. 378, forte 398.]

Mandat ei Honorius ut, pecunia mutuo sumpta, moram vicesimæ colligendæ prævertat.

Honorius episcopus..., venerabili fratri Senonensi archiepiscopo (1), A. Sedis legato, salutem, etc.

Cum vicesima colligenda colligi sine mora non possit, et mora valde periculosa sit ipsi negotio, præsentium tibi auctoritate mandamus, quatenus pecuniam dandam stipendiariis, mutuo, sine dilatione recipias, et fidelibus pro jamdicto negotio decertantibus festinatum succursum, sicut res exigit, studeas destinare, hujusmodi debitum soluturus de vicesima interim colligenda. Nos autem te, ac illos qui ad hoc mutuum dederint, de vicesima ipsa collecta, vel adhuc propter hoc colligenda, indemnes servare curabimus, Domino concedente. Datum Alatri, XIV kal. junii, anno sexto.

In eumdem modum Bituricensi archiepiscopo et Remensi archiepiscopo, A. S. legatis.

(1) Petro de Corbolio.

CLXXXI

Ad Guillelmum, Remensem archiepisc.

20 maii 1222.

[Bouquet, ibid.; Regest., lib. VI, epist. 486,]

Cum, instaurando adversus Tolosanos bello, dubitarent quidam in Francia an præcise terra illa fuisset abjudicata comiti Tolosano in Lateranensi Concilio, mittit Honorius statutum a patribus non ambigue factum; nec etiam filio ejus parcendum decernit, cum ipse provisione patri servata indignum se penitus præstiterit.

Honorius episcopus..., venerabili fratri archiepiscopo Remensi, A. S. legato, salutem, etc.

Intelleximus quod aliqui retardantur a subventione negotii fidei quod in partibus Provinciæ agitur, pro eo quod dubitant quod terra non sit præcise abjudicata Raymundo, quondam comiti Tolosano; hanc autem dubitationem nequaquam haberent, si considerassent statutum quod super hoc factum fuit in Concilio generali, in quo statuto, inter alia, hæc clausula continetur: « Quia vero novella plantatio adhuc indiget irrigari, sacri approbatione Concilii ita duximus providendum ut, quoniam R. quondam comes Tolosanus culpabilis repertus est in utroque, nec unquam sub ejus regimine terra ipsa potuit in pacis et fidei statu servari, sicut ex longo tempore certis indiciis est compertum, ab ejus dominio quod prave gessit, perpetuo sit exclusus, extra terram ipsam in loco idoneo moraturus, ubi dignam agat pœnitentiam de commissis. Verum de proventibus terræ quadringentas marcas percipiat annuatim, quandiu curaverit humiliter obedire (1) ». Illud etiam non debet aliquos a subventione dicti negotii retardare, quod Apostolica Sedes, tempore præfati concilii, quasdam terras in suis manibus reservavit, ut inde provideret filio præfati quondam comitis Tolosani, si dignum se redderet, cum ipse provisione hujusmodi exhibuerit se indignum, et sic de illa sibi non debeat provideri, sicut ex verbis prædicti statuti colligitur manifeste, quæ talia sunt: « Residua vero terra, quæ non fuit a crucesignatis obtenta, custodiatur ad mandatum Ecclesiæ per viros idoneos, qui negotium pacis et fidei manuteneant et defendant, ut provideri possit unico filio præfati quondam comitis Tolosani, postquam ad legitimam ætatem pervenerit, si talem se studuerit exhibere, quod in toto vel in parte ipsi merito debeat provideri. »

Cum igitur filius præfati quondam comitis, sicut præmissum est, dicta provisione se indignum penitus exibuerit, nemo debet, occasione servationis prædictæ terræ, a subventione supradicti negotii retardari. Quocirca fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus quatenus, si carissimus in Christo filius noster Philippus rex Francorum illustris negotium ipsum assumpserit, solemniter publices abjudicationem terræ factam sæpedicto quondam comiti Tolosano, et spem prænominatæ provisionis præfato filio ejus penitus adimas, et ademptam publicare non differas, cum ea manifeste reddiderit se indignum. Datum Laterani, XIII kal. junii, pontificatus nostri anno sexto.

In eumdem modum scriptum est ut supra Ph. regi Francorum illustri, *usque* retardari; *dein subjicitur :* Ut autem omnis hæc dubitatio de corde dubitantium plenius auferatur, totum supradictum statutum serenitati tuæ sub bulla nostra destinamus inclusum. Datum ut supra.

(1) Legendum id decretum, t. XI Conciliorum Labbei, col. 231.

CLXXXII

Ad abbatem et conventum Sancti Petri in Weissinsbrunen.

20 maii 1222.

[Monumenta Boica, t. VII, p. 389.]

Sub beati Petri et sua protectione monasterium in Weissensbrunen cum omnibus bonis suscipit.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati et conventui in Weissinsbrunen Sancti Petri, salutem et Apostolicam benedictionem.

Sacrosancta Romana Ecclesia devotos et humiles filios ex assuetæ pietatis officio propensius diligere assuevit, et ne pravorum hominum molestiis agitentur, eos tanquam pia mater suæ protectionis munimine confovere. Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris justis precibus inclinati, personas vestras et locum, in quo divino estis obsequio mancipati, cum omnibus bonis

tam ecclesiasticis quam mundanis, quæ in præsentiarum rationabiliter possidetis, aut in futurum justis modis, præstante Domino, poteritis adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus : specialiter autem ecclesiam Phetine, quam canonice et quiete possidetis, post decessum clerici, ad usus monasterii vestri, salvo jure diœcesani, vobis et per vos monasterio vestro, auctoritate Apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ protectionis et confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Alatri, XIII kalendas junii, pontificatus nostri anno sexto.

CLXXXIII

Ad abbatem conventumque monasterii de Rode.

20 maii 1222.

[Franquinet Bered. inventaries der oorkonden, 38, n. 31.]

Sub beati Petri et sua protectione monasterium de Rode cum omnibus bonis suscipit et quædam confirmat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati et conventui monasterii de Rode, salutem et Apostolicam benedictionem.

Cum a nobis petitur quod justum est et honestum, tam vigor æquitatis, quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, personas vestras et locum in quo divino estis obsequio mancipati, cum omnibus bonis, quæ in præsentiarum rationabiliter possidetis, aut in futurum justis modis, præstante Domino, poteritis adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus. Specialiter autem de Lomunsheins, de Kurle, de Merbure, de Streiflo, de Endelstorp et de Crombach possessiones, et alia bona vestra sicut ea omnia juste ac pacifice possidetis, vobis et per vos eidem monasterio, auctoritate Apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ protectionis et confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Alatri, XIII kalendas junii pontificatus nostri anno sexto.

CLXXXIV

Ad scolasticum Suessionensem.

20 maii 1222.

[Regest., lib. VI, epist. 335. Mss. La Porte du Theil.]

Confirmat scholastriæ Suessionensis ecclesiæ triginta librarum redditum.

Honorius, etc., dilecto filio... scolastico Suessionen.

Justis petentium desideriis, etc., *usque* complere. Ea propter, dilecti in Domino filii, dilectorum filiorum... decani, et capituli Suessionen. ecclesiæ, ac tuis justis postulationibus grato concurrentes assensu, redditum triginta librarum Suessionen. monetæ ipsius ecclesiæ scholastriæ canonico, de consensu venerabilis fratris nostri... Suessionen. episcopi ab eisdem decano et capitulo assignatum, sicut eum juste, canonice possides et quiete, et in authentico exinde confecto plenius continetur, auctoritate tibi, et per te scholastriæ ipsi, Apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo, etc., nostræ confirmationis infringere. Si quis autem, etc. Datum Alatri, XIII kalendas junii, pontificatus nostri anno sexto.

CLXXXV

Ad archiepiscopum Bituricensem, Apostolicæ Sedis legatum.

20 maii 1222.

[Regest., lib. VI, epist. 369. Mss. La Porte du Theil.]

Concedit ei ut in ecclesiis in quibus est imminutus canonicorum sæcularium numerus, nisi canonici ab eo moniti non curent assumere personas juxta facultates ecclesiarum, assuetum personarum numerum instituat.

Honorius, etc., venerabili fratri archiepiscopo Bituricen., Apostolicæ Sedis legato.

Ex parte tua fuit propositum coram nobis, quod in quibusdam ecclesiis canonicorum sæcularium tuæ diocesis, quum imminutæ non sint facultates ipsarum, est personarum numerus adeo imminutus, ut obsequiis debitis, nonsine multorum scandalo defraudentur, paucis in usus proprios convertentibus earumdem ecclesiarum proventus, de quibus multi possent congrue sustentari. Quare super hoc Apostolicum adhiberi remedium postulasti, præsertim quum statutum Lateranen. Concilii de beneficiis ultra sex menses vacantibus ibi locum non habeat, eo quod in ecclesiis ipsis non est certus numerus præbendarum. Ideoque fraternitati tuæ præsentium auctoritate concedimus, ut nisi ecclesiarum ipsarum canonici ad commonitionem tuam curaverint juxta facultates ipsarum personas assumere in eisdem tu, nullius contradictione obstante, in eis personas instituere valeas usque ad numerum consuetum dummodo ad id ipsarum ecclesiarum suppetant facultates, contradictores, si qui fuerint, vel rebelles per censuram ecclesiasticam appellatione postposita, compescendo. Datum Alatri, XIII kalendas junii anno sexto.

CLXXXVI

Ad abbatem Sancti Nicasii, cantorem, ac R. canonicum Remenses.

20 maii 1222.

[Regest., lib. VI, epist. 333. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat ut a sententia excommunicationis absolutus, præpositus Siclinien. compellatur ad providendum in beneficio competenti magistrum Johannem Nigellen.

Honorius, etc., dilectis filiis abbati Sancti Nicasii, cantori, et R. canonico Remen.

Præpositus Siclinien. sua nobis petitione monstravit, quod quum in Siclinien. ecclesia duobus, ad mandatum nostrum, provisum sit in beneficio præbendali, magister Johannes Nigellen., hoc tacito, super provisione sua in eadem ecclesia, nostras ad magistrum scolarum Noviomen., et conjudices suos litteras executorias impetravit, qui post appellationem ad nos interpositam in ipsum præpositum excommunicationis sententiam proferentes, præfatum magistrum, de quadam investierunt præbenda, quæ interim vacavit in ecclesia memorata. Quare idem præpositus nobis humiliter supplicavit, ut cum paratus sit dicto magistro alibi congrue providere, ipsum a præfata excommunicationis sententia [absolvere dignaremur] supradicti magistri, et aliorum qui super provisione sua in eadem ecclesia nostras dicuntur litteras impetrasse. Quocirca discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus ipsum præpositum præfata excommunicationis sententia juxta formam Ecclesiæ absolvatis; et si vobis constiterit duos esse ad mandatum nostrum in ecclesia supradicta receptos, injungentes eidem, ut alibi præfato magistro provideat in beneficio competenti, ipsum ad id, si necesse fuerit, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compellendo, super ejusdem, ac aliorum provisione in præfata ecclesia non permittatis ipsum auctoritate litterarum nostrarum de cætero fatigari, nisi plenam de tenore præsentium fecerint mentionem, contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescentes. Alioquin partes ad prædictorum magistri scolarum et conjudicum ejus remittatis examen, ipsum præpositum eidem magistro in expensis legitimis condemnantes et injungentes eidem sub debito præstiti juramenti, quod de jure videritis injungendum. Testes autem, etc. Quod si non omnes, etc. Datum Alatri, XIII kalendas junii, anno sexto.

CLXXXVII

Ad archiepiscopum Remensem Apostolicæ Sedis legatum.

21 maii 1222.

[Regest., lib. VI, epist. 336. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat ut inquisita veritate, super jure archidiaconi ad procurationes, illud faciat illibatum conservari.

Honorius, etc., venerabili fratri archiepiscopo Remen., Apostolicæ Sedis legato.

Dilecto filio H. Remen. archidiacono accepimus intimante, quod cum in archidiaconatu suo, de jure communi, ratione visitationis, et in Remen. provincia ex antiqua consuetudine, ratione archidiaconatus procurationes habere debeat, in his videlicet locis ejusdem provinciæ, in quibus tibi pro-

curationes jus, quod idem archidiaconatus in hujusmodi procurationibus obtinet, plerumque vertit in dubium; potest non immerito formidari, ne archidiaconatus sibi commissus dignitatis suæ in posterum dispendium patiatur. Unde nobis humiliter supplicavit, ut ei super his paterna dignaremur sollicitudine providere. Quocirca fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus inquisita super præmissis diligentius veritate, jus quod ipsi archidiacono in prædictis procurationibus competit, conservari facias illibatum, contradictores si qui fuerint vel rebelles per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Testes autem, etc. Datum Alatri, XII kalendas junii, anno sexto.

CLXXXVIII

Ad abbatem Corbeiensem.

22 maii 1222.

[Regest., lib. VI, epist. 389. Mss La Porte du Theil.]

Approbatur ejus electio in Corbeiensem abbatem.

Honorius, etc., dilecto filio abbati Corbeien.

Electo te olim in abbatem monasterii Corbeien., ita inter alia dilectis filiis Sancti Eligii Noviomen. et..., Sancti Johannis in Vineis abbatibus et magistro Johanni de Firmitate canonico S. Johannis in Vineis Suessionen. mandavimus, ut tuam examinantes personam si te invenerint idoneum ad regimen abbatiæ de provisione nostra te, appellatione remota, [in abbatem præficerent]; qui sicut intelleximus per litteras eorumdem examinatione præmissa, cum non solum monachi, clerici, et vicini, sed laici etiam, et remoti, nec non et universus populus, cui præesse debebas, virum magni testimonii te haberent, et de tua ad monasterii regimen idoneitate constitisset eisdem, te de provisione Apostolica præfecerunt Corbeiensis ecclesiæ in abbatem. Nos igitur in odore famæ, ac integritate testimonii tui, cum sincere te diligamus in Domino delectati, gratum id habemus admodum et acceptum, et, prout provide super hoc a prædictis abbatibus, et canonico factum est, aucteritate Apostolica comprobamus. Ideoque devotionem tuam monemus attentius per Apostolica scripta mandantes, quatenus talem in regimine tibi commisso te præbeas, ut super familiam Domini fidelis dignoscaris esse servus et prudens, ex quo hic et in futuro præmium et gratiam merearis, et nostrum tibi specialius possis comparare favorem. Datum Alatri, XI kalendas junii, pontificatus nostri anno sexto.

CLXXXIX

Ad episcopum Parisiensem.

22 maii 1222.

[Regest. lib. VI, epist. 368. Mss. La Porte du Theil.]

Illi conceditur ut corrigenda corrigat in monasteriis suæ diœcesis.

Honorius, etc., venerabili fratri episcopo Parisien.

Petitio tua nobis exhibita continebat, quod frequenter contingit, ut diœcesis tuæ officium visitationis impendens, in monasteriis maxime monialium aliqua invenias corrigenda, quæ corrigi non possunt de facili, nisi delinquentes personæ de monastiriis suis ad alia transferantur. Unde petisti, ut de nostra speciali permissione tibi liceret id facere, ac rebelles per censuram ecclesiasticam coercere. Nos igitur gerentes de tua caritate fiduciam specialem auctoritate præsentium tibi concedimus licentiam postulatam. Nulli ergo, etc., nostræ concessionis infringere. Si quis autem etc. Datum Alatri, XI kalendas junii, anno sexto.

CXC

Ad præpositum, fratres et ecclesiam Sanctæ Mariæ de Curewalde ordinis Præmonstratensis.

24 maii 1222.

[Mohr, Cod. dipl. I, 273, n. 191.]

Ecclesiam Sanctæ Mariæ de Curewalde sub beati Petri et sua protectione suscipit, omnesque ejusdem ecclesiæ possessiones ac bona, quorum plurima recenset, confirmat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis præposito et fratribus ecclesiæ Sanctæ Mariæ de Curewalde, tam præsentibus quam futuris regularem vitam professis, in perpetuum.

Religiosam vitam eligentibus Apostolicum convenit adesse præsidium, ne forte cujuslibet temeritatis incursus, aut eos a proposito revocet, aut robur, quod absit, sacræ religionis infringat. Eaproter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus et ecclesiam Sanctæ Mariæ de Curewalde, in qua divino estis obsequio mancipati, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti privilegio communimus, in primis siquidem statuentes ut ordo canonicus, qui secundum Deum et beati Augustini regulam atque institutionem Præmonstratensium fratrum in eodem loco institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea quascumque possessiones, quæcumque bona eadem ecclesia in præsentiarum juste et canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Locum ipsum in quo præfata ecclesia sita est cum omnibus pertinentiis suis; curtes juxta claustrum cum decimis et aliis pertinentiis suis; capellam Sancti Petri in Partipane cum decimis et aliis pertinentiis suis; in civitate Curiensi grangiam cum capella, molendinis, vineis, casalibus et aliis pertinentiis suis; ecclesiam Sancti Jacobi in Bretenkove cum decimis et aliis pertinentiis suis, capellam in Luzzins; ad Balzols curtem cum capella et aliis pertinentiis suis; ad Veltchilechen grangiam cum capella, molendinis, vineis, et pertinentiis suis; ad Sevelt prædium cum ecclesia parochiali et pertinentiis suis; ad Luppins grangiam cum vineis et pertinentiis suis. In Stezzes alpem unam, supra claustrum alpem unam, in Nise alpem unam, in Navenale alpem unam, in Servispane dimidiam partem alpis, cum pratis, pascuis, sylvis, et aliis pertinentiis suis; prædium in Brienzols, prædium in Wazzes superius, prædium in Salezzes, prædium in Bavaringen, prædium in Merans, prædium ad Clusam, prædium ad Unibliges, prædium ad Wotfrates, prædium ad Veders, prædium ad Crucem, prædium ad Usces, prædium ad Traunnes, prædium ad Castellasces, prædium in Cizzurs, prædium in Vazzes inferius, prædium in Seians, prædium in Silvaplana cum decimis : prædium in Flumenes, prædium in Sevellum, prædium in Gisingen, prædium in Studen, prædium in Runkals, prædium in Satanies, prædium in Nizzuders, prædium in Lutra, prædium in Mospach, prædium in Bogelingen, prædium in Rotehke, prædium in Viscebrane, prædium in Casenasce, prædium in Fenure, prædium in Aurenzoles, prædium in Campasce, prædium in Postes, prædium in Stralun, prædium in Valzelaires, prædium in Scirscenes, prædium ad Naledars, prædium in Lummines, cum pratis, vineis, terris, nemoribus, usuagiis, et pascuis, in bosco, et plano, in aquis et molendinis, in viis et semitis, et omnibus aliis libertatibus et immunitatibus suis. Sane novalium vestrorum, quæ propriis manibus vel sumptibus colitis, sive de vestrorum animalium nutrimentis, nullus a vobis decimas exigere vel extorquere præsumat. Liceat quoque vobis clericos vel laicos, liberos et absolutos e sæculo fugientes ad conversionem recipere, et eos absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper ut nulli fratrum vestrorum post factam in ecclesia vestra professionem fas sit, sine præpositi sui licentia nisi arctioris religionis obtentu de eodem loco discedere. Discedentem vero absque communium litterarum vestrarum cautione, nullus audeat retinere. Cum autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis clausis januis, exclusis excommunicatis et interdictis, non pulsatis companis, suppressa voce divina officia celebrare. Chrisma vero, oleum sanctum, consecrationes altarium seu basilicarum, ordinationes clericorum qui ad sacros ordines fuerint promovendi a diœcesano suscipietis episcopo, siquidem catholicus fuerit et gratiam et communionem sacrosanctæ Romanæ Sedis habuerit, et ea vobis voluerit sine pravitate aliqua exhibere. Alioquin liceat vobis quemcumque malueritis catholicum adire antistitem, gratiam et communionem Apostolicæ Sedis habentem, qui nostra fretus auctoritate vobis quod postulatur impendat. Prohibemus insuper ut infra fines parochiæ vestræ nullus sine assensu diœcesani episcopi et vestro capellam seu oratorium de novo construere audeat, salvis privilegiis Romanorum pontificum. Ad hæc novas et inde-

bitas exactiones ab archiepiscopis, episcopis, archidiaconibus, seu decanis aliisque omnibus ecclesiasticis sæcularibusve personis omnino fieri prohibemus. Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse decernimus, ut eorum devotioni et extremæ voluntati qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi forte excommunicati vel interdicti sint, nullus obsistat, salva tamen justitia illarum ecclesiarum, a quibus mortuorum corpora assumuntur. Decimas præterea et possessiones ad jus ecclesiarum vestrarum spectantes, quæ a laicis detinentur, redimendi et legitime liberandi de manibus eorum et ad ecclesias ad quas pertinent revocandi libera sit vobis de nostra auctoritate facultas. Obeunte vero te nunc ejusdem loci præposito vel tuorum quolibet successorum nullus ibi qualibet subreptionis astutia seu violentia præponatur, nisi quem fratres communi consensu vel fratrum pars majoris et sanioris consilii secundum Deum et beati Augustini regulam providerint eligendum. Paci quoque et tranquillitati vestræ paterna in posterum sollicitudine providere volentes, auctoritate Apostolica prohibemus, ut infra clausuras locorum seu grangiarum vestrarum, nullus rapinam seu furtum facere, ignem apponere, sanguinem fundere, hominem temere capere vel interficere, seu violentiam audeat exercere. Præterea omnes libertates et immunitates a prædecessoribus nostris Romanis pontificibus ordini vestro concessas, necnon libertates et exemptiones sæcularium exactionum a regibus et principibus vel aliis fidelibus rationabiliter vobis indultas, auctoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti privilegio communimus, salva in omnibus supradictis moderatione Concilii generalis. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatam ecclesiam temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur, eorum pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt usibus omnibus profutura, salva Sedis Apostolicæ auctoritate et in prædictis ecclesiis diœcesani episcopi canonica justitia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica sæcularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui careat dignitate, reamque se divino judicio existere, de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore ac sanguine Dei et Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ subjaceat ultioni. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus et hic fructum bonæ actionis percipiant, et apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Amen. Amen. Datum Alatri, IX kalendas junii, pontificatus nostri anno sexto.

CXCI

Ad priorem et conventum Sancti Danielis de Venetiis.

26 maii 1222.

[Cornelius, Eccles. Venet., IV, 196.]

Confirmatur monasterio Sancti Danielis Venetiarum donatio facta de lacu a Marco Nicolao episcopo Castellano.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis priori et conventui monasterii Sancti Danielis de Venetiis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Justis petentium desideriis dignum est nos facilem præbere consensum, et vota quæ a rationis tramite non discordant effectu prosequente complere. Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris justis precibus inclinati, personas vestras et monasterium Sancti Danielis de Venetiis in quo divino vacatis obsequio cum omnibus bonis, quæ in præsentiarum rationabiliter possidet aut in futurum, præstante Domino, justis modis poterit adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus. Specialiter autem lacum Sancti Danielis cum molendino vobis a venerabili fratre nostro... Castellano episcopo de capituli sui assensu pia et provida liberalitate collatum sicut ea juste, canonice ac pacifice possidetis vobis et per vos, monasterio vestro, auctoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ protectionis et confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem

hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Alatri, VII kalend. junii, pontificatus nostri anno sexto.

CXCII

Ad episcopum et capitulum Virenses.

26 maii 1222.

[Fonds Moreau, Mss. latins, t. 130, p. 194. Biblioth. Nationale.]

Confirmatio donationis in favorem ecclesiæ Virensis omnium bonorum ab Odone rege Franciæ factæ.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri episcopo et dilectis filiis, capitulo Virensi, salutem et Apostolicam benedictionem.

Justis petentium precibus dignum est nos facilem præbere assensum, et vota quæ a rationis tramite non discordant effectu prosequente complere. Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, villam Vici, castrum de Arters et alia bona, quæ inclytæ recordationis Odo, rex Franciæ, ecclesiæ vestræ pia liberalitate donavit, sicut ea juste possidet et quiete, et in ipsius authentico plenius continetur, vobis et per vos ipsi ecclesiæ auctoritate Apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Alatri, VII kalendas junii, pontificatus nostri anno sexto.

CXCIII

Ad priorem de Monte Leprosorum, et archidiaconum ac cantorem Rothomagenses.

26 maii 1222.

[Regest., lib. VI, epist. 394. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat ut sententia excommunicationis in monasterium Cadomen. observetur usque ad condignam satisfactionem erga episcopum Bajocen., qui eam tulit.

Honorius, etc., dilectis filiis priori de Monte Leprosorum, archidiacono et cantori Rothomagen.

Cum olim innovavissemus quoddam privilegium monasterii Cadomen. in regestis felicis memoriæ Alexandri papæ prædecessoris nostri repertum, venerabili fratri nostro... Bajocen. episcopo, in cujus diœcesi monasterium ipsum consistit, propter hoc in nostra præsentia constituto, nos auditis quæ super hoc curavit proponere coram nobis, declaravimus, quod nostræ intentionis non fuerat per innovationem præfati privilegii derogare juri episcopi memorati; sed volebamus omnia in eo statu manere, in quo erant quando dictum privilegium extitit innovatum, expresso quod per hoc non intendebamus juri alias eidem monasterio competenti præjudicium generari. Nuper autem querelam præfati episcopi recepimus continentem, quod cum ipse ad præfatum monasterium accessisset... prior et conventus, ac... procurator abbatis ejusdem loci eum noluerunt in monasterio ipso recipere, nec ei consueta obsequia exhibere, propter quod in eos excommunicationis sententiam promulgavit, quam Apostolico petiit munimine roborare. Ideoque discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus sententiam ipsam sicut rationabiliter est prolata, facientes usque ad satisfactionem condignam, appellatione remota firmiter observari, dictum episcopum conservetis in statu, in quo tempore sæpedictæ innovationis noscitur exstitisse, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo, nullum per hoc juri, alias dicto monasterio competenti, præjudicium generando. Quod si non omnes, etc. Datum Alatri, VII kalendas junii, pontificatus nostri anno sexto.

CXCIV

Ad præpositum Sancti Joannis Angeliacien. et archipresbyterum ac cantorem Xanctonen. diœcesis.

27 maii 1222.

[Regest., lib. VI, epist. 412. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat ut decanus Engolismen. qui recusaverat recipere litteras Apostolicas citetur ad præsentiam pontificis Romani.

Honorius, etc., dilectis filiis præposito

Sancti Johannis Angeliacen. et archipresbytero de Cosma regali Xanctonen. diœcesis et magistro Constantino Natali canonico Xanctonen.

Dilectus filius H. de Vilors clericus nobis exposuit graviter conquerendo, quod cum pro ejus provisione... decano et capitulo Engolismen. litteras misissemus, decanus ipse litteras vilipendens easdem in nostrum et Ecclesiæ Romanæ contemptum eas recipere recusavit. Quum autem dictus decanus maluererit, si res ita se habet, nobis indevotus et inobediens inveniri, quam cum reverentia nostras suscipere litteras, quod continebatur in eis humiliter adimplendo, vel rationabilem prætendendo excusationem, quare id fieri non deberet, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus super hoc veritate diligentius inquisita, si rem inveneritis ita esse, præfatum decanum ad nostram propter hoc citetis præsentiam, ipsum ut ad nos veniat per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compellentes. Testes autem, etc. Quod si non omnes, etc. Datum Alatri, VI kalendas junii, anno sexto.

CXCV

Ad majorem et burgenses de Rupella.

27 maii 1222.

[Regest., lib. VI, epist. 416. Mss. La Porte du Theil.]

De perversis consuetudinibus quæ in Rupella vigebant, consuluerunt burgenses; declarat Pontifex illos non teneri ad hujusmodi consuetudines observandas tanquam juri contrarias.

Honorius, etc., dilectis filiis majori et burgensibus de Rupella.

Quia error, cui non resistitur approbatur, erroneæ consuetudines, quæ sacris obviant institutis, sunt merito abolendæ cum inolitæ pariant corruptelam. Ex parte siquidem vestra fuit propositum coram nobis, quod in terra vestra servatæ sunt hactenus duæ consuetudines abusivæ, per quas fovetur multiplicis materia pravitatis, vergentis in periculum animarum. Una siquidem hæc est, quod si forte indigena, vel extraneus prodigaliter vitio vel incuria, seu quocumque casu alio dissipaverit, vel amiserit omnia bona sua, bona uxoris suæ, quantumcumque laudabilis et honestæ, tam mobilia quam immobilia pro suæ voluntatis libito alienat. Quare fit interdum, ut viro defuncto uxor remaneat indotata, et superstites filii extremis subjaceant incommodis paupertatis. Alia quoque consuetudo est non impariter reprobanda, scilicet quod si vir ducat uxorem, quæ fide conjugii violata, committat adulterium manifeste, vel exinde publica fama laboret, nihilominus medietatem omnium bonorum, quæ fuerit vir adeptus, impudenter exigit et improbe apprehendit, quæ potius privanda esset omnibus viri bonis. Quare super his vobis providere per Sedem Apostolicam suppliciter postulastis. Nos itaque saluti et utilitati vestræ provide consulere cupientes, tenore præsentium declaramus vos non teneri ad hujusmodi consuetudines tanquam juri contrarias observandas. Datum Alatri, VI kalendas junii, anno sexto.

CXCVI

Ad Vivariensem et Valentinensem episcopos.

27 maii 1222.

[Bouquet, Rec. des Hist., XIX, 723; Regest., lib. VI, epist. 435.]

Litigantibus de præpositura Brivatensis ecclesiæ P. de Lotzac et ejusdem loci cantore, cum rex Philippus dedisset in mandatis Archembaldo de Borbonio, ut P. de Lotzac præpositura spoliaretur, Honorius controversiam auctoritate sua dirimendam decernit.

Honorius episcopus..., venerabilibus fratribus Vivariensi (1) et Valentinensi (2) episcopis, et dilecto filio sacristæ Romanensi, Viennensis diœcesis, salutem, etc.

Ad nostram audientiam, P. de Lotzac præposito ecclesiæ Brivatensis referente, pervenit quod, cum olim cantor et quidam canonici ejusdem ecclesiæ Claromontensis diœcesis super præpositura ipsius loci ad venerabilem fratrem nostrum Lemovicensem episcopum (3), et de Bosceto Cisterciensis ordinis et Sancti Theofredi abbates, contra eum Apostolicas litteras impetrasset (4); idem ex eo se sentiens a dictis

(1) Bernardo de Andusco.
(2) Gerardo seu Giraldo.

(3) Bernard de Favena.
(4) *Melius* impetrassent.

judicibus prægravari, quod, quum idem, pendentibus citationibus eorumdem, per nobilem virum A. (1) dominum Borbonensem, conestabulum Alverniæ, de mandato carissimi in Christo filii nostri Philippi illustris regis Francorum, parte altera procurante, præpositura ipsa fuisset illicite spoliatus, ipsi, prout ad eorum officium pertinebat, non solum exhibere sibi super hoc quod postulat ordo juris, vel scribere dicto regi, ut corrigeret quod factum fuerat in hac parte, pro suæ voluntatis arbitrio renuebant, verum etiam sibi et canonicis partis suæ ad loca non tuta citatis aliquem securum locum, in quo ad decisionem ejusdem negotii diutius protelati insimul convenirent, concedere denegantes, triginta et amplius de canonicis ecclesiæ memoratæ ad duas fere diætas, non sine gravi ipsius ecclesiæ læsione, pro dicta causa multotiens citaverunt, cum non deberent tantam multitudinem evocare, sed ad ecclesiam accedere, si per eos vellent plenius inquirere veritatem, pro se ac parte sua nostram audientiam appellavit, octavas Resurrectionis Dominicæ proxime præteritas appellationi suæ terminum præfigendo.

Licet autem dictus abbas de Bosceto et magister P. Bool canonicus Lemovicensis, qui locum tunc in eadem causa obtinebat episcopi memorati, coram quibus appellatio facta fuit, appellationem ipsam redigentes in scriptis, eas (2) sigillorum suorum munimine roborassent; B. tamen Bulbensis et C. de Bosceto, monachi Cisterciensis ordinis, quibus episcopus et abbas de Buscheto prædicti dicuntur commisisse postmodum vices suas, tertio conjudice appellationem ipsius tamquam legitimam approbante, eadem appellatione contempta, in eos, etiam post iter arreptum ab eodem præposito ad Sedem Apostolicam veniendi, interdicti sententiam temere promulgarunt, quam præfati episcopus et abbas postmodum dicuntur minus rationabiliter approbasse. Quare a nobis dictus præpositus humiliter postulabat ut sibi et parti suæ providere super hoc misericorditer dignaremur.

Ideoque discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus quatenus, si est ita, revocato in irritum quidquid post appellationem hujusmodi, et iter arreptum a jamdicto præposito ad Sedem Apostolicam veniendi, in ejus et partis suæ præjudicium temere inveneritis attentatum, adversam partem, si eam procurasse constiterit, præpositum ipsum fuisse dicta præpositura per laicalem potentiam spoliatum, vel, quominus possessionem ipsius a prædicto rege recuperare potuerit, impedisse, auctoritate nostra, sublato appellationis obstaculo, pœna canonica puniatis, et eadem in expensis quas per malitiam suam sæpefatum præpositum in curia regis præfati et apud Sedem Apostolicam facere compulit, ei, sicut justum fuerit, condemnata, cognita super his veritate, appellatione postposita, decernatis, facientes quod decreveritis per censuram ecclesiasticam firmiter observari, nullis litteris veritati et justitiæ præjudicantibus a Sede Apostolica impetratis. Quod si non omnes, etc. Datum Alatri, VI kal. junii, pontificatus nostri anno sexto.

CXCVII

Ad Philippum, Francorum regem.

27 maii 1222.

[Bouquet, ibid. p. 724; Regest., lib. VI, epist. 432.]

Rogat Philippum Honorius, ut præpositum Brivatensis ecclesiæ, officio suo minus rationabiliter spoliatum ab Archembaldo de Borbonio, conestabulo Alverniæ, restitui faciat.

Honorius episcopus....., carissimo in Christo filio nostro Phil. illustri regi Franciæ, salutem, etc.

Creator humani generis ac Redemptor, in cujus manu sunt omnium potestates et omnium jura regnorum, ad hoc personam tuam ad regni solium sublimavit, ut ecclesias et personas ecclesiasticas regni tui manuteneas et defendas, et jura earum, quantum in te fuerit, illibata conserves, ut propter hoc in præsenti laudem a populo, et ab ipso retributore honorum omnium merearis felicitatis æternæ præmium in futuro. Ad nostram si quidem audientiam, dilecto filio P. de Lotzac, præposito Brivatensi, referente, pervenit quod nobilis vir A. (3) dominus de Borbonio, conestabulus Alverniæ, ipsum de mandato tuo, sicut dicitur, præpositura sua minus rationabiliter spoliavit. Ideoque serenitatem tuam roga-

(1) Archembaldum.

(2) *Melius* eam. (3) Archembaldus.

mus, monemus et exhortamur attentius, quatenus præposituram præfatam, ob reverentiam beati Petri et nostram, præposito restitui facias memorato. Datum Alatri, VI kal. junii, anno sexto.

CXCVIII

Ad Arusiensem et Wendelfusensem episcopos et sacristam Romanensem.

27 maii 1222.

[Suhm, Historie af Danemark, IX, 786.]

De Andrea archiepiscopo ob incurabilem corporis infirmitatem officii pastoralis cessionem petente dat mandata.

Venerabilis frater noster Lundensis archiepiscopus per suas nobis litteras humiliter supplicavit, ut cum incurabili corporis infirmitate gravatus exsequi nequeat officium pastorale cessionem ejus recipere dignaremur, usu sibi pontificalium nihilominus reservato. Nos igitur debito sibi compatientes affectu, fraternitati vestræ de qua plenam in Domino fiduciam obtinemus per Apostolica scripta mandamus, quatenus eumdem archiepiscopum ut, si unquam potest, officium pastorale non deferat moneatis prudenter, et efficaciter inducatis. Quod si aliter esse non potest vice nostra cessionem recipientes ejusdem, ei de bonis ecclesiæ Lundensis unde commode valeat sustentari, providere curetis. Capitulo quoque ipsius ecclesiæ injungatis ut per electionem canonicam de persona idonea sibi et ecclesiæ suæ provideat in pastorem, quæ tanto congruat oneri et honori.

Datum Alatri, VI kalendas junii.

CXCIX

Ad Agriensem, Vaciensem et Varadiensem episcopos.

28 maii 1222.

[Theiner, Monumenta histor. Hungariæ, t. I, p. 33, n. 67.]

Mandat ut informent de sponsalibus Belæ contractis cum puella impuberi.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus... Agriensi, Waciensi et Waradiensi episcopis, salutem, etc.

Ex parte nobilis viri B. nati carissimi in Christo filii nostri... regis Hungariæ illustris fuit propositum coram nobis, quod idem rex per Græciam transitum faciens, dum rediret de partibus transmarinis, Ascharo, dum adhuc ipse impuber existeret, fidem dedit, quod cum illius filia infra annos nubiles existenti matrimonio copularet, nunc vero dictus licet in ætate tenella cum puella eadem sponsalia contraxisset, quum ad pubertatem pervenerit, matrimonio contradicit, humiliter postulando, ut sibi tribuamus licentiam ab hujusmodi sponsalibus recedendi, et contrahendi cum alia, de qua major possit utilitas regno Franciæ (Hungariæ) provenire. Quia vero nobis non constitit de præmissis, fraternitati vestræ, per Apostolica scripta mandamus, quatenus, vocatis qui fuerint evocandi, et inquisita super his diligentius, et cognita veritate, si constiterit ita esse, prædicto B. postulatam licentiam concedatis. Quod si non omnes, etc. Datum Alatri, V kalendas junii, anno sexto.

CC

Ad episcopos, abbates et priores in diœcesibus Sancti Andreæ, Glasguen., Dunkelden.

30 maii 1222.

[Registrum S. Mariæ de Neubotle, 202, n. 236.]

Mandat et præcipit ut malefactores, qui possessiones vel res fratrum monasterii de Neubotle, Cisterciensis ordinis, invaserunt, publice excommunicationis sententia percellant.

Repetit Honorius epistolam ad Eberhardum archiepiscopum Salzeburgensem, 20 februarii 1222.

Non absque dolore, etc. Vide supra.

CCI

Ad archidiaconos Remensem ac Senonensem, etc.

31 maii 1222.

[Bouquet, Rec. des Hist., t. XIX, p. 724; Regest., lib. VI, epist. 411.]

Recrudescente inter Guillelmum de Silliniaco, Parisiensem episcopum, ac magistros et scholares studii Parisiensis dissidio, prudenter monet Honorius ut, ante negotii decisionem, latæ in magistros et scholares excommunicationis sententiæ non ratæ habeantur, et interim partium jura constituit.

Honorius episcopus..., dilectis filiis Re-

mensi et Senonensi archidiaconis, et magistro P(etro) de Collemedio, capellano nostro, Parisius commoranti, salutem, etc.

Inimico homine, qui incentor malorum est, et quem odia et scissuræ delectant dissensionum, superseminante zizania inter venerabilem fratrem nostrum episcopum (1) et officialem ipsius, et cancellarium (2) Parisiensem, ex parte una, et universitatem magistrorum scholarium Parisiensem, ex altera, gravis jamdudum discordia est suborta (3). Nos vero, detrimentis ex hujusmodi turbatione paratis occurrere cupientes, causam super certis articulis, ad petitionem ejusdem episcopi, venerabilibus fratribus nostris archiepiscopo Cantuariensi (4), et Trecensi (5) ac Lexoviensi (6) episcopis, sub certa forma duximus committendam, inter alia injungentes eisdem ut laborarent ad reformandam inter partes concordiam, qua magis quam judiciorum strepitu expediret negotium terminari; sed ad hæc, faciente illo qui quæ caritatis et pacis sunt odit, non potuit pervenire. Iidem quoque judices, propter quasdam exceptiones ab adversa parte propositas, licet inhibuerint ne, lite pendente, aliquid innovari deberet, in nullo super principali negotio processerunt : ex quo factum est quod exaggeratæ sunt postmodum quæstiones et lites etiam instauratæ, studiumque concussum, ut jam videatur dissolutionis periculo subjacere.

Cum autem quidam ex prædictis magistris cum multitudine scholarium pro se ac aliis, necnon et procurator ipsius episcopi, ad nostram præsentiam accessissent, et idem episcopus revocaverit ab eodem procuratore mandatum, nobis insinuans quod prosequi causam ipsam in propria persona volebat, tandem exspectatus diutius non accessit : cui nos deferre volentes, noluimus, ipso absente, in negotio habere processum, ipsum sub certa forma venerabili fratri nostro Cenomannensi episcopo (7) et suis conjudicibus committentes (8). Verum, quia in universitatem magistrorum et scholarium generales, in quosdam vero ipsorum, occasione hujus dissidii, speciales excommunicationis prolatæ sententiæ dicebantur, nos in prædicto negotio de providentia quam exigit procedentes, eas omnes relaxavimus ad cautelam, et revocavimus in irritum quicquid, postquam præfati magistri et scholares iter arripuerunt ad Sedem Apostolicam veniendi, est ab episcopo, cancellario et officiali prædictis, vel a quoquam ipsorum nomine, innovatum, volentes ut interim magistri in sua plenaria possessione vel quasi serventur, nec innovetur aliquid ab eisdem.

1. Non capiantur occasione delinquentium innocentes; sed, si contra aliquem suspicio habeatur probabilis, honeste detentus, cautione præstita, dimittatur. Nec episcopus aut officialis ipsius medio tempore ad defuncti scholaris bona manus extendat, neque prædictus episcopus, et officialis ac cancellarius, a licentiandis juramentum aut obedientiam exigant vel aliam cautionem, donec per nos negotium terminetur.

2. Demoliatur præcise carcer a cancellario ipso constructus ; nec aliquem incarcerabit cancellarius memoratus : sed episcopus, si incarceratione opus est, culpabilem honeste in carcere detinebit.

3. Interim quoque nec episcopus, nec officialis, nec cancellarius, pecuniariam pœnam a magistris vel scholaribus exiget pro excommunicationis emenda. Nec episcopus, et officialis ac cancellarius memorati licentiatos ab abbate Sanctæ Genovefæ, quin, ubi consueverint, libere incedere valeant, molestabunt.

(1) Guillelmum de Silliniaco.

(2) Philippum *de Greves* arbitramur, qui, prædecessorum suorum, præsertim Joannis de Candelis, vestigiis insistens, sua in scholas Parisienses jurisdictione graviter abutebatur, ea scilicet moliendo quæ vetant articuli infra legendi. Qua de re vide Egassium du Boulay, III, 104 et seqq.; J. B. Lud. Crevier, I. 287-292.

(3) Recurrendum est supra ad Honorii epistolam 217 libri tertii, anno 1219, t. III, col. 226.

(4) Stephano.

(5) Herveo.

(6) Guillelmo de Pontearchæ.

(7) Mauricio.

(8) Egregie a Guillelmo de Silliniaco Parisiensi episcopo gesta contra magistros et scholares studii Parisiensis memorat et extollit anonymus scriptor Historiæ Autissiodorensium episcoporum. — (*Recueil des Hist.*, t. XVIII, p. 740.)

E contrario vero Guillelmus Brito Armoricus scribit t. XVII, p. 774, his verbis : « Anno, inquit, 1220. Altissiodorensis episcopus transfertur ad cathedram Parisiensis ecclesiæ, odiosus Philippo regi et universitati scholarium, cujus improbitate actum est ut omnes magistri theologiæ et aliarum facultatum, qui Parisius docebant, suspenderent a legendo, a media quadragesima usque ad medium augusti [1221], propter quod tam a clero quam a populo et militibus odio habebatur. (Bouquet, ibid., tom. XVII, p. 774.)

4. Cancellarius præterea, medio tempore, ad regendum in aliqua facultate aliquem non admittet, nisi a magistro proprio cum magistrorum ad hoc a magistris electorum testimonio, qui præsentari soleat, præsentatum, et taliter præsentato, nisi examinatus, si examinari soleat, per cancellarium insufficiens repertus fuerit, ab eodem cancellario licentia concedetur.

5. Nec episcopus, nec aliquis ex parte ipsius, ullo modo in universitatem ipsorum, sed nec in eorum quempiam interim, nisi pro ejus proprio crimine vel contumacia manifesta, et in alia causa quæ hujusmodi negotium non contingat, excommunicationis sententiam proferat, quæ nulla, si secus prolata fuerit, habeatur.

6. Ad hæc, donec idem episcopus ad præsentiam nostram veniat, vel sufficientem pro se procuratorem transmittat in termino sibi et alteri parti a judicibus assignando, usus sigilli scholarium, præterquam in his quæ ad officium procurationis in hac causa pertineat, suspendatur.

7. Non indicantur medio tempore cessationes publicæ contra episcopum aut cancellarium, quamdiu coram vobis juri erunt stare parati, nisi ab episcopo aut cancellario vel officiali fuerit contra prohibita manifeste præsumptum.

8. Magistri etiam a magistro vel scholari pœnam pecuniariam per tempus non exigent supradictum, nec scholares interim, secundum nationes suas, sibi quemquam præficient ad injurias ulciscendas; qui etiam arma non portent, nisi ad tutelam sui ex causa necessaria compellantur. Nec prohibeant magistri scholaribus, ne accedant apud Sanctum Victorem ad confessionem vel exsequias mortuorum, et ab eis, si facta fuerit hujusmodi prohibitio, revocetur.

Quocirca discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus quod a nobis super his provisum est, faciatis inviolabiliter observari, contradicentes per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Quod si non omnes, duo vestrum, etc. Datum Alatri, pridie kal. junii, anno sexto.

CCII

Ad Rothomagense capitulum.

(Jun. ineunte.)

De electione.

(Vide *Quintam Compilationem*, lib I, tit. 5, De electione, cap. 6.)

CCIII

Ad abbatem S. Martini de Gemellis..., decanum et G. archidiaconum Ambianen.

31 maii 1222.

[Regest., lib. VI, epist. 418. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat ut W. magistrum in canonicum et in fratrem recipi faciant.

Honorius, etc., dilectis filiis abbati Sancti Martini de Gemellis..., decano et G. archidiacono Ambianen.

Dilectus filius magister W., canonicus Arien., exposuit coram nobis, quod quum bonæ memoriæ L., præpositus ecclesiæ Sancti Audomarii Morinen. diœcesis, cum in clericum suum admittens de bonis ipsius ecclesiæ annuum redditum tredecim librarum assignasset, eidem donec in præbendali sibi beneficio provideret, postmodum R., Pontiven. archidiacono sublato de medio qui præbendam scolasticam in eadem ecclesia obtinebat, dictus præpositus eumdem magistrum de præbenda ipsa in sui capituli præsentia investivit; sed... decanus et capitulum ejusdem ecclesiæ ipsum ad eam admittere denegarunt. Quumque præposito et capitulo supradictis super donatione ipsius præbendæ aliquandiu litigantibus memoratus magister per quinquennium fuisset dono gratiæ sibi factæ frustratus, tamdem præfato præposito viam universæ carnis ingresso, P. successor ipsius super hoc prædicto magistro compatiens et ejus litteraturam et honestatem attendens promisit eidem, quod si datam sibi præbendam scolasticam obtinere non possit, in alia ei præbenda ejusdem ecclesiæ provideret, annuo redditu quinque librarum Parisien. de camera sua prædicto magistro interim assignato, prout apparet ex ejus litteris evidenter. Quum autem idem magister a nobis præbendam scolasticam postulasset, nos ne alterutri partium præjudicium facere videremur, eam sibi absolute non duximus

conferendam, sed reputantes indignum ipsum sic investitum, nec non distractum tot laboribus et expensis commodo frustrari præbendæ, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus ipsum recipi faciatis in eadem ecclesia in canonicum et in fratrem, et de anno in annum præbendam scolasticam sibi dari, donec ibi assumptus fuerit, beneficium præbendale, contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Quod si non omnes, etc. Datum Alatri, secundo kalendas junii, anno sexto.

CCIV

Ad abbatem Casæmarium.

1 junii 1222.

[Manrique, Annales Cistercienses, IV, 222.]

Eis significat se unire monasterio eorum monasterium S. Dominici de Sora, et statuere ut per eos idem monasterium informetur secundum Cisterciensis ordinis instituta.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati Casæmarii ejusque fratribus tam præsentibus, quam futuris, regularem vitam professis in perpetuum, salutem et apostolicam benedictionem.

Custodes, et auctores (1), licet immeriti, constituti a Domino in Ecclesiæ paradiso, sacræ religionis gratiosa plantaria in ea cupimus propagari, quæ flores, et fructus producentia honestatis, animam sponsi sua suavitate delectent, totamque reddant ecclesiam speciosam. Sed quanto nobis ejus gratior est profectus, tanto defectus est gravior, si quando propagata plantaria vitiantur, vel in alienæ vitis amaritudinem corrumpantur; dolore confodimus, et rubore confundimus vehementi, quum nonnunquam sui contagione, sincera etiam turbare soleant, et turpare. Quare summo est nobis studio providendum, ut quæ adeo a ligno vitæ degenerant, et quæ debuerant esse odor vitæ in vitam, facta odor mortis in mortem, ut nullo culturæ studio reduci possint ad pristinam qualitatem, de vinea Domini radicitus evellantur, quatenus alia plantentur in ea, quæ gratum Domino fructum tempore suo reddant. Sane cum monasterium Sancti Dominici de Sora, cui Dominus in rore cœli, et terræ pinguedine benedixerat, tamquam hortus deliciarum diu in spiritualibus et temporalibus floruisset delectabilium fructuum ubertate, tandem propter malitiam degentium in eodem, qui tanquam tribuli, et urticæ, veræ religionis plantariis suffocatis, dissolute viventes, in bonis monasterii prodigaliter grassabantur, usque adeo ibi annulata fuit omnis observantia regularis, quod quasi cubile draconum multis erat in scandalum, et horrorem. Sed licet istud studiose tentaverimus reformare, quosdam monachos pestilentes exinde amovendo, et faciendo in aliis monasteriis collocari, et advocato aliunde abbate, si forte posset monasterio succurrere desolato : quia tamen amoti etiam tamquam canes ad vomitum redeuntes, exinde etiam neque ecclesiastica censura potuerunt arceri, sed fere omnes excommunicati præsumebant celebrare, vel potius profanare divina : sicque monasterium iis, qui in circuitu ejus sunt, magis ac magis erat in ludibrium et contemptum.

Nos videntes et dolentes, quod Babylonem non poteramus adhibita etiam diligenti cura sanare, vineam Domini aliis providimus locandam agricolis; et monasterium ipsum cum omnibus ecclesiis et possessionibus, et pascuis, sylvis, molendinis, hominibus, et aliis juribus, et pertinentiis ejus, monasterio vestro univimus : statuimus etiam, ut per vos idem monasterium informetur secundum Cisterciensis ordinis instituta; ita quod ibi semper duodecim monachi de monasterio vestro resideant, Domino famulantes : ad quorum custodiam abbas unum instituet, ut rectorem, quem, quoties voluerit, poterit commutare; et sic utrumque monasterium semper sub unius tantum abbatis regimine gubernetur : carissimo in Christo filio nostro Friderico imperatore Romanorum illustri semper augusto, et rege Siciliæ, quidquid in monasterio illo ad eum pertinuerat, vobis de assensu nostro donante, sicut in ejus privilegio, aurea bulla munito, plenius continetur. Volentes igitur prænotatam unionem, nec non ejusdem imperatoris donationem perpetuis durare temporibus, eam auctoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti privilegio communimus.

(1) *Auctores* : Cultores (Rondininus, *Monast. de Casæmario*, 46.)

Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat hanc paginam nostræ unionis, constitutionis et confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si qua vero in futurum ecclesiastica, sæcularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam venire tentaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui careat dignitate, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore et sanguine Dei, et Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ subjaceat ultioni. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus et hic fructum bonæ actionis percipiant, et apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Amen. Sequuntur suscriptiones cardinalium, et tandem subsequitur :. Datum Alatri, per manum Guidonis capellani domini papæ, kal. jun., indictione IX, Incarnationis Domini anno 1222, pontificatus domini Honorii anno sexto.

CCV

Ad archiepiscopum Ebredunen.

1 junii 1222.

[Regest., lib. VI, ep. 423. Mss. La Porte du Theil.]

Præcipit ut abbas et conventus S. Victoris Massilien. per se vel procuratores suo conspectui se repræsentent.

Honorius, etc., venerabili fratri Ebredunen. archiepiscopo.

Miramur plurimum nec sufficimus admirari, quod quum formam inquisitionis, quam in monasterio Sancti Victoris Massilien. auctoritate nostra fecisti, per nuntium proprium sub tuo sigillo nobis miseris interclusam, nullus ex parte abbatis, vel conventus ejusdem monasterii coram nobis comparuit procurator. Propter quod in inquisitione procedere finaliter non potuimus memorata. Ne igitur ea, quæ in dicto monasterio contra beati Benedicti regulam perperam attentantur, per alicujus tergiversationem vel malitiam remaneant incorrecta, fraternitati tuæ per Apostolica scripta firmiter præcipiendo mandamus, quatenus abbati et conventui memoratis auctoritate nostra districte præcipias, ut usque ad festum sancti Lucæ proximo venturum per se, vel procuratores sufficientes pro jam dicto negotio, sublato cujuslibet occasionis, dilationis et difficultatis obstaculo, nostro se conspectui repræsentent, recepturi super præmissis quod ordo dictaverit rationis. Alioquin ex tunc in ipso negotio, quantum cum Deo poterimus, procedemus. Datum Alatri, kalendis junii, anno sexto.

CCVI

Ad archiepiscopos et episcopos in quorum diœcesibus sunt monasteria monasterio Cluniacensi subjecta.

2 junii 1222.

[Regest., lib. VI, ep. 424. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat ut in fraudem privilegiorum Apostolicorum sententias non ferant.

Honorius, etc., venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis in quorum diœcesibus monasteria, et prioratus Cluniacen. monasterio subjecta consistunt.

Quanto amplius esse debetis justitiæ zelatores, tanto magis vos dedecet facere fraudem legi, et præsertim in Apostolicæ Sedis injuriam et contemptum. Sane dilecti filii abbas, et conventus Cluniacen. gravem nobis querimoniam obtulerunt, quod quidam vestrum, et eorum officiales, quum in eos et sui ordinis monachos non possint excommunicationis et interdicti proferre sententias, eo quod super hoc Apostolicæ Sedis privilegiis sunt muniti, in eos qui moliunt in molendinis vel coquunt in furnis eorum, quique vendendo, seu emendo, aut alias eis communicant, sententias proferunt memoratas, et sic Apostolicorum privilegiorum non vim et potestatem, sed sola verba servantes, dicti ordinis monachos quodam modo excommunicant dum eis alios communicare non sinunt, ex quo illud etiam evenit inconveniens, ut ipsi monachi quantum ad hoc judicentur judicio Judæorum, et qui eis communicant in prædictis, majorem excommunicationem incurrunt, quam etiam excommunicatis communicando fuerant incursuri. Nolentes igitur hæc crebris ad nos clamoribus jam perlata ulterius sub dissimulatione transire, vobis universis et singulis, per Apostolica

scripta mandamus, quatenus hujusmodi sententias in fraudem privilegiorum nostrorum de cætero non feratis, quia si super hoc ad nos denuo clamor ascenderit, non poterimus conniventibus oculis pertransire, quia promulgatores talium sententiarum severitate debita castigemus. Datum Alatri, secundo nonas junii, anno sexto.

CCVII

Ad Ugrinum archiepiscopum Colocensem.

2 junii 1222.

[Fejer, Cod. diplom., III, I, p. 385.]

Ut, non obstante oculi macula, electum Ultrasylvanum confirmare possit.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri... archiepiscopo Colocensi, salutem et apostolicam benedictionem.

Benigne nuper recepimus litteras tuas, quas cum dilecto filio R., præposito Waradiensi, ad ecclesiam Ultrasylvanam electo, ad Sedem Apostolicam transmisisti. Intelleximus autem ex prædictarum serie litterarum, quod, Ultrasylvana ecclesia noviter destituta pastore, ipsius loci capitulum ad electionem episcopi procedentes, prædictum præpositum cum electione celebrata de ipso tibi tamquam metropolitano proprio præsentarunt, confirmari eam humiliter postulantes. Tu autem de universis negotii circumstantiis diligenter inquirens, comperisti electionem eamdem canonice celebratam, concurrentibus ad ejus confirmationem ejusdem electi competenti litteratura, honestate morum et genere, ac faciente ad hoc quod de gremio est ecclesiæ memoratæ : sed quia ob hoc dubitasti dumtaxat, quod in altero suorum oculo quædam macula videbatur, elegisti potius ad nos ipsum inspiciendum transmittere, quam ad confirmandam electionem nobis procedere inconsultis. Verum humiliter postulasti magistro N. clerico tuo, ad nostram præsentiam destinato, ut, si ejusdem ecclesiæ votis in hoc vellemus annuere, confirmationem electionis ejusdem tibi remittere dignaremur. Cæterum carissimi in Christo filii nostri... rex et... regina Hungarorum illustres, multiplicatis prælatorum terræ intercessionibus pro eodem electo, per quem potius quam per alium prædicta speratur ecclesia in temporalibus et spiritualibus recipere incrementa, nobis cum instantia supplicarunt. Nos vero fraternitati tuæ in hoc et aliis, quantum cum Deo possumus, deferre volentes, præfatum electum ad te cum gratia nostra duximus remittendum, per Apostolica tibi scripta mandantes, quatenus quum hoc deferendi tibi causa fecerimus erga electum ipsum; si alias est idoneus, prædicta macula non obstante sine difficultate, prout ad tuum pertinet officium, exsequaris. Datum Alatri, III nonas junii, pontificatus nostri anno sexto.

CCVIII

Ad magistrum et fratres ordinis Prædicatorum.

3 junii 1222.

[Ripolli, Bullarium Prædicat., I, n° 29, pag. 15.]

Ecclesiam S. Sabinæ ad celebrandum et domos ad inhabitandum eis concedit.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis magistro, et fratribus ordinis Prædicatorum, salutem et Apostolicam benedictionem.

Quia omnibus ex officio nostro, licet immeriti, præsumus, merito vobis, qui vestro ministerio proficere cupitis universis, commoda, quum convenit, ministramus, ut sic ministri Christi et dispensatores mysteriorum Dei per nostrum ministerium honorentur. Quum igitur certum hospitium non haberetis in urbe, ubi eo forsan plus prodesse potestis, quo ibi tam indigenæ, quam extranei congregantur; nos tam vobis, quam multorum utilitati consulere cupientes, ecclesiam S. Sabinæ ad celebrandum, et domos ad inhabitandum silut sæculares clerici habuerunt, de consensu fratrum nostrorum, et specialiter dilecti filii nostri tituli ejusdem ecclesiæ presbyteri cardinalis, vobis duximus concedendam, domo ubi est baptisterium cum horto proximo et reclusorio pro duobus clericis reservato, qui de parochia, et possessionibus ipsius ecclesiæ, prout expediet, curam gerent, jure cardinalis in omnibus integre conservato. Nulli ergo, etc. Datum Romæ, nonis junii, pont. nostri anno sexto.

CCIX

Ad priores et subpriores ordinis Præmonstratensis.

6 junii 1222.

[Lepaige, Præmonstratensis ordinis Bibliotheca, p. 654.]

Inhibet ne in judices assumantur.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis universis prioribus et subprioribus ordinis Præmonstratensis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Quum ad hoc postponentes universa, ut in claustrali silentio possitis liberius Domino famulari, indecens esse videtur vos sæcularibus negotiis immiscere. Hinc est igitur quod nos vestris supplicationibus inclinati, auctoritate præsentium indulgemus, ut nostrarum commissionum obtentu, non teneamini cognoscere de causis vobis ab Apostolica Sede commissis, nisi forte in litteris commissionum ipsarum de hac indulgentia specialem fecerimus mentionem : nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ protectionis et confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Alatri, octavo idus junii, pontificatus nostri anno sexto.

CCX

Ad Archembaldum de Borbonio, Alverniæ conestabulum.

6 junii 1222.

[Bouquet, Rec. des Hist., XIX, p. 726. Regest., lib. VI, epist. 436.]

Mandat ut præposituram præposito Brivatensi restituat.

Honorius episcopus...., dilecto filio nobili viro A. domino de Borbonio, conestabulo Alverniæ, salutem, etc.

Ad nostram audientiam, dilecto filio P. de Lotzac, præposito Brivatensi, quærente, pervenit, quod tu, sicut convenit, non attendens quod laicis, quamvis religiosis, super ecclesiis vel rebus ecclesiasticis nulla sit attributa potestas, quos obsequendi manet necessitas, non auctoritas imperandi, ipsum præpositura sua, regia fultus potentia, contra justitiam spoliasti. Quia vero præpositi memorati gravamen indebitum conniventibus oculis pertransire nec volumus nec debemus, nobilitatem tuam rogandam duximus attentius et monendam, per Apostolica tibi scripta mandantes, quatenus præposituram præfatam, cum fructibus perceptis ex ea, ob reverentiam beati Petri et nostram, præposito restituens memorato, nec tu super ea de cætero molestes eumdem, nec permittas ab aliquibus, quantum in te fuerit, indebite molestari. Datum Alatri, VIII idus junii, anno sexto.

CCXI

Ad episcopum Claromonten.

6 junii 1222.

[Regest., lib. VI, ep. 434. Mss. La Porte du Theil.]

Ut capituli Brevaten. ecclesias indebitis exactionibus non aggravet.

Honorius, etc., venerabili fratri episcopo Claromonten.

Licet secundum Apostolum instantia nostra quotidiana sit omnium ecclesiarum sollicitudo continua, illarum tamen jura servare tenemur specialius illibata, quæ ad Romanam Ecclesiam nullo pertinent mediante. Ad nostram siquidem audientiam conquerentibus dilectis filiis capitulo Brevaten. noveris pervenisse, quod tu occasione juris episcopalis, quod adjudicavit tibi tunc fel. memoriæ Innocentius Papa prædecessor noster in quibusdam ecclesiis, eorumdem ecclesias ipsas indebitis exactionibus aggravare præsumis. Ideoque fraternitatem tuam rogandam duximus et monendam per Apostolica tibi scripta mandantes, quatenus a præsumptione hujusmodi taliter conquiescas quod jamdicto capitulo, et ecclesiæ suæ super præmissis justa de te non remaneat materia conquerendi, nec nos qui eis in sua justitia deesse non possumus, nec debemus, ipsis in hac parte providere aliter compellamur. Datum Alatri, idus junii, anno sexto.

CCXII

Ad abbatem conventumque S. Martini Laudunensis.

7 junii 1222.

[Hugo, Annal. Præmonstraten. ordinis, I, prob. 47.]

Eos sub Apostolica protectione suscipit.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati et conventui Sancti Martini Laudunensis, Præmonstratensis ordinis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Quum a nobis petitur quod justum est et honestum, tam vigor æquitatis quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Quapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis precibus inclinati, personas vestras et locum in quo divino estis obsequio mancipati, cum omnibus bonis, quæ in præsentiarum rationabiliter aut in futurum justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus : specialiter autem de Burchi, de Parmilę, de Wargnon, de Lobia, de Genammont, de Armurte... ecclesias de Sammoucy de Cestropoy, de Burchy, de Vertegny, de Anamis et de Chaumont. Curtem cum pertinentis suis; molendina, possessiones, decimas, census necnon et alia bona vestra, sicut ea omnia juste, quiete ac canonice possidetis, vobis et per vos monasterio vestro auctoritate Apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ protectionis et confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Alatri, VII idus junii, pontificatus nostri anno sexto.

CCXIII

Ad magistrum Willelmum de Aria.

7 junii 1222.

[Regest., lib. VI, epist. 429. Mss. La Porte du Theil.]

Quamdam condemnationem in eum nullam esse decernit.

Honorius, etc., dilecto filio magistro Willelmo de Aria.

Intellectis perfecte meritis appellationis, quam proposuisti contra processum abbatis S. Auberti et suorum conjudicum in causa, quæ super præbenda scolastica ecclesiæ S. Audomari inter te, et capitulum ejusdem ecclesiæ Morinen. diœc. [vertebatur] quum ex actis judicum eorumdem, nec non... Insulen. decani et collegarum ipsius super hujusmodi negotio per fidelem relationem dilecti filii nostri Egidii Sanctorum Cosmæ et Damiani diaconi cardinalis, cui negotium ipsum commisimus audiendum, instructi plene fuerimus, processum eumdem sententialiter retractantes, decrevimus irritum et inane quidquid super condemnatione quadraginta librarum Parisien. expensarum nomine, ac si quid aliud contra te ab eis judicibus est post appellationem hujusmodi attentatum, nolentes te super ipsis expensis occasione dicti processus ab aliquo molestari. Nulli ergo, etc., nostræ diffinitionis infringere. Si quis autem, etc. Datum Alatri, VII idus junii, pontificatus nostri anno sexto.

Super hoc scriptum est abbati Sancti Martini de Lemellis... decano et archidiacono Ambianen. Intellectis, etc., ut supra, *usque* molestari. Ideoque discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus non patiamini dictum magistrum contra hæc temere molestari, molestatores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Quod si non omnes iis exsequendis interesse potueritis, etc., duo vestrum, etc. Datum Alatri, VII idus junii, pontificatus nostri anno sexto.

CCXIV

Ad Ruthenensem episcopum.

12 junii 1222.

[Bouquet, Rec. des. Hist., XIX, p. 726.]

Mandat ut si Archembaldus dominus de Borbonio, præceptum apostolicum non curaverit adimplere, ipsi ad jam dictam præposituram P. de Lotzac restituant.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, Ruthenensi episcopo, priori Sancti Pauli Vivariensis et B. Fantos canonico Ruthenensi.

Ad nostram audientiam, etc., indebite molestari *usque ad calcem*. Deinde subjici-

tur : Quocirca discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus quatenus, si dictus nobilis mandatum nostrum super his non curavit adimplere, vos, si est ita, ad jamdictam præposituram restituentes præpositum memoratum, faciatis ipsum ejusdem, auctoritate nostra, pacifica possessione gaudere. Quod si non omnes, etc.

Datum Alatri, II idus junii, anno sexto.

CCXV

Ad abbatem de Lapide S. Michaelis Halberstad.

31 maii vel 12 junii 1222.

[Erath, Cod. diplom. Quedlinb., 138.]

Licet abbatissa subditos excommunicare non possit, ipsi tamen sibi obedire tenentur.

Dilecta in Christo filia abbatissa de Bubrigen. transmissa nobis petitione monstravit, quod quum ipsa plerumque canonicas suas et clericos suæ jurisdictioni subjectos propter inobedientias et culpas eorum officio beneficioque suspendat, et iidem confisi ex eo, quod eadem abbatissa excommunicare eos non potest, suspensionem hujusmodi non observant, propter quod ipsorum excessus remanent incorrecti. Quocirca discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus dictas canonicas et clericos, ut abbatissæ præfatæ obedientiam et reverentiam debitam impendentes, ejus salubria monita et mandata observent, monitione præmissa, ecclesiastica censura, appellatione remota, compellas. Datum Alatri, II kalendas *aut* id. junii, pontificatus nostri anno sexto.

CCXVI

Ad Hugonem, Ostiensem episcopum, Apostolicæ Sedis legatum.

13 junii 1222.

[Pennotus, Cler. Canon. Histor., p. 205.]

Mandat ut, de Mortariensi ecclesia ad monasterium S. Petri in Cœlo aureo de Papia transferenda, prout procedendum viderit, procedat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri episcopo Ostiensi, Apostolicæ Sedis legato, salutem, etc.

Benigne tuas recepimus litteras continentes, quod te accedente Papiam, inter alia reperisti monasterium Sancti Petri in Cœlo aureo nobis immediate subjectum, adeo in spiritualibus, et temporalibus esse collapsum, quod nisi per Sedis Apostolicæ providentiam relevetur, nunquam adipiscere poterit, ut resurgat. Idem quoque monasterium pro magna parte est dirutum, et debito septem millium librarum monetæ Papiensis oppressum : rursus abbas ejusdem loci ea occasione, quod ad nimiam jam memoratum monasterium dissolutionem pervenit, noviter est occisus. Sane constitutis per te religiosis personis ad bona monasterio procuranda, in solutionem debiti convertenda, et monachis interim, donec illud ab hujusmodi respirat onere, in diversis monasteriis collocatis, quum nunquam speretur, quod locus ipse per nigros valeat monachos reformari, considerasti esse congruum et reformationi ejusdem expedire vidisti, si Mortariensis ecclesia ordinis Sancti Augustini ad prædictum monasterium, ubi corpus ipsius requiescere dignoscitur, transferatur, quum canonici ejusdem ecclesiæ laudabile habeant testimonium, et dictum monasterium satis fuerit honorabile inter cætera provinciæ Lombardiæ, insuper a nobis in eisdem litteris postulasti, ut nostrum super hoc beneplacitum scriberemus. Multorum enim prælatorum ejusdem provinciæ recepimus litteras supplicantium, ut ad prædictum monasterium eamdem ecclesiam transferamus, ac proponentium hoc ipsi monasterio, et eisdem canonicis expedire, pro eo quod præfatum monasterium per eosdem canonicos, qui vita et conversatione Deo et hominibus sunt accepti, facilius et melius quam per alios creditur reformandum : et inde iidem canonici liberius insistere poterunt regularibus institutis, qui hactenus in eadem ecclesia sæpe passi propter continua guerrarum discrimina, destructionis, et combustionis incommodum, nequiverunt, quæ sui sunt ordinis, commode observare. Nos igitur plenam de fraternitate tua fiduciam obtinentes, per Apostolica tibi scripta mandamus, quatenus super hoc consideratis singulis circumstantiis, auctoritate nostra, cum ea, quæ convenit maturitate, procedas, prout secundum Deum videris procedendum. Datum Laterani, idibus junii, pontificatus nostri anno sexto.

CCXVII

Ad episcopum, decanum et archidiaconum Atrebatenses.

14 junii 1222.

[Regest., lib. VI, epist. 161. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat ut omnes conversas tam monasterii Sancti Nicolai de Arrovasio quam domorum ei subjectarum in una cellula commorari faciant.

Honorius, etc., venerabili fratri episcopo, et dilectis filiis decano et archidiacono Atrebaten.

Sua nobis... abbas et conventus Sancti Nicolai de Arrovasio, ordinis Sancti Augustini, significatione monstrarunt, quod quum mulieres, quæ receptæ sunt in eorum monasterio et subjectis sibi domibus in conversas non simul in una, sed diverse in diversis ipsius ordinis domibus commorentur, frequenter de ipsis suspicio mala oritur. Unde tam eis quam totius honestati ordinis derogatur. Quum autem, ut prædicti abbas et conventus asserunt, eis super hoc utilius provideri non valeat quam quod eædem mulieres a monasterio et domibus præfatis eductæ simul in aliqua ipsius monasterii cella ponantur, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus omnes conversas tam ipsius monasterii, quam domorum prædictarum in una de memorati monasterii cellulis ad hoc magis idonea congregantes, ipsas faciatis ibidem sub regulari observantia, prout utrorumque famæ ac saluti expedire videritis, commorari, contradictores per censuram ecclesiasticam, sublato appellationis obstaculo, compescendo. Quod si non omnes, etc. Datum Alatri, XVII kalendas julii, pontificatus nostri anno sexto.

CCXVIII

Ad universos Christi fideles in Hispania.

15 junii 1222.

[Raynaldi, Ann. ad an. 1222, § 53.]

Rogat et obsecrat, ut si Mauri guerram Jacobo regi Aragonum fecerint, ipsi dicto regi auxilium impendant.

Susceptæ servitutis officium, quod nos carissimo in Christo filio nostro Jacobo illustri regi Aragonum, sicut et aliis christianis principibus constituit debitores, eidem nos obligat vinculo speciali. Cum enim sit Ecclesiæ Romanæ vassallus, non solum contra inimicos nominis christiani sibi auxilium tenemur impendere, verum etiam contra Christianos, si, quod absit, urgeret necessitas, teneremur eidem favorem et subsidium exhibere. Quia igitur Mauri, quibus terra ipsius noscitur esse contigua, quam adeo crebris lacessere dicuntur injuriis, ut credatur vix posse contingere, quin tandem inter eos guerra manifestior oriatur, vos tanto studiosius contra illos volentes assistere dicto regi, quanto certius est eos non solum ipsius regis, sed etiam christianorum omnium existere inimicos, universitatem vestram rogamus, et obsecramus in Domino Jesu Christo, ac in remissionem vobis injungimus peccatorum, quatenus si forte ipsi Mauri guerram regi fecerint sæpe dicto, eidem pro reverentia Jesu Christi, et honore nominis christiani, personarum et rerum auxilium viriliter et efficaciter impendatis, ut ipsorum Maurorum feritas, auctore Domino, per vestræ virtutis auxilium comprimatur, etc.

Indulgentiarum præmia iis, qui ipsi in eo bello auxilia tulerint, pollicetur.

Datum Alatri, XVII kalendas julii, pontificatus nostri anno sexto.

CCXIX

Ad Alfonsum regem Portugalensem.

16 junii 1222.

[Raynaldi, Ann., ad an. 1222, § 50-53.]

Regis excommunicati iras emollire atque ad religionem officii principem ferocientem revocare conatus est Honorius. Licet iteratis litteris et per plures episcopos curaverit illum commoneri ut competenter satisfaceret archiepiscopo Bracharensi de illatis damnis, et de irrogatis injuriis, rex monitis acquiescere contempsit; inde sententiæ excommunicationis in ipsum et interdicti in terram suam promulgatæ.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, illustri regi Portugalensi, spiritum consilii sanioris.

Etsi venerabili fratri nostro... Bracharensi archiepiscopo persecutionem propter justitiam patienti, tanquam nobili Ecclesiæ Dei membro, ex intimo mentis compatiamur affectu, ex eo tamen exspectantes consolationis solatium incunctanter, qui clamantes

ad eum in tribulatione justos exaudiens, non solum eos misericorditer liberat, verum etiam potenter exaltat, nobis non indigne blandimur, quod sicut nunc tribulationis, ita et gloriæ tandem ejus erimus participes et consortes : sed tibi gravius, si tamen ipse doleas, condolemus, imo dolemus gravissime, quod non doles te pro manifestis et enormibus culpis tuis, Petri gladio medicinali percussum, qui sicut humilibus et devotis revertentibus ad percutientem se, qui vulnerat et medetur, causa evidens est salutis, ita perversis, qui percussi non dolent, et attriti renuunt accipere disciplinam, perditionis est occasio manifesta. Utinam autem ne fiat incurabilis plaga tua, et eo insanabilis, quo insensibilis habeatur, saltem amodo te dolens, non hactenus doluisse inspicias, nec despicias quam graviter tuo displiceas Creatori, qui cum inter alia gratiæ suæ dona te ad regni solium sublimavit, ut te ac subditos tuos ad ejus regeres famulatum, te sibi sentit publice rebellantem; dum unicam Christi sponsam, Ecclesiam scilicet, immaniter persequens, prædictum archiepiscopum ministrum ipsius, vel ipsum potius in ministro indesinenter affligis, et ab Ecclesia propria proturbatum continuare jamdiu exilium compulisti. Et licet te nostris litteris monuerimus diligenter, et per venerabiles fratres nostros Palentinum, Astoricensem, et Tudensem episcopos mandaverimus commoneri, ut memorato archiepiscopo de illatis damnis, et irrogatis injuriis satisfacias competenter, tu tamen seductus pravis consiliis perversorum cor tuum exhibens durius adamante monitis acquiescere contempsisti, eligendo potius excommunicationis in tuam et aliorum quorumdam in aliis litteris expressorum personas, ac in terram tuam interdicti sententias per eumdem archiepiscopum promulgatas, et a nobis habitas, ratas, et firmas periculosissime sustinere, quam per satisfactionis compendium redire ad ecclesiasticam unitatem. Quare memorati episcopi, prout eis nostris dederamus litteris in mandatis, easdem sententias solemniter publicantes, et facientes per partes publicari vicinas, reliquam terram tuam supposuerunt ecclesiastico interdicto, licet exceptiones quasdam, quas ipsi reputarunt merito frivolas, et inanes coram eis opponi fecisses, et ad Sedem Apostolicam appellari. Sed nec sic a tua es duritia emollitus, fallaciter suggerentibus, sicut dicitur, seductoribus tuis tuam tibi duritiam profuturam; qui si te diligerent aliquatenus, si non ut animæ, saltem ut famæ consulerent, hortarentur, ad gremium matris Ecclesiæ celeriter te redire, cum circumscripto timore divino, quem quanto diutius abjicis, tanto damnabilius efficeris a Domino alienus, ignominiam ex hoc incurreris detestando, dum a multis dicitur : Eccine rex, qui contra inermes se armans, gladium, quem ad malefactorum vindictam, laudem vero bonorum suscepit a Domino bajulandum, acuit in viscera matris suæ, paratus perire potius quam Ecclesiæ mandato parere?

Ut igitur ex monitis iteratis plenius agnoscens monentis affectum, eis libentius et perfectius acquiescas, serenitatem regiam per iterata scripta monemus et hortamur attente, per eum qui venturus est judicare vivos et mortuos nihilominus obsecrantes, quatenus saltem ex hoc nunc sciens, et videns quia malum et amarum est reliquisse te Dominum Deum tuum, et apud te nec ejus esse timorem, converti festines ad eum, et restitui acceleres Ecclesiasticæ unitati, eruensque te de laqueo, in quem et periculosum et probrosum esse te non dubitas incurrisse; sæpe dictum archiepiscopum, exhibita sibi, necnon cathedralibus, et aliis ecclesiis, monasteriis, hospitalibus, domibus militiæ Templi, et aliis locis religiosis, et clericis, de iis, de quibus ante, vel post excommunicationem dignosceris offendisse, satisfactione condigna, revoces ad sedem propriam cum honore. Quia quanto sub omnipotenti manu Dei humiliaveris te obnixius, tanto mereberis gloriosius sublimari; certus omnino, quod nunquam alias absolutionis beneficium poteris obtinere. Alioquin patens erit te a Domino, quasi de industria, recessisse, nolleque intelligere vias ejus; dum maledictionem veluti aquam bibens, facto, etsi non voce, videris asserere : Vanus est, qui servit Deo, et quod emolumentum iis, qui mandata ejus satagunt custodire?

Nos quoque non solum prædictas sententias faciemus frequentius publicari, donec prædicto archiepiscopo, et aliis injuriam passis congrue fuerit satisfactum, verum etiam crescente contumacia tua severius contra te, tam spiritualiter quam tempora-

liter procedemus, terram tuam, prout in aliis litteris tibi fuimus comminati, exponendo regibus et principibus occupandam, ita quod cedat in jus perpetuum occupantium, et fideles tuos a fidelitatis debito absolvendo, et omnes qui tibi adhæserint, excommunicationis vinculo innodando. Datum Alatri, XVI kal. julii, pontificatus nostri anno sexto.

CCXX

Ad Briccium episcopum Vaciensem, abbatem Egriensem et præpositum Vaciensem.

21 junii 1222.

[Theiner, Monum. Hungariæ, I, 34, n. 69.]

Mandat ut veritatem de damnis monasterio beatæ Mariæ de Clus illatis inquirant, partibus præfigentes terminum competentem quo se Apostolicæ Sedis conspectui repræsentent.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri... episcopo Vaciensi et dilectis filiis abbati Egriensi, Cenadiensis diœcesis, etc..., prœposito Vaciensi, salutem et Apostolicam benedictionem.

Gravem dilectorum filiorum abbatis et conventus monasterii beatæ Mariæ de Clus recepimus quæstionem, quod quum monasterium ipsum, quod ad nos nullo medio pertinet, non solum Apostolicæ Sedis sed etiam regalibus fuisset privilegiis communitum, bonæ memoriæ W. episcopus Albensis, sequens tyrannidem A. prædecessoris sui, qui olim, destructo eodem monasterio, L. antecessorem ipsius abbatis crudeliter captivarat, eumdem abbatem et duos ex fratribus suis una cum R., J., A., et E., canonicis Albensibus, et quibusdam aliis, Dei timore postposito, cepit immaniter, et eis traditis custodiæ carcerali, supradictum monasterium violenter aggrediens, privilegium ipsi ab Apostolica Sede indultum igne combussit, et ejus regale privilegium aqua delevit. Unde cum abbas et conventus præfati, amissis privilegiis, injuriatorum suorum calumniis nequiverunt postmodum se tueri, monasterium ipsum, quod honorum temporalium ubertate floruerat, ad tantam inopiam est deductum, quod fratres ibi Domino servientes, sufficientiam panis habere non poterant, unde suo satisfacerent exactori, et ne possent ab imminentibus oppressionibus respirare, famuli episcopi memorati et canonicorum Albensium suæ paupertatis residuum in superfluis comessationibus consumpserunt. Unde nobis humiliter supplicarunt, ut ne, quod absit, per amissionem privilegiorum suorum monasterium ipsum penitus destruatur, paterna sibi dignaremur sollicitudine providere, facientes eis suæ libertatis privilegium innovari, et de prædictis injuriis justitiam exhiberi. Quocirca discretioni vestræ per Apostolica scripta districte præcipiendo mandamus, quatenus, vocatis qui fuerint evocandi, et inquisita super præmissis omnibus plenius veritate, quæ inveneritis, infra quatuor menses post susceptionem præsentium, vestris nobis litteris fideliter intimetis, præfigentes partibus terminum competentem, quo se nostro conspectui per se vel per procuratores idoneos repræsentent, quod super his statuerimus recepturi. Quod si non omnes, etc., non obstante constitutione Concilii generalis, qua cavetur, ne quis ultra duas diætas extra suam diœcesim per litteras Apostolicas ad judicium trahi possit. Datum Laterani, XI kalendas julii, pontificatus nostri anno sexto.

CCXXI

Ad abbatissam et conventum monasterii S. Mariæ de Avenis.

21 junii 1222.

[Mss. latins. Fonds Moreau, t. CXXIX, p. 119.]

Illud monasterium sub beati Petri et sua protectione suscipit.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis in Christo filiabus abbatissæ ac conventui monasterii de Avesnis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Solet annuere Sedes Apostolica piis votis et honestis petentium desideriis favorem benevolum impertiri. Ea propter, dilectæ in Christo filiæ, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, personas et monasterium vestrum cum omnibus bonis, quæ in præsentiarum rationabiliter possidet aut in futurum justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus. Specialiter autem locum in quo dictum monasterium vestrum situm est, possessiones, redditus et

alia bona vestra, sicut ea omnia juste, canonice ac pacifice possidetis, vobis et per vos eidem monasterio vestro auctoritate Apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ protectionis et confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem, etc. Datum Laterani, XI kal. julii, pontificatus nostri anno sexto.

CCXXII

Ad abbates et fratres universos ordinis Præmonstratensis.

22 junii 1222.

[Mathæus, Veteris ævi Analecta, t. II, p. 78.]

Inhibet ne quisquam eorum in pertractandis alienis causis præsumat existere procurator.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbatibus, et fratribus universis ordinis Præmonstratensis, salutem, etc.

Quum relictis sæculi vanitatibus ei soli impendere teneamini famulatum, cui servire regnare est, indecens constat esse ut, quum debeatis orationibus invigilare, involvatis vos quæstionibus alienis. Quocirca universitati vestræ auctoritate præsentium inhibemus, ne quisquam vestrum in pertractandis alienis causis præsumat existere procurator. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ inhibitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani, X kal. julii, pontificatus nostri anno sexto.

CCXXIII

Ad abbates de Gratia Dei et S. Leonardi de Calmis et de Rupella, Xanctonensis diœcesis.

23 junii 1222.

[Rymer, Fœdera, I, I, 88.]

De insolentia Templariorum reprimenda.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis de Gratia Dei, et Sancti Leonardi de Calmis, et de Rupella abbatibus, Xanctonensis diœcesis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Carissimus in Christo filius noster Henricus, rex Anglorum illustris, sua nobis petitione monstravit quod, quum claræ memoriæ Henricus avus, et Ricardus patruus ejus reges Angliæ, in villa sua de Rupella fratribus militiæ Templi, Xanctonensis diœcesis, quasdam domos pia liberalitate donaverint, illi facta sibi gratia perperam abutentes, quascumque domos, sive possessiones aut homines possunt circumquaque infra proprietatem regiam, apprehendere sibi ea, in præjudicium ejus, usurpant, et statim imponentes signa sua taliter usurpatis, non permittunt exinde regi debita et consueta servitia provenire. Ad hæc, cum de antiqua ipsius villæ consuetudine sit hactenus observatum, ut quicumque advena sine domino, per annum et diem ibi moratur, statim efficitur homo regis, iidem Templarii se super hoc regi prædicto indebite opponentes, contra hujusmodi consuetudinem multa sibi usurpare præsumunt, ac balivos et fideles regios coram certis judicibus, quos, in terra inimicorum regis, auctoritate nostra se habere proponunt, trahunt frequenter in causam, alias ipsos, immo regem, occasione hujusmodi, multipliciter molestando. Nolentes igitur eidem in suo jure deesse, cui potius, ex pluribus causis, favorabiliter adesse tenemur, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus inquisita super his, et cognitate veritate, causam, si de partium voluntate processerit, concordia vel judicio terminetis ; alioquin, quæ inveneritis sub sigillis vestris nobis fideliter rescribatis, ut procedamus exinde prout secundum Deum viderimus procedendum. Testes autem qui fuerint nominati, si se gratia, odio, vel timore subtraxerint, per censuram ecclesiasticam, cessante appellatione, cogatis veritati testimonium perhibere. Quod si non omnes his exsequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nihilominus exsequantur. Datum Laterani, IX kalendas julii, pontificatus nostri anno sexto.

CCXXIV

Ad Cantuariæ S. R. E. cardinalem et Eborum archiepiscopos ac eorum suffraganeos.

25 junii 1222.

[Dugdale, Monasticum Anglicum, tome V, p. 536, n. 15.]

Confirmatio privilegiorum ordinis Cisterciensium.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus Cantuariæ, sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalis, et Eborum archiepiscopis et eorum suffraganeis, ac dilectis filiis aliis ecclesiarum prælatis per Cantuariæ et Eborum provincias constitutis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Quum abbates Cisterciensis ordinis tempore Concilii generalis ad comminationem felicis memoriæ Innocentii Papæ, prædecessoris nostri, statuerunt, ut de cætero fratres ipsius ordinis (ne occasione privilegiorum suorum ecclesiæ ulterius gravarentur) de alienis terris et ab eo tempore acquirendis, si eas propriis manibus aut sumptibus colent, decimas persolverent ecclesiis quibus ratione prædiorum antea solvebantur, nisi cum eisdem ecclesiis aliter ducerentur componendum, idem prædecessor noster, quia sperabat ut ecclesiarum prælati promptiores et efficaciores existerent ad exhibendum eis de suis malefactoribus justitiæ complementum, et eorum privilegia diligentius, et perfectius, observarent, statutum hujusmodi gratum habens et ratum, hoc ipsum ad alios regulares qui gaudent similibus privilegiis extendi voluit et mandavit. Sed quod dolentes referimus in contrarium res est versa, ex inculcata querela abbatum ipsius ordinis frequenter audivimus [quod] nonnulli ecclesiarum prælati et alii clerici eorum privilegia temere contemnunt et, contendentes malitiose ipsorum pervertere intellectum, eosdem multipliciter inquietant. Nunc cum sit ipsis indultum ut de novalibus quæ propriis manibus aut sumptibus excolunt, sive de hortis et virgultis et piscationibus suis, vel de suorum animalium nutrimentis, nullus ab eis decimas exigere, vel extorquere præsumat, quidam perverso intellectu consulto dicentes quod non possunt nec debent intelligere, nisi de his quæ sunt ante generale Concilium acquisita, ipsos super his multiplici exactione fatigant. Nos igitur eorum quieti paterna sollicitudine providere volentes, universitati vestræ per Apostolica scripta firmiter præcipiendo mandamus, quatenus abbates et fratres ejusdem ordinis a præstatione decimarum tam de possessionibus habitis ante Concilium generale quam de novalibus sive ante sive post Concilium acquisitis, quæ propriis manibus, aut sumptibus excolunt, nec non de hortis et virgultis, pratis, pascuis, nemoribus, molendinis, salinis et piscationibus suis, et de suorum animalium nutrimentis, singuli vestrum omnino servetis immunes, contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Datum in Laterano, VII kalend. julii, pontificatus nostri anno sexto.

CCXXV

Ad Hugonem de Leziniaco comitem Marchiæ et ejus uxorem.

25 junii 1222.

[Bouquet, Recueil des Hist., XIX, 726.]

Hugoni de Leziniaco, Marchiæ comiti, et uxori ejus, ob infestatas Angliæ regis terras olim excommunicatis, dein absolutis, nunc denuo excommunicationis minas intentat Honorius, nisi cito dotem et castra Joannæ, regis sorori, restituant.

Honorius episcopus, nobili viro Hugoni de Leziniaco comiti Marchiæ et Isabellæ uxori ejus, etc.

Intelleximus ex relatione venerabilis fratris nostri Pandulphi, episcopi Norwicensis, quod, tempore treugæ initæ inter carissimum in Christo filium nostrum Henricum, regem Anglorum illustrem, ex parte una, et vos ex altera, mediante prædicto episcopo tunc electo, vos, juxta intentionem episcopi memorati, pro vobis et complicibus vestris, mandatis nostris stare jurastis super his, pro quibus in personas vestras, et fautorum vestrorum ac complicum excommunicationis, et in terras vestras et ipsorum interdicti, fuerant per venerabiles fratres nostros Xanctonensem et Lemovicensem episcopos, et dilectum filium decanum Burdegalensem sententiæ, auctoritate Apostolica promulgatæ, pro eo videlicet, quod dotem sororis ejusdem, tu, fili comes, ea rejecta, reddere contemnebas; et quia castrum de Campniaco quo tu, filia, priusquam invicem copulare-

mini, spoliares regem et fideles ipsius, detinebatis indebite occupatum, et post inhibitionem nostram ne regem infestares eumdem, castrum suum Merpisii tu, comes, obsederas et occupaveras violenter.

Verum, quia pati nec volumus nec debemus, ut mandata nostra vel per alienam eludantur astutiam, vel per proterviam contemnantur, nec vos decet abuti gratia in relaxatione prædictarum sententiarum vobis exhibita, quum potius expediat, ut vos nostris et regis ejusdem beneplacitis coaptetis, nobilitatem vestram monemus attente per Apostolica vobis scripta, sub debito præstiti juramenti, præcipiendo mandantes, quatenus, infra festum Sancti Andreæ futurum proximo dotem et castra prædicta cum fructibus inde perceptis, et aliis, nec non et castrum Merpisii præfato regi, vel cui mandaverit ipse, sublato cujuslibet difficultatis et appellationis objectu, reddatis, de damnis et injuriis irrogatis sibi et ejus fidelibus nihilominus satisfacientes eidem. Alioquin prædictis episcopis et decano nostris damus litteris firmiter in præceptis, ut vos, et complices vestros, et vestras et eorum terras in pristinas sententias reducentes, ex tunc vos excommunicatos denuntient et perjuros, et sententias ipsas, pulsatis campanis, et accensis candelis, singulis diebus dominicis et festivis publicari solemniter faciant, et usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Prælatos quoque ac clericos, si qui, vobis in hac parte faventes, sententias non servaverint memoratas, ad præsentiam nostram cum suis testimonialibus litteris suspenso (1) venire compellant. Nos quoque contra vos severius spiritualiter et temporaliter procedemus. Datum Laterani, VII kalendas julii, pontificatus nostri anno sexto.

CCXXVI

Ad abbatem et conventum Casæmarii.

25 junii 1222.

[Manrique, Ann. Cisterc., IV, p. 244.]

Inhibet ne possessiones de eleemosyna Apostolica eorum monasterio acquisitæ ab aliquo alienentur.

Vestris inclinati precibus, auctoritate præsentium districtius inhibemus, ne possessiones de eleemosyna nostra vestro monasterio acquisitæ alienari ab aliquo præsumantur : Quod si quisquam contra tentaverit, nos eum excommunicationis sententiæ subjacere decernimus, nonnisi per Sedem Apostolicam absolvendum. Nulli ergo, etc. Datum Laterani, VII kalendas julii, pontificatus nostri anno sexto.

CCXXVII

Ad abbatem et conventum Sancti Victoris Massilien.

[Regest., lib. VI, epist. 454. Mss. La Porte du Theil.]

25 junii 1222.

Civitate Massilien. interdicto subjecta, eis mandat ut ad unum de prioratibus suis se transferant aut sine celebritate divina in suo monasterio celebrent.

Honorius, etc., dilectis filiis... abbati et conventui Sancti Victoris Massilien.

Significavit nobis venerabilis frater noster Massilien. episcopus, quod quum civitatem Massilien., exigentibus culpis civium ejus, subjicit interdicto, vos privilegiorum vestrorum prætextu divina, pulsatis campanis, solemniter celebratis et interdum ad ea excommunicatos et interdictos admisistis, ac etiam decedentes ecclesiasticæ præsumitis tradere sepulturæ; unde petiit, ut quum per hæc non modicum dissolvatur nervus ecclesiasticæ disciplinæ, et vos qui sine inquinamenti periculo pacem tangere non potestis ex vicinitate civium prædictorum, famæ ac salutis vestræ dispendium incurratis, vos transferri ad unum de prioratibus vestris ad hoc idoneum faceremus, moraturos ibidem, donec excommunicationis et interdicti sententiæ, quibus dicti cives ad præsens subjacere noscuntur, eisdem satisfactionem debitam impendentibus, fuerint relaxatæ; aliquot de fratribus vestris interim monasterii vestri custodiæ deputatis, præsertim quum tu, fili abbas, id olim propter eamdem causam petieris, et obtinueris a dilecto filio nostro B., tituli Sanctorum Johannis et Pauli presbytero cardinali, tunc in partibus illis legationis officium exercente, sicut præfatus episcopus asserit, et ipse cardinalis etiam recognoscit. Cum

(1) *Forte hic desunt nonnulla verba fere talia* appellationis *vel* contradictionis obstaculo. (*Bouquet.*)

igitur privilegia vobis in religionis favorem ab Apostolica Sede concessa per abusum hujusmodi retorqueri non velimus in injuriam episcopi memorati, universitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus aut transferatis vos ad unum de prioratibus vestris vel ad plures etiam, si unus ad hoc idoneus [inveniri] nequiverit, ibidem regulariter moraturi, quamdiu præfati cives supradictis sententiis subjecti erunt, aliquot vestrum relictis ad custodiam monasterii, qui observent inviolabiliter sententias supradictas, aut interim in ipso monasterio remanentes nec pulsare campanas, nec celebrare solemniter, vel ad officia divina excommunicatos seu interdictos admittere, vel decedentes ecclesiasticæ sepulturæ tradere præsumatis, sed clausis januis, submissa voce, divinum ita sine celebritate faciatis officium, quod compati videamini cathedrali ecclesiæ patienti, scientes nos venerabili fratri nostro..... archiepiscopo Arelaten. per nostras dedisse litteras in mandatis, ut vos ad alterum prædictorum, monitione præmissa, per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, nullo privilegio penitus obsistente, compellat. Datum Laterani, VII kalendas julii, anno sexto.

CCXXVIII

Ad Robertum Constantinopolitanum imperatorem.

27 junii 1222.

[Raynaldi, Ann. ad ann. 1222, § 14, 15.]

Gratulatur ei quod per ministerium legati A. S. inveteratam materiam dissensionis et scandali inter ecclesiam Constantinopolitanam et imperium extinxerit, et pacem concordiamque astruxerit.

Illustrissimo Constantinopolitano imperatori.

Imperialis celsitudinis litteris per dilectum filium H... Dominici sepulchri Constantinopol. priorem nobis humiliter præsentatis, et ipsorum continentia benigne prout decuit intellecta, super eo, quod per ministerium et sollicitudinem diligentem dilecti filii nostri Joannis tituli S. Praxedis presbyteris card. inveteratam materiam dissensionis et scandali, quæ inimico homine superseminante zizania passa fuerat, pluries recidivam exsufflatam asserens, et extinctam, inter ecclesiam Constantinopolitanam et imperium pacem, et concordiam tam admirabili, quam amicabili fœdere stabilitam, per easdem litteras astruebas, lætati sumus plurimum et gavisi, ei a quo omne datum optimum, et omne donum perfectum existit, gratiarum referentes uberes actiones. Super eo vero, quod tam te, quam imperium prænotatum circumquaque multipliciter ultra solitum deprimi asseris, et affligi per inimicos fidei orthodoxæ, paterno tibi compatientes affectu, ad honorem Dei et Ecclesiæ, ac augmentum imperii te de ipsis optamus feliciter triumphare. Ut autem sinceræ dilectionis affectum, quem ad progenitores tuos habuisse dignoscimur in te abundantius derivatum agnoscas, imperialem volumus celsitudinem non latere, quod nos de tuo, et commissi tibi imperii statu prospero solliciti existentes, omnes illos, qui contra te et Constantinopolitanum imperium Græcis adhæserint, ipsisque præstiterint auxilium et favorem, excommunicationis mucrone perculimus, et mandavimus excommunicatos per civitates maritimas nuntiari, nobili viro Huberto comiti de Blandraco, et sociis ejus in subsidium imperii venientibus eamdem concedentes indulgentiam, quæ statuta fuit in succursum transfretantibus Terræ Sanctæ. Tu igitur de gratiæ nostræ favore securus, tuum jactans in Domino cogitatum, et defigens in eo anchoram spei tuæ, ad anteriora jugiter te extendas, pro certo sciturus, quod nos personam tuam sincero in Domino zelantes affectu, auxilium et consilium Apostolicum, in quibus expedierit et decuerit, tibi curabimus efficaciter impertiri. Datum Laterani, V kalendas julii, pontificatus nostri anno sexto.

CCXXIX

Ad abbatem et... priorem Sancti Johannis in Vineis et... decanum Suessionen.

28 junii 1222.

[Mss. latins. Fonds Moreau, t. MCLXXXII, p. 162, ep. 150.]

Mandat ut episcopus et capitulum Cathalaunen. Rogerum clericum in canonicum et in fratrem recipiant.

Honorius, etc., dilectis filiis... abbati, et... priori Sancti Johannis in Vineis, et... decano Suessionen.

Dilectus filius Rogerus clericus in nostra proposuit præsentia constitutus, quod quum olim pro ipso venerabili fratri nostro..... episcopo et dilectis filiis capitulo Cathalaunen., ut non obstante eo quod ipsis pro aliis scripseramus, eum reciperent in canonicum et in fratrem, in mandatis primo et secundo dederimus in præceptis, iidem id efficere hactenus non curarunt; propter quod idem clericus jam coactus est tertio Sedis Apostolicæ beneficium implorare. Volentes igitur, ut quod de provisione clerici memorati pie incœpimus, præsertim quum bonæ memoriæ H... decanus et plures archidiaconi, necnon et plures alii canonici Cathalaunen. ecclesiæ pro eo nobis humiliter supplicarunt, perducere ad effectum, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus episcopum et capitulum memoratos, ut dictum clericum juxta priorum continentiam litterarum saltem hac vice recipiant in canonicum et in fratrem, præbendam, si qua vacat ibidem ad præsens, vel quum primo se facultas obtulerit, conferentes eidem, monere diligentius, et inducere procuretis ipsos ad id, nisi aliquid rationabile objectum fuerit et probatum, quare hoc fieri non debeat vel non possit, sublato appellationis obstaculo, auctoritate nostra cogentes. Quod si non omnes, etc. Datum Laterani, V kalendas julii, pontificatus nostri anno sexto.

CCXXX

Ad Arnaldum, Narbonensem archiepisc.

Anno 1222.

[Bouquet, Rec. des Hist., XIX, 727.]

Raimundo VII, comite Tolosano, missuro nuncios, qui Apostolicæ auctoritatis beneplacitum facerent, mandat Honorius, ut interim Narbonensis archiepiscopus omnia, quæ oportet fieri, perficienda procuret, ita ut nuncii falsa pro veris non valeant suadere.

Honorius episcopus..., venerabili fratri archiepiscopo Narbonensi, etc.

Recepimus litteras nobilis viri R[aimundi], filii quondam R. comitis Tolosæ, continentes quod est solemnes nuncios ad nostram præsentiam transmissurus, facturos pro ipso nostræ beneplacitum voluntatis (1). Quum ergo de te, tamquam magno et honorabili Ecclesiæ Dei membro, gerimus fiduciam specialem, certiusque responsum a te, cui jamdudum super hoc direximus litteras, exspectamus, fraternitatem tuam sollicitandam duximus et hortandam, per Apostolica tibi scripta mandantes quatenus, secundum datam tibi a Deo prudentiam, des operam efficacem ut terra ita purgetur hæreticis, et ita ecclesiis fiat restitutio ablatorum, et cum nobili viro A[malrico] comite Tolosano taliter componatur, quod ad audiendos jamdicti nobilis nuncios aures Apostolicas inclinare merito debeamus, et quod super iis actum fuerit, nobis per litteras tuas fideliter intimare procures : ita quod ipsi nuncii falsa pro veris non valeant suadere. (*Cætera desunt, et absque temporis signaculo.*)

In eumdem modum et eodem tenore scriptum est archiepiscopis et episcopis ac abbatibus et aliis ecclesiarum prælatis per Provinciam constitutis.

CCXXXI

Ad archiepiscopos et episcopos per regnum Hungariæ constitutos.

4 julii 1222.

[Fejer, Cod. diplom., III, 1, p. 388.]

Ut licet rex filium suum in regem coronari fecerit universos tamen regi patri obedire compellant.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis per regnum Hungariæ constitutis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Quia carissimus in Christo filius noster Hungariæ rex illustris, tamquam pius pater ad promotionem primogeniti sui diligenter aspirans, necnon et discrimen præ-

(1) Anno 1222, consilium hoc mente agitans Raimundus, scripsit ad Philippum regem litteras quas recitat Vaissetius, ibidem, col. 275, his verbis : « Serenissimo domino suo, Philippo, Dei gratia, Francorum regi, Raymundus filius domini comitis Tolosani, salutem et mandatis ejus semper continuo obedire. Ad vos, domine, sicut ad meum unicum et principale recurro refugium, apud dominum meum et majorem et (si auderem dicere) consanguineum, humiliter vos deprecans et exorans, quatenus mei misereri velitis, et intuitu Dei me dignemini restituere sacrosanctæ Dei Ecclesiæ unitati, ut, exhæredationis opprobrio sublato, per vos recipiam hæreditatem. Deum enim, do-

cavens regni sui, ac ipsius tranquillitatem volens salubriter procurare, dictum primogenitum suum in regem fecit inungi, ac etiam coronari, quidam perversi, qui dissensionum semitas satagunt invenire, malignari volentes, suum machinantur obsequium subtrahere ipsi regi, tamquam non sibi, sed filio teneantur, et sic contra utrumque dissidium et scandalum regni procurant. Quum igitur non fuerit ipsius regis intentio, nec esse debuerit, ut eo vivente alius dominaret in regno, sed ipse potius regnum teneat et gubernet, fraternitati vestræ per Apostolica scripta mandamus atque præcipimus, quatenus universos tam in regno, quam extra regnum constitutos, qui hujusmodi seditiones movere præsumpserint, a sua temeritate cessare per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compellatis. Datum Laterani, IV nonas julii, pontificatus nostri anno sexto.

CCXXXII

Ad Willelmum, Pictaviensem archiepiscopum dictum.

Anno 1222.

[Bouquet, Recueil des Hist., XIX, p. 727.]

Willelmo, qui, junctis cum Hugone de Leziniaco Marchiæ comite viribus, Angliæ regem suum dominum graviter læserat, et propterea fuerat excommunicatus, imperat Honorius, ut regi de damnis et injuriis faciat satis, ne eidem iterum fiat obnoxius sententiæ.

Honorius episcopus..., nobili viro Willelmo dicto archiepiscopo Pictaviensis diœcesis, salutem, etc.

Carissimus in Christo filius noster Henricus, rex Anglorum illustris, transmissa nobis petitione, monstravit quod, quum dilecti filii Talemundensis et Sancti Michaelis de Heremo abbates, et decanus Pictaviensis, de nostro speciali mandato, in te ac tuos complices et fautores excommunicationis et in tuam et ipsorum terras interdicti sententias promulgassent, pro eo quod ipsum regem, cujus homo ligius esse debes, manifestis excessibus multipliciter infestaras, ac etiam easdem sententias incurrisses, eo quod nobili viro Hugoni de Leziniaco, dicto comiti Marchiæ, una cum fautoribus suis, auctoritate nostra, similibus sententiis involuto, contra eumdem regem, dominum tuum, non absque infidelitatis nota, temere assistebas. Quia venerabilis frater noster Pandulphus, Norwicensis episcopus tum electus, tempore quo, mediante ipso, treuga fuit inita inter prædictum regem et fideles ejus, ex parte una, et memoratum Hugonem et complices ejus, ex altera, prædictæ sententiæ fuerunt ab ipso episcopo relaxatæ; tu asserens te de complicibus esse comitis memorati, tam de specialibus sententiis quam de generalibus in te latis pro absoluto te gerens, nullam prorsus satisfactionem ipsi regi vel ejus fidelibus impendisti, mandatis, quæ super hoc tibi direximus, obauditis; quin imo postmodum graves eis injurias diceris irrogasse (1).

Quocirca nobilitatem tuam iterato monemus et hortamur attente, per Apostolica scripta districte præcipiendo mandantes, quatenus infra festum S. Andreæ proximum sæpedicto regi, vel cui mandaverit, super his pro quibus in te ac terram tuam prædictæ fuerunt sententiæ promulgatæ, sublato cujuslibet difficultatis et appellationis objectu, satisfacere non omittas, de damnis et injuriis postmodum ipsi et ejus fidelibus nihilominus satisfaciendo eidem. Alioquin prædictis abbatibus et decano nostris damus litteris in præceptis ut, non obstante absolutione prædicta, te ac complices tuos, et tuam et eorum terras, denuncient excommunicationis et interdicti

mine, et sanctos testor, quod semper vestri et vestrorum, in quantum potero, ero ad beneplacitum; et libentissime vestram adivissem præsentiam; sed ad præsens (quod multum affectarem) facere non possum. Vestræ supplico majestati, quatenus fidelibus meis Guidoni de Cavillione et Isnardo Aldigario, præsentium latoribus, in iis quæ ex parte mea, domine, vobis dixerint, credere dignemini sicut mihi. Datum apud Montempessulanum, XVI kal. julii, anno MCCXXII ab Incarn. Domini. »

(1) Hujus epistolæ, qualis apud Rymerum prolata est et hic redditur, oratio, sive primæ conscriptionis, sive exemplarium ab ea descriptorum vitio, ita fœde corrupta est, ut quidquam sani rectique inde componi posse desperandum sit; sententia tamen intelligitur, quæ talis fere suberat: « Henricus nobis monstravit, quod, cum rebellionis adversus se causa, excommunicationis sententia ligatus esses, tamen non impendisti sibi satisfactionem, quia occasione absolutionis, quam Pandulphus impertivit Hugoni ejusque complicibus, abusus es, te unum ex Hugonis complicibus esse dicens. » (Bouquet.)

sententiis subjacere, ac sententias ipsas, pulsatis campanis et candelis accensis, singulis diebus Dominicis, etc. Datum Laterani, III nonas julii, pontificatus nostri anno sexto.

CCXXXIII

Ad abbatissam ac moniales monasterii Jesu Christi.

5 julii 1222.

[Manrique, Annal. Cisterc., IV, 226.]

Monasterii Jesu Christi, Cisterciensis ordinis, translationem confirmat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, abbatissæ, ac monialibus monasterii Jesu Christi, Cisterciencis ordinis, Papiensis diœcesis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Referentibus vobis didicimus, quod quum monasterium vestrum, in quo monachi fuerant, ad eum statum pervenerit, ut nulla ibi pæne vestigia sui, videlicet Cisterciensis ordinis, remansissent, duobus tantum monachis et uno converso commorantibus in eodem : vos in monasterio S. Christophori Papiensis, Cisterciensis ordinis, quo tunc morabamini, propter incongruitatem loci, vivere commode non possetis, venerabilis frater noster Papiensis episcopus, vestro et capituli sui accedente consensu, vos ad præfatum transtulit monasterium Jesu Christi, ut in eo secundum Cisterciensis regulam degeretis : dilecto filio abbate de Columba de mandato venerabilis fratris nostri Ostiensis episcopi, Apostolicæ Sedis legati, personas in loco consistentes eodem, ad aliud monasterium transferente. Hujusmodi vero translationem, sicut proponitis, prænominatus legatus, quum eam provide factam prospiceret, ratam habuit, et legationis auctoritate nihilominus confirmavit. Nos igitur vestris supplicationibus inclinati, quod a dicto Papiensi episc. super hoc provide, ac utiliter factum est, et a memorato Ostiensi postmodum confirmatum, sicut in ejus litteris continetur, auctoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo, etc... Datis Laterani, III nonas julii, pontificatus nostri anno sexto.

CCXXXIV

Ad abbatem et priorem Vallis Dei Cisterciensis ordinis.

6 julii 1222.

[Manrique, Annal. Cisterc., IV, 229.]

A commissionum Apostolicarum sollicitudine eos eximit.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, abbati et priori Vallis Dei, Cisterciensis ordinis, salutem et Apostolicam benedictionem.

A nobis humiliter postulastis, ut cum ex eo quod a puero in ergastulo claustrali fuistis, viri sitis simplices, et causarum sit vobis discussio peregrina, et propter judiciorum strepitum contingat, sanctæ contemplationis in vobis ostium impediri, eximere vos a commissionum nostrarum sollicitudine dignaremur. Nos ergo vestris supplicationibus annuentes, devotioni vestræ auctoritate præsentium indulgemus, ne per commissiones quas de cætero ad vos impetrari contigerit, procedere teneamini, si de indulgentia hujusmodi non fecerint mentionem. Datis Laterani, II nonas julii, pontificatus nostri anno sexto.

CCXXXV

Ad episcopum Æsinum et abbatem S. Savini Æsinæ diœcesis.

6 julii 1222.

[Theiner, Codex dipl. dominii temp., I, 71, n. 114.]

Ut ab Æsinis civibus cautionem de parendo ecclesiæ recipiant.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri episcopo Æsino et dilecto filio... abbati S. Savini, Æsinæ diœcesis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Cum cives Æsini nostris se offerant beneplacitis parituros, præsentium vobis auctoritate mandamus, quatenus vice nostra juratoriam et aliam sufficientem studeatis ab eis recipere pignoraticiam cautionem, quod mandatis nostris debeant obedire. Quo facto, id nobis per litteras vestras fideliter exponatis. Datum Laterani, II nonas julii, pontificatus nostri anno sexto.

CCXXXVI

Ad Yolem reginam Hungariæ.

7 julii 1222.

[Fejer, Cod. diplom., III, I, 388.]

Yoles regina Hungariæ et bona sua recipiuntur sub protectione Sedis Apostolicæ.

Honorius episcopus, etc., carissimæ in Christo filiæ Yoles, illustri reginæ Hungariæ, salutem, etc.

Justis petentium, etc. Eapropter, carissima in Christo filia, devotionis tuæ precibus inclinati, personam tuam cum omnibus tuis bonis, quæ in præsentiarum rationabiliter possides, aut in futurum, præstante Domino, justis modis poteris adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus : specialiter autem Banatum cum omnibus suis pertinentiis suis, comitatum de Warastin cum pertinentiis ejus, comitatum Sumugiensem cum suis pertinentiis, comitatum de Zala cum suis pertinentiis, et comitatum de Cerem cum suis pertinentiis et alia, quæ carissimus in Christo filius noster... rex Hungarorum illustris, vir tuus, in dotalitium tibi concessit; nos id, sicut ab eodem rege legitime factum est, de fratrum nostrorum consilio auctoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo, etc., nostræ protectionis, etc., et confirmationis infringere. Si quis autem, etc. Datum Laterani, nonis julii, anno sexto.

CCXXXVII

Ad universos Christi fideles.

19 julii 1222.

[Raynald, Annal. ad ann. 1222, § 38.]

Confirmatio indulgentiarum pro die consecrationis Basilicæ Sanctæ Mariæ Majoris a prædecessoribus suis concessarum.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis universis Christifidelibus præsentem paginam inspecturis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Devotio, quam habemus ad gloriosissimam Dei genitricem Mariam semper virginem nos inducit, ut ea, quæ ad honorem statuuntur ipsius, totis viribus amplexemur. Unde ne unius anni et quadraginta dierum a felicis recordationis Sixto III in die consecrationis basilicæ Sanctæ Mariæ Majoris, ac unius anni et quadraginta dierum a Clemente III in solemnitate consecrationis ejusdem, quando lapidem altari majori superposuit consecratum, ab ipso festo consecrationis usque ad Octavas Assumptionis ejusdem beatæ Dei genitricis Mariæ, prædecessoribus nostris Romanis pontificibus, necnon et unius anni et quadraginta dierum a nobis, vestigiis inhærentibus eorumdem, ab eodem festo consecrationis usque ad dictas Octavas, omnibus singulis devote accedentibus ad ecclesiam memoratam, concessæ indulgentiæ possint ab aliquibus processu temporis in dubium revocari, easdem indulgentias præsenti paginæ præcepimus annotari, et eas auctoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Laterani, quarto decimo kalendas augusti, pontificatus nostri anno sexto.

CCXXXVIII

Ad præpositum et capitulum Hamburgen.

20 julii 1222.

[Lappenberg, Hamburg. Urkund., I, p. 394.]

Compositionem inter capitulum Hamburgen. et archiepiscopum Bremensem super usu sigilli ejusdem archiepiscopi confirmat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis, præposito et capitulo Hamburgensi, salutem et Apostolicam benedictionem.

Justis petentium desideriis dignum est nos facilem præbere consensum et vota, quæ a rationis tramite non discordant, effectu prosequente complere. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis precibus inclinati, compositionem quæ mediantibus abbate de Reddengheshusen et collegis ipsius a Sede Apostolica delegatis, inter vos et venerabilem fratrem nostrum, Bremensem archiepiscopum, intervenit super usu sigilli ejusdem archiepiscopi et aliis arti-

culis, qui in ejusdem compositionis litteris continentur, sicut sine pravitate provide facta est et ab utraque parte sponte suscepta, auctoritate Apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus, etc. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli, apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Laterani, XIII kalendas augusti, pontificatus nostri anno sexto.

CCXXXIX

Ad abbatem et conventum S. Vincenti Laudunen.

20 julii 1222.

[Regest., lib. VI, epist. 438. Mss. La Porte du Theil.]

Eis veteres novalium decimas concedit.

Honorius, etc., dilectis filiis... abbati, et conventui Sancti Vincentii Laudunen.

Non facimus iniquam injuriam, sed utimur potius jure nostro, quum de collatæ nobis a Deo plenitudine potestatis gratiam facimus specialem illis, quorum merita id exposcunt. Hinc est quod merito vestræ religionis inducti, et provocati nostrorum prædecessorum exemplis, qui sæpe concessisse similia dignoscuntur, novalium decimas in illis vobis concedimus territoriis, in quibus decimas veteres obtinetis, cum vero [non] sit magnum ibi minus concedere ubi majus noscitur esse concessum. Nulli ergo, etc., nostræ concessionis infringere. Si quis autem, etc. Datum Laterani, XIII kalendas augusti, anno sexto.

CCXL

Ad præpositum, decanum et capitulum Hamburgenses.

21 julii 1222.

[Lappenberg, Hamburg. Urkund., I, p. 394.]

Compositionem super confectione seu receptione chrismatis eis confirmat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis, præposito, decano et capitulo Hamburgensi, salutem et apostolicam benedictionem.

Justis petentium desideriis dignum est nos facilem præbere consensum et vota, quæ a rationis tramite non discordant, effectu prosequente complere. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus inclinati, compositionem inter vos et venerabilem fratrem nostrum, archiepiscopum Bremensem, super confectione seu receptione chrismatis amicabiliter initam, sicut sine pravitate provide facta est et ab utraque parte sponte recepta, et in ejusdem archiepiscopi litteris continetur, auctoritate Apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus, etc. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Laterani, XII kalendas augusti, pontificatus nostri anno sexto.

CCXLI

Ad Stephanum de Columna subdiaconum, et Petrum Gregorii, Papæ scriptorem, Parisiis commorantes.

23 julii 1222.

[Bouquet, Rec. des Hist., XIX, p. 728. Regest., lib. VI, ep 483.]

Blancham, Campaniæ comitissam, ecclesiastica censura cogi jubet ad solvendam civi Romano pecuniam, quam pro comite Bremensi se reddituram promiserat.

Honorius episcopus..., dilectis filiis Stephano de Columna subdiacono et Petro Gregorii scriptori nostro, Parisius commorantibus, etc.

Dilectus filius Paulus Joannis Mocerii, civis Romanus, sua nobis petitione monstravit quod, quum jam tertio nobili mulieri comitissæ Campaniæ [Blanchæ] direxerimus scripta nostra, ut ei solveret quamdam summam pecuniæ quam ipse dudum claræ memoriæ Waltero Bremensi comiti mutuavit, licet promiserit se pecuniam ipsam eidem certis terminis reddituram, sicut apparet per suas litteras evidenter, nunc tamen promissionem suam adimplere non curat, asserens se prædicti comitis terram, ratione cujus ab ea requirebatur debitum

memoratum, nobili viro Waltero ejus filio resignasse, de satisfaciendo ejusdem comitis creditoribus ab eo recepta fidejussoria cautione. Unde eamdem comitissam rogandam duximus et monendam, ipsi per scripta nostra mandantes ut, quum promissionem suam eam violare non deceat, maxime quum possit habere recursum ad præfatum nobilem et ad fidejussores sibi datos ab ipso, pecuniam supradictam præfato Paulo vel ejus procuratori juxta suam promissionem exsolvat. Ideoque discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus quatenus, si dicta comitissa præceptum nostrum neglexerit adimplere, vos eam ad id per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, cogatis. Datum Laterani, X kalendas augusti, pontificatus nostri anno sexto.

LIBER SEPTIMUS

DE SEPTIMO HONORII III PONTIFICATUS ANNO.

Non sine tribulatione et aliqua tristitia fuit ille Pontificatus annus. Nam, amissa Damiata, de redintegrandis rebus orientalibus agebatur, et illa spes quam in Frederico posuerat Pontifex, jam delusa multoties, non satis firma videbatur. Quapropter Honorius consilium principum et, ut ita dicam, concilium militare convocavit in Campania. Interfuerunt autem rex Jerosolymæ, Fredericus imperator, religiosorum equitum Magistri, et alii.

Insuper, ipse Pontifex mediator fuit inter regem Hierosolymitanum et imperatorem cui, uxore Constantia mortua, data est in matrimonium ipsa filia Joannis, quo ferventius Fredericus defenderet ab hostibus patrem conjugis. De quibus ita scribit Honorius : « Fastigium excellentiæ imperialis decenter humilians *ad consilium nostrum, et fratrum nostrorum*, nobilem mulierem Isabellam, natam charissimi in Christo filii nostri Joannis, illustris regis Hierosolymitani, affidaveris publice in uxorem. »

In Gallia decessit, hoc anno, rex Philippus, qui Ecclesiæ fuerat defensor et protector, quique in sua juvenili ætate contra Sarracenos fortiter dimicaverat, et Albigensium audaciam postea refrenavit. Hujus igitur mors Pontificem contristavit, ut ipse testatur in suis ad Ludovicum, ejus filium et successorem, litteris.

Sed et Albigenses eo usque devenerunt ut Papam sibi crearint, qui habitavit in finibus Bulgarorum, Croatiæ et Dalmatiæ. Is rescribebat, se dicendo : servum servorum sanctæ fidei. Ad eum confluebant hæretici, et ita error invaluerat in quibusdam locis ut etiam episcopos quosdam contaminaverat. Hæc alia fuit Honorio causa tristitiæ, sed Deo fretus, nec animo, nec consilio defuit, et Ludovicum regem, Philippi natum, vehementer hortatus est ad proficiscendum contra hos rebelles.

Interea, dum Romæ esset Demetrius, qui in Thessalia regnabat, Theodorus ille, qui dicebatur *Angelus*, regionis illius potitus erat. Guillelmus, marchio Montisferati, sic depulso proprio fratri in succursum venire conatus est, ut familiæ rem in Oriente restitueret, et simul Latinorum potentiam stabiliret adversus Græcos. Ipse Honorius crucesignatos invitaverat et indulgentias concesserat. Ast, in ipsa Thessalia mortuus est Guillelmus, dum Joannes Ducas Vatacius, gener et successor Theodori, imperatoris Græcorum in Nicæa regnantis, auxit regnum a socero acceptum, etiam cum Latinorum damno.

Tribulatio etiam aliqua exorta est, cujus Fredericus fuit auctor, dum electionem episcoporum sibi arrogantem Honorius coarguere cogitur. Frederici nuntius, in præsentia Honorii constitutus, dixerat Pontificem protectionem dedisse quæ non erat protectio, sed quæ tendebat ad perditionem et imperatoris et regni, neque velle Fredericum ullos a Papa nominatos, ut episcopos recipere, quando nominatos a Frederico Papa rejiceret. Ejusmodi querelæ non erant concordiæ indicium certissimum. Sed ad Appendices libri IV, in tom. III, lectorem remittimus benevolum.

Magna in regionibus septentrionalibus commotio civilis etiam facta est, quando Waldemarum regem principes Daciæ vulneratum captumque conjiciunt in carcerem, una cum filio. Qui vectigalis erat Ecclesiæ Romanæ et obsequentissimus.

Regiam dignitatem et jus tuitus est Honorius, qui fautores iniquitatis excommunicatione subjecit et provinciam interdicto supposuit in qua rex vinculis obrutus degeret, usque dum libertati restitueretur.

In Ungaria, difficultates natæ propter matrimonium filii Andreæ regis cum filia Laschari principis. Nam ille dimisit uxorem, cum qua per biennium et amplius, postquam ad legitimam ætatem pervenerat, cohabitavit. De quibus ad Honorium litteras antistites scripserunt. Et aliunde, tempus illud fuit in quo nobiles viri Ungariæ *Bullam auream* a rege obtinuerunt, in cujus virtute jus acquirebant debellandi adversus ipsum regem, quotiescumque in aliquo rex violaret illud pactum.

Apud solos Hispanos res bene geruntur, in regno Ferdinandi, Castellæ ac Legionis regis. Qui de Mauris, hoc ipso anno, egregie triumphavit, spoliis eorum relatis et regem Biatiæ Mahomadem ad sua imperia excipienda compulit.

I

Ad abbatissam et moniales monasterii S. Mariæ de Gattojola.

19 septemb. 1222.

[Sbaralea, Bullar. Francisc., I, 10, n. 11.]

Privilegium protectionis ab Hugone episcopo eis collatum approbat et confirmat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis in Christo filiabus... abbatissæ, et monialibus monasterii Sanctæ Mariæ de Gattojola, Lucan. diœc., salutem et Apostolicam benedictionem.

Sacrosancta Romana Ecclesia, etc., *usque* confovere. Sane cum venerabilis frater noster... Ostiensis episcopus, dum in partibus vestris legationis officio fungeretur, a Rolandino Volpelli cive Lucan. sylvam quamdam, quam habebat in loco, qui Gattajola dicitur, cum omnibus pertinentiis suis, et ædificiis suis in jus, et proprietatem Ecclesiæ Romanæ, prout mandaveramus eidem, nostro nomine recepisset; et in monasterio ibi constructo quædam in vestræ religionis augmentum, et favorem vestri ordinis duxerit statuenda, nos, vestris justis postulationibus annuentes, quod ab eodem episcopo factum est ratum habentes et gratum, facta obtentu religionis vestræ ab episcopo præfato statuta, sicut in ipsius privilegio continetur, auctoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Tenorem autem ejusdem privilegii ad majorem vestram, et monasterii memorati cautelam præsentibus litteris duximus annotandum, qui talis est :

« Hugo miseratione divina Ostiensis et Velletrensis episcopus, Apostolicæ Sedis legatus, dilectis in Christo filiabus... abbatissæ monasterii S. Mariæ de Gattojola Lucan. diœc. ejusque sororibus tam præsentibus quam futuris religiosam vitam professis in perpetuum. Prudentibus virginibus, quæ sub habitu religionis accensis lampadibus per opera sanctitatis jugiter se præparant obviam sponso ire, et cum ipso ad cœlestes nuptias introire, nostrum debemus præsidium impertiri, ne forte cujuslibet temeritatis incursus vel eas a proposito revocet, aut robur, quod absit, sacræ religionis infringat. Eapropter, dilectæ in Domino filiæ, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, sylvam, quam dilectus filius Rolandinus Vulpelli Lucanus cives habebat in loco, qui dicitur Gattojola, in diœc. Lucana cum omnibus pertinentiis, et ædificiis suis nobis nomine Romanæ Ecclesiæ ab eo pia liberalitate collatam de assensu bonæ memoriæ... Lucan. episcopi in jus, et proprietatem beati Petri, et Ecclesiæ Romanæ suscipimus; ubi monasterium ad honorem Dei, et Virginis gloriosæ Genitricis ejus, ut vos offerretis ibi Domino holocaustum, et alias exemplo vestro ad divinum obsequium traheretis, duximus construendum. Verum quia petistis a nobis, ut locum ipsum, et personas inibi Domino famulantes contra malignorum incursus protectionis Sedis Apostolicæ privilegio muniremus; nos vestris precibus inclinati dictum monasterium, quod ad Romanam Ecclesiam nullo pertinet mediante, in quo divino estis obsequio mancipatæ, cum personis et omnibus rebus suis sub beati Petri protectione suscipimus, et præsentis scripti privilegio communimus. Formulam nihilominus vitæ vestræ, quam a nobis humiliter

recepistis, cum Benedicti regula, perpetuis temporibus manere decernimus illibatam, locum vestrum cum omnibus pertinentiis suis, et omnia, quæ juste et canonice possidetis, vobis et per vos eis, quæ vobis canonice successerint, confirmantes. A præstatione vero decimarum clausuræ vestræ, et de hortorum fructibus, et pomorum vos esse decernimus auctoritate paginæ præsentis immunes. Pro his autem et aliis, in quibus ecclesia vestra lege diœcesana forsan Lucanæ ecclesiæ teneretur, unam libram ceræ tantum, et non aliud, in festo Sancti Martini Lucano episcopo annis singulis persolvetis; nec liceat aliis personis ingredi claustrum vestrum præter illas, de quibus licentiam habueritis specialem. Electio quoque abbatissæ vestræ Romano pontifici, vel legato ab ejus latere destinato, aut ei, cui Pontifex Romanus injunxerit, præsentetur, a quo electæ confirmationis et benedictionis gratia impendatur. Correctiones insuper tam capitis, quam membrorum super omnibus, quæ in vestra ecclesia fuerint corrigenda, soli Romano Pontifici, vel ei, quem ad hoc ipse deputaverit, reservamus. Specialiter autem inhibemus, ne usurarios, excommunicatos, aut hæreticos, vel de hæresi infamatos, et nominatim a Lucana ecclesia interdictos præsumatis in vita, vel in morte, quomodolibet recipere ad divina; nec liceat vobis sepulturam habere nisi pro vobis, et aliis personis, quæ ad vestrum fuerint servitium deputatæ. Ad indicium autem hujus perceptæ a Sede Apostolica libertatis aureum unum persolvetis Romano Pontifici annuatim. Datum Perusii, apud monasterium Sancti Petri, III kalend. augusti, anno Domini MCCXIX, indictione septima, pontificatus domini Honorii Papæ III anno quarto. »

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani, III kalendas octobris, pontificatus nostri anno septimo.

II

Ab abbatissam et moniales Sanctæ Mariæ extra portam de Camullia.

19 septemb. 1222.

[Sbaralea, Bullar. Francisc., I, 11, n. 12.]

Diploma ac privilegium episcopi Ostiensis, A. S. legati, monasterio Sanctæ Mariæ Sanctæque Petronillæ Senensis diœcesis collatum, confirmat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis in Christo filiabus... abbatissæ ac monialibus monasterii Sanctæ Mariæ extra portam de Camullia juxta stratam Romanam, salutem et Apostolicam benedictionem.

Sacrosancta Romana Ecclesia devotos et humiles ex assueto pietatis officio propensius diligere consuevit, et, ne pravorum hominum molestiis agitentur, eos tamquam pia mater suæ protectionis munimine confovere. Sane quum venerabilis frater noster... episcopus Ostiensis, dum in partibus vestris legationis officio fungeretur, a capitulo Senensi capellam Sanctæ Petronillæ cum hospitali, et a Vitali de Donicato cive Senensi fundum quemdam situm extra portam Senensem de Camullia cum possessionibus, et omnibus pertinentiis suis in jus et proprietatem Ecclesiæ Romanæ, prout mandaveramus eidem, nostro nomine recepisset; et in monasterio ibi constructo quædam, in vestræ religionis augmentum et favorem, vestris ordinis duxerit statuenda, nos, vestris justis postulationibus annuentes, quod ab eodem episcopo factum est gratum habentes et ratum, facta obtentu religionis vestræ ab episcopo præfato statuta, sicut in ipsius privilegio continetur, auctoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti privilegio communimus. Tenorem autem ejusdem privilegii ad majorem vestram, et monasterii memorati cautelam præsentibus litteris duximus adnotandum, qui talis est:

« Hugo miseratione divina Ostiensis et Velletrensis episcopus, Apostolicæ Sedis legatus, dilectis in Christo filiabus... abbatissæ monasterii Sanctæ Mariæ extra portam Senensem de Camullia juxta stratam Romanam, ejusque sororibus tam præsentibus, quam futuris religiosam vitam professis in perpetuum. Prudentibus virginibus, quæ sub habitu religionis accensis

lampadibus per opera sanctitatis jugiter se præparant obviam sponso ire, et cum ipso ad cœlestes nuptias introire nostrum debemus præsidium impertiri, ne forte cujuslibet temeritatis incursus vel eas a proposito revocet, aut robur, quod absit, sacræ religionis infringat. Eapropter, dilectæ in Domino filiæ, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, capellam Sanctæ Petronillæ cum hospitali a capitulo Senensi de assensu episcopi Senensis, et fundum quemdam, situm extra portam Senensem de Camullia cum possessionibus et omnibus pertinentiis suis a Vitali de Donicato cive Senensi nobis nomine Romanæ Ecclesiæ pia liberalitate collata, in jus et proprietatem beati Petri et Ecclesiæ Romanæ suscepimus, ubi monasterium ad honorem Dei, et Virginis gloriosæ Genitricis ejus, ut vos offerretis ibi Domino holocaustum, et alias exemplo vestro ad divinum obsequium traheretis, nomine Romanæ Ecclesiæ, quod ad ipsam nullo medio pertinet, duximus construendum. Verum quia petistis a nobis, ut locum ipsum, et personas inibi Domino famulantes, contra malignorum incursus protectionis Sedis Apostolicæ privilegio muniremus, nos, vestris justis precibus inclinati, dictum monasterium, quod ad Romanam Ecclesiam nullo pertinet mediante, in quo divino estis obsequio mancipatæ, cum personis, et omnibus rebus suis sub beati Petri protectione suscipimus, et præsentis scripti privilegio communimus. Formulam nihilominus vitæ vestræ, quam a nobis humiliter recepistis, cum beati Benedicti regula, perpetuis temporibus manere decernimus illibatam, locum vestrum cum omnibus pertinentiis suis, et omnia, quæ juste et canonice possidetis, vobis et per vos iis, quæ vobis canonice successerint, confirmantes. A præstatione vero decimarum clausuræ vestræ, et de hortorum fructibus, et pomorum vos esse decernimus auctoritate paginæ præsentis immunes. Pro iis autem, et in aliis, in quibus ecclesia vestra lege diœcesana forsan Senen. ecclesiæ teneretur, unam libram ceræ tantum, et non aliud, in festo Assumptionis gloriosæ Virginis Augusto Senensi episcopo annis singulis persolvetis; nec liceat aliis personis ingredi claustrum vestrum præter illas, de quibus licentiam habueritis specialem. Electio quoque abbatissæ vestræ Romano Pontifici, vel legato ab ejus latere destinato, aut ei, cui Pontifex Romanus injunxerit, præsentetur, a quo electæ confirmationis, et benedictionis gratia impendatur. Correctiones insuper tam capitis, quam membrorum super omnibus, quæ in vestra ecclesia fuerint corrigenda, soli Romano Pontifici, vel ei, quem ad hoc ipse deputaverit, reservamus. Prohibemus igitur, ne quis episcopus, vel quælibet alia ecclesiastica, sæcularisve persona libertates vestras infringere, aut obtentu consuetudinis, vel alio modo quisquam a vobis audeat extorquere. Specialiter autem inhibemus, ne usurarios, excommunicatos, aut hæreticos, vel de hæresi infamatos, et nominatim a Senensi ecclesia interdictos præsumatis in vita, vel in morte, quomodolibet recipere ad divina; nec liceat vobis sepulturam habere, nisi pro vobis, et aliis personis, quæ ad vestrum fuerint servitium deputatæ. Ad indicium autem hujus perceptæ a Sede Apostolica libertatis aureum unum persolvetis Romano Pontifici annuatim. Datum Perusii apud monasterium Sancti Petri, IV kalendas augusti, anno Domini MCCXIX, indictione VII, pontificatus vero domini Honorii Papæ III anno quarto. »

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani, XIII Kalendas octobris, pontificatus nostri anno septimo.

III

Ad abbatissam et moniales Sanctæ Mariæ de Monte Lucio.

19 septemb. 1222.

[Sbaralea, Bullar. Francisc., I, 13, n. 13.]

Privilegium protectionis ab Hugone episcopo eis datum approbat et confirmat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis in Christo filiabus abbatissæ, et monialibus monasterii S. Mariæ de Monte Lucio, salutem et Apostolicam benedictionem.

Sacrosancta Romana Ecclesia devotos et

humiles filios ex assuetæ pietatis officio propensius diligere consuevit, et, ne pravorum hominum molestiis agitentur, eos tamquam pia mater suæ protectionis munimine confovere. Sane quum venerabilis frater noster Ostiensis episcopus, dum in partibus vestris legationis officio fungeretur, a nobili viro Glotto Monaldo cive Perusino fundum quemdam in loco, qui mons Lucius dicitur, in jus, et proprietatem Ecclesiæ Romanæ, prout mandaveramus eidem, nostro nomine recepisset, et in monasterio vestro ibi constructo quædam in vestræ religionis augmentum, et favorem vestri ordinis duxerit statuenda, nos, vestris justis postulationibus annuentes, quod ab eodem episcopo factum est, ratum habentes et gratum, facta obtentu religionis vestræ ab episcopo præfato statuta, sicut in ipsius privilegio continetur, auctoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Tenorem autem ejusdem privilegii ad majorem vestram, et monasterii memorati cautelam, præsentibus litteris de verbo ad verbum duximus inserendum, qui talis est, videlicet:

« Hugo, miseratione divina Ostiensis et Velletrensis episcopus, Apostolicæ Sedis legatus, dilectis in Christo filiabus abbatissæ monasterii Sanctæ Mariæ de Monte Lucio in Perusinæ civitatis suburbio constituto, ejusque sororibus tam præsentibus, quam futuris religiosam vitam professis in perpetuum. »

« Prudentibus virginibus, quæ sub habitu religionis accensis lampadibus per opera sanctitatis se jugiter præparant obviam ire sponso, et cum ipso ad cœlestes nuptias introire, nostrum debemus præsidium impertiri, ne forte cujulisbet temeritatis incursus aut eas a proposito revocet, aut robur, quod absit, sacræ religionis infringat. Quapropter, dilectæ in Domino filiæ, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, fundum, quem dilectus filius Glottus Monaldi nobilis Perusinus et civis habebat in monte Lucio in Perusinæ civitatis suburbio, nobis nomine Romanæ Ecclesiæ ab eo pia liberalitate collatum, de assensu venerabilis fratris nostri Perusini episcopi in jus et proprietatem beati Petri et Ecclesiæ Romanæ suscepimus; ubi monasterium ad honorem Dei, et Virginis gloriosæ Genitricis ejus, ut vos ibi offerretis Domino holocausta, et alias ad divinum obsequium exemplo vestro traheretis, nomine Romanæ Ecclesiæ, quod ad ipsam nullo medio pertinet, duximus construendum. Verum quia petiistis a nobis, ut locum ipsum et personas ibi Domino famulantes contra malignorum incursus protectionis Sedis Apostolicæ privilegio muniremus, nos vestris justis precibus inclinati, dictum monasterium, quod ad Romanam Ecclesiam nullo pertinet mediante, in quo divino estis obsequio mancipatæ, cum personis et omnibus rebus suis sub beati Petri protectione suscipimus, et præsentis scripti privilegio communimus, in primis siquidem statuentes, ut ordo monasticus, qui secundum Deum, et beati Benedicti regulam, quam profitemini, in eodem loco institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Formulam nihilominus vitæ vestræ, quam a nobis humiliter recepistis, cum beati Benedicti regula perpetuis temporibus manere decernimus illibatam; locum vestrum cum omnibus pertinentiis suis, et omnia, quæ juste et canonice possidetis, vobis, et per vos his, quæ vobis canonice successerint, confirmantes. A præstatione vero decimarum clausuræ vestræ, et de hortorum fructibus, et pomorum vos esse decernimus auctoritate paginæ præsentis immunes. Pro his autem, et aliis, in quibus ecclesia vestra lege diœcesana forsan Perusinæ ecclesiæ teneretur, unam libram ceræ tantum, et non aliud in festo Assumptionis Gloriosæ Virginis Augusto Perusino episcopo annis singulis persolvetis. »

« Liceat quoque vobis mulieres liberas, et absolutas e sæculo fugientes ad conversionem in ecclesia vestra recipere, et eas sine contradictione cujuslibet retinere. Prohibemus etiam, ut nulli sororum vestrarum post factam in ecclesia vestra professionem fas sit de eodem loco discedere, seu claustrum vestrum exire; discedentem vero absque communium litterarum vestrarum cautione nullus audeat retinere. Nec liceat aliis personis ingredi claustrum vestrum præter illas, de quibus licentiam habueritis specialem. Dedicationes vero ecclesiarum vestrarum, consecrationes altarium, et ordinationes clericorum, qui fuerint ad sacros ordines provomendi et alia ecclesiastica sacramenta a diœcesano

suscipietis episcopo, si ea gratis et sine pravitate aliqua vobis voluerit exhibere; alioquin liceat vobis, quemcumque malueritis adire antistitem, nostram, et communionem Apostolicæ Sedis habentem; qui vobis auctoritate Sedis Apostolicæ, quod postulatur, impendat. Obeunte vero te nunc ejusdem loci abbatissa, vel sororum tuarum tibi qualibet successura, nulla ibi cujuslibet subreptionis astutia, seu violentia proponatur, nisi quam sorores communi assensu, vel sororum pars consilii sanioris, secundum Dei timorem, et beati Benedicti regulam providerint eligendam. Electionem quoque Romano Pontifici, vel legato ab ejus latere destinato, aut ei, cui Pontifex Romanus injunxerit, repræsentent, a quo electæ confirmationis et benedictionis gratiæ impendatur. Correctiones insuper tam capitis, quam membrorum super omnibus, quæ in vestra ecclesia fuerint corrigenda, soli Romano Pontifici, vel ei, quem ad hoc deputaverit, reservamus. Prohibemus igitur, ne quis episcopus, vel quælibet alia ecclesiastica, sæcularisve persona libertates vestras infringere, aut obtentu consuetudinis, vel alio modo quidquam a vobis audeat extorquere, seu in vos et ecclesiam vestram interdicti vel excommunicationis sententias proferre præsumat. Quum autem generali voce fuerit interdictum, liceat vobis clausis januis, exclusis excommunicatis, et interdictis, non pulsatis campanis, suppressa voce, divina officia celebrare. Specialiter etiam inhibemus, ne usurarios, excommunicatos, hæreticos, vel de hæresi infamatos, et nominatim a Perusina ecclesia interdictos, præsumatis in vita, vel in morte quomodolibet recipere ad divina. Nec liceat vobis sepulturam habere, nisi pro vobis, et aliis personis, quæ ad vestrum fuerint servitium deputatæ. Ad indicium autem hujus a Sede Apostolica perceptæ libertatis, aureum unum persolvetis Romano Pontifici annuatim. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat præfatum monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, ablatas retinere, minuere, seu aliquibus vexationibus fatigare, sed omnia integre conserventur earum, pro quarum gubernatione, aut sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva Sedis Apostolicæ auctoritate. Si quis igitur in futurum ecclesiastica sæcularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat; reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sanctissimo corpore et sanguine Dei, et Domini nostri Jesu Christi aliena fiat; atque in extremo examine districtæ subjaceat ultioni; cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi; quatenus et hic fructum bonæ actionis percipiant, et apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Datum Perusii apud monasterium S. Petri, IV kalendas augusti, anno Domini MCCXIX, indictione XII, pontificatus domini Honorii Papæ III anno quarto. »

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri, et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani, VIII kalendas octobris, pontificatus nostri anno septimo.

IV

Ad episcopum Portuen., Apostolicæ Sedis legatum.

21 septemb. 1222.

[Regest., lib. VII, epist. 13. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat ut de quibusdam a malefactoribus expulsis quod canonicum fuerit decernat.

Honorius, etc., venerabili fratri... episcopo Portuen., Apostolicæ Sedis legato, salutem et Apostolicam benedictionem.

Conquerentibus dilectis filiis... abbate, et conventu monasterii Sancti Pontii de Thomeriis, nos noveris accepisse, quod quum ab antecessoribus suis, propter malitiam et frequentes incursus pravorum, in quorum est medio monasterium positum memoratum, prædia quædam, terræ, possessiones et redditus Pontio Olargio, et quibusdam aliis militibus, pro tuitione loci, in feudum concessa fuerint ab antiquo, pro quibus tam ipsi, quam hæredes eorum abbati, qui pro tempore præesset monasterio memorato, in perpetuum homagium facere tenebantur,

nunc hæredes ipsorum, in reprobum sensum dati, non solum persecutores de defensoribus, quinimo destructores monasterii potius sunt effecti. Unde quum tam hæreticorum bona, quam etiam defensorum fidelibus occupantibus sint concessa, et pars ipsorum hæretica pravitate infecta una cum aliis hæreticis adhæserit manifestis, ipsis et eorum fautoribus ac defensoribus per se ac suos, impendens pro viribus consilium et juvamen, iidem abbas, et conventus nobis humiliter supplicarunt, ut eorum compatientes exilio qui tam ab ipsis, quam ab aliis malefactoribus in contemptum catholicæ fidei a suo monasterio sunt expulsi, occupandi prædicta feuda licentiam concederemus eisdem. Nos igitur de discretione tua plenam fiduciam obtinentes, negotium ipsum tibi duximus remittendum, fraternitati tuæ per Apostolica Scripta mandantes, quatenus, inquisita super præmissis diligentius veritate, quod canonicum fuerit, appellatione remota, decernas, faciens quod decreveris per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Testes autem, etc. Datum Laterani, XI kalend, octobris, pontificatus nostri anno septimo.

V

Ad Robertum imperatorem Constantinopolitanum.

24 septemb. 1222.

[Raynald., Ann. eccl., ad ann. 1222, § 20, 21.]

Rogat et monet ut nullatenus terreatur, sed se fortibus adversariis exhibeat fortiorem.

Licet in regimine imperii multa tibi objiciantur adversa, nequaquam tamen tua debet magnanimitas perturbari, sed quum quod auro ignis, hoc faciat tentatio viro forti, tua crescat virtus magnifice in adversis, ut clarior elucescens, tuæ faciat latius laudis præconia prædicari, quia etsi mirabiles sint elationes maris, mirabilis tamen Dominus in excelsis, [qui] si perfecte in Christo confidis, facile convertit procellam in auram, qui fideles suos tentari non patiens ultra quam valeant sustinere, facit etiam cum tentatione proventum.

Nos quoque tibi nequaquam deerimus, sed in omnibus opportunitatibus assistemus, sicut Apostolicæ Sedis filio speciali. Ideoque serenitatem tuam rogamus, et monemus attente, quatenus tuum jactans in Domino cogitatum, qui nunquam in se sperantes confundit, nullatenus terrearis, sed te fortibus adversariis exhibens fortiorem, atrium tuum potenter studeas custodire, ut tandem omnia, quæ possides, sint in pace, quam cum omnibus hominibus, quantum ex te est, et præcipue cum Latinis existentibus in partibus Romaniæ volumus, et consulimus te servare, cum ex dissensione multa possint imminere pericula, sicut e contrario solent de pace commoda multimoda provenire. Datum Laterani, VIII kalendas octobris, pontificatus nostri anno septimo.

VI

Ad A. Samathiæ archidiaconum Petragor.

24 septemb. 1222.

[Regest., lib. VII, epist. 26. Mss. La Porte du Theil.]

Ei concedit ut quædam beneficia retinere possit.

Honorius, etc., dilecto filio A. Samathiæ archidiacono Petragoricen., salutem et Apostolicam benedictionem.

Ex litteris venerabilis fratris nostri..... episcopi Petragoricen. accepimus, quod quum præter ruptariorum violentiam et guerrarum turbines, quibus ejus diœcesis sæpe concutitur, in quadam ipsius parte tabes invaluerit hæreticæ pravitatis, et ipsum, qui ad tot diversa et adversa non sufficit, oporteat alios in partem suæ sollicitudinis evocare, propter multam tenuitatem beneficiorum ipsius diœcesis, vix conveniuntur qui in his assistere sibi velint. Quum autem, sicut in litteris continebatur eisdem, quodam de Petragoricen. ecclesiæ archidiaconatibus, qui sunt septem, canonice tibi collato, te ad componendam secum suam sollicitudinem litteratura et nobilitate generis tibi suffragantibus evocarit, humiliter petiit, ut quum redditus archidiaconatus ejusdem centum solidos Turonen. non excedant, retinendi cum ipso quædam beneficia, quæ ante generale Concilium obtinueras, redditus, quorum summam decem librarum Turonen. vix attingunt, concederemus tibi de gratia, ut assumptæ sollicitudinis onus commode ferre valeas facultatem. Nos igitur ipsius precibus et tuæ probitatis meritis inclinati, præsentium tibi auctoritate conce-

dimus, ut, constitutione generalis Concilii non obstante, memorata beneficia cum archidiaconatu prædicto tibi liceat retinere. Nulli ergo, etc. Si quis autem, etc. Datum Laterani, VIII kal. octobris, pontificatus nostri anno septimo.

VII

Ad Theodorum Cominianum.

26 septemb. 1222.

[Raynald., Ann. ad ann. 1222, § 17.]

Eum hortatur ut cum Roberto imperatore Constantinopolitano pacis fœdera ineat.

Theodoro Cominiano, spiritum consilii sanioris.

Licet enormiter nos et Ecclesiam Romanam offenderis, dilectum filium nostrum J. tituli S. Praxedis presbyterum card. ausu sacrilego capiendo, quia tamen, sicut idem rediens nobis retulit viva voce, ipsum devote tractasti, et in liberatione honorasti decenter, personam tuam, nisi per te steterit, quantum cum Deo possumus, diligere disponentes, libenter tuis secundum utrumque hominem profutura provectibus cogitamus; et utinam nostris consiliis acquiescas, quia, sicut speramus in Domino, nunquam exinde tibi nisi grata poterunt provenire. Sane nobis tacentibus non ignoras, quod res unitæ concrescunt, et dispereunt disgregatæ; ideoque fit ut discordia homines inter se invicem adversantes, nisi aliter sopiatur, tamdiu in utriusque partis dispendium militet, donec perdat alteram, vel utramque, sicuti e converso concordia nititur ad conservantiam sibi obsequentium, et augumentum.

Quare saluti et quieti tuæ plurimum, sicut nec ipse dubitas, expedire credentes inter carissimum in Christo filium nostrum R. imperatorem Constantinopolitanum illustrem stabiliri pacis perpetuæ firmitatem, quia tibi plurimum erit decens, ut id monitus a nobis efficias, nobilitatem tuam hortamur attente, quatenus provide circumspectans inevitabilia rerum damna, incomparabilia personarum pericula, et animarum irreparabilia detrimenta, quæ tibi ex discordia poterunt provenire Christianissimo imperatori prædicto, sicut Christianus es, te studeas pacis termino copulare, ita quod bonam de te, de cætero fiduciam obtinentes, magis ac magis tibi reddamur favorabiles et benigni, nec si contrarium egeris, cogamur aliud cogitare. Datum Laterani, VI kalendas octobris, pontificatus nostri anno septimo.

VIII

Ad H. de Columna subdiaconum, Petrum Gregorii scriptorem et Rog. de Collemedio canonicum Anagniæ.

30 septemb. 1222.

[Regest., lib. VII, epist. 22. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat ut magistro Willelmo de Sancto Germano proventus præbendæ suæ assignari faciant.

Honorius, etc., dilectis filiis H. de Columna subdiacono, et Petro Gregorii scriptori nostris, et Rog. de Collemedio canonico Anagniæ Parisius commorantibus, salutem et Apostolicam benedictionem.

Quum bonæ memoriæ R. decanus Arien., ad Sedem Apostolicam veniens, præbendam, quam in Arien. ecclesia obtinebat, in manibus dilecti filii fratris Jac. capellani et pœnitentiarii nostri libere resignasset, nos eam dilecto filio magistro Willelmo de Sancto Germano nunc capellano nostro liberaliter conferentes, capitulo Arien. nostris dedimus litteris in mandatis, ut eumdem magistrum ad præbendam ipsam reciperent in canonicum et in fratrem. Sed licet eum reciperent, fructus ipsius retinuerunt præbendæ, dicentes supradictum decanum qui obierat interim, sibi fuisse in quadam summa pecuniæ obligatum, et secundum consuetudinem approbatam ecclesiæ Arien. de fructibus sequentis anni licite disponere potuisse, quum circa festum beatorum Apostolorum Petri et Pauli viam fuerit universæ carnis ingressus; fructus vero secundi anni permiserunt A. thesaurario Arien., pro ipsius ecclesiæ communibus occupari, ut sic idem magister dono nostræ gratiæ per triennium frustraretur. Unde nos provide attendentes, quod decanus ille post resignationem præbendæ, de ipsa non valuit, nec voluit quidquam disponere... decano et capitulo ejusdem ecclesiæ, nostris dedimus litteris in mandatis, ut fructus ipsius præbendæ a tempore collationis nostræ memorato magistro, vel procuratori ejus integre

assignarent, venerabili fratri nostro..... episcopo Morinen. et collegis ipsius, ei super hoc nihilominus executoribus deputatis. Quum autem dicti executores, quæcumque decanus et capitulum contra eis proponere voluerunt, nobis per ordinem rescripsissent, eisdem decano et capitulo iterato nostris dedimus litteris firmiter in præceptis, ut omnes fructus, a tempore collatæ præbendæ receptos, eidem magistro reddere non differrent; sed nec sic nostrum curaverunt adimplere præceptum.

Nuper autem Bald. presbytero, magistro Willelmo de Guiton et Mathæo canonicis Arien. apud Sedem Apostolicam constitutis, ad instantiam præfati magistri, dilecto filio Bartholomæo subdiacono et capellano nostro præcipimus viva voce, ut ex abundanti ab eis diligenter super his inquiret veritatem. Qui, ut idem capellanus nobis fideliter retulit, viva sunt voce confessi, quod, secundum consuetudinem ecclesiæ Arien., canonicus circa festum beatorum apostolorum Petri et Pauli decedens de fructibus præbendæ suæ sequentis anni pro sua potest disponere voluntate, secundi vero anni fructus ad thesaurarium pro luminaribus ecclesiæ devolvuntur, prout etiam dicti executores suis nobis litteris intimarunt. Sed hujusmodi consuetudinem in eo casu locum asserebant habere, quando vivus succedit canonico decedenti, vel canonicus præbendam renuntiat metu mortis; sed secus est, quum vivus vivo in præbenda succedit. Verum quia nobis ex relatione prædicti pœnitentiarii constitit quod prædictus decanus non metu mortis, sed quia eum propria conscientia remordebat, quod præbendam ipsam fuerat perperam assecutus, eam in manibus prædicti pœnitentiarii resignarat, et ex litteris executorum evidenter apparet quod sæpedictus decanus præbendam et decanatum pro sexdecim libris Parisien. capitulo eidem obligarat, expresse discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus octo libris de redditibus ipsius præbendæ deductis, cum totidem de decanatu poterint percepisse, omnes omnino proventus eidem præbendæ a tempore nostræ collationis.... procuratori sæpedicto magistri faciatis integre assignari. Contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Quod si non omnes, etc. Datum Laterani, II kalendas octobris, pontificatus nostri anno septimo.

IX

Ad abbatem et conventum Marpacensem.

7 octob. 1222.

[Wurdtwein, Nova subsidia, t. XIII, p. 262.]

Personas et bona Marpacensis monasterii in protectionem suscipit.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati et conventui Marpacensi.

Quum a nobis petitur quod justum est et honestnm, tam vigor æquitatis, quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, personas vestras et locum in quo divino estis obsequio mancipati, cum omnibus bonis quæ in præsentiarum rationabiliter possidetis, aut in futurum justis modis, præstante Domino, poteritis adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, specialiter autem villam de Hamerstat, terras, prata et alia bona vestra, sicut ea omnia juste, canonice, ac pacifice possidetis, vobis et per vos monasterio vestro, auctoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostræ protectionis et confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani, nonis octobris, pontificatus nostri anno septimo.

X

Ad abbatem et conventum montis Aragonum.

8 octob. 1222.

[Fonds Moreau, Mss. latins, t. MCLXXXIII, p. 187, Biblioth. Nation.]

Ut ecclesia, post mortem Jaquinti, ad conventum Aragonum revertatur.

Honorius, etc., abbati et conventui montis Aragonum.

Dilectus filius Jaquintus subdiaconus noster, canonicus basilicæ Principis Apostolorum, nobis humiliter supplicavit, ut quum ob reverentiam Apostolicæ Sedis et nostram, ecclesiam de Larraga in beneficium sibi duxeritis concedendam, ne occasione concessionis hujusmodi post mortem ejusdem J., ecclesiæ vestræ possit, super dicta ecclesia de Larraga, præjudicium aliquod generari, providere tibi super hoc de benignitate Sedis Apostolicæ dignaremur. Nos igitur ejusdem subdiaconi nostri precibus inclinati, ut jam dicta ecclesia de Larraga ad vestram ecclesiam post mortem suam libere revertatur, devotioni vestræ, auctoritate præsentium indulgemus. Nulli ergo, etc., nostræ concessionis, etc. Si quis autem, etc. Datum Laterani, VI idus octobris, anno septimo.

XI

Ad præpositum et conventum de Insula S. Michaelis.

11 octob. 1222.

[Wirtembergisches Urkundenbuch, t. III, p. 140, n. 663.]

Capellam S. Andreæ et quædam alia bona eis confirmat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis... præposito et conventui de Insula Sancti Michaelis apud Ulmam, salutem et Apostolicam benedictionem.

Quum a nobis petitur, quod justum est et honestum, tam vigor æquitatis quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, capellam Sancti Andreæ sitam in villa Stoz., nec non et alia bona vestra sicut ea omnia juste, pacifice ac canonice possidetis, vobis et per vos ecclesiæ vestræ, auctoritate Apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani, V idus octobris, pontificatus nostri anno septimo.

XII

Ad Portuen. episcopum, A. S. legatum.

12 oct. 1222.

[Regest., lib. VII, epist. 23. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat ut cum consilio regis et prælatorum Franciæ de pace tractata inter comitem Montisfortis et Raymundum secundum ipsius Pontificis monita deliberet fideliter et prudenter.

Honorius, etc., venerabili fratri... Portuen. episcopo, Apostolicæ Sedis legato, salutem, etc.

Quum carissimus in Christo filius noster Ph., rex Francorum illustris, nobis super pace inter dilectum filium nobilem virum... comitem Montisfortis et Raymundum filium quondam... comitis Tolosani tractata, suas litteras destinavit, nos ei rescripsimus in hunc modum :

« Honorius episcopus, servus servorum Dei, carissimo in Christo filio Ph., illustri regi Francorum, salutem et Apostolicam benedictionem. Litteras quas super pace inter dilecum filium nobilem virum... comitem Montisfortis et Raimundum filium quondam... comitis Tolosani tractata tua nobis excellentia destinavit, solita benignitate recepimus, et eorum tenorem pleno collegimus intellectu. Cæterum quia in pace, quæ coram nobis extitit recitata, de divisione terrarum quæ ad tuam jurisdictionem spectare dicuntur, mentio facta fuit, gerentes de tua sinceritate fiduciam pleniorem, super his serenitati tuæ deferimus confidenter, dummodo sic provideatur adversus hæreticam pravitatem et pestem ruptuariorum, et illorum malitiam, qui bona ecclesiastica invaserunt, quod fides integra tam quoad restitutionem possessionum hactenus subtractarum, quam ad servandam libertatem ecclesiasticam in futuro servetur illæsa. Quocirca mansuetudinem tuam rogamus et monemus attente, quatenus quanto fiducialius in his tibi deferimus, tanto accuratius studeas, ut rite præmissa omnia impleantur. Datum Laterani, IV idus octobris, pontificatus nostri anno septimo. »

Ideoque fraternitatem tuam monemus attente, per Apostolica tibi scripta mandantes, quatenus cum consilio regis prædicti, et legatorum Franciæ, ac aliorum prælatorum qui ad hoc fuerint opportuni, super his secundum præmissa plene deliberes ad pacem fideliter, et prudenter in-

tendes. Datum Labreni, IV idus octobris, anno septimo.

XIII

Ad Portuen. episcopum, A. S. legatum.

23 octob. 1222.

[Regest., lib. VII, epist. 25. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat ut inquirat de vita, obitu et miraculis Stephani quondam Dien. episcopi.

Honorius, etc., venerabili fratri... episcopo Portuen., Apostolicæ Sedis legato, salutem et Apostolicam benedictionem.

Et si non immerito gaudeamus quotiens Dominus mirificans sanctos suos ostendit per eos signa virtutum, quum exinde juventus Ecclesiæ sicut aquila renovetur et confortetur, requisiti tamen, ut aliquos sanctorum catalogo adscribamus, ad id sine maturitate debita procedere non audemus. Quum itaque venerabilis frater noster... Dien... episcopus nobis supplicarit instanter, ut felicis memoriæ Stephanum prædecessorem suum, qui ab octo annis tot et tantis corruscat miraculis, quod ad tumulum ejus occurrunt de diversis mundi partibus peregrini, sanctorum catalogo faceremus adscribi, nos nolentes in hoc uti aliqua levitate, inquisitionem hujus negotii discretioni tuæ, de qua plenam in Domino fiduciam obtinemus, duximus committendam, fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandantes, quatenus de ipsius vita, obitu et miraculis ante mortem et post, necnon aliis circumstantiis inquirens diligentissime veritatem, quæ inveneris nobis fideliter et plene rescribas, ut procedamus exinde, prout secundum Deum viderimus procedendum. Datum Laterani, IX kalend. novembris, pontificatus nostri anno septimo.

XIV

Ad Portuen. episcopum, A. S. legatum.

28 octob. 1222.

[Regest., lib. VII, epist. 27. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat ut erga comitem Tolosanum, prout juris suadebit ratio faciat.

Honorius, etc., venerabili fratri... episcopo Portuen., Apostolicæ Sedis legato, salutem, etc.

Quum dilecti filii... cancellarius nobilis viri Amalrici, comitis Tolosani, et... archidiaconus Narbonen. procurator tuus ad Sedem Apostolicam venientes, tam ex parte tua, quam ex parte dicti comitis a nobis plurima postularint, nos provide attendentes, quod ad hoc maxime legationis officium tibi commisimus generale, ut statuere valeas, quæ negotio pacis et fidei videris expedire, fraternitati tuæ, de qua plenam in Domino fiduciam obtinemus, per Apostolica scripta mandamus, quatenus de his, quæ postulata fuerunt, facias per te ipsum, prout juris vel æquitatis ratio suadebit, alias ad ea quæ ad negotium pacis et fidei pertinent, intendens fideliter et prudenter, et comiti supradicto impendens consilium et auxilium opportunum. Datum Laterani, IV kalend. novembris, pontificatus nostri anno septimo.

XV

Ad abbatem et conventum Pontiniacensem.

3 novemb. 1222.

[Martene, Thesaurus anecd., III, 1218.]

Annuum redditum quinquaginta marcarum a S. archiepiscopo Cantuariensi collatum eis confirmat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati et conventui Pontiniacensi, salutem et Apostolicam benedictionem.

Justis petentium desideriis dignum est nos facilem præbere consensum, et vota, quæ a rationis tramite non discordant, effectu prosequente complere. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, annuum redditum quinquaginta marcarum sterlingorum a venerabili fratre nostro S. archiepiscopo Cantuariensi, capituli sui accedente consensu, pia vobis liberalitate collatum, sicut eum juste et canonice ac pacifice possidetis, et in authentico ejusdem archiepiscopi confecto exinde plenius continetur, vobis et per vos monasterio vestro auctoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Ad majorem autem rei evidentiam, tenorem ipsius authentici de verbo ad verbum duximus præsentibus inserendum, qui est talis :

« Universis sanctæ matris Ecclesiæ filiis ad quos præsens scriptum pervenerit, Stephanus permissione divina Cantuariensis archiepiscopus, totius Angliæ primas et sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalis, æternam in Domino salutem. Ante cordis oculos statuentes inæstimabilis affluentiam caritatis, qua monasterium Pontiniacense beatissimum martyrem Thomam prædecessorem nostrum in exilio constitutum benigne recepit, et ei pium compassionis solatium abundanter impendit : necnon ad memoriam revocantes obsequia pietatis a monasterio supradicto nobis exsulantibus hilariter et affluenter impensa, merito nos ad id fatemur adstrictos, ut fratribus ibidem Deo servientibus vices rependere studeamus in obsequio caritatis. Volumus igitur ad universitatis vestræ notitiam pervenire, nos de consensu prioris et conventus ecclesiæ Christi Cantuariensis, dicto monasterio Pontiniacensi ac [in eo] viris religiosis Deo servientibus, intuitu Dei concessisse pariter et dedisse de ecclesia Rumenal, nomine beneficii, quinquaginta marcas annuas sterlingorum bonorum et legalium a quolibet rectore in eadem ecclesia successive instituendo, sub pœna beneficii sui, perpetuo sine difficultate percipiendas in duobus terminis, videlicet ad Natale Domini triginta marcas, et ad festum S. Johannis Baptistæ viginti marcas. Ita plane quod si ipse rector in præfatis terminis a solutione dictarum marcarum cessaverit, et infra quadraginta dies post statutos terminos, de damnis pariter et expensis quas dicti fratres occasione non factæ solutionis incurrerint, una cum solutione debita quinquaginta marcarum non satisfaceret eisdem, dictam pœnam incurrat. Ad majorem etiam præfati monasterii securitatem, simul de consensu prioris et conventus ecclesiæ Christi Cantuariensis providimus et statuimus, ut quilibet rector in ecclesia de Rumenal successive instituendus, in sua institutione, vel postea, quum requisitus fuerit a procuratore Pontiniacensi, solemniter juret, quod dictas marcas in terminis statutis procuratori Pontiniacensi annuatim persolvet sub pœna expressa superius. Ut igitur hæc nostra ordinatio perpetuam obtineat firmitatem, eam præsenti scripto sigilli nostri appositione munito duximus roborandam. Actum anno gratiæ MCCXXII. »

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani, III nonas novembris, pontificatus nostri anno septimo.

XVI

Ad Stephanum abbatem et conventum Cassinenses.

3 novemb. 1222.

[Gattula, Hist. abbat. Cassin., II, 443.]

Eis 3000 obulorum aureorum ac 600 fiscatos remittit.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis... abbati et conventui Cassinensi, salutem et Apostolicam benedictionem.

Si Sedes Apostolica pia mater ad ignotos interdum ubera caritatis extendit, hos convenit potius his nutrire, quorum religio sancta est, et de regulari observantia nobis constat. Ex devotione igitur, quam ad monasterium Cassinense hactenus habuimus et habemus, tria millia obulorum aureorum, qui cameræ nostræ a tempore felicis memoriæ Innocentii papæ prædecessoris nostri a monasterio præfato debentur, ac sexcentos fiscatos, quos dum in minori essemus officio constituti, a nobis mutuo recepistis, vobis et monasterio vestro remittimus de gratia speciali. Datum Laterani, III nonas novembris, pontificatus nostri anno septimo.

XVII

Ad universos Christi fideles per Valentinam diœcesim constitutos.

5 novemb. 1222.

[Manrique, Ann. Cisterc., IV, 226.]

Eos rogat et hortatur ut eleemosynis monasterium monialium de Comentio sustentent, omnibusque hoc facientibus indulgentiam quinque dierum elargitur.

Quum monasterium monialium de Comentio, Cisterciensis ordinis, Valentinæ diœcesis, nuper fuerit improviso vicini fluminis incremento destructum, ita quod ad

locum alium illud oportet de necessitate transferri, nec ad id dictarum monialium sufficiant facultates : Universitatem vestram monemus, exorantes in Domino, atque in remissionem vobis injungimus peccatorum, quatenus, quum eorum nuntii ad vos accesserint propter hoc beneficia petituri, de bonis a Domino vobis collatis pias eleemosynas, et grata eis caritatis subsidia erogetis, ut per subventionem vestram ipsarum inopiæ consulatur, et vos per hæc, et alia bona, quæ Domino inspirante feceritis ad gaudia perveniatis. Nos enim de omnipotentis Dei misericordia, et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus auctoritate confisi, quinque dies de injuncta sibi [*forte :* vobis], et devote suscepta pœnitentia, misericorditer relaxamus. Datum Laterani, nonis novembris, pontificatus nostri anno septimo.

XVIII

Ad priorem Sancti Frediani et magistrum Petrum canonicum.

5 novemb. 1222.

[Bull. Roman., ed. Taur., III,. n 61.]

Absolutio ab excommunicationis sententia civitati, et populo Lucanis sub certis conditionibus impendenda.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri episcopo, et dilectis filiis priori Sancti Frediani, et magistro Petro canonico Lucanis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Læsa olim libertas ecclesiastica a Lucanis enormiter ad justitiæ præsidium lacrymosa confugit, et eam, ut suum sibi conferret auxilium, imploravit, quæ importune, apud nos pro ejusdem defensione libertatis insistens, ac necessariis argumentis ostendens se lædi graviter, si prædictæ non prosequeremur injuriam libertatis, de rigore tandem juris obtinuit, ut eorumdem Lucanorum temeritatem severitate debita puniremus. Coacti ergo a jure, processimus contra illos, excommunicantes Parentium tunc eorum potestatem et consilium, necnon omnes, qui eumdem Parentium pro potestate tenerent, et civitatem Lucanam ecclesiastico interdicto supponentes. Ipsi tandem, tanquam de sua salute ac hónore solliciti, attendentes auditum non fuisse a sæculo de Lucanis, quod ecclesiasticam libertatem deprimerent, quam velut devotionis filii præ cæteris circumpositis populis extulerant et servarant, ad cor, recedendo ab immutante illud malitia, redeuntes, et sano usi consilio, recurrere ad misericordiæ remedium decreverunt. Ad eam igitur de tribulatione clamantes, ut eos eriperet de suis necessitatibus, in quas ipsos suggestio maligna induxerat, postularunt, obtinendo duntaxat ipsis, quod eis ad percutientem se redire liceat, et a vulneratore sui opem vulneris implorare. Illa itaque pro Lucanis proponente præfatis, quod cum geramus illius vices in terris, qui præfert sacrificio pietatem, et quum irascitur non obliviscitur misereri, non poteramus pœnitentibus veniam denegare; converti nunc ad illos cogimur se ad nos humiliter convertentes, et eis ad nos redeuntibus pietatis gremium aperire. Quum igitur sicut, tu frater episcope, ac clerus Lucanus vestris nobis litteris intimastis, eisdem Lucanis beneplacitis et mandatis nostris expositis, dilectus filius nobilis vir Prudentius potestas eorum, qui de sinceritate devotionis et fidei a te, episcope, ac clero prædicto, unde gaudemus, plurimum commendatur, et nonnulli ex ipsis de stando mandatis nostris præstiterint juramentum, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus a residuis omnibus, simili juramento recepto, eis, qui excommunicatione tenentur, absolutionis beneficium impendatis, et relaxetis sententiam interdicti. Quia vero dignum est ut iidem Lucani ad exaltationem et conservationem ecclesiasticæ libertatis intendant, quam deprimere nitebantur, volumus et mandamus, quod absolutio excommunicationis, et interdicti sententia relaxata sub debito juramenti ex parte nostra, salvis aliis mandatis nostris, injungatis eisdem, ut statuta omnia et consuetudines, quæ sunt contra ecclesiasticam libertatem, et quibus canonicis, et imperialibus sanctionibus derogatur penitus revocent, et eis de cætero non utantur, latis post clericorum exitum contra ipsos et eorum ecclesias sententiis irritatis; revocatis possessionum et aliorum bonorum ecclesiasticorum assignationibus, et cassatis confectis contra clericos, exilii sui tempore, instrumentis, castra, villas, loca, possessiones, ac cætera bona, et jura ecclesiastica ab omni datione, turpi onere,

publica functione, violenta exactione, angaria et perangaria, secundum legalia et imperialia statuta, libera perpetuo conservabunt. Non invadent bona ecclesiastica; sed potius pro posse suo, eorum invasoribus se opponent libertatis ecclesiasticæ, tam Apostolica, quam imperialia privilegia inviolabiliter servaturi. Potestati quoque, ac consilio supradicto sub debito juramento mandetis, quod et ipsi prædicta observent, et faciant inviolabiliter observari, ac scribi in constitutionibus civitatis nullo unquam tempore removenda, et successores ipsos ad eorum observantiam, et ad faciendum ea observari similiter teneantur. Ablata ecclesiis et personis ecclesiasticis prædicti potestas et populus restituant, et restitui faciant universa, neque propter hoc alicui earumdem ecclesiarum et personarum gravamen aliquod inferent, vel inferri permittent, seu diminuent aut subtrahent jura ecclesiastica, sive diminui vel subtrahi patientur. Licet autem per alias litteras transmissas tibi, episcope, mandaverimus, ut ii, qui auctoritate nostra sunt excommunicationis vinculo innodati, ad nostram mitterentur præsentiam, absolvendi, attendentes tamen, quod memorati Lucani semper in devotione Sedis Apostolicæ perstiterunt, quamquam nuper ipsos ab ea seducendo subduxerit inimicus, ac volentes mitius agere cum eisdem ipsis gratiam faciendo; volumus et mandamus, ut tantummodo violatores sacrorum locorum, et altaris præcipue Sanctæ Crucis, ac eorum consiliarii, nec non spoliatores clericorum, ac illi etiam qui tempore Parentii officiales erant, cum spoliaverint, nec custodierint ecclesias, ad nostram præsentiam cum vestris litteris, personarum et viarum securitate habita, transmittantur. Præterea cum super satisfactione damnorum facienda nobili viro G... Lucano civi, speciales vobis litteras destinemus, nos, qui tenemur ejus exemplo, qui est pacis amator et auctor pacis, consilia cogitare volentes, ut habitæ inter eumdem nobilem ac quosdam alios concives suos inimicitiæ, quæ crevisse hujus discordiæ occasione dicuntur, ex hujusmodi satisfactione fœdentur, nolumus vos in satifactionis facto procedere, nisi prius nobilis ipse cum eisdem suis concivibus ad firmæ pacis redierit unitatem, dum tamen de illatis injuriis ei congruam satisfactionem impendant : super aliis vero, quæ contingunt negotium memoratum, inspectis ejusdem circumstantiis, diligenter agatis, prout secundum Deum animarum tam cleri quam laicorum civitatis prædictæ saluti videritis expedire. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ protectionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani, nonis novembris, pontificatus nostri anno septimo.

XIX

Ad abbatem et conventum ecclesiæ Sanctæ Mariæ de Virgiotis.

17 novemb. 1222.

[Gattula, Hist. abb. Cassin., t. II, p. 492.]

Mandat ut illos, quos abbas et conventus monasterii Cassinensis ad eorum partes duxerint destinandos, honeste recipiant illisque devote obediant.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati et conventui ecclesiæ Sanctæ Mariæ de Virgiotis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Qualiter bonæ memoriæ B., tituli S. Suzannæ presbyter cardinalis, in partibus Romaniæ Apostolicæ Sedis legatus, ecclesiam vestram monasterio contulerit Cassinensi, cujus concessionem auctoritate duximus Apostolica confirmandam, vestra, sicut credimus, discretio non ignorat. Inde est, quod universitatem vestram monemus attentius et hortamur, per Apostolica vobis scripta mandantes, quatenus illos, quos dilecti filii abbas et conventus dicti monasterii ad partes vestras duxerint destinandos, recipientes honeste et honorifice pertractantes, illorum monitis et mandatis obediatis humiliter et devote. Datum Laterani, XV kalendas decembris, pontificatus nostri anno septimo.

XX

Ad vassallos ecclesiæ Sanctæ Mariæ de Virgiotis.

17 novemb. 1222.

[Gattula, Ad Historiam abbatiæ Cassinensis Accessiones, p. 292.]

Vassallos ecclesiæ S. Mariæ de Virgiotis hortatur in eumdum modum.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis vassallis ecclesiæ Sanctæ Mariæ de Virgiotis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Qualiter bonæ memoriæ Benedictus, etc., *ut supra*. Datum Laterani, XV kalend. decembris, pontificatus nostri anno septimo.

XXI

Ad archiepiscopum Rothomagensem.

17 novemb. 1222.

[Regest., lib. VII, epist. 32. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat ut de personis idoneis ecclesiis viduatis provideat.

Honorius, etc., venerabili fratri... archiepiscopo Rothomagen., salutem, etc.

Quum instantia nostra quotidiana sit omnium ecclesiarum sollicitudo continua, interest nostra, ut provideatur de personis idoneis ecclesiis viduatis. Quum itaque, sicut ex parte tua fuit expositum coram nobis, ecclesiæ in tua diœcesi vacarint ultra tempus a canone diffinitum, fraternitati tuæ, de qua plenam in Domino fiduciam obtinemus, per Apostolica scripta mandamus, quatenus, si est ita, tam monasteria quam alias ecclesias tuæ diœcesis, jure tibi diœcesano subjectas de personis idoneis, non obstante frivolæ appellationis objectu, studeas ordinare, in eis quæ corrigenda et reformanda fuerint, prout secundum Deum videris expedire, [corrigas et reformes]. Contradictores si qui fuerint, vel rebelles per censuram ecclesiasticam, compescendo. Datum Laterani, XV kalendas decembris, pontificatus nostri anno septimo.

XXII

Ad archiepiscopum Rothomagensem.

19 novemb. 1222.

[Regest., lib. VII, epist. 34. Mss. La Porte du Theil.]

Quosdam propter cohabitationem illicitam mulierum absolvendi, aut dispensandi illos qui non vicesimam solverant, ei concedit facultatem.

Honorius, etc., venerabili fratri... archiepiscopo Rothomagen., salutem et Apostolicam benedictionem.

De discretione tua plenam in Domino fiduciam obtinentes, illos, qui de tua provincia pro cohabitatione illicita mulierum sententias dilecti filii Sancti Martini presbyteri, tunc Sanctæ Mariæ in Porticu diaconi, vel bonæ memoriæ R. tituli Sancti Stephani in Cœlio monte presbyteri, cardinalium, legatorum Apostolicæ Sedis, incurrisse noscuntur, juxta formam Ecclesiæ absolvendi, injuncta eis pœnitentia competenti, liberam tibi auctoritate præsentium concedimus facultatem: dispensandi quoque cum illis, qui vicesimam statuto tempore, vel alias integre non solverant, dummodo exinde plenarie satisfaciant, licentiam indulgemus. Nulli ergo, etc., hanc paginam nostræ concessionis infringere, etc. Si quis autem, etc. Datum Laterani, XIII kalendas decembris, pontificatus nostri anno septimo.

XXIII

Ad eumdem.

Eodem die.

Mandat ut nullus in canonicum recipiatur in ecclesia Rothomagen., nisi de legitimo matrimonio natus sit.

Quia nobilitati Rothomagen. ecclesiæ videtur plurimum derogari, si personas illegitimas institui contigerit in eadem, fraternitatis tuæ precibus inclinati, auctoritate tibi præsentium indulgemus, ut nullum in ecclesia ipsa in canonicum recipere compellaris, nisi constiterit eum de legitimo matrimonio esse natum. Nulli ergo, etc., hanc paginam nostræ concessionis infringere, etc. Si quis autem, etc. Datum *ut supra*.

XXIV

Ad Stephanum abbatem et conventum monasterii Cassinensis.

20 novemb. 1222.

[Tosti, Monte Cassino, II, 303.]

Quamdam conditionem concessionis, ab abbate et conventu monasterii Cassinensis fratribus militiæ Templi factæ, confirmat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis... abbati et conventui Cassinensi, salutem et Apostolicam benedictionem.

Litteras felicis recordationis Alexandri papæ prædecessoris nostri nobis in hunc modum recepimus præsentatas :

« Alexander episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis P., abbati, et conventui Cassinensi, salutem et Apostolicam benedictionem. Ex vestra transmissa relatione, et dilectorum filiorum nostrorum Fratrum militiæ Templi confessione innotuit nobis, quod eis domum quamdam apud S. Germanum, nostrarum precum intuitu, concessistis, ea conditione adjecta, ut ecclesiam, vel oratorium construere apud eam non possint, neque possessiones hominum vestrorum, in monasterii dispendium, emptione vel dono lucrari. Volentes itaque providere, ut de concessione, quæ ad preces Apostolicas facta est, nullum ecclesia vestra in posterum præjudicium patiatur, conditionem concessioni adjectam Apostolica auctoritate censemus inviolabiliter futuris temporibus observandam. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Tusculani, XIII kalendas octobris. »

Nos igitur quod a dicto prædecessore nostro factum est in hac parte ratum et firmum habentes, illud Apostolica auctoritate confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani, XII kalendas decembris, pontificatus nostri anno septimo.

XXV

Ad Gebhardum episcopum Pataviensem.

24 novemb. 1222.

[Monumenta Boica, t. XXIX, II, p. 339.]

Mandat ut quosdam Pataviensis diœcesis, advocatiæ officio abutentes, per censuram ecclesiasticam compellant.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri episcopo Pataviensi, salutem et Apostolicam benedictionem.

Dilecti filii capitulum Pataviensis ecclesiæ gravem ad nos querimoniam destinarunt, quod nobiles viri... comes de Ortembure, R. et A., necnon quidam alii propriis nominibus exprimendi, Pataviensis diœcesis advocatiæ officio, quod in ecclesia ipsa obtinent, multipliciter abutentes, eam indebite aggravant et molestant. Quia igitur non est æquanimiter tolerandum ut, qui sunt ad præsidium ecclesiæ deputati, in bonis ipsius hujusmodi occasione crassentur, fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus, si est ita, advocatos ipsos, ut ab ejusdem ecclesiæ gravamine conquiescant, monitione præmissa, per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, justitia mediante, compellas. Testes autem qui fuerint nominati, si se gratia, odio vel timore subtraxerint, per censuram eamdem, appellatione cessante, compellas veritati testimonium perhibere. Datum Laterani, VII kalendas decembris, pontificatus nostri anno septimo.

XXVI

Ad abbatem et priorem S. Genovefæ et magistrum S., canonicum S. Benedicti Parisien.

24 novemb. 1222.

[Regest., lib. VII, epist. 36. Mss. La Porte du Theil.]

Quotidianæ distributiones, quæ tantum residentibus canonicis exhibentur, R. Ebroicen. archidiacono tribui non debent.

Honorius, etc., dilectis filiis... abbati et priori Sancti Genovefæ et magistro S., ca-

nonico Sancti Benedicti Parisien., salutem, etc.

Licet vobis direxerimus scripta nostra, ut dilecto filio magistro R..., Ebroicen. archidiacono, in sacra pagina cupiente studere, proventus suos ecclesiasticos faceretis integre ministrari, non tamen volumus quia nec vestræ intentionis extitit, ut quotidianas illas distributiones, quæ tantum residentibus ecclesiis et his qui horis intersunt canonicis exhibentur, ei tribui faciatis. Datum Laterani, VII kalendas decembris, anno septimo.

XXVII

Ad Landonem servientem.

8 decemb. 1222.

[Theiner, Cod. dipl. dominii temp., I, 73, n. 122.]

Landoni servienti pontifex confirmat locationem vineæ in territorio Signino a cardinali Sanctæ Anastasiæ rectore Campaniæ sibi factam.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Landoni servienti nostro, salutem et Apostolicam benedictionem.

Dignum est, ut qui per grata obsequia gratiæ se coaptant, gratuitæ retributionis percipiant incrementum. Quum itaque dilectus filius noster C., tituli Sanctæ Anastasiæ presbyter cardinalis, rector civitatis Signinæ, quamdam vineam, ad Ecclesiæ Romanæ demanium pertinentem, in territorio positam ad Fossatum, tempore vitæ suæ tibi concesserit : nos ipsius gratiæ aliquid volentes adjicere, vineam ipsam tibi tuisque successoribus sub annuo censu unius denarii de senatu duximus concedendam, eamque tibi auctoritate Apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis et confirmationis infringere. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani, VI idus decembris, pontificatus nostri anno septimo.

XXVIII

Ad abbatem et conventum monasterii de Mulenbrunnen, Cisterciensis ordinis.

12 decemb. 1222.

[Wirtembergisches Urkundenbuch, III, p. 140, n. 664.]

Decimam villæ de Werbere [Wurmberg], quam eis C(onradus) Spirensis episcopus contulerat, eis confirmat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis.... abbati et conventui monasterii de Mulenbrunnen Cisterciensis ordinis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Sacrosancta Romana Ecclesia devotos et humiles filios, ex assuetæ pietatis officio, propensius diligère consuevit et, ne pravorum hominum molestiis agitentur, eos tamquam pia mater suæ protectionis munimine confovere. Quum itaque, sicut vobis referentibus intelleximus, venerabilis frater noster C. Spirensis episcopus decimam villæ de Werbere vobis, de sui assensu capituli, pietatis intuitu contulisset, nos vestris piis supplicationibus inclinati, quod ab eodem episcopo super hoc pie, provide ac canonice factum est, sicut in ejus litteris continetur, auctoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani, II idus decembris, pontificatus nostri anno septimo.

XXIX

Ad archiepiscopum Compostellanum, episcopum Auriensem et abbatem de Ossera.

13 decemb. 1222

[Manrique, Annales Cisterc., IV, 228.]

Mandat ut rex Portugaliæ quamdam summam, ab ejus uxore Ecclesiæ Romanæ concessam, solvere cogatur.

Significatum est nobis, quod carissimus in Christo filius noster A., Portugaliæ rex illustris, inclytæ recordationis V., reginæ ipsius uxori, plenam concessit legandi pro anima sua, de bonis regni ejusdem, usque

ad triginta aureorum millia facultatem, sicut in instrumento confecto exinde continetur, quæ, pecunia ipsa piis locis in ultima sua dispositione legata, de ea mille marabotinos Ecclesiæ Romanæ reliquit. Ut ergo extrema prædictæ reginæ voluntas, cui maxima piorum consideratione locorum fovendum est, effectui mancipetur : discretioni vestræ præsentium auctoritate mandamus, quatenus regem ipsum personaliter adeuntes, pecuniam juxta prædictam dispositionem ipsius reginæ solvendam moneatis, attentius, et efficacius inducatis. Quod si monitis ad id forte non poterit [adduci], vos eum ad hoc auctoritate nostra sub Apostolica obedientia coerceatis. Datum Laterani, idibus decembris, anno septimo.

XXX

Ad abbatem Sancti Dionysii, Parisien. diœcesis.

14 decemb. 1222.

[Regest., lib. VII, epist. 67. Mss. La Porte du Theil.]

Indulget ut pallas altaris benedicere liceat.

Honorius, etc., dilecto filio..... abbati Sancti Dionysii, salutem et Apostolicam benedictionem.

Quum a nobis petitur quod justum est et honestum, tam vigor æquitatis, quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Ea propter, dilecte in Domino fili, tuis justis postulationibus grato concurrentes assensu, ut liceat tibi, et successoribus tuis ecclesiæ tuæ pallas altaris benedicere auctoritate præsentium indulgemus. Nulli ergo, etc., hanc paginam nostræ concessionis infringere, etc. Si quis autem, etc. Datum Laterani, XIX kalendas januarii, pontificatus nostri anno septimo.

XXXI

Ad Jacobum episcopum et archidiaconum Nitrienses et præpositum S. Thomæ Strigoniensis.

15 decemb. 1222.

[Fejer, Cod. diplom., t. III, I, 389.]

Mandat ut inquirant in M., qui pro archidiacono Vaciensi se gerit.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri... episcopo et dilectis filiis... archidiacono Nitriensibus et... præposito Sancti Thomæ Strigoniensis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Dilecti filii magistri G. et I., Vaciensis ecclesiæ canonici, nobis denuntiando monstrarunt, quod M., qui pro archidiacono ecclesiæ prædictæ se gerit, ad ecclesiasticas dignitates improbe ambiens sublimari, ut meritorum defectus saltem rerum copia enormiter suppleretur, archidiaconatum ejusdem ecclesiæ per simoniacam obtinuit pravitatem, non contentus quampluribus parochialibus ecclesiis, quas præter dispensationem Sedis Apostolicæ obtinet contra statuta Concilii generalis. Idem quoque pro nihilo reputans canonicas sanctiones, quemdam spurium suum, quem de quadam muliere suscepit, quam sibi de facto matrimonialiter vel incestuose potius compulavit, in eadem ecclesia canonicare præsumpsit : et ut se Deo detestabilem, et hominibus reddat exosum, seminans discordias inter fratres ad majorem damnationis suæ cumulum, causis sæcularibus, de quibus interdum sanguinis effusio provenit, temere se immiscet, aliasque plura exercens enormia in suæ salutis dispendium et derogationem ordinis clericalis : canonicos canonicare [adscribere] præsumit suæ arbitrio voluntatis. Quia vero nobis non constitit de præmissis, discretioni vestæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus, vocatis qui fuerint evocandi, et auditis hinc inde propositis, quod canonicum fuerit, auctore Domino, etc., faciatis, etc. Quod si non omnes, etc. Datum Laterani, XVIII kalendas januarii, pontificatus nostri anno septimo.

XXXII

Ad Thomam episcopum Agriensem et de Egris et S. Gothardi abbates.

15 decemb. 1222.

[Fejer, Codex Diplom., III, I, 390.]

Mandat, ut populum inducat, ne quid contra regem vel nobiles temere attentare audeat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri... episcopo Agriensi, et dilectis filiis... de Egris et... Sancti Gothardi abbatibus, Cenadiensis et Gueuriensis diœcesum, salutem, etc.

Quanto numerosior aggregatur hominum multitudo, tanto minus solet ratione compesci, dum singuli proprium sequentes affectum, non quod licet, sed quod libet, ambiunt inconsulte, et effrenantur facile in tumultum, nisi eorum fuerit desiderio quantumcumque irrationabili satisfactum. Quare non immerito adhibendum est remedium disciplinæ, quæ fervorem cohibens animorum, refrenata improborum audacia, universa rationabiliter moderetur. Quum igitur, sicut accepimus sed non utique acceptamus, in regno Hungariæ noviter sit statutum, ut omnes populi conveniant bis in anno, ubi etiam carissimus in Christo filius noster... rex Hungarorum illustris personaliter interesse tenetur, et tanta multitudinis turba, turbata modestia rationis, ab eodem rege difficilia et injusta soleant postulari : videlicet ut magnates et nobiles regni, quos habent exosos, suis dignitatibus et honoribus spoliati excludantur a regno, et eorum bona in populis dividantur : Quare idem redditur rex perplexus, eo quod si turbulentis hujusmodi postulationibus acquiescat, lædit justitiam, offendit pacem, et exinde regia potentia enervatur ; et iterum si juste neget injusta, suæ suorumque timet periculum personarum. Nos volentes super hoc salubre remedium adhibere, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus hujusmodi multitudinem, ut justitiæ contenta limitibus nil contra regem vel coronam ipsius, vel contra personas principum aut bona ipsorum, prætermisso juris ordine, audeat temere attentare, moneatis attentius et efficaciter inducatis. Contradictores, etc. Quod si non omnes, etc. Datum Laterani, XVII kalendas januarii, pontificatus nostri anno septimo.

XXXIII

Ad universos Christi fideles.

17 decemb. 1222.

[G. Kohler, Das Kloster, t. I, pag. 61.]

Universis Christi fidelibus accedentibus ad ecclesiam beati Petri Montis Sereni in die dedicationis ejusdem indulgentiam 20 dierum concedit.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, universis Christi fidelibus accedentibus ad ecclesiam beati Petri Montis Sereni in die dedicationis ejusdem, salutem et Apostolicam benedictionem.

Quoniam ad futuram gloriam, quæ in nobis revelabitur, non sunt condignæ hujus temporis passiones et propria merita ad eamdem non sufficiunt obtinendam, expedit hujus sæculi filiis, qui sæpe ac multum sui offendunt oculos Conditoris, ut filii lucis per labores corporis et opera pietatis sibi faciant quasi de mammona iniquitatis amicos, qui, quum defecerint, in æterna tabernacula eos recipiant, quatenus quod possibilitas ipsorum non obtinet, illorum eis intercessione donent, qui viventes in carne, præveniente gratia, meruerunt filii Dei fieri, et illis auxilium implorare cœleste qui devote nituntur assequi patrocinium eorumdem. Quum igitur ecclesia Montis Sereni in honore beati Petri Apostolorum principis sit constructa et in festo ejusdem, quod ad Vincula dicitur, ad Dei honorem et gloriam dedicata, ut ipsius mereamini patrocinium apud Deum, qui ex constantia et veræ fidei confessione promeruit inter Apostolos principatum, et ligatum esse in cœlis quod ab eo ligatur in terris, et quod in eisdem esset absolutum, ab ipso foret in cœlis etiam absolutum, universitatem vestram monemus et exhortamur attente in remissionem vobis peccaminum injungentes, quatinus memoratam ecclesiam in festo dedicationis ejusdem die solemni, nobis in virtutum confrequentationibus constituti, sic devoto pietatis studio visitetis, quod ejusdem Apostolorum principis patrocinio post hujus vitæ decursum ad cornu perveniatis altaris ad cognitionem, videlicet deitatis in qua vita æterna consistit, Redemptore nostro dicente, hoc esse vitam æternam Deum patrem et, quem ipse misit, cognoscere Jesum Christum. Ut autem, præter prædicti Apostolorum principis patrocinium et præmium regni cœlestis, præfatam ecclesiam in die prædicto visitantes devote in terris se gaudeant munus gratiæ reportasse, nos, de misericordia Dei ac ejusdem Apostolorum principis et coapostoli ejus Pauli auctoritate confisi, omnibus, qui devote ac pie eamdem ecclesiam die visitaverint prætaxato, viginti dies de injunctis sibi pœnitentiis misericorditer relaxamus. Datum Laterani, XVI kalend. januarii, pontificatus nostri anno VII.

XXXIV

Ad Johannem clericum Andreæ Hungariæ.

18 decemb. 1222.

[Fejer, Cod. diplom., III, I, 392.]

Cum Joanne clerico regis Hungariæ super duobus beneficiis ecclesiasticis obtinendis dispensat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Johanni, clerico carissimi in Christo filii nostri Hungariæ regis illustris, salutem et Apostolicam benedictionem.

Dignum est ut qui pro suæ meritis probitatis in nostram digni habiti sunt venire notitiam, a nobis gratiam assequantur, qui cupimus bonos in benedictione dulcedinis prævenire, ac bene meritos retributione prosequi liberali. Quum itaque in servitio carissimi in Christo filii nostri... illustris regis Hungariæ, ad quod pro tuorum meritorum exigentia es assumptus, necesse habeas magna, sicut asseris, subire onera expensarum, nec ad eas sufficias faciendas, nisi te Sedes Apostolica suæ gratiæ beneficiis prosequatur: nos et ad merita tua et ad ejusdem regis utilitatem debitum respectum habentes, tecum super duobus beneficiis, præter ea, quæ nunc habere dignosceris, obtinendis, non obstante constitutione Concilii generalis, auctoritate Apostolica dispensamus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani, kalendas januarii, pontificatus nostri anno septimo.

XXXV

Ad magistrum et fratres domus S. Mariæ Theutonicorum Hierosolymitanæ.

19 decemb. 1222.

[Fejer, Cod. diplomat. III, I, p. 422.]

Honorius III, libertates, immunitates ac possessiones ab Andrea rege equitibus Theutonicis factas recenset et confirmat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis magistro, et fratribus domus Sanctæ Mariæ Theutonicorum Hierosolymitanæ, salutem et Apostolicam benedictionem.

Quum a nobis petitur, quod justum est et honestum, tam vigor æquitatis quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Sane in privilegiis carissimi in Christo filii nostri regis Hungarorum illustris, perspeximus inter cætera contineri, quod ipse quamdam terram, nomine Burszam, tunc desertam, et inhabitatam, vobis donavit intuitu pietatis perpetuo libere possidendam; concedendi nihilominus vobis ut si aurum vel argentum terræ contingeret reperiri, una pars ad regni fiscum pertineat, reliqua vero pars vestris usibus deputetur; libera quoque fora et tributa fororum ejusdem terræ totaliter vobis indulsit; liberos denarios et pondera nihilominus remittendo et reddendo vos ab omni exactione liberos et immunes, ac statuendo, quod nulli Wagvodæ super vos liceat habere descensum, ipsam quoque terram certis distinxit limitibus, sive metis: quarum prima incipit ab indaginibus castri Voilgard, et inde progreditur usque ad indagines Nicolii, ubi aqua defluit, quæ vocatur Aluta, Olt, et sic ascendendo per Aluta usque Szerzylon cadit in Aluta, et iterum vadit usque ad ortum ejusdem Zereyllen, et ab ortu aquæ, quæ Zynris vocatur, progreditur usque ad effluxum aquæ, quæ dicitur Borsza, et deinde, sicut montes nivium terram complectuntur eamdem, usque ad Almagiam se extendit. Addidit etiam postmodum idem rex donationi prædictæ castrum, quod Cuteburc nominatur, de novo constructum a vobis cum pratis adjacentibus circa illud; nec non a termino ipsius castri terram quamdam, quæ procedit usque ad terminos Bleacorum, et ab indaginibus Almagiæ in parte altera protenditur usque ad aquæ ortum, quæ Bursa vocatur, et inde ad Danubium usque procedit. Concessit etiam vobis, ut super fluvium nomine Aluta sex naves, et totidem super fluvium nomine Mors (Maros) liberas habeatis, per totum regnum ejus salem descendendo ferentes, et referentes res alias ascendendo; salis fodinas etiam, quæ Acana (Akna) vocantur, sufficientes ad prædictas duodecim naves, libere ubicumque volueritis, vobis regia liberalitate concessit; concedendo, ut nullum teneamini præstare tributum, nec etiam homines vestri, quum per Siculorum terram transierint, aut Valachorum. Ad hæc homines, qui terram ipsam

inhabitant, quando dicta donatio facta fuit vobis et domui vestræ, liberos sine requisitione dimisit expresse, ut si qui de hominibus ejus, aut hospitibus terræ suæ ad vos de cætero transmigraverint, eos exinde, quam cito ad notitiam vestram pervenerit, expellatis. Adjecit insuper, ut quilibet in regno ejus, qui proprietatem suam vobis in eleemosynam voluerit elargiri, id faciendi habeat liberam facultatem; ea etiam vos concessit libertate gaudere, ut nullus monetariorum ultra sylvas terram vestram, vel vos in aliquo molestare præsumat; totum jus et utilitatem, quam in terra vestra debebat percipere, vobis totaliter indulgendo et conferendo; specialiter in recompensationem damnorum, quæ perpessi fueritis, quando ejus ira contra vos provocata prædictam terram vobis præcepit auferri; ac etiam ideo, quod in regni confinio positi frequentes paganorum sustinetis insultus, vos pro regno morti tamquam firmum propugnaculum opponentes; verumtamen nullam potestatem habeatis cudendi quamcumque monetam absque regis licentia speciali. Nos ergo vestris justis precibus benignum impertientes assensum, prædictas terras cum libertatibus et immunitatibus suis, sicut eas juste, ac pacifice possidetis, et in privilegiis dicti regis plenius continetur, vobis et domui vestræ auctoritate Apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam infringere nostræ confirmationis, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani, XIV kal. januarii, pontificatus nostri anno septimo.

XXXVI

Ad Nicolaum comitem de Sopron.

19 decemb. 1222.

[Theiner, Mon. Hungariæ, t. I, p. 36, n. 75.]

N. comes de Sopron crucesignatus cum bonis suis sub Apostolicæ Sedis protectione recipitur.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio nobili viro, N. comiti de Sopron, Gueuriensis diœcesis, salutem, etc.

Quum a nobis petitur, etc, *usque* effectum. Quum igitur zelo fidei et devotionis accensus, affixo tuis humeris signo crucis, proposueris in Terræ Sanctæ subsidium proficisci, nos tuis justis precibus inclinati, personam, terram, familiam et omnia bona tua, quæ in præsentiarum rationabiliter possides, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, statuentes, ut ea omnia, postquam iter arripueris transmarinum, integra maneant et quieta, donec de tuo reditu vel obitu certissime cognoscatur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ protectionis et constitutionis infringere. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani, XIV kalendas januarii, pontificatus nostri anno septimo.

XXXVII

Ad Ugrinum archiepiscopum Colocensem et Desiderium episcopum Cenadiensem.

19 decemb. 1222.

[Theiner, Mon. Hung., I, 36, n. 184.]

Eis mandat ut N. comitem de Sopron ab aliquibus molestari non permittant.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis... archiepiscopo Colocensi et... episcopo Cenadiensi, salutem et Apostolicam benedictionem.

Quum dilectum filium nobilem virum N., comitem de Sopron, qui zelo fidei et devotionis accensus, assumpto crucis signaculo, proposuit in Terræ Sanctæ subsidium proficisci, cum terra, familia et omnibus bonis, quæ in præsentiarum rationabiliter possidet, sub protectione susceperimus Apostolicæ Sedis et nostra statuentes, ut ea omnia, postquam iter arripuerit transmarinum, integra maneant et quieta, donec de ipsius reditu vel obitu certissime cognoscatur: fraternitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus ipsum super his non permittatis ab aliquibus molestari, molestatores ejus indebitos, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Datum Laterani, XIV kalendas januarii, pontificatus nostri anno septimo.

XXXVIII

Ad abbates Sancti Johannis Morinen. et Sancti Vedasti Atrebaten.

20 decemb. 1222.

[Regest., lib. VII, epist. 369. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat ut episcopi Morinen. cessionem recipiant.

Honorius, etc., dilectis filiis... S. Johannis Morinen. diœcesis et Sancti Vedasti Atrebaten. abbatibus, salutem et Apostolicam benedictionem.

Quum venerabilis frater noster... Morinen. episcopus, senilis ætatis gravatus incommodis, onera pontificalis honoris nequeat, ut asserit, commode comportare, ne si præsit, dum non prodest, videatur obesse, nobis supplicare fecit instanter, ut ipsius cessionem recipere dignaremur, cupientis reliquum vitæ suæ in dulcedine quietis internæ Domino dedicare. Quum igitur idem episcopus bonum certamen certarit, et cursum laudabiliter consummavit, non sit eidem honestæ demissionis solatium denegandum, nos ei debito compatientes affectu, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus vice nostra cessionem recipientes ipsius, usu sibi pontificalium reservato, de bonis episcopalibus unde commode sustentari valeat, provideatis eidem, contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo, capitulo quoque Morinen. ecclesiæ indicatis, ut sibi de persona idonea per electionem canonicam provideant in pastorem quæ tanto congruat oneri et honori. Quod si non omnes, etc. Datum Laterani, XIII kalendas januarii, pontificatus nostri anno septimo.

XXXIX

Ad abbati S. Dionysii Parisiensi.

24 decemb. 1222.

[Doublet, Hist. de l'abbaye de Saint-Denis, p. 555.]

Ei concedit ut monachis sui monasterii, qui excommunicati divina officia celebraverunt, beneficium absolutionis impendat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio abbati Sancti Dionysii, Parisiensis diœcesis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Ex parte tua fuit propositum coram nobis, quod nonnulli de monachis tuis ante susceptionem habitus monachalis, et quidam post, pro injectione manuum violenta in clericos vel conversos, et quidam ex alia causa, vinculo excommunicationis adstricti, divina officia celebrarunt; unde nos humiliter supplicasti, ut super hoc eorum providere saluti misericorditer dignaremur. Nos igitur de tua discretione plenam fiduciam obtinentes, per Apostolica tibi scripta mandamus, quatenus talibus vice nostra juxta formam Ecclesiæ beneficio absolutionis impenso, et injuncto quod consuevit injungi super eo quod excommunicati divina officia celebrarunt, cum ipsis auctoritate nostra dispenses, prout secundum Deum saluti eorum videris expedire. Datum Laterani, IX kalend. januarii, pontificatus nostri anno septimo.

XL

Ad archiepiscopos et episcopos regni Franciæ.

30 decemb. 1222.

[Doublet, Hist. de l'abbaye de Saint-Denis, p. 555.]

Inhibet ne excommunicationis vel interdicti sententias contra monachos S. Dionysii Parisiensis in eorum diœcesibus constitutos proferant.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis in quorum diœcesibus, prioratus, et cellæ monasterio Sancti Dionysii Parisiensis diœcesis subjecti consistunt, salutem et Apostolicam benedictionem.

Quanto amplius esse debetis justitiæ zelatores, tanto magis vos dedecet facere fraudem legi, et præsertim in Apostolicæ Sedis injuriam et contemptum. Sane dilecti filii abbas et conventus Sancti Dionysii Parisiensis diœcesis, gravem nobis querimoniam obtulerunt, quod quidam vestrum et eorum officiales, quum in eos et sibi subditos monachos non possunt excommunicationis et interdicti proferre sententias, eo quod super hoc Apostolicæ Sedis privilegiis sunt muniti, in eos qui molunt in molendinis, vel coquunt in furnis eorum, quique vendendo seu emendo, aut alias eis communicant, sententias proferunt memoratas, et sic Apostolicorum privilegiorum non vim et potestatem, sed sola verba ser-

vantes, dicti monasterii monachos quodammodo excommunicant, dum eis alios communicare non sinunt, ex quo illud etiam evenit inconveniens, ut ipsi monachi, quantum ad hoc, judicentur judicio Judæorum, et qui eis communicant in prædictis majorem excommunicationem incurrunt, quam etiam excommunicati communicando fuerant incursuri. Nolentes igitur hæc crebris ad nos clamoribus jam perlata ulterius sub dissimulatione transire, vobis universis et singulis per Apostolica scripta mandamus, quatenus hujusmodi sententias in fraudem privilegiorum nostrorum de cætero non feratis, quia si super hoc ad nos denuo clamor ascenderit, non poterimus conniventibus oculis pertransire, quin promulgatores talium sententiarnm severitate debita castigemus. Datum Laterani, III kalendas januarii, pontificatus nostri anno septimo.

XLI

Ad archiepiscopos, episcopos, abbates, etc.

4 januarii 1223.

[Strehlke, Tab. ord. Theut., p. 323, n. 369.]

Honorius vetat parochianos prohiberi, quominus ordinis Theutonici ecclesias frequentent, ei subsidia erogent, in cœmeteriis ejus sepulturam quærant.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiscopis, episcopis, et dilectis filiis abbatibus, prioribus, etc.

Gravem dilectorum filiorum fratrum Hospitalis Sanctæ Mariæ Theutonicorum Hierosolymitani recepimus quæstionem, quod quidam vestrum parochianos suos ad ecclesias et capellas fratrum ipsorum causa orationis accedere, ac eis pia elargiri beneficia non permittunt, quin imo, quod gravius est, eligentes in eorum cœmeteriis sepulturas, et caritatis eis subsidia exhibentes interdicere ac excommunicare præsumunt in dictorum fratrum non modicum detrimentum. Quia igitur prædictorum fratrum injuriam tanto minus dissimulare possumus, quanto amplius Christi pauperibus, quorum iidem ministri existunt, et Terræ Sanctæ succursui est damnosa; universitati vestræ per Apostolica scripta mandamus præcipiendo, quatenus et vos ipsi penitus ab hujusmodi desistentes, injuriis et vestros subditos a similibus compescentes, fratres prædictos non impediatis nec patiamini, quantum in vobis fuerit, ab aliis impediri, quominus Christi fideles causa orationis, quum voluerint, eorum adeant ecclesias et capellas, grata eis subsidia et pias eleemosynas erogando et eligendo in cœmeteriis juxta indulta Sedis Apostolicæ sepulturam. Datum Laterani, II nonas januarii, pontificatus nostri anno septimo.

XLII

Ad universos Christi fideles.

5 januarii 1223.

[Strehlke, Tab. ord. Theuton., p. 323, n. 370.]

Honorius commendat ordinem Theutonicum in recuperanda Terra Sancta laborantem munificentiæ Christi fidelium, proposita indulgentia.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, universis Christi fidelibus, ad quos litteræ istæ pervenerint, salutem et Apostolicam benedictionem.

Ad eripiendam de paganorum manibus terram illam, quam Dominus Jesus Chistus proprio sanguine consecravit, tanto fortius et libentius debent intendere Christiani; quanto propius et certius, ut speramus, ejusdem terræ liberatio appropinquat. Quisquis enim in adventu summi Regis desiderat esse tutus, ut ab eo æternæ felicitatis præmia consequatur, in instantis necessitatis articulo suæ debet devotionis indicia demonstrare, securus utique, quod, si ipse opportuno bonorum omnium servierit largitori, nunquam sibi deesse poterit merces magna, quum sit omnipotens Dominus largissimus retributor, qui pro terrenis cœlestia, et pro transitoriis dat æterna. Ut igitur vos possitis hujus retributionis præmia promereri, ad mittendum vestræ subventionis subsidium Terræ Sanctæ hilares vos ostendere debetis, et, qui ad ejusdem terræ succursum laborare personaliter non potestis, ejus saltem defensoribus et propugnatoribus manus vestri auxilii porrigatis. Universitatem vestram itaque rogandam duximus et monendam, per Apostolica scripta vobis mandantes et in remissionem peccaminum injungentes, quatenus dilectis filiis fratribus domus Sanctæ Mariæ Theutoni-

corum, qui ad recuperandam et defendendam terram prædictam laborare totis viribus non desistunt, in eorum confratriis assumendis, legatis et aliis beneficiis exhibendis habeatis pro Dei et nostra reverentia pietate solita commendatos, diligentius attendentes, quod dicti fratres tanquam fideles animarum vestrarum ministri non quærunt, quæ sua sunt, sed quæ Jesu Christi, non sibi tantummodo thesaurizant, sed facultates vestras fideliter Christi pauperibus subministrant, quorum manus in thesauris cœlestibus eas condunt, ubi nec erugo exterminat nec tinea demolitur. Nos enim de beatorum apostolorum Petri et Pauli auctoritate confisi, omnibus, qui de facultatibus sibi collatis a Deo fratribus subvenerint antedictis et in tam sancta fraternitate statuerint se collegas eisque beneficia persolverint annuatim, septimam partem injunctæ pœnitentiæ relaxamus. Datum Laterani, nonis januarii, pontificatus nostri anno septimo.

XLIII

Ad Adolphum episcopum Osnaburgensem.

5 januarii 1223.

[Lappenberg, Hamburgisches Urkundenbuch, I, p. 401, n. 460.]

Adolpho episcopo Osnaburgensi pallium mittit.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri episcopo Osnaburgensi, salutem et Apostolicam benedictionem.

Quum pallium, insigne videlicet pontificalis officii, ex parte venerabilis fratris nostri Bremensis archiepiscopi, fuisset a nobis per dilectos filios A. Montis Sanctæ Mariæ et H. Sancti Anscarii præpositos, et magistros Ar. et Al. canonicos Bremenses, cum ea qua decet instantia postulatum, nos ejus postulationibus annuentes, per eos ipsum de corpore beati Petri sumptum, tibi, de cujus circumspectione plenam in Domino fiduciam obtinemus, dirigimus, ei ex parte nostra fideliter assignandum. Quocirca fraternitatem tuam monemus attente, per Apostolica scripta mandantes, quatenus illud ei assignes sub forma quam sub bulla nostra tibi mittimus interclusam, et ab eodem nomine nostro sub forma, quam sub eadem bulla dirigimus, fidelitatis recipias juramenta. Datum Laterani, nonis januarii, pontificatus nostri anno septimo.

XLIV

Ad abbatem et priorem Sancti Martini Ambianen. ac decanum Atrebatensem.

5 januarii 1223.

[Regest., lib. VII, epist. 61. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat eis ut, statim ecclesiæ Ambianensi de pastore provisum fuerit, injungant eidem ut infra duos menses compareat per se vel procuratorem coram pontifice, auditurus sententiam.

Honorius, etc., dilectis filiis... abbati... et priori Sancti Martini de Gemellis Ambianen., et... decano Atrebaten., salutem, etc.

Quæstione dudum, inter bonæ memoriæ... Ambianensem episcopum et monasterium Sancti Ricarii in Pontivo, super ejusdem monasterii exemptionem subdita, eodem monasterio per varias commissiones multis fatigato laboribus et expensis, tandem abbas Sancti Victoris Parisiensis et conjudices sui hujusmodi causam secundum Apostolici mandati tenorem ad nos remiserunt sufficienter instructam, kalendas augusti proximo præteritas peremptorie terminum partibus assignantes, procuratoribus igitur partium in nostra præsentia sententiam expectantibus, episcopo ipso interim rebus humanis exempto, ejus procurator ad propria, non exspectata sententia, remeavit. Quare procuratores monasterii memorati nobis humiliter supplicarunt ut compatientes ejusdem monasterii laboribus et expensis, ad ipsius causæ decisionem procedere dignaremur. Nolentes ergo ipsius causæ decisionem diutius prorogari, præsentium vobis auctoritate mandamus, quatenus, si est, vel quam cito fuerit Ambianensi ecclesiæ de pastore provisum, auctoritate nostra peremptorie injungatis eidem, ut infra duos menses, postquam id sibi fuerit injunctum a vobis per se, vel per procuratorem idoneum compareat coram nobis sententiam auditurus, quod inde feceritis nobis per litteras vestras fideliter intimantes, mandatum nostrum ita sollicite impleturi, quod non possitis redargui in hoc de negligentia, vel contemptu. Quod si non omnes, etc. Datum Laterani, nonis januarii, pontificatus nostri anno septimo.

XLV

Ad archiepiscopum Bremensem.

5 januarii 1223.

[Lappenberg, Hamburg., Urkundenbuch, I, 401, n. 461.]

Gerhardo archiepiscopo Bremensi pallium tribuit.

Honorius, etc., venerabili fratri Bremensi archiepiscopo, salutem, etc.

« Quum (1) pallium, insigne videlicet pontificalis officii, ex parte venerabilis fratris nostri, Bremensis archiepiscopi, fuisset a nobis per dilectos filios A. montis Sanctæ Mariæ et H. Sancti Anscarii præpositos, et magistros Ar. et Al. canonicos Bremenses, cum ea qua decet instantia postulatum, nos ejus postulationibus annuentes, per eos ipsum de corpore beati Petri sumptum, tibi, de cujus circumspectione plenam in Domino fiduciam obtinemus, dirigemus, ei ex parte nostra fideliter assignandum. Quocirca fraternitatem tuam monemus attente per Apostolica scripta mandantes, quatenus illud ei assignes sub forma quam sub bulla nostra tibi mittimus interclusam, et ab eodem nomine nostro sub forma, quam sub eadem bulla dirigimus, fidelitatis recipias juramenta. » Tu autem illo intra ecclesiam tuam illis diebus utaris, qui expresse in ecclesiæ tuæ privilegiis continentur. Ut igitur signum a significato non discrepet, sed quod geris exterius, intus serves in mente, fraternitatem tuam monemus attente et hortamur, quatenus humilitatem et justitiam, dante Domino, qui dat munera, et præmia elargitur, conservare studeas, quæ suum servant et promovent servatorem. Et Bremensem ecclesiam, sponsam tuam, quæ multi hactenus angustiis est oppressa, studeas sollicite, auctore Domino relevare.

Datum Laterani, nonis januarii, pontificatus nostri anno septimo.

XLVI

Ad abbatem, priorem et suppriorem S. Victoris Parisien.

12 januarii 1223.

[Regest., lib. VII, epist. 65. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat ut exempla quorumdam originalium sub sigillis suis Ambianen. episcopo tribuant.

Honorius, etc., dilectis filiis... abbati... priori, et... suppriori Sancti Victoris Parisien., salutem, etc.

Quum causam, quæ inter bonæ memoriæ... Ambianen. episcopum et... abbatem et conventum monasterii Sancti Richarii in Pontivo super exemptione ipsius monasterii vertebatur, ad nos juxta mandatum apostolicum remisissetis instructam, penes vos actis seu eorum originalibus reservatis, et procuratores partium in nostra præsentia sententiam expectarent, episcopo ipso interim rebus humanis exemplo, ejus procurator, sententia non expectata, recessit. Unde nos attendentes labores multiplices et expensas quibus monasterium ipsum pro jamdicta causa noscitur fatigatum, dilectis filiis... abbati... priori Sancti Martini de Gemellis Ambianen. in mandatis, ut si est, vel quam cito erit, Ambianen. ecclesiæ de pastore provisum, peremptorie eidem injungant, ut infra duos menses, postquam id sibi erit injunctum ab eis, per se, vel procuratorem idoneum, compareat coram nobis sententiam recepturus. Ne igitur negotii memorati decisio per occasiones reliquas ulterius retardetur, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus exempla ipsorum originalium sub sigillis vestris tribuatis successori præfati episcopi si fueritis requisiti, mandantes abbati et conventui supradictis, ut transcriptioni originalium ipsorum per suum procuratorem intersint. Quod si non omnes, etc. Datum Laterani, II idus januarii, pontificatus nostri anno septimo.

XLVII

Ad Thomam episcopum Agriensem.

12 januarii 1223.

[Fejer, Codex diplom., III, I, 405.]

Mandat ut terræ Bozæ personam idoneam, sibi a fratribus hosp. S. Mariæ Theutonicorum præsentatam, in archipresbyterum vel decanum præficiat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri... episcopo Agriensi, salutem et Apostolicam benedictionem.

Dilecti filii magister et fratres domus Sanctæ Mariæ Theutonicorum sua nobis petitione monstraverunt, quod in terra, quæ

(1) Honorius repetit epistolam ad episcopum Osnaburgensem supra nº XLIII, *usque ad* juramenta.

dicitur Boza, quam noviter inhabitare cœperunt, impetu paganorum, per quos hactenus vasta et deserta permansit, non sine ipsorum multo discrimine refrenato, est jam non parvus numerus clericorum : unde quum terra ipsa, juxta indulgentias eorum ordini ab Apostolica Sede concessas, præter Romanum Pontificem non habet episcopum vel prælatum, supplicarunt, ut præfatis clericis provideremus archipresbyterum vel decanum, ad quem possint habere recursum super quæstionibus emergentibus inter eos, donec ipsius terræ populus in tantum, annuente Domino, augmentetur, quod eis de proprio possit episcopo provideri. Ideoque fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus idoneam personam tibi ab ipsis fratribus præsentatam vice nostra in archipresbyterum vel decanum præficias clericis antedictis. Datum Laterani, II idus januarii, pontificatus nostri anno septimo.

XLVIII

Ad Glaswensem... Dunkeldensem et Dumblanensem episcopos.

13 januarii 1223.

[Theiner, Monum. Hungariæ, p. 21.]

Judicibus, ut in episcopi Cathanensis interfectores severe animadvertant, regique Scotorum horum impietatem ulciscendi studio flagranti præsto sint.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus Sancti Andreæ... Glaswensi... Dunkeldensi et Dumblanensi episcopis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Nunc scimus vere, quod carissimus in Christo filius noster... rex Scotorum illustris ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum, traditam sibi a Domino exerceat potestatem, quum commissas in regno suo nequitias non patiatur impunitas. Jam plene cognoscimus, quod libertatem ecclesiasticam diligat, quum suæ auctores injuriæ prosequatur. Jam revera ipsum Dei fatemur adletam (athletam), quum ad vindicandum sanguinem christi ejus, qui de terra clamat ad ipsum, regalibus negotiis prætermissis, intendat. Audito quidem ex litteris vestris, quam abhorrendum facinus, quamque detestabile malum dudum sit in regno suo patratum, noster expavit animus, cor contremuit, et aures ex ipsius horribilitate facinoris tinnierunt; sed ex earumdem litterarum intellecto tenore, quam animose idem rex insurrexerit contra hujus sceleris patratores, dolorem, quem nobis facti atrocitas intulit, pro magna parte sensimus ex sua diligentia mitigatum. Eædem sane litteræ continebant, quod orta inter recolendæ memoriæ A. Cathanensem episcopum ex parte una, et parochianos suos ex altera, super decimis et aliis Cathanensis ecclesiæ juribus quæstione, ipsaque in præsentia regis ipsius mediantibus quibusdam personis ecclesiasticis amicabili compositione sopita, redeunte tandem episcopo ad propria, ipsoque rege in Angliam pro arduis regni sui negotiis properante, iidem parochiani tanquam moti adversus eum, quia ecclesiæ suæ causam egerat contra ipsos, in pastorem pium lupi rapaces, in patrem degeneres filii, ac in Christum Dominum diaboli satellites irruentes, eum vestibus propriis spoliatum, cæsum, lapidatum et bipenni vulneratum ad mortem, in coquina propria ejus interitus nimis avidi cremaverunt. Rex vero præfatus, qui proficiscens in Angliam jam ad extrema regni sui pervenerat, hoc audito, dolens et ex tanta perversitate sceleris conturbatus, ad vindicandam tam crudelem episcopi dicti mortem, et ad male perdendum malos, qui eumdem episcopum sic perdiderant, prorsus omissis, quæ ipsum trahebant, negotiis, se protinus exercitibus suis collectis accinxit, aperte insinuans, quod eum injuria Christi angat, et suæ zeletur ecclesiæ libertatem, pro cujus defensione mortem subiit episcopus memoratus. Nos ergo juxta postulationem vestram ipsius regis super hoc excellentiam commendantes, ac prosequentes actionibus gratiarum eum per scripta nostra monuimus, ut assumptum propositum ulciscendi, Deo et Ecclesiæ super hoc illatam injuriam ulciscendo taliter prosequatur, quod pro eo ipsa teneatur Ecclesia Dei misericordiam implorare, ut semper sit, ubicumque ambulat, ipse secum, et in æternum stabiliat regnum suum, faciatque sibi nomen grande, ac ab omnibus suis inimicis ei requiem largiatur. Quum autem, sicut in litteris continebatur eisdem, vos hujusmodi iniquitatis auctores et fautores eorum publice denuntiaveritis excommunicationis sententiæ subjacere

Nos, quod super hoc a vobis factum est, approbantes, et pœnam augere volentes eorum, fraternitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus ipsorum terris, si quas habent, districto ecclesiastico interdicto subjectis, tam præfatam excommunicationis sententiam, quam ipsum interdictum districtissime faciatis usque ad satisfactionem congruam observari. Datum Laterani, idibus januarii, pontificatus nostri anno septimo.

XLIX

Ad Engelbertum archiepiscopum Coloniensem.

17 januarii 1223.

[Rossel, Ub. d. Abtei Eberbach, I, 325.]

Præcipit ut illos, qui possessiones, res vel domos fratrum Eberbacensis monasterii invaserint, excommunicationis sententia percellat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri archiepiscopo Coloniensi, salutem et Apostolicam benedictionem.

Non absque dolore cordis et plurima turbatione didicimus, quod ita in plerisque partibus ecclesiastica censura dissolvitur, et canonicæ sententiæ severitas exercetur, ut viri religiosi et hi maxime, qui per Sedis Apostolicæ privilegia majori donati sunt libertate, passim a malefactoribus suis injurias sustineant, et rapinas, dum vix invenitur qui congrua illis protectione subveniat, et pro fovenda pauperum innocentia, se murum defensionis opponat. Specialiter autem dilecti filii abbas et conventus monasterii Eberbacensis, Cisterciensis ordinis, tam de frequentibus injuriis quam de ipso quotidiano defectu justitiæ conquerentes, universitatem vestram litteris petierunt Apostolicis excitari, ut ita videlicet eis in tribulationibus suis contra malefactores eorum prompta debeatis magnanimitate consurgere, quod ab augustiis quas sustinent et pressuris, vestro possint præsidio respirare; ideoque universitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, atque præcipimus, quatenus illos qui possessiones, vel res seu domos prædictorum fratrum, vel hominum suorum irreverenter invaserint, aut ea injuste detinuerint, quæ prædictis fratribus ex testamento decedentium relinquuntur, seu in ipsos fratres contra Apostolicæ Sedis indulta sententiam excommunicationis seu interdicti præsumpserint promulgare, vel decimas laborum de possessionibus habitis ante Concilium generale, seu nutrimentis ipsorum, spretis Apostolicæ Sedis privilegiis extorquere, monitione præmissa, si laici fuerint, publice candelis accensis excommunicationis sententiam promulgatis; si vero clerici vel canonici regulares, seu monachi fuerint, eos appellatione remota ab officio et beneficio suspendatis, neutram relaxaturi sententiam, donec prædictis fratribus plenarie satisfaciant et tam laici quam dicti sæculares, qui pro violenta manuum injectione, anathematis vinculo fuerint innodati, cum diœcesani episcopi litteris ad Sedem Apostolicam venientes, ab eodem vinculo mereantur absolvi : de monachis vero, et canonicis regularibus id servetur, ut si ejusdem claustri fratres manus in se injecerint violentas, per abbatem proprium; si vero unius claustri frater in fratrem alterius claustri hujusmodi præsumpserit violentiam exercere, per injuriam passi, et inferentis, abbates absolutionis beneficium assequantur : etiam si eorum aliqui priusquam habitum receperint regularem tale aliquid commiserunt, propter quod ipso actu excommunicationis sententiam incurrissent, nisi excessus ipsorum esset difficilis et enormis, utpote si esset ad mutilationem membri vel sanguinis effusionem, processum aut violenta manus in episcopum vel abbatem injecta, quum excessus tales et similes sine scandalo nequeant præteriri. Villas autem in quibus bona prædictorum fratrum, vel hominum suorum per... detenta fuerint, quandiu ibi sunt, interdicti sententiæ supponatis. Datum Laterani, XVI kalendas februarii, anno septimo.

L

Ad decanum et capitulum ecclesiæ de Frankenford.

17 januarii 1223.

[Bohmer, Cod. diplom. Mænofranc., p. 37.]

Jus patronatus quod habent in capella de Bischofsheim confirmat.

Honorius, etc.

Quum a nobis petitur, quod justum est et honestum, tam vigor æquitatis quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Eapropter, dilecti in Domino filii, justis vestris postulationibus grato concurrentes assensu, jus patronatus, quod habetis in capella de Biscofsheim a bonæ memoriæ Philippo præposito ejusdem ecclesiæ, loci diœcesano, et ejus capituli accedente consensu, vobis pia liberalitate donatum, sicut in litteris eorumdem plenius dicitur contineri, vobis et per vos eidem ecclesiæ auctoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, etc. Datum Laterani, XVI kalendas februarii, pontificatus nostri anno septimo.

LI

Ad præpositum et conventum monasterii de Dalen.

18 januarii 1223.

[Bodmann, Rheingavische, I, 185.]

Eos cum omnibus bonis sub beati Petri et sua protectione suscipit.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis... præposito et conventui monasterii de Dalen, ordinis Sancti Benedicti, salutem et Apostolicam benedictionem.

Justis petentium desideriis, etc. Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris postulationibus grato concurrentes assensu, omnes libertates et immunitates a prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus, sive per privilegia, seu alias indulgentias monasterio vestro, seu vobis concessas, necnon libertates et exemptiones sæcularium exactionum a regibus, et principibus, ac aliis Christi fidelibus rationabiliter vobis et per vos eidem monasterio auctoritate Apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Laterani, XV kalendas februarii, pontificatus nostri anno septimo.

LII

Ad præpositum conventumque monasterii Omnium Sanctorum, Præmonstratensis ordinis.

18 januarii 1223.

[Hugo, Præmonstratenses Annales. II, prob. 281.]

Eos protegendos suscipit omnesque eorum possessiones ac bona confirmat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis præposito et conventui monasterii Omnium Sanctorum Præmonstratensis ordinis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Justis petentium desideriis dignum est nos facilem præbere consensum, et vota, quæ a rationis tramite non discordant, effectu prosequente complere. Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, personas vestras et monasterium, in quo divino estis obsequio mancipati, cum omnibus bonis, quæ in præsentiarum rationabiliter possidet, aut in futurum, præstante Domino, justis modis poterit adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus. Specialiter autem ecclesiam in Nussbach cum pertinentiis suis, nec non de Watviler et de Urloffhein possessiones vestras, ac alia bona vestra, sicut ea omnia juste, canonice et pacifice possidetis, vobis et per vos monasrio vestro auctoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ protectionis et confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani, XV kalendas februarii, pontificatus nostri anno septimo.

LIII

Ad archiepiscopum Senonensem ejusque suffraganeos.

18 januarii 1223.

[Gallia christiana, VIII, instr. 95.]

Ut injuriis monialibus S. Antonii Parisiensis frequentius illatis finem imponant.

Honorius episcopus, servus servorum Dei,

venerabilibus fratribus archiepiscopo Senonensi et suffraganeis ejus, salutem et Apostolicam benedictionem.

Non absque dolore cordis et plurima turbatione didicimus, quod ita in plerisque partibus ecclesiastica censura dissolvitur, etc., *ut in bullis superioribus*. Datum Laterani, XV kalendas februarii, pontificatus nostri anno septimo.

LIV

Ad abbatem de Portu Regis Cisterciensis ordinis.

18 januarii 1223.

[Gallia christiana, IV, 748.]

Abbatiæ tutelam suscipit ejusque omnes libertates et immunitates auctoritate Apostolica confirmat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis in Christo filiabus abbatissæ monasterii de Portu Regis Cisterciensis ordinis, ejusque sororibus, tam præsentibus quam futuris, regularem vitam professis.

In Christo religiosam vitam eligentibus Apostolicum convenit adesse præsidium, ne forte cujuslibet temeritatis incursus, aut eas a proposito revocet, aut robur, quod absit, sacræ religionis infringat. Eapropter, dilectæ in Christo filiæ, vestris justis postulationibus clementer annuimus, et præfatum monasterium Sanctæ Dei Genitricis et Virginis Mariæ de Portu Regis, in quo divino estis obsequio mancipatæ, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti privilegio communimus, in primis siquidem statuentes, ut ordo monasticus qui secundum Dominum et beati Benedicti regulam atque institutionem Cisterciensium fratrum in eodem monasterio institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea quascumque possessiones, quæcumque bona idem monasterium in præsentiarum juste ac canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis et eis, quæ vobis successerint, et illibata permaneant, in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Locum ipsum in quo præfatum monasterium situm est, cum omnibus pertinentiis suis, et alias possessiones vestras, cum pratis, vineis, terris, nemoribus, usuagiis et pascuis in bosco et plano, in aquis et molendinis, in viis et semitis, et omnibus aliis libertatibus et immunitatibus suis. Sane laborum vestrorum de possessionibus habitis ante Concilium generale, ac etiam novalium, quæ propriis manibus aut sumptibus colitis, sive de hortis et virgultis, et piscationibus vestris, vel de vestrorum animalium nutrimentis, nullus a vobis decimas exigere vel extorquere præsumat. Liceat quoque vobis personas liberas et absolutas e sæculo fugientes ad conversionem recipere, ac eas absque conditione aliqua retinere. Prohibemus insuper ut nulli sororum vestrarum, post factam in vestro monasterio professionem, fas sit sine abbatissæ suæ licentia de eodem loco discedere; discedentem vero absque communium litterarum vestrarum cautione nullus audeat retinere, illud districtius inhibentes, ne terras seu quodlibet beneficium ecclesiæ vestræ collatum, liceat alicui personaliter dari, sive alio modo alienari absque consensu totius capituli, vel majoris aut sanioris partis ipsius. Si quæ vero donationes vel alienationes aliter quam dictum est factæ fuerint, eas irritas esse censemus. Insuper auctoritate Apostolica inhibemus, ne ullus episcopus vel quælibet alia persona ad synodos vel conventus forenses vos ire, vel judicio sæculari de vestra propria substantia vel possessionibus vestris subjacere compellat, nec ad domos vestras causa ordines celebrandi, causas tractandi, vel aliquos conventus publicos convocandi venire præsumat, nec regularem electionem abbatissæ vestræ impediat, aut de instituenda vel removenda ea, quæ pro tempore fuerit, contra statuta Cisterciensis ordinis se aliquatenus intromittat. Pro consecrationibus vero altarium vel ecclesiarum, sive pro oleo sancto, vel quolibet alio ecclesiastico sacramento nullus a vobis sub obtentu consuetudinis, vel alio modo quidquam audeat extorquere, sed hæc omnia gratis vobis episcopus diœcesanus impendat, alioquin liceat vobis quemcumque malueritis catholicum adire antistitem, gratiam et communionem Apostolicæ Sedis habentem, qui nostra fretus auctoritate vobis quod postulatur impendat. Quod si sedes diœcesani episcopi forte vacaverit, interim omnia

ecclesiastica sacramenta a vicinis episcopis accipere libere et absque contradictione possitis, sic tamen ut ex hoc in posterum propriis episcopis nullum præjudicium generetur. Quia vero interdum propriorum episcoporum copiam non habetis, si quem episcopum Romanæ Sedis, ut diximus, gratiam et communionem habentem, et de quo plenam notitiam habeatis, per vos transire contigerit, ab eo benedictiones vasorum et vestium, consecrationes altarium, benedictiones monialium auctoritate Apostolicæ Sedis recipere valeatis. Porro si episcopi, vel alii ecclesiarum rectores in monasterium vestrum, vel personas inibi constitutas, suspensionis, excommunicationis vel interdicti sententiam promulgaverint, sive etiam in mercenarios vestros pro eo quod decimas, sicut dictum est, non persolvitis, sive aliqua occasione eorum, quæ ab Apostolica benignitate vobis indulta sunt, seu benefactores vestros pro eo quod aliqua vobis beneficia vel obsequia ex caritate præstiterint, vel ad laborandum adjuverint in aliis diebus in quibus vos laboratis, et alii feriantur, eamdem sententiam protulerint, ipsam tanquam contra Sedis Apostolicæ indulta prolatam duximus irritandam. Nec litteræ ullæ firmitatem habeant, quas tacito nomine Cisterciensis ordinis et contra tenorem Apostolicorum privilegiorum constiterit impetrari.

Præterea quum commune interdictum terræ fuerit, liceat vobis nihilominus in vestro monasterio, exclusis excommunicatis, divina officia celebrare. Paci quoque et tranquillitati vestræ paterna in posterum sollicitudine providere volentes, auctoritate Apostolica prohibemus, ut infra clausuras locorum seu grangiarum vestrarum nullus rapinam seu furtum facere, ignem apponere, sanguinem effundere, hominem temere capere vel interficere, seu violentiam audeat exercere.

Præterea omnes libertates et immunitates a prædecessoribus nostris Romanis pontificibus ordini vestro concessas, necnon libertates et exemptiones sæcularium exactionum a regibus, vel principibus, vel aliis fidelibus rationabiliter vobis indultas auctoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti privilegio communimus. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatum monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur eorum pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura, salva Sedis Apostolicæ auctoritate. Si qua igitur in futurum ecclesiastica sæcularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui careat dignitate, ream se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore et sanguine Dei et Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ subjaceat ultioni. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus, sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus hic fructum bonæ actionis percipiant, et apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Amen.

Datum Laterani, per manum Guidonis capellani domini papæ, XV kal. februarii, indict. XI, Incarnationis Dominicæ anno MCCXXIII, pontificatus vero domini Honorii papæ III anno septimo.

LV

Ad abbatem et priorem Pigavienses.

20 januarii 1223.

[Chronicon montis Sereni, p. 180.]

Eis mandat ut monachos de Ilseneburg, qui Hartwico in abbatem electo exhibere obedientiam renuebant, excommunicatos publice nuntient.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, abbati et priori Pigaviens., Mersenburgensis diœcesis, et præposito Brandenburgensi, salutem et Apostolicam benedictionem.

Dilectus filius Rochmannus, monachus monasterii de Ilseneburg Halverstadensis diœcesis, in nostra proposuit præsentia constitutus, quod venerabilis frater noster Albertus Magdeburgensis archiepiscopus, dum in partibus illis legationis officio fungeretur, Siffridum tunc monasterii prædicti abbatem a regimine illius canonice removerit, exigentibus culpis suis, et Hartwicum monachum eidem monasterio præ-

fecerit in abbatem, monachis ejusdem loci pro eo, quod dicto Hartwico exhibere obedientiam ac reverentiam debitam renuebant, excommunicationis vinculo innodatis. Eisdem pertinaciter in sua contumacia perdurantibus, de speciali Apostolicæ Sedis mandato lata fuit degradationis sententia in eosdem, exceptis quibusdam valetudinariis et pueris, circa quos fuit hujusmodi sententia temperata. Verum iidem monachi tam degradationis quam excommunicationis sententiam contemnentes, unum ex se in abbatem eligere præsumpserunt, cum quo ipsum monasterium obtinentes, celebrare divina officia non verentur. Unde nos bonæ memoriæ Brandenburgensi episcopo ac vobis, filii abbas et præposite, dedimus in mandatis, ut ab ipso monasterio ejiceretis hujusmodi præsumptores, et tam diu degradatos et excommunicatos, pulsatis campanis et candelis accensis, nuntiaretis eosdem et nuntiari faceretis in partibus convicinis, donec dimisso monasterio sæpe dicto cum litteris vestris rei seriem continentibus ad Apostolicam Sedem accederent misericordiam petituri, adjecto ut ad ejiciendum eos, si opus esset, assumeretis auxilium brachii sæcularis, et præfatum Rochmannum ab ipsorum molestiis defendentes, faceretis eidem de bonis monasterii ipsius congrue provideri. Ac demum vobis præfatis monachis et fautoribus eorum plus debito deferentibus, et prætextu quarumdam exemptionum malitiose objectarum ab eis differentibus procedere in negotio memorato, vobis in virtute obedientiæ districte præcipiendo mandavimus, ut si vera essent, quæ de ipsorum monachorum degradatione ac contumacia sunt expressa, non admissis eorum exceptionibus non tardaretis procedere in negotio sæpedicto. Nuper autem præfatus Rochmannus proposuit coram nobis quod, ipso episcopo viam universæ carnis ingresso, et successore ejus extra provinciam commorante, vos in ipso negotio procedere non valetis, pro eo quod in litteris nostris expressum, quod si non possetis omnes executioni negotii interesse, dictus episcopus cum altero vestrum procedet in eodem. Quare jam dictus Rochmannus nobis humiliter supplicavit, ut super hoc providere ei misericorditer dignaremur. Nos igitur te, fili prior, præfato episcopo in executione jam dicti negotii subrogantes per Apostolica vobis scripta in virtute obedientiæ districte præcipiendo mandamus, quatenus humano amore ac mundano timore postpositis in negotio ipso juxta litterarum tenorem præfato episcopo ac vobis, filii abbas et præposite, ultimo directarum, sublato appellationis obstaculo, procedere non tardetis, pro certo scientes, quod si prædictus monachus pro defectu ad nos amplius fuerit laborare compulsus, poteritis merito formidare, ne vos similis laboris angustias oporteat experiri, nullis litteris obstantibus si quæ apparuerint a Sede Apostolica impetratæ, quæ de ipsorum culpa et pœna plenam et expressam non faciant mentionem. Quod si non omnes his exsequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nihilominus exsequantur. Datum Laterani, XII kal. februarii, pontificatus nostri anno septimo.

LVI

Ad præpositum et conventum de Swabenheim.

20 januarii 1223.

[Würdtwein, Monasticon Palatinum, V, p. 129.]

Eos cum omnibus bonis sub beati Petri et sua protectione suscipit.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis præposito et conventui de Swabenheim, salutem et Apostolicam benedictionem.

Quum a nobis petitur quod justum est et honestum, tam vigor æquitatis, quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, personas vestras et locum in quo divino estis obsequio mancipati, cum omnibus bonis quæ in præsentiarum rationabiliter possidetis, aut in futurum, præstante Domino, justis modis poteritis adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ protectionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit

incursurum. Datum Laterani, XIII kalendas februarii, pontificatus nostri anno septimo.

LVII

Ad præpositum et conventum monialium monasterii de Crutzenachen.

20 januarii 1223.

[Wurdtwein, Monasticum Palatinum, V, p 316.

Eos cum omnibus bonis sub beati Petri et sua protectione suscipit.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis præposito et conventui monialium monasterii de Crutzenachen, salutem et Apostolicam benedictionem.

Justis petentium desideriis dignum est nos facilem præbere consensum, et vota, quæ a rationis tramite non discordant, effectu prosequente complere. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis precibus inclinati, personas vestras et locum in quo divino estis obsequio mancipati, cum omnibus bonis, quæ in præsentiarum rationabiliter possidet, aut in futurum, præstante Domino, justis modis poterit adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ protectionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem, etc. Datum Laterani, XII kal. februarii, pontificatus nostri anno septimo.

LVIII

Ad regem Manniæ.

20 januarii 1223.

[Theiner, Mon. Hibern., 21, n. 50.]

De jure patronatus.

(Vide *Quintam Compilationem*, lib. III, tit. 22, *De jure patronatus*, cap. 2.)

LIX

Ad abbatem et conventum de Vicognia, Præmonstratensis ordinis.

21 januarii 1223.

[Fonds Moreau. Mss. latins, t. CXXXII, p. 3. Bibl. nat,]

Eos et eorum omnia bona sub beati Petri et sua protectione suscipit.

Honorius, etc., dilectis filiis..... abbati et conventui de Vicognia, Præmonstratensis ordinis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Quum a nobis petitur quod justum est et honestum, tam vigor æquitatis quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, personas vestras et locum, in quo divino estis obsequio mancipati, cum omnibus bonis quæ in præsentiarum rationabiliter possidetis aut in futurum justis modis præstante Domino poteritis adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus. Specialiter autem redditus in Cirvia, in Winthi, in Brandegnies, in Hunchenies, in Boncaen, in Bruel, in Stunecherca, in Bredena, et in Rumulast, cum terris, mansis, terragiis, nemoribus et aliis bonis vestris, sicut ea omnia juste, canonice ac pacifice possidetis, vobis et per vos monasterio vestro auctoritate Apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ protectionis et confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani, XII kalendas februarii, pontificatus nostri anno septimo.

LX

Ad abbatem et conventum monasterii de Helwardeshusen.

26 januarii 1223.

[Schaten, Ann. Paderborn., I, 991.]

Compositionem inter abbatem de Helwardeshusen et Coloniensem archiepiscopum confirmat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati et conventui monasterii de Helwardeshusen, salutem et Apostolicam benedictionem.

Quum a nobis petitur, quod justum est et honestum, tam vigor æquitatis quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus grato concur-

rentes assensu, compositionem quæ inter vos ex parte una et venerabilem fratrem nostrum Coloniensem archiepiscopum ex altera, super munitione quadam et oppido juxta monasterium vestrum constructis, et rebus aliis amicabiliter intercessit, sicut sine pravitate provide facta est et ab utraque parte sponte recepta, et hactenus observata, et in ejusdem archiepiscopi litteris exinde confectis plenius continetur, auctoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani, VII kalendas februarii, pontificatus nostri anno septimo.

LXI

Ad abbatem S. Vincentii et S. Vincentii et S. Petri de Cultura priores.

27 januarii 1223.

[Galliæ Christ., XIV, Instrumenta 167.]

De S. Melanii Redonensis quibusdam monachis inordate viventibus.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati S. Vincentii et....... S. Vincentii et... S. Petri de Cultura prioribus, Cenomanensis diœcesis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Dilectus filius abbas S. Melanii Redonensis proposuit coram nobis quod quidam monachi sui, generalis tempore interdicti, quidam etiam pro transgressione regulæ suæ, ac pro violenta manuum injectione in seipsos et sæculares clericos, suspensi et excommunicationis vinculo innodati, divina officia celebrarunt, absolutionis beneficio non obtento; quidam etiam procurarunt quod vicesima in quibusdam suis ecclesiis minus plenarie solveretur, et quidam in monasterium ejus ingressum simoniacum habuerunt. Quare supplicavit instanter ut super iis cum eis misericordiam facere dignaremur. Ideoque discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus iis, qui pro supradictis causis excommunicati fuerunt, dummodo eorum qui manus temerarias injecerunt non fuit gravis et enormis excessus, ac iis qui commiserunt fraudem circa vicesimam, postquam super hoc congruam satisfactionem præstiterint, juxta formam Ecclesiæ, impendentes absolutionis beneficium vice nostra, et injungentes eis quod videritis injungendum; cum illis qui excommunicati, vel suspensi, ac generalis interdicti tempore divina officia celebrarunt, misericorditer dispensetis, injuncta eis competenti pœnitentia pro meritis singulorum. Circa illos autem qui recepti fuerunt in monachos, mediante vitio simoniæ, juxta constitutionem generalis Concilii super hoc editam procedatis. Quod si non omnes, etc. Datum Laterani, XI kalendas februarii, pontificatus nostri anno septimo.

LXII

Ad archiepiscopum Turonensem.

28 januarii 1223.

[Gallia Christ., XIV, Inst. 272.]

Ei mandat ut de cætero circa Stephanum archidiaconum Trecorensem electum officii sui debitum exsequatur eique munus consecrationis impendat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri archiepiscopo Turonensi, salutem et Apostolicam benedictionem.

Quum olim D. cantor, J., R. et L., canonici Trecorenses, multa contra personam Stephani, archidiaconi Trecorensis electi, et tam contra electionem et electores ipsius quam confirmationem electionis ejusdem proposuerunt coram nobis; de utriusque partis procuratorum assensu, venerabili fratri nostro, Cenomanensi episcopo, et conjudicibus suis direximus scripta nostra, ut, vocatis qui fuerint evocandi, et inquisita super iis, prout inquirendum esset, sollicite veritate, negotium sufficienter instructum ad nos remittere procurarent; ex quorum litteris nuper recepimus, quod cum mandati nostri auctoritate, inter dictum electum, ex parte una, et cantorem et R. prædictos, ex altera, fuisset diutius altercatum, ii duo postmodum, ante litis contestationem liti renuntiaverunt, et litteris publice protestantes quod causam de cætero non persequentur eamdem; alii vero

nec per se nec per procuratores prosecuti sunt negotium, electo comparente in terminis assignatis, eidem et respondere parato, et ad ultimum per litteras sigillis eorum, sicut pro certo creditur, consignatas, appellationi renuntiaverunt, et liti, necnon litteris universis super dicto negotio impetratis; quare dilecti filii capitulum Trecorense humiliter supplicarunt, ut quia diu eorum ecclesia jam pastore caruit, ex quo grave in temporalibus et spiritualibus detrimentum incurrit, et propter guerram nobilis viri comitis Britanniæ, ad exinanitionem fere pervenit extremam, præfato ipsorum electo faceremus munus consecrationis impendi. Licet autem, secundum Apostolum, nemini cito manus sit imponenda, quia tamen ecclesiarum ordinatio dispendiosa non debet dilatione suspendi, cum mora in talibus, præsertim propter malitiam temporis, viduatis ecclesiis gravem consueverit afferre jacturam, fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus de cætero circa ipsum electum officii tui debitum exsequaris, proviso prudenter ne alicujus commutatione colludii sit ab objectorum prosecutione recessum, cum suspicionis nota non careat quod illi sine discussione reliquere negotium, quod tam voluntarie sunt aggressi, quoniam, si veritate nitebantur, objecta dissimulanda non erant in homine ad episcopalis dignitatis apicem promovendo; si veritatis erant destituta suffragiis, nimis cæca conscientia nimiumque importuno mendacio impingebantur insonti. Datum Laterani, V kalendas februarii, pontificatus nostri anno septimo.

LXIII

Ad Henricum episcopum Argentinensem.

28 januarii 1223.

[Wurdtwein, Nova subsidia, XIII, 265.]

Proventus ecclesiæ parochialis in Nussbach confert monasterio Omnium Sanctorum.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri episcopo Argentinensi, salutem et Apostolicam benedictionem.

Dilecti filii præpositus et conventus de cella Omnium Sanctorum Præmonstratensis ordinis nobis humiliter supplicarunt, ut quum nobilis mulier Uta ducissa de Scowenburg tuæ diœcesis jus patronatus ecclesiæ de Nussbach eis contulerit intuitu pietatis, quod ipsis auctoritate Apostolica fuit postmodum confirmatum, nos eisdem ecclesiam ipsam concedere misericorditer dignaremur, ita quod post mortem plebani ejusdem ecclesiæ proventus ipsius in usus proprios valeant retinere, te de ipsorum honesta conversatione laudabile nobis testimonium per tuas litteras perhibente, ac supplicante super hoc nihilominus pro eisdem. Nos igitur et illorum supplicationibus, quantum cum Deo possumus annuere, ac tibi, qui loci diœcesanus existis, deferre volentes, fraternitatem tuam monemus attente, per Apostolica scripta mandantes, quatenus super hoc capituli tui assensu, prout expedit, requisito, si de horum voluntate conceditur, prædictam ecclesiam memorato præposito et capitulo conferas, prout videris expedire. Nos enim eis super his quæ sibi a te cum prædictorum consensu canonice ac provide conferuntur, libenter favorem impertiemur Apostolicum requisiti. Datum Laterani, V kal. februarii, pontificatus nostri anno septimo.

LXIV

Ad episcopum et archidiaconum Florentinos.

28 januarii 1223.

[Mittarelli, Annal. Camald., IV, 424.]

Eis causam, inter priorem fratresque Camaldulenses ex parte una et plebanos plebium Partinæ, Bibienæ et Bujani ex altera, super quadam parte decimarum in dictis plebatibus vertentem, committit decidendam.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri episcopo, et dilecto filio archidiacono Florentino, salutem et Apostolicam benedictionem.

Querelam dilectorum filiorum prioris et fratrum Camaldulensium accepimus continentem, quod quum bonæ memoriæ Emo, et Constantinus et quidam alii episcopi Aretini quamdam partem decimarum plebatuum Partinæ, Bibienæ et Bujani pia eis liberalitate donarint, prout in litteris confectis exinde plenius continetur, ac eadem donatio per venerabilem fratrem nostrum

M. Aretinum episcopum, qui nunc est, fuerit postmodum confirmata, plebani plebium earumdem et quidam alii clerici et laici Aretinæ diœcesis decimas ipsis contra justitiam detinent, et reddere contradicunt. Ideoque discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus partibus convocatis, audiatis causam, et appellatione remota fine canonico terminetis, facientes quod decreveritis per censuram ecclesiasticam observari. Testes autem, etc. Datum Laterani, V kal. februarii, pontificatus nostri anno septimo.

LXV

Ad episcopum Pictaven.

28 januarii 1223.

[Regest., lib VII, epist. 84. Mss. La Porte du Theil.]

Ei mandat ut, non obstante quadam discordia, canonici ecclesiæ S. Radegundis suam ecclesiam de personis idoneis ordinare possint.

Honorius, etc., venerabili fratri... episcopo Pictaven., salutem et Apostolicam benedictionem.

Dilecti filii A. Joselini, magister P. de Podio amato, Hugo de Sancto Maxentio, et quidam alii canonici ecclesiæ Sanctæ Radegundis Pictaven. nobis humiliter supplicarunt ut, quum occasione discordiæ quæ inter capitulum ipsius ecclesiæ, ac principem sæcularem super electione prioris, quo prædicta vacat ecclesia, per biennium jam fere duravit, nequiverit eidem ecclesiæ de canonicis, quibus potissimum indigeret, provideri, propter quod magnum sustinet in spiritualibus detrimentum, eamdem ecclesiam secundum antiquam et approbatam ipsius consuetudinem de personis idoneis canonice ordinandi, discordia hujusmodi non obstante, ipsis licentiam concedere misericorditer dignaremur. De tua itaque discretione plenam in Domino fiduciam obtinentes fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus capitulo ejusdem ecclesiæ concedas licentiam postulatam, prout ipsius ecclesiæ utilitati videris expedire. Datum Laterani, V kalendas februarii, pontificatus nostri anno septimo.

LXVI

Ad Johannem Strigoniensem archiepiscopum, Robertum Vesprimiensem episcopum et abbatem de Egris.

31 januarii 1223.

[Fejer, Cod. dipl., III, I, 405.]

Ut concordiam inter Gregorium filium Calad et præpositum Orodiensem factam observari faciant.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus... Strigoniensi archiepiscopo et... episcopo Vesprimiensi, et dilecto filio... abbati de Egris, Cenadiensis diœcesis, salutem, etc.

Quum Gregorius filius Calad, excommunicatus auctoritate Apostolica pro damnis Orodiensi ecclesiæ irrogatis, ad nostram venisset præsentiam, absolutionis beneficium petiturus : tandem mediante dilecto filio nostro Stephano, Sancti Adriani diacono cardinali, inter ipsum et Orodiensem præpositum compositio intervenit, quod videlicet ipse Gregorius dicto præposito vel ejus ecclesiæ usque ad festum Sancti Georgii proximum centum marcas puri argenti, duabus minus, solvere sine difficultate tenetur. Qui etiam promisit se nostras ad vos litteras impetrare, quod nisi solveret præscripto termino pecuniam memoratam, vos in possessionem prædii ejusdem Gregorii de Cheureny et pertinentiarum suarum ex tunc induceritis præpositum vel ecclesiam memoratam, ac præfigeritis eidem Gregorio terminum competentem, infra quem nisi ipsi præposito vel ecclesiæ pecuniam solveret prætaxatam, vos ex tunc possessionem ejusdem prædii ipsi præposito vel ecclesiæ adjudicaretis perpetuo possidenda : et si sæpedictus Gregorius pecuniam non solveret antedictam, vel prædium ipsum ab eodem præposito vel ecclesia sua non permitteres pacifice possideri, vos auctoritate Apostolica excommunicationis vinculo innodaretis eumdem, et mitteretis ad Sedem Apostolicam sic ligatum : addito in compositione ipsa, quod si forte ipsum Gregorium vel præpositum interim mori contingeret, hæredes ipsius Gregorii jam dictam pecuniam Orodiensi ecclesiæ integre persolvere teneantur, et in domo hospitalis Sancti Regis Strigonii persolvatur pecunia supradicta. Expressum etiam fuit in compositione præ-

dicta, quod eadem non præjudicet jam dicto præposito vel ejus ecclesiæ in actione, quam contra Nicolaum et Othes comites et Ismaelitas se habere dicebat præpositus sæpedictus. Promisit etiam præfatus Gregorius se centum quadraginta oves, quas ipsi præposito abstulit, eidem, quam cito Hungariam intraverit, redditurum. Licet igitur idem Gregorius quantum ad impetrationem litterarum nostrarum compositionem non servaverit supradictam, volentes tamen quod in aliis obtineat debitam firmitatem, per Apostolica vobis scripta mandamus, quatenus illam de cætero faciatis inviolabiliter observari, secundum formam expressam superius, appellatione postposita, procedendo, nullis litteris obstantibus harum tenore tacito a Sede Apostolica impetratis. Quod si non omnes, etc. Datum Laterani, II kalendas februarii, pontificatus nostri anno septimo.

LXVII

Ad abbatem S. Petri de Valle Carnoten., et magistrum Albericum canonicum Parisien. et W. Redonen. Cenomanen. canonicos.

31 januarii 1223.

[Regest., lib. VII, epist. 101. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat ut fine debito causam inter B., quondam Anglorum reginam, et Cenomanen. episcopum terminent.

Honorius, etc., dilectis filiis... abbati Sancti Petri de Valle Carnoten., et magistro Alberico canonico Parisien., et W. Redonen. Cenomanen. canonicis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Ex parte carissimæ in Christo filiæ B., quondam Anglorum reginæ illustris, fuit propositum coram nobis, quod quum ipsa diutius super diversis articulis coram diversis judicibus auctoritate Apostolica contra venerabilem fratrem nostrum Cenomanen. episcopum litigasset, demum intendens imponere laboribus suis finem, super præmissis omnibus una cum parte altera renuntiando litteris impetratis et impetrandis, compromisso durante, in vos sub certa forma tanquam ad arbitros amicabiliter compromisit; sed vos, licet receptis testibus, et attestationibus publicatis, auditis confessionibus et aliis ad causa facientibus moratam in ipso negotio usque ad diffinitivæ sententiæ calculum duxeritis procedendum, tandem tamen elapso termino ad arbitrandum præfixo, ad terminationem negotii minime processistis; propter quod eadem jus suum non potuit obtinere. Volentes igitur ut finis litibus imponatur, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus partibus convocatis inspectis actis et auditis, si quæ de jure fuerint proponenda, causam ipsam secundum attestationes et confessiones præfatas et rationes alias, si quas de jure videritis admittendas, sublato appellationis obstaculo, si de partium voluntate processerit, fine debito terminetis, facientes quod decreveritis auctoritate nostra firmiter observari. Alioquin eam sufficienter instructam ad Apostolicæ Sedis remittatis examen præfigentes partibus terminum competentem, quo se nostro conspectui repræsentent justam, dante Domino, sententiam recepturæ. Quod si non omnes, etc. Datum Laterani, II kalend. februarii, pontificatus nostri anno septimo.

LXVIII

Ad archiepiscopos et episcopos, etc.

31 januarii 1223.

[Strehlke, Tabulæ ord. Theutonici, p. 326, n. 383.]

Honorius jubet prælatos ordinis Theutonici privilegia Apostolica legere, observare, observanda curare.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis, etc., salutem et Apostolicam benedictionem.

Si discrimina, quæ dilecti filii fratres Hospitalis Sanctæ Mariæ Theutonicorum Hierosolymitani pro defensione christianitatis quotidie sustinent in partibus transmarinis, et beneficia, quæ pauperibus subministrant, consideratione sollicita pensaretis, non solum ab eorum molestiis cessaretis, sed alios studeretis districtius cohibere. Cæterum audivimus et audientes nequivimus non mirari, quod eos quidam vestrum durius solito persequentes non solum querelas eorum dissimulant, sed ipsos gravibus injuriis vexaverunt et in damnabili proposito adhuc perseverant, litteras nostras generales et quandoque speciales

legere contemnentes, quas si interdum legerint vilipendunt. Unde clerici et laici sumentes audaciam adversus eos securius insolescunt, eleemosynas et beneficia subtrahunt consueta; invasores quoque bonorum ipsorum fratrum non arguunt, sed in familiaritate sua recipiunt, fratres ipsos intolerabiliter deprimentes, quos pro suæ religionis honestate deberent attentius confovere. Unde, quoniam gravamen eorum tanto minus volumus in patientia sustinere, quanto gravius justo Dei judicio permittente jugiter ipsos inimici christiani nominis persequuntur, universitati vestræ per Apostolica scripta mandamus et in obedientiæ virtute præcipimus, quatenus litteras, quas pro eis dirigimus, sive generales fuerint sive etiam speciales, recipiatis humiliter et fideliter exponatis, subjectos vestros ad eleemosynas et beneficia solita sollicitis monitis et exhortationibus diligentius inducentes, fratres autem benigne recipiatis et honeste tractetis attentius provisuri, ut de parochianis vestris vel de subditis aliis, si querelam detulerint, ipsos ad exhibendam justitiam omni gratia et timore postpositis canonica severitate cogatis, ita quod fratres ipsi ex negligentia vestra ad Sedem Apostolicam non laborent; scituri quod, si præcepto nostro præsumpseritis contraire, in vos sicut inobedientes animadvertere severius compellemur. Datum Laterani, II kal. februarii, pontificatus nostri anno septimo.

LXIX

Ad archiepiscopos, episcopos, etc., ad quos litteræ istæ pervenerint.

16 januarii 1223.

[Strehlke, Tabulæ ord. Theuton., p. 325, n. 379.]

Honorius excommunicari jubet, quicumque fratres ordinis Theutonici capiendo, de equitaturis dejiciendo, alias inhoneste tractando violaverint.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis et dilectis filiis abbatibus, prioribus, archidiaconis, decanis et aliis ecclesiarum prælatis, ad quos litteræ istæ pervenerint, salutem et Apostolicam benedictionem.

Paci et quieti religiosorum virorum fratrum Hospitalis Sanctæ Mariæ Theutonicorum Hierosolymitani Apostolica nos convenit sollicitudine providere, et tam ipsos quam eorum bona tanto sollicitius a malignorum incursibus et rapinis tenemur protegere, quanto pro fide christiani nominis se diuturnioribus exponunt periculis et adversus pravas et exteras nationes labores subeunt graviores. Inde est, quod tam fortes Christi athletas in suo sancto proposito volentes attentius confovere, ad defensionem sui sollicitudinem vestram duximus commonendam, ut magis ac magis possint ad promovendum propositum, quod sumpserunt, intendere, quum fuerint sollicitudine prælatorum ecclesiæ a malignorum inquietatione securi. Monemus itaque universitatem vestram atque præcipimus, quatenus, si quando clerici vel laici parochiani vestri in aliquem prædictorum fratrum capiendo vel de suis equitaturis dejiciendo aut alias inhoneste tractando violentas manus injiciunt, hujusmodi præsumptores, sublato appellationis obstaculo, accensis candelis, dilatione et occasione postposita, excommunicatos publice nuntietis et tamdiu faciatis sicut excommunicatos arctius evitari, donec passo injuriam congrue satisfaciant et pro absolutionis beneficio impetrando Apostolico se conspectui repræsentent. Eos vero, qui in prædictos fratres manus non injiciunt violentas, sed eos verbis contumeliosis afficiunt et equitaturas aut alia eorum bona violenter diripiunt, si a vobis commoniti ablata eis restituere noluerint et de illatis injuriis satisfactionem congruam exhibere, vinculo anathematis adstringatis, quo ipsos usque ad condignam satisfactionem teneatis adstrictos. Datum Laterani, XVII kalendas februarii, pontificatus nostri anno septimo.

LXX

Ad magistrum et fratres Hospitalis S. Mariæ Theutonicorum.

1 februarii 1223.

[Strehlke, Tab. ord. Theuton., 327, n. 385.]

Honorius vetat fratres Theutonicos ordinem sine magistri licentia relinquere.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis magistro et fratribus Hospitalis

Sanctæ Mariæ Theutonicorum Hierosolymitani, salutem et Apostolicam benedictionem.

Graviter oculos divinæ majestatis offendunt et thesaurizant sibi iram in die judicii justi Dei, qui religionis habitum assumentes et incipientes Domino famulari ad Ægypti delicias derelictas inhiant et pepones, abjectoque jugo Domini sæcularibus negotiis se immiscent et illicita mercimonia, immo detestanda contubernia contrahere non formidant. Plerique etiam, qui Deo in fictis operibus mentiuntur obtentu falsæ religionis, quam potius volunt fugere quam mutare, non petita magistri sui licentia vel obtenta, se ad alium religionis locum transferunt, non advertentes, quod Deus non fallitur nec altissimus irridetur. Nos igitur super his volentes speciali quadam sollicitudine providere, auctoritate præsentium inhibemus, ne quis, post professionem ordinis vestri vobis regulariter factam habitumque receptum, ad sæculum vel mundi militiam aut sæculares nuptias licentiam habeat transeundi. Nullus quoque majoris vel minoris religionis obtentu sine magistri sui licentia præsumat ad alium ordinem transvolare. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ inhibitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani, kal. februarii, pontificatus nostri anno septimo.

LXXI

Ad universos Christi fideles.

3 februarii 1223.

[Strehlke, Tab. ord. Theuton., 328 n. 389.]

Honorius universos Christi fideles, proposita indulgentia, hortatur ad succurrendum ordini Theutonico eleemosynis.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, universis Christi fidelibus, ad quos litteræ istæ pervenerint, salutem et Apostolicam benedictionem.

Inter cætera, quæ inducunt miserationis patientiam ad parcendum, sola est eleemosyna, quæ operiens multitudinem peccatorum offensam divinam mitigat, dat in præsenti gratiam et adjicit gloriam in futuro. Ipsa enim dispersa multiplicatur et crescit, et reposita in manus pauperum cœlestes congeritur in thesauros, quin potius, quod uni ex minimis factum fuerit de operibus caritatis, ipsi Domino factum secundum veritatis eloquium perhibetur. Non est autem alicui, sicut arbitramur, incognitum, quod dilecti filii, fratres Hospitalis Sanctæ Mariæ Theutonicorum Hierosolymitani, qui sua omnia, immo et se ipsos superimpendunt servitio Jesu Christi, sic intenti sunt circa opera caritatis, specialiter ad defensionem fidei Christianæ, æmulantes quodammodo zelum Mathatiæ, quum videret sancta Domini ab exteris nationibus prophanari, qui vitam in patientia tolerant et in desiderio mortem habent, bonis tamen cœlestibus inhiantes. Quum igitur dicti fratres, qui effundunt opes et tradunt corpora pro zelo fidei christianæ, ad eleemosynas non sufficiant consuetas, nisi fidelium suffragiis adjuventur, universitatem vestram rogandam duximus et monendam in remissionem vobis peccaminum injungentes, quatenus, quum iidem fratres vel eorum nuntii ad vos venerint eleemosynas petituri pro sustentatione pauperum ac Terræ Sanctæ succursu, grata eis subsidia conferatis, ita quod per hæc et alia pietatis opera, quæ Domino inspirante feceritis, proficiatis bonis temporalibus et donis non destituamini sempiternis. Nos vero eis, qui dictis fratribus manum porrexerint pietatis, si vere fuerint pœnitentes, secundum quantitatem subsidii et devotionis affectum suorum veniam peccaminum pollicemur. Datum Laterani, III non. februarii, pontificatus nostri anno septimo.

LXXII

Ad decanum et capitulum ecclesiæ de Frankenfort.

3 februarii 1223.

[Bohmer, Cod. diplom. Mænofranc., p. 38.]

Constitutionem a Philippo præposito factam confirmat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis decano et capitulo ecclesiæ de Frankenfort, salutem et Apostolicam benedictionem.

Quum a nobis petitur quod justum est et honestum, tam vigor æquitatis quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Ex vestra sane insinuatione didicimus, quod bonæ memoriæ Philippus, ecclesiæ vestræ præpositus, vestrorum redituum tenuitate pensata, vobis capella de Biscofsheim de assensu venerabilis fratris nostri... Maguntinensis archiepiscopi, loci diœcesani, et capituli sui pia liberalitate concessa, constituit, ut ipsius proventus in vestrorum cedant beneficiorum augmentum. Nos igitur vestris justis precibus inclinati, quod super hoc ab eodem præposito pie ac provide factum est, sicut in ipsius et ejusdem archiepiscopi litteris plenius continetur, auctoritate Apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli, Apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Laterani, III nonas februarii, pontificatus nostri anno septimo.

LXXIII

Ad abbatem de Hersfelden.

3 februarii 1223.

[Bohmer, Cod. dipl. Mænofranc., p. 47.]

Ut illos qui possessiones vel res aut domos monasterii de Arnesburg invaserint, excommunicationis sententia percellat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio abbati de Hersfelden, Maguntinæ diœcesis, salutem, etc.

Non absque dolore cordis, etc., *ut in bullis superioribus*, præsertim, n. XXXII, Lib. I, p. 41. Datum Laterani, tertio nonas februarii, pontificatus nostri anno septimo.

LXXIV

Ad abbatem Hersveldensem.

3 februarii 1223.

[Wenck, Hessische Landesgesch., II, 141, n. 102.]

Ut illos qui possessiones monasterii invaserint excommunicationis sententia percellant.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio abbati Hersveldensi, salutem et Apostolicam benedictionem.

Non absque dolore cordis, etc., *ut supra*. Datum Laterani, III nonas februarii, pontificatus nostri anno septimo.

LXXV

Ad Trecen. episcopum, et abbatem Claravallen., Cistercien ordinis, Lingonen. diœcesis.

6 februarii 1223.

[Regest., lib. VII, epist. 97. Mss. La Porte du Theil.]

Dispositionem rerum temporalium in monasterio S. Lupi Trecensis eis commissam approbat.

Honorius, etc., venerabili fratri... Trecen. episcopo et dilecto filio... abbati Claravallen., Cistercien. ordinis, Lingonen. diœcesis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Exhibita nobis dilecti filii... abbatis monasterii Sancti Lupi Trecen. petitio continebat, quod, quum idem monasterium gravi prematur onere debitorum, dispositionem rerum temporalium ipsius monasterii de sui conventus assensu providentiæ vestræ commisit, sperans illud per vestram industriam a debitorum onere facilius relevandum. Nos igitur circumspectionem ipsius dignis in Domino laudibus commendantes, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus commissam vobis dispositionem taliter gerere studeatis, quod ad utilitatem proveniat monasterio et nos diligentiam vestram possimus merito commendare. Datum Laterani, VIII idus februarii, pontificatus nostri anno septimo.

LXXVI

Ad cantorem, cancellarium et succentorem Parisienses.

6 februarii 1223.

[Regest., lib. VII, epist. 96. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat ut quamdam consuetudinem in ecclesia Jotrensi observari faciant.

Honorius, etc., dilectis filiis... cantori... cancellario et... succentori Parisien., salutem et Apostolicam benedictionem.

Ex parte conventus monialium et canonicarum Jotren. ecclesiæ, Melden. diœcesis fuit nobis humiliter supplicatum, ut, quum

solemniter in earum capitulo talis constitutio facta fuerit, et juramento firmata, quod videlicet abbatissa ipsius loci, quamcumque fore contingeret bis, in quolibet anno, decanus vero, et alii balivi singulis duobus mensibus semel de receptis et expensis omnibus redderent rationem præsentibus duodecim monialibus electis a capitulo et canonicis, qui vellent hujusmodi ratiocinio interesse, constitutionem ipsam faceremus, tamquam ipsi monasterio valde utilem, obtinere debitam firmitatem. Ideoque discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus constitutionem ipsam, sicut provide facta est, faciatis inviolabiliter observari, contradictores, si qui fuerint vel rebelles, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescentes. Quod si non omnes his exsequendis interesse potueritis, duo vestrum ea nihilominus exsequantur. Datum Laterani, VIII idus februarii, pontificatus nostri anno septimo.

LXXVII

Ad capitulum ecclesiæ S. Laurentii de Villanova Archiepiscopi super Yonen.

6 februarii 1223.

[Regest., lib. VII, epist. 103. Mss. La Porte du Theil.]

Eos sub beati Petri et sua protectione suscipit.

Honorius, etc., dilectis filiis capitulo ecclesiæ Sancti Laurentii de Villanova Archiepiscopi super Yonen, eorumque successoribus canonice substituendis in perpetuum, salutem, etc.

Quotiens postulatur a nobis, quod rationi conveniat, et canonicæ consonet sanctioni, petentium desideriis facilem debemus præbere consensum, ne in eo difficiles videamur, quod convenit celeriter indulgere. Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, et ecclesiam Sancti Laurentii de Villanova Archiepiscopi super Yonen, in qua divino estis obsequio mancipati, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti patrocinio communimus, in primis siquidem statuentes, ut quascumque possessiones, quæcumque bona eadem ecclesia in præsentiarum juste, et canonice possidet, aut in futurum quæ justis modis, præstante Domino, concessione pontificum sive oblatione fidelium adipisci poterit, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Locum ipsum in quo præfata ecclesia sita est cum omnibus pertinentiis suis; domum et possessiones cum pertinentiis earumdem, quas quondam Guido de Camera eidem ecclesiæ vestræ pia liberalitate concessit; domum, quæ sita est juxta cœmeterium vestrum cum pratis, vineis, terris, nemoribus, usuagiis et pascuis, in bosco et plano, in aquis, et omnibus aliis libertatibus et immunitatibus suis. Prohibemus insuper ut infra fines parochiæ vestræ nullus sine assensu Senonen. archiepiscopi diœcesani vestri et vestri capellani, oratorium de novo construere audeat, salvis privilegiis pontificum Romanorum. Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse decernimus ut eorum devotioni, etc., *usque* corpora assumantur. Decimas præterea et possessiones ad jus ecclesiæ vestræ spectantes, quæ a laicis detinentur redimendi, et legitime liberandi de manibus eorum et ad ecclesiam, ad quam pertinent, revocandi libera sit vobis de nostra auctoritate facultas. Libertates quoque et immunitates, nec non et exemptiones sæcularium exactionum ab aliquibus fidelibus rationabiliter vobis indultas, auctoritate Apostolica confirmamus et præsentis scripti privilegio communimus. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatam ecclesiam temere perturbare, etc., *usque* profutura, salva Sedis Apostolicæ auctoritate et Senonen. archiepiscopi canonica justitia. Si qua igitur in futurum, etc. Cunctis autem eidem loco, etc., *usque* inveniat. Amen. Datum Laterani, per manum Guidonis domini papæ capellani, VIII idus martii, ind. XI, Incarnationis Dominicæ anno 1223, pontificatus vero domini Honorii Papæ III anno septimo.

LXXVIII

Ad præpositum Casleten., Morinen. diœcesis.

7 februarii 1223.

[Regest., lib. VII, epist. 100. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat ut J., canonico ecclesiæ Casleten., in aliquo beneficio præbendali provideant.

Honorius, etc., dilecto filio..... præposito Casleten., Morinen. diœcesis, salutem, et Apostolicam benedictionem.

Dilectus filius J., canonicus ecclesiæ Castelen., in nostra proposuit præsentia constitutus, quod, quum in eadem ecclesia præbendam quamdam per triginta, et sex annos pacifice possiderit et quiete, ac ad ejus titulum ad præsentationem tuam usque ad diaconatus ordinem sit promotus, tu, quasi tui facti et dissimulationis tanti temporis immemor, dicens ipsum eam tenere contra canonicas sanctiones, eo quod patri suo immediate successerat in eadem, eum ipsa, post appellationem ad nos interpositam, spoliasti, nec in alio sibi beneficio providisti. Quare nobis humiliter supplicavit ut, ne beneficio, ad quod ipsum non solum hactenus tolerasti scienter, verum etiam promoveri fecisti, taliter spoliatus, cogatur vitam ducere inhonestam in ludibrium ordinis clericalis, cum eodem super præbenda ipsa dignaremur misericorditer dispensare, vel per te sibi faceremus in alio congruo beneficio provideri. Ne igitur videamur ipsum immisericorditer derelinquere desolatum, misericordiæ sibi compatientes affectu, discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus eidem in aliquo beneficio præbendali, ad tuam donationem spectante, quam cito se facultas obtulerit, providere procures. Alioquin dilectis filiis... de Hinniaco et... Falempin abbatibus et priori de Hinniaco Atrebaten. et Tornacen. diœcesum nostris damus litteris in mandatis, ut, si est ita, te ad id per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, compellant. Datum Laterani, VII idus februarii, pontificatus nostri anno septimo.

LXXIX

Ad decanum et capitulum ecclesiæ de Franckenfort.

11 februarii 1223.

[Bohmer, Cod. dipl. Mænofranc., p. 38.]

Eos cum capella de Bischofheim sub sua protectione suscipit.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis... decano et capitulo ecclesiæ de Frankenfort, salutem et Apostolicam benedictionem.

Sacrosancta Romana Ecclesia devotos et humiles filios ex assuetæ pietatis officio propensius diligere consuevit, et ne pravorum hominum molestiis agitentur, eos tanquam pia mater suæ protectionis munimine confovere. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis precibus inclinati, personas vestras et locum in quo divino estis obsequio mancipati, cum capella de Biscofsheim et omnibus bonis, quæ in præsentiarum rationabiliter possidetis aut in futurum justis modis præstante Domino poteritis adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ protectionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli, apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Laterani, III idus februarii, pontificatus nostri anno septimo.

LXXX

Ad Scotiæ episcopos.

13 februarii 1223.

[Raynald, Ann. ecclesiast., ad an. 1223, § 50-52.]

Eis scribit se monuisse Scotorum regem ut contra Cathenensis interfectores episcopi insurgat atque Deo et ecclesiæ per hoc illatam injuriam ulciscatur.

Nunc scimus vere, quod carissimus in Christo filius noster rex Scotorum illustris, ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum traditam sibi a Domino exerceat potestatem, cum commissas in regno suo nequitias non permittat impunitas. Jam plene cognoscimus, quod libertatem ecclesiasticam diligat, cum suæ auctores injuriæ

persequatur. Jam revera ipsum Dei fatemur athletam, cum ad vindicandum sanguinem christi ejus, qui de terra clamat ad ipsum, regalibus negotiis prætermissis intendat.

Audito quidem ex litteris vestris, quam abhorrendum facinus, quamque detestabile malum dudum sit in regno suo patratum, noster expavit animus, cor contremuit, et aures ex ipsius horribilitate facinoris tinnierunt. Sed ex earumdem litterarum intellecto tenore, quam animose idem rex insurrexerit contra hujus sceleris patratores, dolorem, quem nobis facti atrocitas intulit, pro magna parte sensimus ex sua diligentia mitigatum. Eædem sane litteræ continebant, quod orta inter recolendæ memoriæ A... Cathenensem episcopum ex parte una, et parochianos suos ex altera, super decimis et aliis Cathenensis ecclesiæ juribus quæstione, ipsaque in præsentia regis ipsius, mediantibus quibusdam personis ecclesiasticis amicabili compositione sopita, redeunte tandem episcopo ipso ad propria, ipsoque rege in Angliam pro arduis regni sui negotiis properante, iidem parochiani, tanquam moti adversus eum, quia ecclesiæ suæ causam egerat contra ipsos, in pastorem pium lupi rapaces, in patrem degeneres filii, ac in christum Domini diaboli satellites irruentes, eum vestibus propriis spoliatum, cæsum, lapidatum, et bipenni vulneratum ad mortem, in coquina propria, ejus interitus nimis avidi, cremaverunt. Rex vero præfatus qui proficiscens in Angliam, jam ad extrema regni sui pervenerat, hoc audito dolens, et ex tanta perversitate sceleris conturbatus, ad vindicandum tam crudelem episcopi dicti mortem, et ad male perdendum malos, qui eumdem episcopum sic perdiderant, prorsus omissis, quæ ipsum trahebant, negotiis, se protinus exercitibus suis collectis accinxit, aperte insinuans quod eum injuria Christi angat, et suæ zeletur ecclesiæ libertatem pro cujus defensione mortem subiit episcopus memoratus.

« Nos ergo juxta postulationem vestram, ipsius regis super hoc excellentiam commendantes, ac prosequentes actionibus gratiarum, eum per scripta nostra monuimus, ut assumptum propositum ulciscendi Deo et Ecclesiæ super hoc illatam injuriam, ulciscendo taliter prosequatur, quod pro eo ipsa teneatur Ecclesia Dei misericordiam implorare, ut semper sit, ubicumque ambulaverit ipse, secum, et in æternum stabiliat regnum suum, faciatque sibi nomen grande, ac ab omnibus inimicis suis ei requiem largiatur. » Addit ut parricidarum terras, qui se episcopi cæde inquinarunt, ecclesiastico interdicto feriant, donec rite ab iis crimen expiatum fuerit. Datum Laterani, idibus februarii, pontificatus nostri anno septimo.

LXXXI

Ad Philippum regem Francorum.

26 martii 1223.

[Bouquet, Recueil des Hist. XIX, p. 733; Regest. lib. VII, epist. 76.]

Pactione cum Frederico II, Romanorum imperatore, facta ut cladem Damietæ a Christianis acceptam reparare ille conetur, Philippum, regm Francorum, et alios reges hortatur Honorius ad arma pro Christo suscipienda.

Honorius episcopus... carissimo in Christo filio regi Francorum, salutem, etc.

Justus Dominus in omnibus viis suis, qui unicuique pro meritis condigna retributione respondet, circa negotium Terræ Sanctæ spem populi Christiani fovit aliquando prosperis, et interdum debilitavit adversis. O quantum Christicolis videbatur arridere prosperitas! O quantum illuxisse credebatur fidelibus felicium aurora successuum, quando crucesignatorum exercitus Ægyptum aggrediens, post turrim captam, post transitum fluminis, post hostes exterritos, in adversariorum stationibus castra fixit, et Damiatam, quæ robur censebatur Ægypti, duris obsidionis angustiis coarctavit! Res quidem agebatur miraculi, quum Dominus, qui elegit infirma mundi ut confunderet fortia, civitatem expugnationi difficilem eo tempore tradidit gerentibus bellum ejus, quo invaluerat multum partis adversæ potentia, et abbreviatus erat non modicum nostrorum numerus bellatorum. Habebat autem in his universitas Christiana unde prætenderet quasi certæ spei fiduciam in futurum; verum, succedentibus prosperis, victores obliti nomen Domini post triumphum, dato virtutibus libello repudii, contraxere cum vitiis, quod detrahebatur fidei ubi convertendi fuerant infideles, et major erat peccatorum commissio ubi major remissio sperabatur.

Quapropter provocatus Dominus dexteram in sinistram et gratiam mutavit in iram, cytharam nobis vertit in luctum, et gaudium transtulit in mœrorem, quum, nostris in manu hostili conclusis, et perdita Damiata, brevi dierum numero sic exinaniti sunt temporis longi labores, quod non solum blasphemorum injuriis nomen est expositum christianum, verum etiam quoad aliquos qui aliquando communicaverant fidei, contemptui datus est ipse Christus. Unde facta est durior post prosperitatem adversitas, et eo minus habuit consolationis afflictio, quo minus argumenta prosperitatis præteritæ subsecutæ jacturæ pati poterant conjecturam. Sed, licet iniquitates nostræ quanquam (1) diviserint inter nos et Deum nostrum, non est tamen aggravata ejus auris, ut non exaudiat, nec abbreviata, manus ejus, ut salvare non possit. Misericordiam quippe non continebit in ira, quin saltem propter nomen suum, ne ulterius blasphemetur in gentibus, potenter exsurgens judicet causam suam, et, exaltans humilem in salutem, iniquos abigat et consternat elatos.

Ecce ipsius inspiratione, ut firmiter credimus, carissimus in Christo filius noster Fredericus, illustris Romanorum imperator semper augustus et rex Siciliæ, omissis multis arduisque negotiis, quorum onus honorem imperialis celsitudinis sequebatur, venit ad nos in Campaniam, nobiscum de prædictæ Terræ subsidio tractaturus, ibique præsentibus venerabili fratre nostro patriarcha, et carissimo in Christo filio nostro Johanne, illustri rege Jerosolymitano, Bethleemitano episcopo, magistro Hospitalis, præceptore Templi, et magistro domus Theutonicorum, ac aliis quos ad tractatus hujusmodi diversis mundi partibus vidimus adhibendos, singulis quæ natura negotii requirebat diligenti meditatione pensatis, idem imperator, ad nostrum beneplacitum et consilium prædictorum, transfretandi terminum in festo beati Johannis Baptistæ post biennium proximo secuturo prompta voluntate suscepit, corporale super hoc exhibens spontaneus juramentum. Denique, ut ad id plenius suum manifestaret affectum, et ut plus fidei daretur negotio, ac omnino suspicionis contrariæ scrupulus tolleretur, ad instantiam patriarchæ prædicti et aliorum Orientalium, in nostra et fratrum nostrorum præsentia, et multitudinis hominum qui ad colloquium venerant, se ducturum in uxorem legitimam filiam regis ejusdem jurisjurandi religione firmavit.

Sane probabili præsumptione tenemus quod a Domino factum est istud, ut votis fidelium optatæ rei successus exsolvat, quod præconceptæ spei præludia promiserunt ad sui restaurationem negotii; tuum et aliorum regum ac principum animos ipse filius summi Regis accendet, qui de secreto Patris in publicum egressus, ad servos ad ima descendit, ut subditis, ad summa pararet ascensum, sub testa nostræ mortalitatis figulus in terris visus et cum hominibus conversatus. Tuum procul dubio expetit et exspectat auxilium causa Christi, et probatam domus tuæ potentiam desiderat Terra Sancta. Numquid qui habuit de juventutis tuæ primitiis, et de majoris ætatis reliquiis, quasi de vitæ decima non habebit? O quantum accresceret ejusdem Terræ subsidio, si de propagata devotione patris in filios per unum ex ipsis subvenires in tantæ necessitatis articulo Crucifixo! O quam magnifice ad succursum devota Gallia se pararet, ut mittenti placeret et misso! Absit ut post terga remaneat, quæ præcedere consuevit! Absit ut tam salutari Christi servitio gens tam christiana se subtrahat! Absit ut quæ pro Domino hactenus onera multa sustinuit, in peculiari bello Dei filii solvat militiæ cingulum, arma relinquat rubigini, animum neget victoriæ, quum corona non desit victoribus per gratiam et meritum in præsenti, per gloriam et præmium in futuro!

Hinc est quod excellentiam tuam affectuose rogamus, serenissime regum, et a te instanter exposcimus, christianissime principum, obsecrantes per Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, per sanguinem Jesu Christi, ut exsurgas in adjutorium Christi tui, qui, quodam modo in se prodigus et parcus in servis, temporali morti se tradidit, ut te a faucibus mortis eriperet sempiternæ. Exsurgas et liberes Terram illam in qua salutem humani generis operatus est personaliter ipse Salvator! Exsurgas ad contritionem nationis pravæ atque perversæ, quæ ubi sit Deus Christianorum improperat, et mul-

(1) *Legitur apud Rinaldum* quandoque. [Bouquet.]

tis insultat opprobriis nomini Christiano! Et quidem illatas subditis tuis offensas ulcisceris, et Dei tui non vindicabis injurias tam atroces! Ad hæreditates tuorum manus invasorum extendi non pateris; et patieris hæreditatis Dominicæ tanto tempore detentores! Ne igitur in Deo periculose dissimules, quod juste non tolerares in homine! Pungat cor tuum tui contumelia Creatoris! Accendat te zelus fidei christianæ, ut sic in forti manu et extento brachio Terræ memoratæ subvenias, quod, insinuato nobis subventionis tuæ proposito, ante faciem aliorum te fructuose ponamus exemplar, in tuis laudibus gloriantes, tibique accrescat cumulus meritorum, non solum ex his quæ feceris per te ipsum, sed ex aliis etiam quæ facti tui similitudine subsequantur. Datum Laterani (1). (*Cætera desunt.*)

In eumdem modum scriptum est aliis regibus, quibusdam verbis competenter mutatis. Illustri regi Anglorum. Justus Dominus, etc., *usque* desiderat Terra sancta. *Subjicitur deinde :* Sensit enim quis et qualis et quantus ei fuerit illustris memoriæ rex Richardus, cujus nomen sic in terrorem hostium fidei creverat, quod exclamatio ejus in prælio nonnunquam sufficiebat ad stragem, et forte non deest quod hostes adhuc in proximo sanguinis metuant, dummodo resurgat patrui dextera in nepote. Illud etiam non duximus omittendum, quod, cum in thronum regni crucesignato successeris, decet ut in crucis obsequium te votivum exhibeas successorem; quia, si patris debita legitimus hæres exsolvas, non expedit minus cœlesti quam terreno satisfieri creditori, præsertim cum favor crucis personæ tuæ per Dei gratiam satis fuerit fructuosus. Certe ad id gens tibi subjecta plenis desideriis et totis viribus debet assurgere, quia non sine nota in peculiari bello Dei filii, etc., usque in futuro. Hinc est quod excellentiam tuam affectuose rogamus, obsecramus, etc., *usque* in finem.

In eumdem modum universis Christi fidelibus per Tarantasiensem provinciam constitutis; Justus Dominus, etc., *usque* conversatus. *Deinde subjicitur :* sane quia tempus est ut tollatur illa confusio qua filii ancillæ insultant in filios liberæ, Terram nostri principis detinendo miserabiliter occupatam; tempus est, *et reliqua in eumdem modum, indulgentias universis concedendo.*

LXXXII

Ad Philippum, Francorum regem.

Anno 1223.

[Bouquet, Rec. des Histor., XIX, 732; Regest., lib. VII, epist. 180.]

Pro crucesignatis profecturis in Terræ Sanctæ subsidium, rogat Philippum pontifex ut ab iis non exigantur consueta pedagia, et usque ad triennium cuilibet domui tributum unius Turonensis denarii singulis mensibus indicatur.

Honorius episcopus... carissimo in Christo filio regi Franciæ illustri, salutem, etc.

Quum sit non solum impium, sed etiam abusivum, illis auferri pedagia, qui, ei cujus pedibus omnia sunt subjecta fideliter obsequi affectantes ad vindicandam injuriam Crucis ejus, et terram quæ funiculus est hæreditatis ipsius ab hostibus vindicandam, cognatis et natis ac possessionibus derelictis, laudabiliter accinguntur; excellentiam tuam rogamus et hortamur in Domino, quatenus a crucesignatis in Terræ Sanctæ subsidium profecturis, sive ab iis qui necessaria deferent eorumdem, in regno tuo extorqueri pedagia non permittas, ab extorsione hujusmodi præsumptores potestate tibi tradita compescendo. Cæterum, quia generali Domino generalis debet exhiberi subventio, eo quod, sicut nullus beneficiorum ejus est expers, sic et nullus se potest ab ejus obsequiis excusare, inter alios subventionis modos in regno serenitas regia statuat, ut quælibet domus singulis mensibus, usque ad triennium, saltem unum Turonensem vel æquivalentem monetam exsolvat, quoniam ex collecta contributione hujusmodi, sine cujusque gravamine, fideliter aggregata, provideri poterit Terræ Sanctæ subsidium opportunum. Hoc etiam ab aliis regibus et principibus, et aliis Christianis exposcimus, non erubescentes pro illo apud alios fieri petitores, qui parati sumus de his quæ habet Ecclesia, et aliis quæ ad succursum Terræ prædictæ provenerint, libenter et liberaliter provenire.

(1) Quum rex Philippus, ante acceptas eas litteras, morti debitum solverit, anno 1223, 14 julii, hinc credimus annum ac diem in subscriptione fuisse neglectos.

In eumdem modum scriptum est omnibus regibus, marchionibus, ducibus, comitibus, baronibus et aliis nobilibus per singulas provincias constitutis.

LXXXIII

Ad Blancham Francorum reginam.

26 martii 1223.

[Manrique, Annal. Cisterc., IV, 455.]

Ei concedit facultatem intrandi cum decem honestis mulieribus semel in vita sua Cisterciense monasterium et videndi conventum monachosque ibidem congregatos.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, Blanchæ illustri reginæ Franciæ, salutem et Apostolicam benedictionem.

Vota, quæ pietatem respiciunt, et ad salutem pertinent animarum, quadam manu sollicitudinis juvare tenemur, et pro posse nostro diligenti studio efficaciter promoveri. Eapropter, carissima in Christo filia, tuis honestis supplicationibus inclinati, quam libenter fideli, devotoque in proposito confovemus, intrandi cum decem honestis mulieribus, semel in vita tua, tempore capituli generalis, Cisterciense monasterium, et videndi conventum, et alios congregatos ibidem, quod devotionis causa te non modicum asseris affectare, liberam tibi auctoritate præsentium concedimus facultatem. Nulli ergo nostræ concessionis, etc. Si quis autem, etc. Datum Laterani, VII kal. aprilis, anno quinto [septimo].

LXXXIV

Ad abbatem S. Benedicti super Ligerim et priorem Vastinen., Bituricen. et Aurelianen diœces., et Hug. archidiaconum Aurelianen.

29 martii 1223.

[Regest., lib. VII, epist. 108. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat ut juxta formam eis traditam in causa inter decanum Carnoten. et abbatem conventumque S. Petri Carnoten. procedant.

Honorius, etc., dilectis filiis... abbati Sancti Benedicti super Ligerim et A. priori Vastinen. Bituricen et Aurelianen. diœcesum et Hug. archidiacono Aurelianen., salutem, etc.

Ex parte dilecti filii... decani Carnoten. fuit propositum coram nobis, quod quum in causa, quæ inter eum ex parte una, et... abbatem et conventum Sancti Petri Carnoten. ex altera, super jure archidiaconali, quod se habere proponit, ac rebus aliis vertitur, pluribus annis protracta pene in vacuum laborasset, et adhuc eam metueret diu in suum præjudicium prorogari, ad ejusdem decani supplicationem R. Balbo archidiacono Rothomagen., et collegis ipsius judicibus in eadem causa delegatis a nobis, direximus scripta nostra, ut usque ad quatuor menses post susceptionem litterarum nostrarum, negotium ad nos remitterent sufficienter instructum. Insuper vobis injunximus, ut prædictis judicibus mandatum nostrum negligentibus adimplere, vos extunc illud infra totidem menses exsequi curaretis. Quum autem ad vos sit potestas instruendi negotium, memoratis judicibus parum infra præfixum eis tempus facientibus, devoluta, decanus ipse, timens ne quid ad instructionem causæ deficiat, fugiente maxime parte adversa, ne malitiose dicamus agente, prorogari tempus hujusmodi tunc humiliter postulavit. Nos ergo superaddentes duorum mensium spatium termino supradicto, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus in negotio ipso juxta formam vobis traditam, appellatione postposita, ratione prævia procedatis. Quod si non omnes, etc. Datum Laterani, IV kalend. aprilis, pontificatus nostri anno septimo.

LXXXV

Ad abbatem et conventum de Lambac.

29 martii 1223.

[Urkundenbuch ob der Enns, II, 642.]

Possessiones, homines et res alias ei a D. de Puhel pro salute animæ suæ collatas confirmat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati et conventui de Lambac, salutem et Apostolicam benedictionem.

Quum a nobis petitur quod justum est et honestum, tam vigor æquitatis quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Eapropter dilecti in Domino filii vestris justis postulationibus grato concurrentes

assensu, possessiones, homines et res alias monasterio vestro a nobili viro D. de Puhel pro salute animæ suæ pia liberalitate collatas, sicut eas juste et pacifice possidetis, et in litteris inde confectis dicitur plenius contineri, vobis et per vos eidem monasterio auctoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, etc. Si quis, etc. Datum Laterani, IV kalendas aprilis, pontificatus nostri anno septimo.

LXXXVI

Ad comites, barones et universum populum in regno Hungariæ constitutos.

29 martii 1223.

[Fejer, Cod. diplom., III, I, 407.]

Status et ordines Hungariæ ad decimas ecclesiis, more solito, præstandas, paterne adhortatur.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, nobilibus viris, comitibus, baronibus, et universo populo in regno Hungariæ constitutis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Tacti sumus dolore cordis intrinsecus, et inginti mœrore turbati, quod, quum vos zelo fidei ac devotionis accensi, velut adolescentulæ in odorem unguentorum Domini excurreretis hactenus, decimas ecclesiis, imo Deo, secundum quamdam approbatam consuetudinem hilariter persolvendo, nunc homine iniquo superseminante zizania, et veritati non obedire vestros oculos fascinante, decimas solvere renuitis, sicut accepimus, secundum consuetudinem supradictam; ut quasi ubi pascat sponsus Ecclesiæ, ubi cubet in meridie, minime intellecto, post gregem sodalium ejus inciperetis evagari, ac si Christus Jesus ante vestros oculos sit proscriptus. Quis vos fascinavit, carissimi? Quis sic vos fecit a veritatis semita deviare? ut subtrahatis Domino jura sua; intelligere negligentes, quod terra et illius plenitudo sit ejus, qui dat semen serenti, et panem præstat ad manducandum; qui et facit iratus, ut decem jugera vinearum faciant laguncularn unam; et tres modios faciant modii triginta sementis; qui et potestatem habet post hæc corpus et animam perdere in gehennam. Quum igitur idem sibi decimas in signum universalis dominii retinuerit, et in ejus incidere manus sit horrendum, qui Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos, vestras venerabiles monemus et exhortamur in Domino dominationes, per Apostolica vobis scripta præcipiendo mandantes, quatenus simplicitatatem et devotionem patrum vestrorum humiliter imitando, decimas vestras cum ea integritate, qua et a vobis, et a patribus vestris hactenus sunt solutæ ecclesiis, imo ipsi Deo, non tanquam ex justitia, vel ex necessitate, hilariter persolvatis, ut et Dominus, qui datorem hilarem diligit, multiplicet semen vestrum et justitiæ vestræ frugum augeat incrementa, scituri, quod si secus egeritis, quod non credimus, id non poterimus conniventibus oculis pertransire, ne sanguis vester de nostris manibus requiratur; si tantæ in Deum, et ejus sponsam, Ecclesiam, præsumptionis offensam neglexerimus, prout ad nostrum officium pertinet cohibere. Datum Laterani, IV kalendas aprilis, pontificatus nostri anno septimo.

LXXXVII

Ad illustrem regem Hungariæ.

29 martii 1223.

[Fejer, Codex diplom., III, I, 409.]

Andream etiam regem ad solitas decimas non subtrahendas cohortatur.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, illustri regi Hungariæ, salutem et Apostolicam benedictionem.

Devotionis puritas, et simplicitas fidei, quibus hactenus prædecessores tui reges Hungariæ, non solum, in charitatis latitudine ambularunt, Domini exquirendo mandata, et in eis dilatato corde currendo, verum etiam consiliorum semitas sunt ingressi, non nullos ex eis ad supernorum non tantum consortium adduxerunt, sed et virtutibus clarificantes et signis, fecerunt in terris catalogo sanctorum adscribi, et christiana venerabiliter excoli pietate; quorum devotionem et fidem sibi subjectus populus imitando, benedictionem a Domino de rore cœli et terræ pinguedine noscitur reperisse, data sibi quasi undique

requie. Regno Hungariæ dilatato, quum alia pene regna sint circumquoque concussa, numquid non a Domino factum est istud, qui excelsus dominatur in regno solus, et cui voluerit, dabit illud; tacti sumus sane dolore cordis intrinsecus, et ingenti mœrore turbati, quod quum Hungaricus populus velut adolescentulæ in odorem unguentorum Domini cucurrerint, hactenus decimas ecclesiis, imo Deo, secundum quamdam approbatam consuetudinem hilariter persolvendo, nunc homine inimico superseminante zizania, et veritati non obedire, ipsorum oculos fascinante, decimas, sicut accepimus, solvere renuunt secundum consuetudinem supradictam; ut quasi, ubi pascat sponsus Ecclesiæ, ubi cubet in meridie, minime intellecto, post gregem sodalium ejus incipiant evagari. Licet igitur te credimus prædictorum regum velle sequi vestigia, et non solum in regni hæreditate, sed devotionis et fidei quoque successisse, quia tamen non nocet admisso subdere calcar equo, serenitatem regiam rogamus attentius et monemus, et exhortamur, in Domino, in remissionem tibi peccaminum injungentes, quatenus decimas tuas, secundum consuetudinem memoratam, sicut et fecisse diceris usque modo, hilariter ecclesiis et manifeste persolvas, ut exemplo tuo ad hoc tibi subjectus tibi populus provocetur; et tu per hoc et alia bona, prædecessorum tuorum inhærendo vestigiis, ac dirigente Domino gressus tuos, ad regni cœlestis pervenire valeas diadema. Et quoniam non sufficit homini potestatem habenti, si in se ipso abstineat ab offensa, et excessus, quantum in se fuerit, corrigere non studeat subditorum, cum negligere et tolerare perversos nihil sit aliud, quam fovere, nec videatur carere scrupulo societatis occultæ, qui manifeste quum possit, facinori desinit obviare, comites et barones, ac populum tibi subjectum, inducas studio efficaciter, ut decimas ipsas, quas sibi Dominus in signum dominii universalis exemit, cum ea integritate, qua usque modo consueverunt, persolvant; patrum suorum vestigia simpliciter et humiliter imitando; sciturus, quod si secus egeris, vel ipsi, nos id non poterimus ullo modo conniventibus oculis pertransire. Datum Laterani, IV kalendas aprilis, pontificatus nostri anno septimo.

LXXXVIII

Ad Margaretam quondam imperatricem Constantinopolitanam.

30 martii 1223.

[Theiner, Mon. Hungariæ, I, 39, n. 80.]

Margareta quondam imperatrix Constantinopolitana, regis Hungariæ soror, cum bonis suis sub Apostolicæ Sedis protectione suscipitur.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectæ in Christo filiæ nostræ M., quondam imperatrici Constantinopolitanæ illustri, salutem et Apostolicam benedictionem.

Solet annuere, etc., *usque* impertiri. Eapropter, dilecta in Christo filia, tuis justis postulationibus grato concurrentes assensu, personam tuam cum omnibus, quæ in præsentiarum rationabiliter possides, aut in futurum justis modis, præstante Domino, poteris adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus: specialiter autem castrum Kewe cum toto comitatu, redditibus, dignitatibus, et proventibus suis, Varod quoque, Perben, Camanc et Zilzeng cum villis, vineis, piscariis, servis et ancillis et cæteris pertinentiis suis; regale insuper prædium, quod Elyad vulgariter appellatur, cum redditibus et proventibus suis; nec non et alia tria in Bachaciensi provincia constituta, videlicet Soya, Curth et Mirislou cum pertinentiis suis, quæ de concessione carissimi in Christo filii nostri Andreæ, illustris regis Hungariæ, fratris tui, te legitime proponis adeptam, sicut ea omnia juste possides et quiete, et in privilegiis ejusdem regis exinde confectis plenius continetur, auctoritate tibi Apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani, III kalendas aprilis, pontificatus nostri anno septimo.

LXXXIX

Ad abbatem et conventum Marchiannen.

30 martii 1223.

[Mss. latins, fonds Moreau, t. 132, p. 5. Bibl. nation.]

Eis quasdam possessiones confirmat.

Honorius, etc., dilectis filiis abbati et conventui Marchian., salutem, etc.

Justis petentium desideriis dignum est facilem præbere consensum et vota, quæ a tramite rationis non discordant, effectu prosequente complere. Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, vivarium de Clevrechies, fossatum de Rulagio, terras, prata, nemora ad illud spectantia, sicut ea omnia juste et canonice ac pacifice possidetis, vobis et per vos monasterio vestro auctoritate Apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, aut ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani, III kalendas aprilis, pontificatus nostri anno septimo.

XC

Ad episcopum Tornacen.

31 martii 1223.

[Regest., lib. VII, epist. 109. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat ut in ecclesia Tornacensi beneficium præbendale capellano regis Thessalonicensis conferat.

Honorius, etc., venerabili fratri... episcopo Tornacen., salutem et Apostolicam benedictionem.

Dilectus filius E. presbyter, capellanus carissimi in Christo filii nostri... regis Thessalonicen. illustris, in nostra proposuit præsentia constitutus, quod quum tibi ad preces regis ejusdem nostris dederimus litteris in præceptis, ut in præbendali beneficio, si vacarit in ecclesia Tornacen., provideres eidem, alioquin primam vacantem in ecclesia ipsa præbendam, donationi nostræ servaverimus personæ idoneæ conferendam, tu mandatum nostrum non obaudiens ei minime providisti, licet ibidem quædam interim præbenda vacaverit, sicut fertur. Volentes igitur ut nec apud nos preces regis prædicti, nec apud te præcepta nostra debito fraudentur effectu, fraternitatem tuam monemus attente per iterata tibi scripta districte præcipiendo mandantes, quatenus præbendam, quæ in dicta ecclesia dicitur nunc vacare, vel quantocius obtulerit se facultas, prædicto presbytero conferas et assignes, contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Alioquin dilectis filiis... archidiacono Pontiven... scolastico, et magistro canonico Sancti Nicolai Ambianen. diœcesis nostris damus litteris in mandatis, ut id auctoritate nostra, sublato appellationis obstaculo, exsequantur. Datum Laterani, II kalendas aprilis, pontificatus nostri anno septimo.

Scriptum est super hoc eisdem.

XCI

Ad prælatos per Magdeburgensem provinciam constitutos.

31 martii 1223.

[Gersdorf, Cod. diplom. Saxoniæ, II, I, 90, n. 97.]

Eis mandat ut filios Arnoldi de Mildensten et complices eorumdem, qui Misnensem episcopum capere præsumpserunt, publice excommunicent.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis universis prælatis per Magdeburgensem provinciam constitutis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Pervenit ad audientiam nostram, quod filii Arnoldi de Mildensten milites et complices eorumdem venerabilem fratrem nostrum, Misnensem episcopum, ausu temerario capere præsumpserunt, ac demum extorserunt juramentum ab ipso, quod de hujusmodi non conquereretur injuria nec super hoc ullo tempore ageret contra eos. Sicque ipsorum præsumptione damnabili remanente hactenus impunita non solum non satisfecerunt eidem de tantæ præsumptionis excessu, verum etiam ad bona sua et ecclesiæ sibi commissæ manus temerarias extenderunt, decimas et alios redditus ejus temere invadentes. Nolentes igitur sub dissimulatione transire tantæ temeritatis ex-

cessum, devotioni. vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus, si res ita se habet, præsumptores hujusmodi tamdiu appellatione remota excommunicatos publice nuntietis et faciatis ab omnibus arctius evitari, donec præfato episcopo satisfecerint competenter et cum litteris vestris rei seriem continentibus ad Apostolicam Sedem venerint absolvendi. Datum Laterani, II kalendas aprilis, pontificatus nostri anno septimo.

XCII

Ad Ulricum comitem de Novocastro.

4 aprilis 1223.

[Zeelerder, Urkenden den stadt Bern, I, 207, n. 128.]

Eis mandat ut a monasterii Herilacensis molestatione indebita desistant.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis nobilibus viris Ulrico comiti de Novocastro et Bertoldo, nepoti ejus, salutem et Apostolicam benedictionem.

Significantibus dilectis filiis, abbate ac conventu Herilacensis monasterii nos noveritis accepisse, quod, quum a fundatoribus ipsius monasterii statutum fuerit ab antiquo quod idem monasterium uno duntaxat contentum esse debeat advocato, qui jura defendat ipsius ab incursibus malignorum, vos ibidem advocatiæ officium contra statutum præfatum insimul exercentes non solum defendere non curatis eosdem, verum etiam ab eis indebita quædam exigere ac extorquere nitimini minus juste, ipsos super hoc illicite molestando. Quia vero præmissorum abbatis et conventus gravamen indebitum conniventibus oculis pertransire nec volumus nec debemus, nobilitatem vestram rogandam duximus attentius et monendam per Apostolica vobis scripta mandantes, quatenus ab eorum et monasterii sui super præmissis molestatione indebita desistatis. Alioquin venerabili fratri nostro Lausannensi episcopo et dilectis filiis Lustriacensi et... Sancti Marii prioribus damus nostris litteris in mandatis, ut vos ad id monitione præmissa per censuram ecclesiasticam appellatione remota compellant. Datum Laterani, II nonas aprilis, pontificatus nostri anno septimo.

XCIII

Ad monasterium S. Mariæ foris portam Faventiæ.

4 aprilis 1223.

[Mittarelli, Acces. hist. Faventin., 476.]

Compositionem super possessionibus, decimis, etc., factam confirmat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati et conventui monasterii S. Mariæ foris portam Faventiæ, salutem et Apostolicam benedictionem.

Quum a nobis petitur quod justum est et honestum, tam vigor æquitatis quam ordo exigit rationis ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, compositionem, quæ inter vos ex parte una et præpositum et capitulum Faventinum ex altera, super possessionibus, decimis, redditibus et rebus aliis, mediante Cesenaten. episcopo et dilectis filiis B. Esino et M. Faventinis canonicis amicabiliter intervenit, sicut sine pravitate pax inde facta est, et ab utraque parte sponte recepta, et hactenus pacifice observata, et in instrumento inde confecto plenius continetur, auctoritate Apostolica confirmamus, etc. Datum Laterani, II non. aprilis, anno septimo.

XCIV

Ad præpositum et capitulum Faventinos.

4 aprilis 1223.

[Mittarelli, Access. hist. Favent., p. 476.]

Compositionem super possessionibus, decimis, etc., factam confirmat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis præposito et capitulo Faventino, salutem et Apostolicam benedictionem.

Justis petentium desideriis dignum est nos facilem præbere consensum, et vota, quæ a rationis tramite non discordant, effectu prosequente complere. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, compositionem quæ inter vos ex parte una et conventum monasterii S. Mariæ foris portam Faventinam ex altera, super possessionibus, decimis, redditibus et rebus aliis, me-

diante venerabili fratre nostro episcopo Cesenaten. et dilectis filiis B. Esino et M. Faventinen. canonicis amicabiliter intervenit, sicut sine pravitate pax inde facta est, et ab utraque parte sponte recepta, et hactenus pacifice observata, et in instrumento inde confecto plenius continetur, auctoritate Apostolica confirmamus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani, II nonas aprilis, anno septimo.

XCV

Ad episcopum Elyensem, et de Rievalle et de Fontibus abbates.

5 aprilis 1223.

[Bull. Rom., edit. Taur., III, 386, n. 62.]

Commissio inquisitionis super vita, et miraculis Wilhelmi archiepiscopi Eboracensis.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri episcopo Elyensi et dilectis filiis de Fontibus et de Rievalle abbatibus Cisterciensis ordinis, Eboracensis diœcesis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Divinæ dispensatio pietatis, quæ nunc terribilium suorum virtutes ostendens quasi quibusdam minis, et increpationibus ad pœnitentiam conterit peccatores, nunc autem suæ suavitatis abundantiam exhibens tanquam blanditiis, et promissis quoslibet ad Christi allicit caritatem, quæ totis est effectibus a cunctis fidelibus veneranda. Nuper namque in pluribus locis Dominus terram tangens, et faciens eam tremere multos conterruit ad salutem, et in diversis partibus nova miracula suscitans, multis salutis gaudia cœlitus irrogavit. Ut enim fidem Ecclesiæ suæ roboret et confirmet, spem erigat et exaltet, caritatem continuet et accendat, ut confutet pravitatem hæreticam, perfidos ad viam advocet veritatis, et ad pœnitentiam revocet peccatores, mirificat sanctos suos, qui legitime certantes in hac Ecclesia militanti ad cœlestam patriam pervenerunt, ubi animabus glorificatis feliciter stolam primam adepti, confidentes in illum intelligunt veritatem, et fideles in dilectione acquiescunt eidem secundam stolam felicius adepturi; quando scilicet incinerata nunc corpora glorificanda resurgent fulgida, agilia, subtilia, et impassibilia perpetuo cum Domino regnatura. In cujus rei evidentissimum, et infaillibile argumentum gloriosus Dominus, quorum animas jam glorificavit in cœlo, nonnumquam corpora in terra clarificat faciens ea, quasi participantia divinæ gloriæ, divinis miraculis coruscare, quibus ad venerationem eis debitam exhibendam, eorumque imploranda suffragia, merito invitemur. Unde gaudemus in Domino, et in ejus laudibus delectamur; quod sicut venerabilis frater noster archiepiscopus, et dilecti filii decanus, et capitulum Eboracen., nec non quamplures ecclesiarum prælati de partibus illis suis nobis litteris pluries intimarunt, felicis recordationis Wilhelmus quondam Eboracensis archiepiscopus tanta vivens fulsit gratia meritorum, quod post felicem ejus obitum, ad ostendendam ipsius gloriam sanctitatis Dominus ad sepulchrum ejus multa, et magna miracula operatur. Verum licet opportune importune nobis totis affectibus supplicarunt, ut cum lucerna non sit ponenda sub modio, sed super candelabrum statuenda, eum, quem Dominus honorat in Ecclesia triumphanti, nos in militanti Ecclesia sanctorum, catalogo adscribere deberemus, nos tamen, provide attendentes, quod in tam sancto negotio non est, nisi cum maturitate plurima procedendum, ad majorem evidentiam veritatis discretioni vestræ de qua plenam in Domino fiduciam obtinemus, per Apostolica scripta mandamus, quatenus habentes præ oculis solum Deum, qui non indiget mendaciis alicujus, tam de vita, quam de miraculis sancti prædicti perquirentes sollicite veritatem, quæ inveneritis per vestras nobis litteras intimetis, ut ex vestra relatione sufficienter instructi procedamus exinde, prout secundum Deum viderimus procedendum. Quod si non omnes in exsequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nihilominus exsequantur. Datum Laterani, nonis aprilis, pontificatus nostri anno septimo.

XCVI

Ad Jacobum archipresbyterum Paduanum.

5 aprilis 1223.

[Cornelius, Ecclesiæ Venetæ, III, 46.]

Mandat ut in causa inter J. plebanum S. Silvestri et plebanum clericosque S. Apollinaris de Venetiis vertente, decidat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio archipresbytero Paduano, salutem et Apostolicam benedictionem.

Dilectus filius J. plebanus S. Sylvestri nobis conquerendo monstravit quod plebamus et clerici S. Apollinaris de Venetiis, et quidam alii clerici et laici Castellanæ diœcesis super quibusdam decimis, possessionibus et rebus aliis injuriantur eidem. Ideoque discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus partibus convocatis, audias causam et appellatione remota debito fine decidas, faciens quod decreveris per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Testes autem qui fuerint nominati, si se gratia, odio vel timore subtraxerint, per censuram eamdem, appellatione cessante, compellas veritati testimonium perhibere. Datum Laterani, nonis aprilis, pontificatus nostri anno septimo.

XCVII

Ad archiepiscopum Trevirensem, et episcopos Metensem, Virdunensem et Tullensem.

7 aprilis 1223.

[Hontheim, Historia Trevirensis, I, 699.]

Honorius sancit, ut nullus provinciæ Trevirensis teneatur respondere, ubi non est copia jurisperitorum.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus Trevirensi archiepiscopo, Metensi, Virdunensi et Tullensi episcopis suffraganeis ejus, et eorum subditis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Quum a nobis petitur quod justum est et honestum, tam vigor æquitatis, quam ordo exigit communis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Ex vestra sane parte fuit popositum coram nobis, quod nonnulli Trevirensis provinciæ non habentes jurisperitiam, et plus placere nobilibus quibusdam, quam deferre justitiæ cupientes, dum causas ab Apostolica Sede sibi commissas in locis tractant vilibus, in quibus jurisperitorum copia non habetur, in suo sint processu præcipites, non rationis judicium, sed prædictorum sequentes nobilium voluntates; propter quod frequenter in eadem provincia scandala oriuntur. Quare adhiberi super hoc Apostolicæ circumspectionis consilium supplicastis. Nos ergo vestris supplicationibus inclinati, præsentium vobis auctoritate concedimus, ut per commissiones contra vos ad tales obtentas non nisi in civitatibus, in quibus esse jurisperitorum copia consuevit, ne quid ignorantiæ cæcitate contingat in juris præjudicium attentari, coram eis teneamini respondere. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et divorum Petri et Pauli apostolorum se noverit incursurum. Datum Laterani, VII idus aprilis, pontificatus nostri anno septimo.

XCVIII

Ad Christianum episcopum Prussiæ.

7 aprilis 1223.

[Voigt, Cod. diplom. Prussiæ, I, 15, n. 15.]

Annuum viginti marcarum redditum ab Alberto marchione Brandeburgensi concessum et libertates, immunitates ac exemptiones ab eodem nobili indultas, ei confirmat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Christiano episcopo Prussiæ, salutem et Apostolicam benedictionem.

Sacrosancta Romana Ecclesia, etc...., *usque* confovere. Eapropter, venerabilis in Christo frater, tuis justis precibus inclinati, annuum viginti marcarum redditum a dilecto in Christo filio nobili viro Alberto marchione Brandeburgensi tibi et per te ecclesiæ tuæ et successoribus tuis pietatis obtentu concessum, nec non libertates, immunitates et exemptiones ab eodem nobili tibi et hominibus tuis indultas, sicut ea omnia juste, canonice et pacifice obtines et in ipsius marchionis litteris plenius perspeximus contineri, tibi et per te ipsi eccle-

siæ et successoribus tuis auctoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo, etc,, nostræ confirmationis infringere. Si quis autem, etc. Datum Laterani, VII idus aprilis, pontificatus nostri anno septimo.

XCIX

Ad episcopum Carleolensem.

7 aprilis 1223.

[Shirley, Royal Letters, I, 537, n. 12.]

Respondet quod constitutiones quædam intelligi debent de quorumlibet generaliter tam institutis quam instituendis filiis clericorum.

Quum nonnulli ecclesias in tuæ diœcesi habeant, in quibus patres eorum proximo ministrarunt, et ne removeantur ab eis, allegent constitutiones illas quæ prohibent filiis in illis ecclesiis in quibus patres eorum noscuntur proximo ministrasse, de solis presbyterorum filiis, et nondum in ecclesiis institutis, debere intelligi, tu licet nostrum mandatum receperis de talibus ab ipsis ecclesiis amovendis, ut tamen cum debita maturitate procederes, super his edoceri per Sedem Apostolicam postulasti. Nos ergo consultationi tuæ breviter respondemus, quod constitutiones prædictæ intelligi debent de quorumlibet generaliter tam institutis, quam instituendis filiis clericorum. Datum Laterani, septimo idus aprilis, pontificatus nostri anno septimo.

C

Ad universos archiepiscopos et episcopos Teutoniæ.

7 aprilis 1223.

[Harenberg, Hist. eccl. Gandershemensis, 752.]

Confirmat Innocentii III privilegium de libertate chrismatis, olei sancti, ordinationis clericorum et consecrationis altarium a quocumque episcopo accipiendorum.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus universis et episcopis per Teutoniam constitutis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Quum dilectis in Christo filiabus... abbatissæ ac sororibus Gandershem. sit a Sede Apostolica indultum, ut chrisma, oleum sanctum, ordinationes clericorum, consecrationes altarium seu basilicarum, et alia ecclesiastica sacramenta, a quocumque voluerint catholico episcopo recipere valeant, præsentium vobis auctoritate præcipiendo mandamus, quatenus, quum ab ipsis fueritis requisiti, sine difficultate qualibet, sublato cujuslibet contradictionis et appellationis obstaculo, supradicta eis liberaliter exhibere curetis. Datum Laterani, VII idus aprilis, pontificatus nostri anno septimo.

CI

Ad Conradum episcopum et capitulum Caminenses.

8 aprilis 1223.

[Hasselbach, Cod. Pomeranicus, I, 341, n. 142.]

Eis mandat ut Innocentii III mandatum, obediendi Magdeburgenti ecclesiæ et antistiti ejus, firmiter observent.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri episcopo et dilectis filiis, capitulo Caminensi, salutem et Apostolicam benedictionem.

Litteras felicis memoriæ Innocentii papæ, prædecessoris nostri, perspeximus in hæc verba. « Innocentius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri episcopo et dilectis filiis capitulo Caminensi, salutem et Apostolicam benedictionem. Cum tu, frater episcope, tactis sacrosanctis evangeliis, præstiteris juramentum quod devotus et obediens eris Magdeburgensi ecclesiæ, ac ejus archiepiscopo Alberto et successoribus ejus, in omnibus, in quibus aliquis ex suffraganeis suis ipsi obedire tenetur dummodo id sit de nostræ beneplacito voluntatis, vosque filii, capitulum plenum adhibueritis hujusmodi promissioni consensum, salvo Apostolicæ Sedis mandato, et ecclesiæ vestræ in episcoporum et aliarum personarum electionibus libertate, sicut litteræ vestræ nobis exhibitæ continebant, volumus et per Apostolica scripta vobis mandamus ut eidem Magdeburgensi ecclesiæ ac ejus antistiti, juxta promissionem, obediatis devote ac humiliter intendatis, absque juris præjudicio alieni. » Ideoque universitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, ut supra scriptum ipsius

prædecessoris nostri mandatum absque juris alieni præjudicio firmiter observetis. Datum Laterani, VI idus aprilis, pontificatus nostri anno septimo.

CII

Ad Philippum regem Francorum.

9 aprilis 1223.

[Bouquet, Rec. des Hist., XIX, 730; Regest., lib. VII, epist. 134.]

Pro Ferrando Flandrensi comite, capto in Bovinensi prælio et in vinculis a Philippo rege diutius habito, orat Honorius ut ille tandem a carcere dimittatur.

Honorius episcopus... carissimo in Christo filio Ph. illustri regi Francorum, salutem, etc.

Specialis illa dilectio qua tibi laudem in sæculo et apud Deum meritum affectamus, fortius nos admonet et inducit, ut te libenter ea quæ ad serenitatem tuam decent, et opus in se pietatis continent, invitemus; suadet etiam nobis nobilis viri comitis Flandrensis captivitas diuturna, ut debeamus ipsius, prout ad pastorale officium pertinet, misereri, et pro ejus liberatione apud te nostræ intercessionis suffragium adhibere. Quia ergo inter te et eumdem comitem dicitur convenisse ut, pro certa pecunia quam taxasti, comes idem se redimat, præstita tibi nihilominus de terra Flandriæ quæ ad dominium tuum spectat, ea quam impendere poterit cautione, excellentiam tuam monemus et rogamus attente, ac affectuosius exhortamur, quatenus comitem ipsum, super quem oculos misericordes clemens ultor inflectas, prout inter te ac illum convenit, divinæ pietatis intuitu restituas libertati: propter hoc enim, dum, quod in te commissum est, clementi sic dimiseris bonitate, a Domino, quem in multis offendimus, tibi procul dubio dimittetur, et apud homines eris, cum omni genere vindictæ sit majus ignoscere, commendatus. Nos autem, ut magis ac magis tuæ celsitudini caveatur, ipse comitis postulationibus annuentes, venerabilibus fratribus nostris Remensi (1) archiepiscopo et episcopo Silvanectensi (2) nostris damus litteris in mandatis ut, si prænominatus comes de cætero post sui liberationem, in te vel prolem aut terram tuam (quod absit!) insurgeret, nisi infra quadraginta dies postquam fuerit monitus, in curia tua juxta parium suorum judicium satisfactionem super hoc exhibuerit, eumdem comitem excommunicationi et terram suam Flandriæ interdicto supponant, donec ipse modo satisfecerit prædicto. Datum Laterani, V idus aprilis, pontificatus nostri anno septimo.

(1) Guillelmo de Joinville.

(2) Guarino.

CIII

Ad Laurentium episcopum Wratizlaviensem, abbatem Lubensem et scolasticum Wratizlaviensem.

9 aprilis 1223.

[Theiner, Mon. Poloniæ, t. I, p. 13, n. 28.]

Judicibus ut episcopi Cracoviensis cessionem episcopatus recipiant, ac capitulum Cracoviense ad idoneum pastorem sibi eligendum compellant.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri episcopo Wratrizlaviensi et dilectis filiis... abbati Lubensi Wratizlaviensis diœcesis, et scolastico Wratizlaviensi, salutem et Apostolicam benedictionem.

Venerabilis frater noster... Cracoviensis episcopus nobis supplicavit instanter, ut quum tam voto quam juramento teneatur habitum assumere monachalem, sibi cedendi licentiam largiremur. Licet igitur hujusmodi supplicatio nobis gravis fuerit et amara, eo quod, sicut ex multorum didicimus testimonio, idem episcopus et in spiritualibus salubriter, et in temporalibus utiliter ministravit, et timendum est, ne Cracoviensi ecclesiæ luctuosa sit ejus absentia, cujus extitit præsentia fructuosa: ne tamen ipsius videremur invidere quieti, ejus quasi coacti duximus precibus annuendum, per Apostolica vobis scripta mandantes, quatenus vice nostra cessionem, si tamen fuerit voluntaria, recipientes ejusdem, usu sibi pontificalium reservato, faciatis ei, sicut expedit, de bonis Cracoviensis ecclesiæ provideri, contradictores, si qui fuerint, vel rebelles per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Capitulo quoque ipsius ecclesiæ

nihilominus injungatis, ut sibi de persona idonea per electionem canonicam provideant in pastorem, quæ tanto congruat oneri et honori. Quod si non omnes, etc. Datum Laterani, V idus aprilis, pontificatus nostri anno septimo.

CIV

Ad archiepiscopum Strigoniensem et episcopum Wesprimiensem ac abbatem de Egres, Cenadiensis diœcesis.

11 aprilis 1223.

[Fejer, Cod. diplom., III, I, 412.]

Mandat ut satisfactio plenaria promissa capitulo Orodiensi, si eam Andreas rex non curaret, per episcopum Wesprimiensem et conjudices executioni detur.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis archiepiscopo Strigoniensi et episcopo Wesprimiensi et abbati de Egres, Cenadiensis diœcesis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Quum olim fecissemus carissimum in Christo filium nostrum A. illustrem regem Hungariæ commoneri, ut dilectis filiis præposito et capitulo Orodiensis ecclesiæ satisfaceret de damnis, quæ N. et O. comites per se ac quosdam paganos, dicto rege mandante, irrogarunt eisdem, tam in bonis ipsius ecclesiæ quam etiam in patrimonio præpositi supradicti, prænominato rege, illis satisfacere non curante, vobis dedimus in mandatis, ut super his, eisdem præposito et ecclesiæ faceretis instituta exhiberi. Quum autem vos causam ipsam ad nos nuper misissetis instructam, tu, frater episcope, et D. camerarius et magister G. nuntii prædicti regis, ex parte ipsius cum instantia petivistis ut ipsum præpositum, qui id propter ad Sedem Apostolicam laboraverat, et moram ibi traxerat longiorem, ad præfati regis gratiam remittere dignaremur, satisfactionem plenariam recepturum; idemque præpositus in hoc ipsum pro prænominati regis reverentia et devotione consensit. Ipsum igitur ad ejusdem regis clementiam remittentes, eumdem regem per litteras nostras hortari curavimus, et moneri, ut secundum quod ex parte sua coram nobis promiserat episcopus, et supradicti alii, eidem præposito, et ecclesiæ pro reverentia divina et nostra, ita plenarie satisfaciat, quod per hoc Deo placeat, qui odit injuriam et diligit æquitatem. Ideoque discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus dictum regem ad id diligenter monere, et efficaciter inducere studeatis. Quod si forsan idem rex id facere non curaverit, vos actis judicii habitis coram vobis, quæ penes vos sunt, diligenter inspectis, et receptis probationibus aliis, si quæ fuerint recipiendæ de jure, quod justum fuerit, humano amore ac mundano timore postpositis, sublato appellationis obstaculo, statuatis, facientes... Quod si non omnes, etc. Datum Laterani, III idus aprilis, pontificatus nostri anno septimo.

CV

Ad Christianum episcopum Prusciæ.

11 aprilis 1223.

[Theiner, Monum. Poloniæ, t. I, p. 13, n. 28.]

Ei decimas et omnia jura spiritualia cum possessionibus auctoritate Apostolica confirmat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri... episcopo Prusciæ, salutem et Apostolicam benedictionem.

Cum a nobis petitur, etc., *usque* effectum. Ex litteris sane tam nobilis viri C. Maczoviæ et Cujaviæ ducis ac venerabilis fratris nostri G. episcopi et dilectorum filiorum capituli Plocensis, quam aliorum plurium episcoporum et nobilium sigillis munitis accepimus, quod cedentibus tibi prædictis episcopo et capitulo decimas et omnia jura spiritualia cum possessionibus, quæ in terra, quæ Colmensis dicitur, obtinebant, idem dux terram eamdem cum quibusdam villis consistentibus in eadem, Colmo videlicet, Muthe, Charuse et Bolemino, necnon castra Gruzenz, Wabsk et Capruiense, ac possessiones, Telsac scilicet, Kisin et Plot, ab omni exactione liberas cum suis pertinentiis tibi, et per te ecclesiæ tuæ ac tuis successoribus contulit intuitu pietatis. Nos ergo tuis justis precibus inclinati, terram, castra et alia supradicta, sicut ea omnia juste, canonice ac pacifice possides, et in prædictis litteris plenius continetur, tibi et per te ipsi ecclesiæ ac tuis successoribus auctoritate Apostolica confirmamus et præ-

sentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani, III idus aprilis, pontificatus nostri anno septimo.

CVI

Ad præpositum de Subterranea Lemovicen. diœcesis, pœnitentiarium et P. Plaissac canonicum Lemovicen.

11 aprilis 1223.

[Regest., lib. VII, epist. 162. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat ut ecclesiam S. Frontonis Petragoricen. juxta facultates ipsius de personis idoneis ordinent.

Honorius, etc., dilectis filiis... præposito de Subterranea Lemovicen. diœc., pœnitentiario et P. Plaissac canonico Lemovicen., salutem, etc.

Ex parte dilectorum filiorum cantoris, et capituli S. Frontonis Petragoricen. fuit propositum coram nobis, quod licet dudum duos de nostro speciali mandato, ac nuper unum, a cujus impetitione apud Sedem Apostolicam sententialiter fuerant absoluti, ad urgentem venerabilis fratris nostri... Portuen. episcopi, legati Sedis Apostolicæ jussionem receperint in canonicos et in fratres... decanus tamen, et L. archidiaconus Petragoricen., susceptis ejusdem legati litteris, ad dictam ecclesiam ordinarunt, ipsius facultatibus, prout decuit, non inspectis, quæ diminutæ sunt adeo propter guerras quod canonicis residentibus in eadem, nec non beneficiatis et præbendariis suis vix possunt super decem menses beneficiorum suorum stipendia, licet tenuia ministrari. Hujusmodi et alia ipsius ecclesiastica gravamina nolentes audire, perperam in commisso sibi negotio procedendo, L. cantorem majoris ecclesiæ, de Quinta, et G. Bodiceturcen. archipresbyteros et quindecim alios quorum quidam minus idonei, ac quidam pueri necdum tunc primam tonsuram habentes, quorum progenitores semper ipsi ecclesiæ infesti fuerunt, et nonnulli etiam competenter beneficiati existunt, venerabili fratre nostro... episcopo Petragoricen. qui vice fungitur abbatis ibidem, propter hoc ad dicti legati, et cantore, ac capitulo supradictis ad nostram audientiam provocantibus, de facto in canonicos nominarunt, in contradictores excommunicationis sententiam jaculantes, quorum quidam, occasione nominationis hujusmodi laicali freti potentia, bona ipsius ecclesiæ violenter invadunt. Unde nisi eidem super hoc, citius sucurratur, vix adjiciet, ut resurgat. Quocirca discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus, si est ita, dictam excommunicationis sententiam post appellationem hujusmodi promulgatam denuntiantes penitus esse nullam et irritum, appellatione postposita, decernentes quod super præmissis taliter extitit attentatum; dictam ecclesiam, habito præ oculis solo Deo, auctoritate nostra juxta facultates ipsius, de personis idoneis ordinetis, si videritis expedire, contradictores per censuram ecclesiasticam, sublato appellationis obstaculo, compescentes. Testes autem, etc., nullis litteris veritati et justitiæ præjudicantibus. Quod si non omnes, etc. Datum Laterani, III idus maii, pontificatus nostri anno septimo.

CVII

Ad capitulum Brundusin.

11 aprilis 1223.

[Regest., lib. VII, epist. 148. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat ut sententiam excommunicationis contra Theodorum Cominianum, quod terram regis Thessalonicen. impugnat, publicent.

Honorius, etc., dilectis filiis capitulo Brundusin., salutem, etc.

Quum Theodorus Cominianus excommunicationis sententia sit ligatus, pro eo quod terram carissimi in Christo filii nostri... regis Thessalonicen. illustris non desinit impugnare, discretioni vestræ præsentium auctoritate mandamus, quatenus frequenter eamdem sententiam publicantes, et facientes etiam publicari, ac denunciantes Latinos eidem sententiæ subjacere qui cum eodem Theodoro commorantur; sub simili pœna, districte auctoritate nostra inhibentes, ne quis equos, arma, victualia, seu etiam milites, aut aliud quodlibet auxilium præsu-

mat in suis navibus aut galeis in terram dicti Theodori transportare, mandatum nostrum executuri ita sollicite ac frequenter, quod reprehendi de negligentia non possitis, sed debeatis de diligentia commendari. Datum Laterani, III idus maii, anno septimo.

CVIII

Ad monasterium S. Rofelli.

11 aprilis 1223.

[Ughelli, Italia sacra, II, 605.]

Monasterii S. Rofelli Populiensis patrocinium suscipit.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati et conventui S. Rofelli Populiensis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Justis petentium desideriis dignum est nos facilem præbere consensum, et vota, quæ a rationis tramite non discordant, effectu prosequente complere. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, personas vestras, et locum, in quo divino estis obsequio mancipati, cum omnibus bonis, quæ prædecessores vestri a quadraginta annis retro hucusque possederunt, et vos in præsenti possidetis, aut in futurum justis modis præstante Domino poteritis adipisci, sub beati Petri, quod specialiter juris existit, sub ipsius et nostra protectione suscipimus; specialiter autem omnes ecclesias, possessiones, decimas et de novo concessas, et consuetas [ac] antiquas dicti monasterii, et maxime S. Petri in Cerreto de Meldula, et Sancti Apollinaris in Cullina, plebes cum omnibus titulis, ecclesiis, et capellis illarum tam ædificatis quam ædificandis, terris, vineis, seu ædificiis, et cum omnibus earum bonis, tam præsentibus, quam futuris, tam in temporalibus, quam etiam spiritualibus, cum fidelitatibus, institutionibus, et destitutionibus, correctionibus, visitationibus, decimis, primitiis, testamentis, sepulturis, functionibus infirmorum, commendationibus animarum, atque oblationibus vivorum et mortuorum; parochiam, et parochianos ibidem commorantes, aut in ea moraturos, atque etiam sepulturas in civitate Burgi, cum ejus pertinentiis, ac jus Rambaldi versus monasterium, scilicet burgum Ansavini, et burgum Artaldi Michaelis, quod a dicto monasterio possidetur, et horam Ansavini, Casalini, Bassani, partesque ad molendinum de Paganellis, et per civitatem novam a domo Guidonis Lazarii usque ad domum Johannis Bougatæ recte usque ad flumen versus monasterium, cum primitiis, testamentis, sepulturis, oblationibus et cum omnibus aliis beneficiis vivorum atque mortuorum, quos bonæ memoriæ Ubertus Populiensis episcopus de capituli sui assensu, vestro monasterio pia et provida liberalitate concessit, prout in instrumento publico exinde confecto continebatur, quod quidem instrumentum vidimus, auscultavimus, et approbavimus, jure plenius contineri, sicut eas juste, canonice et pacifice possidetis, vobis, et per vos eidem monasterio auctoritate Apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus. Et nulli privatæ personæ ecclesiasticæ, vel sæculari liceat ædificare oratorium, ecclesiam vel hospitale in parochiis supradictis præter licentiam et voluntatem abbatis, et fratrum prælibati monasterii. Sepulturam quoque eidem monasterio omnino liberam esse decernimus, et eorum corpora, qui se illic sepelire deliberaverint, vel eorum, qui per consuetam parentelæ aut cognationis sepulturam ad cœmeterium vestrum pertinere noscuntur, sine licentia vestra nullus recipere præsumat, nisi forte adhuc viventes propositum religionis assumpserint. Quem si quis ausu temerario recipere, vel sepulturæ tradere præsumpserit, sive clericus sit, sive laicus, usque ad condignam satisfactionem ecclesiasticæ vindictæ subjaceat; decimas de Moliano et de Salsa, et de Carpena, et de S. Martino in strata integre sine diminutione aliqua, et sine aliqua partitione per vestrum nuntium colligendas in perpetuum; insuper decimas fructuum vestrorum, quos ubilibet propriis sumptibus laboribusque colligitis, sive de nutrimentis animalium vestrorum nullus a vobis exigere, vel extorquere præsumat. Quum autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis clausis januis, exclusis excommunicatis et interdictis, non pulsatis campanis, suppressa voce divina officia celebrare. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ protectionis, et confirmationis infringere, etc. Si quis au-

tem, etc. Datum Laterani, III idus aprilis, pontificatus nostri anno septimo.

CIX

Ad illustrem regem Hungariæ.

11 aprilis 1223.

[Fejer, Cod. diplom. III, I, page 411.]

Pro damnis, per comites Nicolaum, et Othen, ac quosdam Ismaelitas, mandante Andrea II, rege Hungariæ, illatis, satisfactionem Gregorio, præposito Orodiensi, impendi urget.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, illustri regi Hungariæ, salutem et Apostolicam benedictionem.

Quum olim tuam fecissemus excellentiam commoneri, ut dilectis filiis præposito et capitulo Orodiensis ecclesiæ satisfaceres de damnis, quæ N. et O. comites per se, ac per quosdam paganos, te mandante irrogarunt eisdem, tam in bonis ipsius ecclesiæ, quam etiam in patrimonio præpositi supradicti; te illis satisfacere non curante, venerabili fratri nostro Strigoniensi archiepiscopo et collegis ejus dedimus in mandatis, ut super his eidem præposito et ecclesiæ facerent justitiam exhiberi. Quum autem iidem causam ipsam nuper ad nos remisissent instructam, venerabilis frater noster Wesprimiensis episcopus et D. camerarius, et magister G. nuncii tui ex parte tua cum instantia petierunt, ut ipsum præpositum, qui propter hoc ad Sedem Apostolicam laboraverat, et moram ibi traxerat longiorem, ad tuæ serenitatis gratiam remittere dignaremur, satisfactionem plenariam recepturum; idemque præpositus in hoc ipsum pro tua reverentia et devotione consensit. Ipsum igitur ad tuam clementiam fiducialiter remittentes, serenitatem tuam rogamus attentius, et hortamur, quatenus secundum quod coram nobis ex parte tua nobis promiserunt episcopus et alii supradicti, eidem præposito, et ecclesiæ pro reverentia divina, et nostra ita plenarie satisfacias, quod per hoc Deo placeas, qui odit injuriam, et diligit æquitatem; et eidem præpositus et capitulum ad nos non recurrant depositur querelam, sed gratias relaturi. Datum Laterani, III idus aprilis, pontificatus nostri anno septimo.

CX

Ad abbates de Hildesleve, et de Sedekebeke et præpositum Arnesse.

12 aprilis 1223.

[Hasselback, Cod. Pomeraniæ, I, 342, n. 143.]

Ut episcopum et capitulum Caminenses ad obedientiam exhibendam Magdeburgensi episcopo cogant.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis de Hildesleve et de Sedekebeke abbatibus et præposito de Arnesse, Halberstadensis et Verdensis diœcesum, salutem et Apostolicam benedictionem.

Venerabilis frater noster, Magdeburgensis archiepiscopus, nobis conquerendo monstravit, quod venerabilis frater noster episcopus et capitulum Caminense debitam sibi obedientiam et reverentiam exhibere recusant. Ideoque discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus dictos episcopum et capitulum, ut debitam ei obedientiam et reverentiam exhibeant, ut tenentur, monitione præmissa, auctoritate nostra, sublato appellationis obstaculo, justitia mediante cogatis. Testes autem, qui fuerint nominati, si se gratia, odio, vel timore subtraxerint, per censuram ecclesiasticam, appellatione cessante, cogatis veritati testimonium perhibere. Quod si non omnes his exsequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nihilominus exsequantur. Datum Laterani, II idus aprilis, pontificatus nostri anno septimo.

CXI

Ad J. Jullen. et J. Virdunen. archidiaconos, et R. de Porta, canonicum Virdunen.

13 aprilis 1223.

[Regest., lib. VII, epist. 131. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat ut duos archidiaconatus primicerio Virdunensi non conferant.

Honorius, etc., dilectis filiis J. Jullen. et J. Virdunen. archidiaconis, et R. de Porta canonico Virdunen., salutem et Apostolicam benedictionem.

Ad nostram noveritis audientiam pervenisse, quod J. primicerius Virdunen., præter primiceriatum, duos archidiaconatus,

quorum unus præpositura Sanctæ Mariæ Magdalenæ, quæ dari debet dumtaxat, secundum ejusdem ecclesiæ consuetudinem, canonico Virdunen., alter vero eidem primiceriatui annexus esse proponitur, in ecclesia obtinet Virdunen. contra canonicas sanctiones. Quia vero hæc, si vera sunt, conniventibus oculis pertransire nec volumus, nec debemus, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus, si præmissis veritas suffragatur, primicerium memoratum altero archidiaconatuum prædictorum facientes manere contentum, reliquum dilecto filio Riccardo Virdunen. canonico, nisi canonicum quid obsistat eidem, auctoritate Apostolica conferatis, contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Testes autem qui fuerint nominati, si se gratia, odio vel timore subtraxerint, censura simili, appellatione cessante, cogatis veritati testimonium perhibere. Quod si non omnes, etc. Datum Laterani, idibus Aprilis, pontificatus nostri anno septimo.

CXII

Ad abbatem et conventum de Hasnonio.

13 aprilis 1223.

[Fonds Moreau, t. CXXXII, p. 10, Biblioth. Nationale.]

Eis quasdam possessiones confirmat.

Honorius, etc., dilectis filiis abbati et conventui monasterii de Hasnonio, salutem et Apostolicam benedictionem.

Quum a nobis petitur quod justum est et honestum, tam vigor æquitatis quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, personas et monasterium vestrum cum omnibus bonis, quæ in præsentiarum rationabiliter possidetis, aut in posterum justis modis præstante Domino poteritis adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, specialiter autem de Renenghes, de S. Petri Bruccy, de Ferieres et de Loberga villas, cum libertatibus et aliis pertinentiis suis a nobili muliere Johanna, comitissa Flandren., vobis pia liberalitate concessas, sicut in actis exinde confectis dicitur contineri et alia bona vestra, sicut ea omnia juste, canonice ac pacifice possidetis, vobis et per vos eidem monasterio vestro auctoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ protectionis et confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani, idus aprilis, pontificatus nostri anno septimo.

CXIII

Ad Christianum episcopum Prussiæ.

18 aprilis 1223.

[Dogiel, Cod. dipl. Polon. et Lithuan., IV, III, n. 3.]

Donationem Conradi ducis Masoviæ episcopo Prussiæ factam confirmat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri episcopo Prussiæ, salutem et Apostolicam benedictionem.

Quum a nobis petitur quod justum est et honestum, tam vigor æquitatis, quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii ad debitum perducatur effectum. Ex litteris sane tam nobilis viri Conradi Masoviæ et Cujaviæ ducis, ac venerandi fratris nostri Gunthko episcopi, et dilectorum filiorum capituli Plocensis, quam aliorum plurium episcoporum et nobilium sigillis munitis accepimus, quod cedentibus tibi prædictis episcopo et capitulo decimas et omnia jura spiritualia cum possessionibus, quæ in terra Culmensi, ut dicitur, obtinebant, idem dux terram eamdem cum quibusdam villis consistentibus in eadem Culmensi, videlicet, Mirsche, Harnese, et Bolemino, nec non castra Grodzancz, Wabsk, et Cobrinen, ac possessiones villarum scilicet Kysin, et Plot ab omni exactione libera, cum suis pertinentiis, tibi et per te ecclesiæ tuæ, ac tuis successoribus contulit intuitu pietatis; nos ergo tuis justis precibus inclinati, terram, castra, et alia supradicta, sicut ea omnia, juste, canonice, et pacifice possides, et in prædictis litteris plenius continetur, tibi, et per te ipsi ecclesiæ, ac tuis successoribus auctoritate Apostolica

confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani, XIV kalendas maii, pontificatus nostri anno septimo.

CXIV

Ad Philippum Francorum regem.

18 aprilis 1223.

[Bouquet, Rec. des Hist., t. XIX, p. 731; Regest., lib. VII, ep. 141.]

Habito cum Frederico Romanorum imperatore tractatu de instauranda in Terram Sanctam expeditione, hortatur Honorius Philippum, Francorum regem, ad pacem cum Angliæ rege ineundam, vel longiores cum eodem inducias belli contrahendas.

Honorius episcopus... carissimo in Christo filio Philippo, regi Francorum illustri, salutem, etc.

Hæreditate suprema se reddit indignum, et excludendum ab ea se potest non immerito formidare, quem zelus Christianæ fidei non accendit, quem non movet injuria Jesu Christi, et quem non urit pollutio sanctuarii ac contumelia Redemptoris, in hæreditatem ipsius gentibus venientibus et polluentibus templum ejus, posita Jerusalem velut pomorum custodiarium, et filia Sion quasi tugurium in cucumerario derelicta. Numquid Christi poterit esse cohæres, qui ei succursum juxta vires proprias præstare neglexerit, a terra quam ad exhibenda mysteria nostræ redemptionis elegit, a blasphemis nominis ejus expulso vel saltem patienti eidem non compatiatur ex animo, cui, qui compatiuntur, et conregnabunt? Nonne vassallus cujuslibet domini temporalis quasi proditionis reus, et feodo quod tenet ab eo judicetur indignus, si domini sui terram intrantibus hostibus pro viribus non resisteret, et se juxta posse ad expulsionem non accingeret eorumdem? Quanto magis hi qui christiana professione censentur, a cœlesti patria se timere poterunt proscribendos et rudentibus inferni detractos in tartarum cruciandos, si Christo quærenti quod hæreditas ejus ad alienos sit versa, et ad extraneos templum ejus, subtraxerunt (1) devotionis et compassionis succursum, et non posuerint gladium super femur, de porta transeundo ad portam in ultionem blasphemantinm nomen ejus! qui, licet bonorum nostrorum non egeat, et solo verbo possit conterere inimicos, ad hoc tamen nostrum clementer requirit auxilium, quod fructibus vestræ devotionis accrescat, quibus æternæ vitæ nobis præmia largiatur.

Gratias autem Deo, qui sollicitudinem hujus negotii dedit in corde carissimi in Christo filii nostri [Frederici] Romanorum imperatoris illustris semper augusti et regis Siciliæ, ut, exhortatione nostra recepta, ad nos propter hoc venerit in Campaniam, et negotium assumpserit in seipso, præstito corporaliter juramento . promittens quod ab æstate præsenti ad biennium ad Terræ Sanctæ succursum, vita comite, transfretabit. Quum ergo ad ejusdem Terræ subsidium undique præparandum sit permaxime necessarium, ut inter principes et populos Christianos pax interim firmiter observetur, sicut in colloquio cum eodem imperatore habito duximus statuendum; serenitatem tuam rogandam duximus et monendan, in remissionem tibi peccaminum injungentes, quatenus ejus intuitu qui pacificos filios Dei asserit appellandos, cum carissimo in Christo filio nostro (Henrico) Anglorum rege illustri, si fieri potest, ineas firmam pacem, vel saltem proroges treugas inter te ac ipsum hactenus observatas, ne occasione hujusmodi guerræ Regis cœlestis impediatur militia, et Gallia, quæ præliari prælia Domini potissimum consuevit, præliis intrinsecis occupata, debitæ servitutis et devotionis obsequia subtrahat Regi regum, et eadem, quæ in hoc negotio, usquemodo strenue Domino militavit, triumphi, quem idem dominus Sabaoth suo daturus est exercitui, flat expers.

Moneat itaque ad hoc, serenissime princeps, aspersio sanguinis Jesu Christi, per quem reconciliavit nos Patri, inimicitiam in carne sua solvens et duo condens in unum, pacem facit in semetipso, quam tran-

(1) Legendum subtraxerint.

siturus ad Patrem discipulis in testamento reliquit, post ejus vitæ curricula æternitatis pacis præmia largiturus. Attendas igitur, diligentissime fili, quod qui cum proximo pacem non habet, vix aut numquam potest mentis tranquillitatem habere, sine qua nemo æternæ pacis præmio poterit munerari. Studeas denique, intuitu retributionis cœlestis, quantum in te fuerit, pacem habere cum proximo, ut sic pacem habeas in te ipso, et super eam inoffenso pede currendo, ad pacis æternæ præmia valeas pervenire. Cæterum, quum venerabilem fratrem nostrum, Pandulphum Norwicensem episcopum, quem, suæ probitatis obtentu, sinceritatis brachiis amplexamur, ad præsentiam tuam propter hoc specialiter destinemus; serenitatem tuam iterato rogamus, quatenus ob reverentiam Apostolicæ Sedis et nostram eidem super his benignum præstes auditum, et monitis ab eo regiæ serenitati ex parte nostra propositis acquiescas. Datum Laterani, XIV kal. maii, pontificatus nostri anno septimo.

CXV

Ad Herveum episcopum Trecensem, et Cisterciensem et S. Mariæ Blesensis abbates.

18 aprilis 1223.

[Manrique, Annales Cisterc., t. IV, p. 227.]

Ut studeant quæstiones varias inter Philippum Francorum regem et Parisiensem episcopum.

Episcopo Trecensi, et Cisterciensi et S. Mariæ Blesensis abbatibus.

Intelleximus quæstiones varias, et multiplices inter carissimum in Christo filium nostrum Philippum, regem Francorum illustrem, et venerabilem fratrem nostrum, Parisiensem episcopum emersisse; ad quas sopiendas volumus eo magis intendere, quo utrumque sinceriori caritate diligimus, et ex eorum discordiis majora vidimus posse dispendia et scandala provenire. Gerentes igitur de prudentia, fide ac constantia vestra fiduciam specialem, per Apostolicam vobis Sedem mandamus, quatenus personaliter accedentes Parisiis, vel ad locum alium opportunum, et ipsum regem, ut spretis pravis suggestionibus ecclesiastica jura divino intuitu illibata conservet; episcopum vero ut quantum sine gravi detrimento juris ecclesiastici poterit, regiæ studeat solemnitati deferre, secundum datam vobis a Domino prudentiam, sollicite inducentes quæstiones ipsas sopire per compositionem amicabilem, studeatis. Quod si per studium vestrum nequiverit compositio provenire, inquiratis circa formam judicii super omnibus causis discordiæ diligentissime veritatem, et eam nobis fidelissime intimetis, ut ea plenius intellecta, salubre consilium apponere valeamus, et ad jungendos eos vinculo caritatis viam facilius invenire. Datis Laterani, XIV kalend. maii, anno sexto [septimo].

CXVI

Ad Simonem, archiepiscopum Bituricensem, Bernardum episcopum et Guidonem archidiaconum Lemovibens.

18 aprilis 1223.

[Martene, Thesaur. anecd., I, 907.]

Quibusdam auctoritate Apostolica permittit Grandimontensibus possessiones habere extra metas.

Simon Dei gratia Bituricensis archiepiscopus, Aquitaniæ primas, et Bernardus eadem gratia episcopus, ac magister Guido archidiaconus Lemovicensis, universis præsentes litteras inspecturis, salutem in Domino. Mandatum domini Papæ recepimus in hunc modum :

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiscopo Bituricensi, episcopo Lemovicensi, ac dilecto filio magistro Guidoni archidiacono Lemovicensi, salutem et Apostolicam benedictionem.

Olim quibusdam clericis et conversis ordinis Grandimontensis super quibusdam regulæ suæ capitulis in nostra præsentia litigantibus, nos quibusdam ejusdem capitulis per interpretationem congruam declaratis, cum conversi proponerent inter cætera, quod extra septa sua non debeant habere mobilia vel stabilia secundum ordinis sui instituta : quia in tanto negotio non subito providere per litteras nostras poteramus, mandavimus archiepiscopis et episcopis in regno Franciæ constitutis, ut omnia, tam mobilia, quam immobilia, quæ

domus Grandimontis et ejus cellæ in eorum diœcesibus obtinent contra ipsius regulæ instituta, sibi facerent Ecclesiæ Romanæ nomine assignari, et distractis mobilibus cum consilio aliquorum ex fratribus, quos prior ad hoc duceret deputandos, eorum pretium atque mobilia fideliter conservarent, donec de ipsis ad utilitatem ipsius ordinis duceremus aliter providendum. Tu vero, frater archiepiscope, et dilectus filius N. officialis Bituricensis, quibus et N. decano Bituricensi executionem eorum quæ tunc ordinavimus pro tranquillitate ipsius ordinis duximus demandandam, paulo post vestris nobis litteris intimatis, quod vos præfato decano legitime excusato, ad Grandimontensem ecclesiam accedentes, illam invenistis incredibiliter desolatam. Cumque præfatæ litteræ ibidem fuissent in vestra præsentia recitatæ, tam vos, quam nonnulli alii boni viri qui præsentes aderant, videntes totum ordinem gravi discrimini et damnis irreparabilibus subjacere, si eo tempore publicarentur litteræ antedictæ, duxistis deliberato consilio, statum ipsius ordinis nobis prius plenarie intimandum, quam ad aures regis et principum, qui ordini sæpedicto bona hujusmodi contulerunt, ipsis fratribus in perpetuum profutura, prædicti mandati notitia perveniret. Intimatum etiam fuit nobis, tam per vos, quam per multos alios fide dignos, quod multiplicatis fratribus ordinis memorati, et eleemosynis quæ illis dari consueverant imminutis, res ad eum statum devenit, quod dictus ordo non credebatur aliquatenus posse subsistere, si ea quæ extra metas obtinent, eis penitus auferrentur. Quare cum priore ac fratribus memoratis fuit nobis a vobis et multis aliis humiliter supplicatum, ut cum de illis ad utilitatem ipsius ordinis disponere haberemus, juxta prædictarum continentiam litterarum id celerius efficere dignaremur. Licet igitur prædicti fratres, qui plures modos provisionis excogitare curaverant, postularent instanter, ut eis secundum unum provideremus illorum, nos tamen in hujusmodi negotio procedere cum necessaria maturitate volentes, venerabilibus fratribus nostris, Aurelianensi et Cenomanensi episcopis, dedimus in mandatis, ut salva institutione regulæ ordinis sæpedicti, omnes vias providendi prædictis fratribus per se ipsos et alios excogitare ac indicare curarent, et eas nobis per suas litteras intimantes exponerent, quæ illarum, pensatis omnibus circumstantiis, sibi et aliis viris prudentibus potior videretur, ut freti consiliis eorumdem, qui de contingentibus ipsum negotium scrutari poterant plenius veritatem, in eodem negotio securius procedere valeremus. Nuper autem præfatus Aurelianensis episcopus, et dilectus filius subdecanus Aurelianensis ecclesiæ, cui dictus Cenomanensis termino, quem clericis et conversis Grandimontis, una cum collega suo Bituricis assignaverat, interesse non valens, commiserat vices suas, suis nobis litteris intimarunt, quod cum in die relevationis beati Guillelmi confessoris venissent Bituricas, ubi terminus ipso die de industria fuerat assignatus, eo quod multi, magni, et authentici viri venturi ad solemnitatem hujusmodi sperabantur, invenerunt ibi vos et venerabilem fratrem nostrum Claromontensem episcopum, et Cisterciensem, ac plusquam viginti Cisterciensis ordinis abbates, et plures alias magnas authenticas personas, tam religione, quam jurisprudentia commendandas; ibique præsentibus quam plurimis clericis et conversis sæpedicti ordinis, tenore regulæ ipsorum diligenter inspecto, invenerunt quod ipsa regula eis ecclesias, possessiones extra metas, bestias, decimas, redditus, fora, nundinas, causas sive judicia, quœstum, quamdiu una die vivere quoquo modo poterunt interdicit. Auditis igitur et diligenti meditatione pensatis omnibus providendi modis et viis, quas ipsi fratres olim proposuerant coram nobis, vel etiam postmodum cogitarant vobiscum et cum supradictis bonis viris, propter hoc insimul congregatis, studuerunt conferre ac discutere diligenter, si quo modo de bonis quæ ipse ordo obtinet extra metas eis posset, salva regula, utiliter provideri : et tam vobis quam eis concorditer visum fuit, quod nisi regula ipsa temperaretur in aliquo, nulla utilis provisionis via poterat inveniri, cum omnes modi excogitati ab eisdem fratribus et ab aliis obviare ipsi regulæ viderentur. Adjecerunt etiam prædicti episcopus et subdecanus, quod conversi et clerici ejusdem ordinis, qui aderant præsentes, et in ordine ipso multo tempore fuerant, testificati sunt publice coram eis, quod nunquam viderunt quod re-

gula ipsa, sicut scripta est, fuerit observata. Cæteri quoque qui plenius noverant ejusdem ordinis statum concordi voce dixerunt, quod non credunt ordinem prædictum aliquo modo posse subsistere sine bonis quæ obtinet extra metas : cum magna pars domorum ipsius sita sit in locis aridis et sterilibus, et multiplicatus sit numerus fratrum ordinis sæpedicti, adeoque refriguerit caritas et abundaverit malitia, ut moderni potius auferant eisdem fratribus ea quæ sui majores ipsis in eleemosynam contulerant, quam propria largiantur. Asseruerunt insuper episcopus et subdecanus prædicti sibi per litteras decani et officialis Bituricensis delegatorum a Sede Apostolica constitisse, quod Guillelmus Lespinas et Petrus Bruschars conversi Grandimontensis jurati confessi sunt coram eis quod litteras per ipsos et alios conversos impetratas a nobis super possessionibus, quas obtinent extra metas, in odium prioris et clericorum impetraverant malo animo et iniquo, destructionem totius ordinis et præsertim prioris et clericorum tunc temporis affectantes; ac nihilominus sub juramento dixerunt ordinem sine prædictis possessionibus non posse aliquatenus sustentari.

Sæpedicti ergo episcopi et subdecanus pro ipsis priore ac fratribus et cum eis nobis humiliter supplicarunt ut super his articulis, videlicet super habendis possessionibus extra metas, et bestiis necessariis ad laborem, certis redditibus et repetendis ablatis, dispensare misericorditer in jam dicta regula dignaremur. Et id ipsum tam venerabilis frater noster Portuensis episcopus Apostolicæ Sedis legatus, quam vos et venerabilis frater noster Burdegalensis archiepiscopus, aliique nonnulli tam episcopi quam abbates aliique prælati nobis suadere per suas litteras curaverunt, asserentes ordinem ipsum sustentari non posse, nisi per dispensationem, ut dictum est, provideatur eidem. Cum igitur nos et fratres nostri satagentes obviare ruinæ ipsius ordinis, pro cujus statu Apostolica Sedes his et aliis temporibus plurimum laboravit, convenissemus in unum super ipso negotio tractaturi, tres provisionis viæ nobis inter cæteras occurrerunt. Prima fuit, ut distractis bonis quæ sæpedicta Grandimontensis domus et ejus cellæ obtinent contra regulæ suæ instituta, ex eorum pretio fierent novæ cellæ, et in earum singulis tot collocarentur de fratribus, quod viderentur de bonis intra earum metas positis sustentari : quatenus numero fratrum in cellis veteribus consistentium per hoc redacto ad congruam paucitatem, et ipsi sustentari possent de bonis quæ cellæ ipsæ obtinent intra metas. Secunda fuit, ut tam possessiones, quam alia quæ contra statuta regulæ suæ obtinet dictus ordo, personis committerenrentur idoneis, quæ illa nomine Ecclesiæ Romanæ tenentes, de illorum proventibus supplerent defectum proventuum possessionum consistentium intra metas, ac residuum, si quid esset, in eleemosymas erogarent, inhibito ipsius ordinis priori et fratribus, ne aliquos reciperent in capite vel in membris, quousque ad eum numerum devenissent, qui potest possessionibus intra metas positis congrue sustentari : ac deinceps in ipso numero permanentes essent bonis intra metas positis contenti juxta ipsius instituta, et tunc demum possessiones extra metas venderentur, fierentque novæ cellæ ipsius ordinis de pretio earumdem. Tertia vero fuit, ut fratribus jam receptis, regulam ipsam juxta suæ professionis debitum observantibus, eadem circa recipiendos de cætero temperetur hoc modo, ut videlicet prædicti quatuor articuli de regula subtraherentur eadem, et recipiendi de cætero profiterentur regulam per substractionem articulorum hujusmodi temperatam, hique illorum quæ nunc obtinet dictus ordo contra regulæ suæ instituta jam liciti possessores, curam gerentes eorum, ipsorum proventibus sibi et aliis fratribus fraternæ caritatis ministeria necessaria ministrarent, totque assumerentur de novo sic temperatam regulam professuri, quod ad curam sufficerent supradictam, duobus singularum domorum ministerio deputandis, uno videlicet clerico, alioque converso. Quorum alter conversus scilicet curiosi, clericus vero correctoris officium gereret, secundum quod etiam nunc observatur in ordine supradicto : ut sic professis regulam taliter moderatam paulatim succedentibus illis qui fuerunt austeriorem professi, tandem processu temporis omnes ipsius ordinis fratres eamdem sic moderatam profiterentur et servarent. Sane vias discutientes easdem, nullam earum invenimus omni prorsus scrupulosi-

tate carentem, sed singulæ pluribus patere objectionibus videbantur. Propterea attendentes quod in partibus illis poterit plenius de contingentibus negotium indagari, de fratrum nostrorum consilio negotium ipsum vestræ circumspectioni duximus committendum. Quocirca discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus ad Grandimontensem ecclesiam personaliter accedentes, ibique præsentibus ejusdem loci clericis et conversis, ac aliis viris prudentibus, quos ad hoc videritis evocandos, quæ dictarum viarum singulas discutientes sollicite, studeatis indagare prudenter ex qua illarum plus minusve difficultatis, scandali, seu inconvenientis emergat, et secundum illam quam pensatis omnibus commodiorem esse videritis, vice nostra provideatis ordini sæpedicto: proviso quamcumque viarum ipsarum duxeretis eligendam, ut debitus honor priori, quoad fieri poterit, conservetur. Taliter autem occasione ac excusatione cessantibus mandatum nostrum adimplere curetis, quod nec nos, nec fratres ipsos pro hujusmodi negotio, super quo jam diutius laboratum est, pro vestra negligentia vel defectu oporteat ulterius laborare. Quod si non omnes his exsequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nihilominus exsequantur. Datum Laterani, XIV kalendas maii, pontificatus nostri anno septimo.

Nos igitur Apostolicis cupientes obedire mandatis, personaliter ad ecclesiam Grandimontensem accessimus, ibique præsentibus ejusdem loci clericis et conversis, ac multis abbatibus, et aliis viris prudentibus ad hoc evocatis, discutientes sollicite vias ipsas, de ipsorum abbatum, et aliorum prudentum consilio, ultimam tanquam commodiorem et minus difficultatis, inconvenientis, et scandali continentem elegimus, et tam clericis, quam conversis Apostolica auctoritate præcepimus observandam, injungentes eisdem ut priori, juxta mandatum Apostolicum, honorem debitum in omnibus conservarent. Datum in Grandimonte, anno Domini MCCXXIII, Dominica post Nativitatem beatæ Mariæ Virginis, cum appensione trium sigillorum.

CXVII

Ad abbatem et conventum Casæmarii.

20 aprilis 1223.

[Manrique, Ann. Cisterc., IV, 223.]

Notum facit se irrefragabiliter statuisse, ut is, qui quidquam beneficiorum a se eorum ecclesiæ collatorum rapere, vendere, etc., attentaverit, ipso actu excommunicationis sententiam incurrat.

Abbati et conventui Casæmarii, Cisterciensis ordinis.

Decorem domus vestræ speciali, ut nostis, diligentes affectu, quædam ad profectum, et ornatum eidem largiti sumus, et adhuc plura, faciente Domino, disponimus elargiri; proviso etiam, quod a Cisterciensi abbate vobis eadem retinendi licentia est concessa. Verum ne nostro fraudari proposito videamur, si ecclesia vestra beneficiis sibi a nobis collatis, seu etiam conferendis aliquo ingenio fraudaretur, noveritis nos irrefragabiliter statuisse, ut quicumque de iis quidquam violenter rapere, vel subripere fraudulenter, seu vendere, vel donare, sive obligare pignori, seu quocumque alienationis genere diminuere attentaverit, ipso actu sententiam excommunicationis incurrat; a nullo unquam nisi a Romano Pontifice, vel cui ab eo commissum fuerit absolvendus. Datum Laterani, XXII [XII] kalendas maii, anno sexto [septimo].

CXVIII

Ad universos Christi fideles.

21 aprilis 1223.

[Manrique, Ann. Cisterc., IV, 224.]

Eis qui cum devotione ad ecclesiam S. Thomæ de Ozech accesserint, indulgentiam 40 dierum concedit.

Universis Christi fidelibus, præsentem paginam inspecturis.

Quum ecclesiæ S. Thomæ de Ozech Cisterciensis ordinis, de reliquiis gloriosissimorum martyrum Cosmæ, Sebastiani, et Fabiani, Cypriani, et beatæ Petronillæ virginis, et quorumdam aliorum sanctorum duxerimus transmittendas, ut in die dedicationis ejusdem ibi cum digna veneratione condantur, volentes fideles ad devotionem

eorumdem excitari sanctorum et eorum patrociniis communiri; omnibus vere pœnitentibus et confessis, qui die ipsius dedicationis anniversario ad ecclesiam ipsam cum devotione accesserint, quadraginta dies de injunctis sibi pœnitentiis, de omnipotentis Domini misericordia, et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus auctoritate confisi misericorditer relaxamus. Datis Laterani, XI kalendas maii, pontificatus nostri anno sexto [septimo].

CXIX

Ad abbatem et conventum Casæmarii.

22 aprilis 1223.

[Manrique, Annales Cistercienses, IV, 224.]

Eis indulget ut quasdam possessiones a cujuslibet alterius jurisdictione habeant liberas et immunes.

Etsi nequeamus quicquam Domino retribuere pro omnibus, quæ de suæ pietatis abundantia tribuit ipse nobis, pro eo quod non est facturæ vicaria compensatio ad factorem: scientes tamen beneplacitum esse illi, ut famulos suos qui abnegantes non solum sua, sed etiam semetipsos sibi soli desiderant famulari, geramus in visceribus caritatis, et eis manum auxilii porrigamus, monasterio vestro certam donavimus pecuniæ quantitatem, ut exinde ad opus et utilitatem ipsius prædia, vel res alias immobiles emeretis. Qui dati conditionem studentes implere, jam de parte ipsius pecuniæ possessiones emistis, et adhuc alias de reliqua emere laboratis. Unde nobis supplicastis instanter, ut cum ea, quæ de munificentia principali vestro monasterio applicantur, omni debeant libertate clarere, pro eo quod indignum est, ut quæ ab eo, qui assumptus est in plenitudinem potestatis, pietatis amore donantur, aliis subjaceant in aliquo, quam datori, possessiones de pecunia nostra emptas, vel emendas tanquam a nobis donatas omnino exhibere dignaremur. Nos itaque vestris supplicationibus annuentes, auctoritate vobis præsentium indulgemus, ut possessiones ipsas tanquam ad Romanam Ecclesiam immediate exspectantes, a cujuslibet alterius jurisdictione habeatis liberas, et immunes. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datis Laterani, X kalendas maii, pontificatus nostri anno sexto [septimo].

CXX

Ad Henricum regem Angliæ.

27 aprilis 1223.

[Rymer, Fœdera, I, 1, 92.]

Mandat ut non extorqueantur pedagia a crucesignatis in Anglia.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, carissimo in Christo filio Henrico, illustri regi Angliæ, salutem, etc.

Quum sit non solum impium, sed etiam absurdum illis auferri pedagia, qui ei, cujus pedibus omnia sunt subjecta, fideliter obsequi affectantes, ad vindicandam injuriam crucis ejus, et terram, quæ funiculus est hæreditatis ipsius, ab hostibus vindicandam, cognatis, et notis, ac possessionibus derelictis, laudabiliter accinguntur; excellentiam tuam rogamus, et hortamur in Domino quatenus a crucesignatis, in Terræ Sanctæ subsidium profecturis, sive ab illis, qui necessaria deferent eorumdem, in regno tuo extorqueri pedagia non permittas, ab extorsione hujusmodi præsumptores, potestate tibi tradita, compescendo. Cæterum quia generali Domino generalis debet exhiberi subventio, eo quod sicut nullus beneficiorum ejus est expers, sic et nullus se potest ab ejus obsequiis excusare, inter alios subventionis modos in regno Angliæ serenitas regia statuat, ut quælibet domus, singulis mensibus, usque ad triennium saltem, unum Turonensem, vel æquivalentem monetam exsolvat; quoniam ex collecta contributione hujusmodi, sine cujusquam gravamine aggregata, provideri poterit Terræ Sanctæ subsidium opportunum.

Hæc etiam ab aliis regibus et principibus Christianis exposcimus; non erubescentes pro illo apud alios fieri petitores, qui parati sumus de his, quæ habet Ecclesia, et aliis, quæ ad succursum Terræ prædictæ provenerint, libenter et liberaliter subvenire. Datum Laterani, V kalendas maii, pontificatus nostri anno septimo.

CXXI

Ad episcopum, archidiaconum et priorem Sanctæ Mariæ de supra porta Florentina.

4 maii 1223.

[Mittarelli, Annal. Camaldul., app. 425.]

Mandat ut causam inter priorem et conventum Camaldulensium atque plebanos de Biblena, de Bujano et de Partina, etc., super quibusdam decimis audiant.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri episcopo et dilectis filiis... archidiacono, et... priori Sanctæ Mariæ de supra porta Florentina, salutem et Apostolicam benedictionem.

Dilecti filii prior et conventus Camaldulenses sua nobis conquestione monstrarunt, quod... de Biblena... de Bujano, et... de Partina plebani, ac quidam alii clerici et laici Aretinæ diœcesis super quibusdam decimis et rebus aliis injuriantur eisdem; ideoque discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus, partibus convocatis, audiatis causam, et appellatione remota fine debito terminetis, facientes quod decreveritis per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Testes autem, etc. Datum Laterani, IV nonas maii, pontificatus nostri anno septimo.

CXXII

Ad universos comites, barones et alios nobiles per Maguntinam provinciam constitutos.

4 maii 1223.

[Sudendorf, Registrum, t. I, p. 85, n. 39.]

Eis mandat ut a crusesignatis in Terræ Sanctæ subsidium profecturis in districtu suo pedagia non extorqueantur.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis nobilibus viris, universis comitibus, baronibus et aliis nobilibus per Maguntinam provinciam constitutis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Quum sit non solum impium, sed etiam abusivum, illis auferri pedagia, qui ei, cujus pedibus omnia sunt subjecta, fideliter obsequi affectantes, ad vindicandam injuriam crucis ejus et terram, quæ funiculus est hæreditatis ipsius, ab hostibus vindicandam, cognatis et notis ac possessionibus derelictis laudabiliter accingimur (accinguntur), nobilitatem vestram rogamus et exhortamur in Domino, quatenus crucesignatis, in Terræ Sanctæ subsidium profecturis sive ab illis, qui necessaria deferent eorumdem, in districtu vestro pedagia nec extorqueatis nec extorqueri ab aliis permittatis, ab extorsione hujusmodi præsumptores potestate vobis tradita compescendo. Cæterum quia generali Domino generalis debet exhiberi subventio, eo quod, sicut nullus beneficium ejus est expers, sic et nullus se potest ab ejus exsequiis excusare, inter alios subventionis modos in districtu vestro pro crucis reverentia statuatis, ut quælibet domus singulis mensibus usque ad triennium saltem unum Turonensem vel æquivalentem monetam exsolvat, quoniam ex collecta contributione hujusmodi, sine cujusque gravamine fideliter congregata, provideri poterit Terræ Sanctæ subsidium opportunum. Hæc etiam a regibus et principibus et aliis nobilibus christianis exposcimus non erubescentes, pro illo apud alios fieri petitores, qui parati sumus de hiis, quæ habet Ecclesia, et aliis, quæ ad succursum terræ prædictæ provenerint, libenter et liberaliter subvenire. Datum Laterani, IV nonas maii, pontificatus nostri anno septimo.

CXXIII

Ad abbatem et concentum de Tegernse.

4 maii 1223.

[Monumenta Boica, VI, 204.]

Abbatem et conventum de Tegernse tuendos suscipit.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati et conventui de Tegernse, salutem et Apostolicam benedictionem.

Quum a nobis petitur quod justum est et honestum, tam vigor æquitatis quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, personas vestras et locum, in quo divino estis obsequio mancipati, cum omnibus bonis quæ in præsentiarum rationabili-

ter possidet, aut in futurum justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus; specialiter autem ecclesiam Sancti Marci de Cellis cum pertinentiis suis quam vos asseritis canonice assecutos, sicut illam juste, canonice ac pacifice possidetis, et in instrumento exinde confecto plenius continetur, vobis et per vos monasterio vestro, auctoritate Apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis et inhibitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani, IV nonas maii, pontificatus nostri anno septimo.

CXXIV

Ad capitulum Hamburgense.

6 maii 1223.

[Lappenberg, Hamburg. Urkundenbuch, I, 406, n. 463.]

Ei quasdam possessiones confirmat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis, capitulo Hamburgensi, salutem et Apostolicam benedictionem.

Quum a nobis petitur quod justum est et honestum, tam vigor æquitatis quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris justis precibus inclinati, capellam Sancti Nicolai cum pertinentiis suis, de Hernesfelde et Bergfelde villas, nec non redditus duorum mansorum de Hotsflete, et quos in molendino Hamburgensi habere dicimini, ac alia bona vestra, sicut ea omnia juste, canonice ac pacifice possidetis, vobis et per vos ecclesiæ vestræ auctoritate Apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli, apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Laterani, II nonas maii, pontificatus nostri anno septimo.

CXXV

Ad abbatem et conventum de Cupro, Cisterciensis ordinis.

8 maii 1223.

[Manrique, Annal. Cisterc., IV, 227.]

Ei ecclesiam S. Medardi confirmat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio abbati et conventui de Cupro, Cisterciensis ordinis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Significastis nobis, quod ecclesiam S. Medardi venerabilis frater noster episcopus Sancti Andreæ, de capituli sui assensu, et voluntate carissimi in Christo filii nostri A., illustris regis Scotiæ, patroni ejusdem, vobis liberali et provida contulit pietate; ut exinde viginti libras sterlingorum, in procurationem quartæ diei abbatum, convenientium in capitulo generali, annis singulis, exsolvatis, prout in eorum litteris dicitur plenius contineri. Nos itaque vestris supplicationibus grato concurrentes assensu, ecclesiam ipsam, sicut eam juste, ac pacifice possidetis, vobis, et per vos monasterio vestro Apostolica auctoritate confirmamus, et præsentis scripturæ patrocinio communimus. Nulli ergo, etc. Datis Laterani, VIII idus maii, pontificatus nostri anno sexto [septimo.]

CXXVI

Ad moniales Sanctæ Mariæ de Goslaria.

9 maii 1223.

[Sudendorf, Registrum, t. II, 163, n. 75.]

Mandat ut præposito a Conrado, Hildensemensi episcopo, eis assignato obediant.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis in Christo filiabus, monialibus Sanctæ Mariæ de Goslaria, salutem et Apostolicam benedictionem.

Quum nonnunquam membrum putridum, ne reliquum corpus inficiat, utiliter abcindatur, et mandato divino præcipiatur erui oculum scandalizantem, nequaquam ægre ferre vos decet, sed potius gaudere debetis, quod venerabilis frater noster Conradus, Hildensemensis episcopus, Henricum, præpositum quondam monasterii vestri, homi-

nem reprobum et merito reprobatum, a monasterio ipso exigentibus culpis ejus amovit, ex cujus consortio vobis animarum periculum et personarum infamia imminebant. Ne igitur ejus malignis suggestionibus videamini fascinatæ, universitatem vestram monemus attente, per Apostolica vobis scripta firmiter præcipiendo mandantes, quatenus, prædicto episcopo tamquam pastori animarum vestrarum humiliter intendentes, præposito, quem vobis assignaverit, in his, quæ ad Deum pertinent, exhibeatis reverentiam et obedientiam debitam et devotam. Datum Laterani, VII idus maii, pontificatus nostri anno septimo.

CXXVII

Ad Cistercienses abbates et alios universos Cisterciensis ordinis.

11 maii 1223.

[Roedidiaus, Monast. de Casæmario, p. 128.]

Eis significat se monasterium S. Dominici de Sora per malitiam inhabitantium pene penitus desolatum monasterio Casæmarii univisse; monet eos ut nihil omnino contra hoc privilegium attentent.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbatibus et aliis universis Cisterciensis ordinis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Quum sciatis nos universum ordinem vestrum sincera caritate diligere, ac in eo, sicut in odore agri pleni, cui benedixit Dominus, delectari, nunquam suspicari debetis, ut, licet monasterium Casæmarii quasi opus nostrum tenerrime diligamus, ejus obtentu quicquam in dispendium ordinis attentare velimus; quod nimis esset dilectio noxia, quæ communem utilitatem privatæ postponens, pro unius levi commodo grave multis ingereret detrimentum; sed nec zelus esset innoxius, qui privatis vellet profectibus obviare, quibus nihil alicui noscitur deperire. Unde quum monasterium Sancti Dominici de Sora per malitiam inhabitantium, immo incubantium in eodem esset pene penitus desolatum, et quamvis ad reparationem ejus per nos et alios sæpe sæpius laboratum fuisset, nequaquam tamen subsistere potuit, quia quotidie in deterius laberetur, ita quod factum erat non solum in opprobrium et derisum, sed etiam in scandalum et horrorem; nos provide attendentes quod Hospitalarii et Templarii aspirabant ad illud habendum, a quorum vicinitate vix monasterium Casæmarii subsistere potuisset, diligenti deliberatione præhabita de consilio fratrum nostrorum illud monasterio Casæmarii providimus uniendum, ita ut de cætero sit unum corpus sub unius semper abbatis regimine gubernandum : carissimo in Christo filio nostro Frederico Romanorum imperatore illustri, et rege Siciliæ quod suum erat, ad hoc liberaliter largiente, unde nimis supervacua vel superstitiosa potius videretur laborare sollicitudine, qui contra rem tam necessariam et tam utilem et nostri privilegii munimine roboratam aliquid cogitaret, quum ex hoc nostram vel impugnare potentiam, vel arguere providentiam videretur. Ideoque discretionem vestram monemus attente, per Apostolica scripta firmiter præcipiendo mandantes, quatenus nihil omnino cujusquam æmuli suggestione seducti contra prædictum privilegium attentetis, immo quum non sit verisimile, ut hujusce circumstantias vos melius didiceritis in remotis, quam nos noverimus in vicino, illud amplectamini reverenter, ut nostris beneplacitis humiliter obsequentes, magis ac magis nos vobis reddatis favorabiles et benignos. Datum Laterani, V idus maii, pontificatus nostri anno septimo.

CXXVIII

Ad abbatem et conventum Corbeienses.

12 maii 1223.

[Fonds Moreau, Mss. latins, t. CXXXII, p. 24, Biblioth. Nationale.]

Unionem prioratuum S. Laurentii et S. Nicolai cum Corbeiensi monasterio confirmat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati et conventui Corbeiensi, salutem et Apostolicam benedictionem.

Apostolicæ Sedis provisio, quæ in religionis delectatur odore, eorum devotionem ampliori favore prosequitur qui suave Domini jugum et leve reputant onus ipsius ad anteriora gressus et faciem dirigendo. Quum itaque, sicut ex insinuatione vestra didicimus, Sancti Laurentii et Sancti Nicolaii

prioratuum et appenditiorum ipsorum ad vestrum monasterium pertinentium canonici regulares, qui a se totius pene ordinis jugum excusserant, divini amoris igne succensi, beati Benedicti ordinem et regulam sint professi, perpetuis temporibus in monasticæ religionis observantia vivere cupientes, nos vestris et illorum precibus inclinati, quod pie vel provide factum est in hac parte auctoritate Apostolica duximus approbandum. Datum Laterani, IV idus maii, pontificatus nostri anno septimo.

CXXIX

Ad universos Christi fideles.

13 maii 1223.

[Regest., lib. VII, ep. 147. Mss. La Porte du Theil.]

Universis Christi fidelibus qui cum marchione Montisferrati pro defensione regni Thessalonicen. in Græciam transibunt, indulgentias concedit.

Honorius, etc., dilectis filiis universis Christi fidelibus præsentem paginam inspecturis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Clara dilecti filii nobilis viri Willelmi, marchionis Montisferrati, et progenitorum ejus merita nos inducunt, ut in quibus coram Deo possumus, sibi favorem Apostolicum impendamus. Quum igitur idem marchio ad defensionem regni Thessalonicen., quod ad eum hæreditario jure noscitur pertinere, magnanimiter se accingat, nos pensantes devotionem, quam ad Apostolicam Sedem et ipse sicut catholicus princeps habet, et ejus progenitores habuisse noscuntur, ac attendentes, quod ejus ad partes illas accessus toti Constantinopolitano imperio grandem potest utilitatem afferre, considerantes etiam quod corroboratio status ipsius imperii multum est utilis Terræ Sanctæ negotio [illis], qui cum marchione ipso voluerint regnum intrare prædictum, transfretandi pro ipsius Terræ Sanctæ succursu a festo sancti Johannis proximo, usque ad duos annos terminum indulgemus, ita tamen, quod votum suum in ipso termino fideliter exsequantur, nihilominus peccatorum de quibus vere contriti fuerint, et confessi eis veniam concedentes, si fuerint interim ab hac luce vocati. Nulli ergo, etc., hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire, etc. Datum Laterani, III idus maii, anno septimo.

CXXX

Ad virum nobilem V. Cotinacensem.

13 maii 1223.

[Raynald., Annales ad annum 1223, § 12.]

Illis qui transibunt in Græciam in Willelmi marchionis Montisferrati auxilium plenam peccatorum veniam indulget.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio viro nobili V. Cotinacensi, salutem et Apostolicam benedictionem.

Dilectus filius nobilis vir Willel. marchio Montisferrati ad defensionem regni Thessalonicensis, quod ad ipsum hæreditario jure noscitur pertinere, magnanimiter se accingens, proposuit coram nobis, te ad eumdem cum ipso promptam gerere voluntatem. Nos igitur attendentes, quod ejus accessus ad partes illas toti Constantinopolitano imperio grandem potest utilitatem afferre, considerantes etiam, quod corroboratio status imperii multum est utilis negotio Terræ Sanctæ, tibi, et iis, qui tecum transibunt in Græciam in ejusdem auxilium marchionis, peccatorum, de quibus vere contriti fueritis, et confessi, plenam veniam indulgemus. Datum Laterani, III id. maii, pontificatus nostri anno septimo.

CXXXI

Ad universos abbates ordinis Cisterciensis et fratres Hospitalis S. Johannis Hierosolymitani et militiæ Templi.

13 maii 1223.

[Manrique, Ann. Cisterc., IV, 229.]

Mandat ut professos ordinis Grandimontensis qui hunc deserant ad Grandimontensem ecclesiam remittant, vel eos contra privilegia dicto ordini concessa nullatenus de cætero recipiant.

Universis abbatibus Cisterciensis ordinis, et fratribus Hospitalis S. Johannis Hierosolymitani, et militiæ Templi, ac religiosis aliis præsentes litteras inspecturis.

Dilecti filii prior et fratres Grandimon-

tenses nobis conquerendo monstrarunt, quod quum eis a Sede Apostolica sit indultum, ut nemo sine cautione communium litterarum recipere audeat professos ordinem eorumdem, quidam vestrum, contra hujusmodi privilegium venientes, ipsorum professos ab eis sine licentia discedentes, recipere non verentur. Unde idem ordo quibusdam doctis et aliis fratribus, utilibus ordini memorato, est hujusmodi receptione faciliter nudatus. Quia igitur non debetis id facere aliis, quod vobis fieri non velletis, discretioni vestræ per Apostolicam Sedem districte præcipiendo mandamus, quatenus tali modo receptos, ad Grandimontensem ecclesiam remittentes, eos, vel alios professos ordinem sæpe dictum, contra privilegia ipsi ordini ab Apostolica Sede concessa, nullatenus recipere de cætero præsumatis. Datis Laterani, III idus maii, anno sexto. [septimo.]

CXXXII

Ad episcopum Arelaten.

14 maii 1223.

[Regest., lib. VII, epist. 150. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat ut indulgentias, concessas cum W. marchione Montisferrati Græciam intraturis, per provinciam suam publicari faciat.

Honorius, etc., venerabili fratri... episcopo Arelaten, salutem, etc.

Præsentium tibi auctoritate mandamus, quatenus indulgentias, a nobis factas crucesignatis cum dilecto filio nobili viro W. marchione Montisferrati Græciam intraturis, quum litteræ nostræ super hoc factæ te plenius edocebunt per provinciam tuam publices, et facias publicari, quum fueris requisitus. Datum Laterani, II idus maii, pontificatus nostri anno septimo.

CXXXIII

Ad Narbonense capitulum.

15 maii 1223.

[Gallia Christiana, VI, instr. 114.]

Narbonensi capitulo confirmat monasterium Electense.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis capitulo Narbonensi, salutem et Apostolicam benedictionem.

Apostolicæ Sedis benignitas provide pensans merita singulorum pie consuevit illis, quos sibi devotos invenit favore suæ gratiæ respondere, ut et ipsi de devotis devotiores effecti, ad promerendum ejus gratiam animent indevotos. Sane litteræ venerabilis fratris nostri C. Portuensis episcopi, Apostolicæ Sedis legati, nobis exhibitæ continebant, quod quum Boso, quondam abbas monasterii Electensis, Narbonensis diœcesis, et quidam monachi sui villam Electensem inimicis fidei Christianæ proditionaliter tradidissent, armaque portantes contra Dei Ecclesiam, et contra impugnatores hæreticæ pravitatis, in villam ipsam induxissent hæreticos, errorem suum publice prædicantes, idem legatus hujusmodi perditionis filios solemniter degradavit de multorum consilio prælatorum, et tam illos quam alios tunc ipsius loci monachos, per quorum malitiam dictum monasterium in spiritualibus et in temporalibus erat adeo deformatum, quod versum erat in opprobrium et derisum, a monasterio ipso cujusdam indulgentiæ nostræ suffultus auctoritate removit, ac attendens quod ecclesia vestra negotio pacis et fidei astitit hactenus fideliter et constanter, pro ipso subire non metuens damna rerum, seu pericula personarum, monasterium ipsum cum omnibus pertinentiis suis perpetuo ipsi donavit ecclesiæ de clericis sæcularibus ordinandum, vobiscum et pro vobis humiliter supplicando, ut donationem ipsam Apostolico roborare munimine dignaremur. Nos igitur attendentes quod puritas vestræ fidei, et devotionis exposcit ut vobis faciamus gratiam specialem, vestris et ejusdem episcopi precibus inclinati ratam habemus donationem eamdem, eamque, sicut provide facta est et in præfatis litteris plenius continetur, auctoritate Apostolica confirmamus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Laterani, idibus maii, pontificatus nostri anno septimo.

CXXXIV

Ad populum villæ Podii.

16 maii 1223.

[Regest., lib. VII, epist. 161. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat ut ecclesiæ S. Frontonis Petragoricen. de illatis injuriis et damnis competenter satisfaciant.

Honorius, etc., dilectis filiis populo villæ Podii Sancti Frontonis Petragoricen., salutem, etc.

Venerabilis frater noster..... episcopus, et dilecti filii capitulum ecclesiæ Sancti Fronton. Petragoricen., gravem nobis querimoniam obtulerunt, quod, quum in villa vestra jurisdictionem habere debeant temporalem, vos contra ipsos, et eorum ecclesiam, matrem vestram, calcaneum erigentes, majorem, consules, et consiliarios vobis propria temeritate creastis, qui jurisdictionem ipsius villæ, ac suburbiorum ejus in grave ipsius ecclesiæ præjudicium usurpantes, constitutiones iniquas, et contrarias ecclesiasticæ libertati condere non verentur, et cogentes homines et clericos ecclesiæ sæpedictæ sub eorum examine litigare, ipsos toltis et aliis exactionibus indebitis irreverenter affligere, etiam bannire præsumunt; inhibent etiam ne quis laicus domos, possessiones, aut redditus ipsi ecclesiæ, vel alicui clerico legare audeat, aut vendere, vel donare. Præterea ipsius ecclesiæ homines contra prohibitionem ipsorum inhabitatores recipiunt dictæ villæ, dantes eos temeritate propria libertati, et sic ejusdem ecclesiæ prædia deserta remanent, et inculta, alias super redditibus, piscationibus, usuagiis fluminis, quod villam ipsam præterfluit, ac rebus aliis multipliciter injuriantes eisdem, unde damna gravia incurrerunt et incessanter incurrunt. Quia igitur hæc sub dissimulatione transire nec volumus, nec debemus, universitatem vestram rogandam duximus et hortandam per Apostolica vobis scripta mandantes, quatenus ea, quæ creando novum in præjudicium ipsius ecclesiæ magistratum, cæterisque supradictis modis, aut aliis contra ipsam ecclesiam improvide attentastis, provide revocantes, ac satisfacientes ipsi ecclesiæ competenter de damnis et injuriis irrogatis et a similibus de cætero abstinentes jurisdictionem consuetam et debitam libere dimittatis eidem. Alioquin venerabili fratri nostro..... episcopo Lemovicen. et dilectis filiis..... abbati Dauraten. et..... præposito de Subterranea Lemovicen. diœc. damus nostris litteris in mandatis, ut vos ad ea, quæ præmisimus exsequendo, per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, prævia ratione compellant. Datum Laterani, XVII kalendas junii, pontificatus nostri anno septimo.

CXXXV

Ad Grumerium episcopum, abbatem S. Savini, et præpositum S. Euphemiæ.

17 maii 1223.

[Affo, Istoria di Guastalla, I, 362, n. 53.]

Eis mandat ut abbatem S. Sixti Placentini in possessionem eorum, quibus a communitate Cremonensi per violentiam spoliatus est, corporaliter inducant et defendant inductum.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri episcopo et dilectis filiis... abbati S. Savini et... præposito S. Euphemiæ Placentinis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Si potestas, et populus Cremonen. sæcularem potentiam recognoscerent a Domino sæculorum, nequaquam ipsam in ejus contumeliam exercerent, bona ecclesiastica, quæ speciali titulo divino sunt adscripta per violentiam occupando, et detentando in pertinaci superbia occupata juramenti religione contempta, et ecclesiæ clavibus vilipensis. Cum enim conquerente olim..... abbate monasterii S. Sixti Placentin. monasterium ipsum a communitate Cremon. duabus partibus castri, et curtis Wastallæ, per violentiam spoliatum, eosque curtem Luciariæ ad idem monasterium pertinentem contra justitiam detinere, felicis memoriæ Innocentius papa, prædecessor noster, causam bonæ memoriæ Regin. episcopo commisisset, tandem post dilationes quamplurimas exigente contumacia Cremonen., possessionem petitorum causa rei servandæ dicto adjudicavit abbati, qui licet possessionem ipsam corporaliter apprehenderit, quia tamen eam, propter adversæ partis potentiam, non potuit retinere, super hoc ad bonæ memoriæ. Mutinen. episcopum ejusdem prædecessoris nostri litteras impetra-

vit. Qui tandem, contumacia illorum crescente, in eos excommunicationis sententiam promulgavit, quam illi per quadriennium contempserunt, demum mediante ipso prædecessore nostro facta fuit quædam temporalis compositio inter partes, et injunctum venerabili fratri nostro... Parmen... episcopo, ut recepto a præfatis Cremonen... juxta formam Ecclesiæ corporaliter juramento, relaxatam denuntiaret sententiam supradictam, qui diligenter mandatum Apostolicum adimplevit. Deinde quoque a nobis... archipr..... Mutinens., et abbati de Mutiliano tunc priori de Columbario, et... abbati Sancti Benedicti supra Padum causa commissa, iidem super hoc eis peremptorium terminum assignarunt, quo illis non curantibus coram delegatis ipsis per responsalem idoneum comparere, prædicti delegati de prudentum virorum consilio pronuntiantes illos existere contumaces, pœnam contumaciæ diutius prorogarunt. Sed illis in sua contumacia perdurantibus, duo prædictorum judicum, tertio excusato legitime, in Cremonen. eosdem excommunicationis sententiam protulerunt, ac postmodum eorum duritiam advertentes, possessionem causa rei servandæ adjudicaverunt abbati, ipsum in eam corporaliter inducendo, et sic singulis de consilio Cremonen... præstantibus juratoriam cautionem, quod starent mandatis Ecclesiæ, ac in eadem causa juri parerent, eamdem sententiam relaxarunt. Quum autem dicti Cremonen. post plurima subterfugia per venerabilem fratrem nostrum Ostiensem episcopum, tunc fungentem legationis officio in partibus Lombardiæ, de mandato nostro citati, quosdam procuratores ad nostram præsentiam destinassent, et, ipsis inficientibus eorum commune possidere prædicta, dictus abbas paratus esset probare, quod Cremonen. illa possederant postquam per eosdem fuerat spoliatus, tandem exhibitis abbati prædicto litteris imperialibus, per quas sub pœna centum marcarum inhibebatur eidem, ne dictos cives super his in foro ecclesiastico conveniret, petentes sibi dari libellum, et inducias ad redeundum Cremon., et deliberandum, cum sicut præmissum est dudum ipsius populi procuratoribus cum induciis ad deliberandum semel, et secundo libellus oblatus, et receptus fuisset, a nostra præsentia contumaciter recesserunt. Unde nos nequeuntes eis in tam evidens præjudicium monasterii ulterius salva honestate deferre, vobis nostris dedimus litteris in præceptis, ut in potestatem, et consiliarios Cremonen. excommunicationis et in civitatem interdicti sententias, sublato appellationis obstaculo, proferretis, ita quod hi, qui, durante hujusmodi contumacia, eisdem potestati, et consiliariis in regimine civitatis succederent, dicta sententia tenerentur, nutra (*sic*) sententiarum ullatenus relaxanda, donec dicti cives restituendi præfato monasterio expensas legitimas, [quas] hac de causa fecisse constaret a tempore quo terminus peremptorius auctoritate nostra eis fuerat assignatus, et standi juri præter juratoriam præstarent aliam plenariam cautionem. Sed licet vos in eos juxta mandatum nostrum sententias promulgaveritis prænotatas, illi tamen malleum velut stipulam repulsantes, et percussi renuentes recipere disciplinam, adhuc in sua contumacia perseverant, aspernando redire ad ecclesiasticam unitatem. Ut igitur justitia vincat malitiam, et acrior pœna pungat quos nulla compunxit hactenus pœnitudo, nos eumdem abbatem verum constituentes petitorum de cætero possessorem, discretioni vestræ per Apostolica scripta firmiter præcipiendo mandamus, quatenus ipsum in possessionem eorum corporaliter inducatis, et defendatis inductum, contradictores si qui fuerint vel rebelles, per censuram ecclesiasticam, sublato appellationis obstaculo, compescendo. Prænotatas etiam excommunicationis et interdicti sententias per loca in quibus expedire videritis solemniter publicantes, et renovantes easdem, faciatis usque ad satisfactionem condignam firmiter observari, et inhibeatis expresse, ne aliqua civitas quemquam civem Cremon... in potestatem assumat, vel assumptum audeat retinere. Quod si non omnes, etc. Datum Laterani, XVI kalendas junii, pontificatus nostri anno septimo.

CXXXVI

Ad Albertum archiepisc. Magdeburgensem.

17 maii 1223.

[Bohmer, Acta imperii, II, p. 663.]

Ut abbatem Sancti Sixti Placentini in possessionem bonorum inducat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei,

venerabili fratri... archiepiscopo Magdeburgensi, salutem et Apostolicam benedictionem.

Si legationis officium tibi ab imperiali potestate commissum officiose vis gerere, sicut crederis et teneris, expedit, ut corripiens inquietos satagas pusillanimos consolari, et quanto contra ecclesias et personas ecclesiasticas multiplicatur superborum iniquitas et superbia iniquorum, tanto contra eos rectitudinis tuæ zelum erigas fortiorem, ut vigor virtutis valentior vitii corruptela, dum vincit nec vincitur, clarior vigeat ex adverso, tanquam noctis tenebris luce diei eminus effugatis. Quum itaque cives Cremonenses, timore divino contempto, et tam divini quam humani juris reverentia vilipensa, monasterium Sancti Sixti Placentini duabus partibus castri et curtis Vastallæ per violentiam spoliarint et curtem Luciariæ ad idem monasterium pertinentem contra justitiam detineant occupatam, sicut abbatis ejusdem monasterii a longo tempore conquestio continuata declaravit, propter quod, post cavillosa diffugia, quibus eumdem abbatem fatigarunt diutius, gravibus laboribus et expensis, spreto juramento corporaliter præstito, quod juri parerent, in potestatem et consiliarios excommunicationis et in totam civitatem interdicti sententias fecimus promulgari et præfatum abbatem petitorum verum constituimus possessorem : fraternitatem tuam rogamus et monemus attente per Apostolica scripta mandantes, quatenus prudenter attendens quod, sicut non est conventio lucis ad tenebras, ita nec viri ecclesiastici, qualem esse te credimus, ad excommunicatos participatio esse debet, nullum ex illis tibi communicare permittas, immo tanquam præcisos ab ecclesiastica unitate omnino devitans et, quantum in te fuerit, faciens evitari, sæpedictum abbatem in possessionem ipsam potestate tibi tradita inducas et tuearis inductum, mandatum nostrum taliter impleturus, quod legatione fungens pro domino temporali, æterno non displiceas, sed complaceas, et nos exinde, te Dei zelum cognoscentes habere, devotionem tuam dignis favoribus prosequi debeamus... Qui si, quod absit, contrarium faceres, graviter nos reputaremus offendi. Datum Laterani, XVI kalendas junii, pontificatus nostri anno septimo.

In eumdem modum scriptum est Alberto, episcopo Tridentino, legato in partibus Tusciæ.

CXXXVII

Ad archidiaconum Pictavien., præpositum et magistrum O., canonicos S. Nicolai Ambianen.

19 maii 1223.

[Regest., lib. VII, epist. 159. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat eis ut episcopus Morinen. M. de Aria subdiacono in præbendali officio provideat.

Honorius, etc., dilectis filiis... archidiacono Pictavien.... præposito, et magistro O. canonicis Sancti Nicolai Ambianen., salutem et Apostolicam benedictionem.

Dilectus filius magister M. de Aria subdiaconus in nostra proposuit præsentia constitutus, quod quum secundo venerabili fratri nostro... Morinen. episcopo, qui eum in subdiaconum ordinarat, pro eo nullum ecclesiasticum beneficium obtinente direximus scripta nostra, ut in ecclesia Sancti Martini de Hesduvo suæ diœcesis, si esset idoneus, et nullus de mandato nostro fuisset receptus, ibidem in præbendali beneficio provideret... decano Ambianen. et collegis ipsius primo, ac præposito Sanctæ Mariæ Burgen, et conjudicibus suis secundo, sibi super hoc monitoribus deputatis, idem episcopus, licet nihil objiceret quare id non deberet fieri, vel non posset, mandatum tamen nostrum pariter et præceptum, ac monitorum monitum prædictorum surdis auribus transiens, id hactenus efficere non curavit, propter quod jam tertio dictus magister coactus est ad nostram præsentiam laborare. Nolentes igitur quod de provisione dicti magistri pie incœpimus remaneat inexpletum, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus episcopum memoratum ut præcedentem inobedientiam redimens per obedientiam subsequentem, ei juxta primi mandati nostri tenorem in ecclesia provideat memorata, monere diligentius, et inducere procuretis, ipsum ad id, si necesse fuerit, nisi aliquid rationabile objectum fuerit et probatum, quare hoc fieri non debeat, vel non possit, auctoritate nostra, sublato appellationis obstaculo, compellentes. Quod si non omnes, etc. Datum Laterani, XIV kalendas junii, pontificatus nostri anno septimo.

CXXXVIII

Ad abbates et fratres ordinis Præmonstratensis.

23 maii 1223.

[Lepaige, Biblioth. Præmonst., 653.]

Præmonstratenses alienarum causarum procuratores esse prohibentur.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbatibus et fratribus universis ordinis Præmonstratensis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Quum relictis sæculi vanitatibus, ei soli impendere teneamini famulatum, cui servire regnare est, indecens constat esse, ut cum debetis orationibus vigilare, involvatis vos quæstionibus alienis. Quocirca universitati vestræ auctoritate præsentium inhibemus, ne quisquam vestrum in pertractandis alienis causis præsumat existere procurator. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ inhibitionis infringere. Si quis autem, etc. Datum Laterani, X kalend. junii, pontificatus nostri anno sexto [septimo].

CXXXIX

Ad abbates et fratres universos ordinis Præmonstratensis.

23 maii 1223.

[Lepaige, Biblioth. Præmonst., 653.]

Malefactores ordinis sub firma custodia detineantur.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbatibus et fratribus universis ordinis Præmonstratensis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Quum sicut ex parte vestra fuit propositum coram nobis, nonnulli post professionem ab eis ordini nostro factam, diabolica fraude seducti ab ecclesiis suis malevole recedentes, domos vestras incendere ac alias graviter vos damnificare præsumant. Nos indemnitati vestræ paterna volentes sollicitudine providere, præsentium vobis auctoritate concedimus, ut vestros canonicos et conversos, si in iis præsumptores et rebelles extiterint, quamdiu in sua malitia perdurarint, sub ea possitis custodia detinere, quod vobis aut domibus vestris molestias inferre nequeant vel jacturam. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, etc. Si quis autem, etc. Datum Laterani, X kalend. junii, pontificatus nostri anno sexto [septimo].

CXL

Ad Reginaldum regem Insularum.

23 maii 1223.

[Theiner, Vetera Monum. Hibern. et Scot., p. 21.]

Rex Insularum sub protectione beati Petri veluti feudatarius Ecclesiæ Romanæ suscipitur.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, carissimo in Christo filio Reginaldo, regi Insularum illustri, salutem et Apostolicam benedictionem.

Promptæ fidei et pronæ devotionis affectus, quem erga Romanam Ecclesiam studes in effectu laudabiliter exhibere, digne meretur, ut personam tuam sincera benevolentia complectentes te speciali Sedis Apostolicæ gratia prosequamur, tuis supplicationibus favorabiliter annuendo. Sicut enim transmissæ nobis tuæ litteræ protestantur, bonorum, quæ fiunt in Ecclesia Romana, particeps esse cupiens, ad exhortationem venerabilis fratris nostri P. Norvicensis episcopi, tunc electi et Apostolicæ Sedis legati, ei Ecclesiæ Romanæ nomine ac nostro insulam de Man, quæ ad te jure hæreditario pertinebat, nullumque de ipsa servitium facere tenebaris, donasti liberaliter et irrevocabiliter tradidisti, recipiens eamdem insulam ab Ecclesia Romana in feudum, et pro ea nobis fidelitatis et homagii exhibens juramentum. Ad quoque recognitionem dominii Ecclesiæ Romanæ tu, et hæredes tui, annuatim duodecim marcas sterlingorum in Anglia apud monasterium de Furnis in festo Purificationis beatæ Virginis persolvetis, quæ omnia jurasti te fideliter servaturum. Nos igitur habentes hæc rata et grata, tuis supplicationibus inclinati, personam et terram tuam cum omnibus, quæ in præsentiarum rationabiliter possides, aut in futurum justis modis, præstante Domino, poteris adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis

infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani, X kalendas junii, pontificatus nostri anno septimo.

CXLI

Ab abbates de Cardon et Bello Podio.

23 maii 1223.

[Manrique, Ann. Cisterc., IV, 228.]

Indulget ut aliis agricolis excolendas tradant terras sine onere decimarum quas propter sterilitatem sic possident.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis de Cardon et Bello Podio abbatibus, et priori de Galer, Urgelensis diœcesis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Dilectus filius abbas, et conventus Populeti Cisterciensis ordinis, nobis humiliter supplicarunt, ut quasdam [terras], quas per quadraginta annos absque decimarum, et primitiarum onere possederunt, dare vicinis agricolis excolendas, sine onere memorato, ac quasdam simili modo jam datas illis dimittere, qui easdem taliter receperunt, vel dare aliis, si magis fuerit opportunum, cum eas propter sterilitatem earum, et malitiam circumstantium excolere nequeant utiliter per se ipsos, quin imo specialiter ea causa debitis sint gravibus onerati, eisdem nostra permissione liceret. Quocirca discretioni vestræ per Apostolicam Sedem mandamus, quatenus inquisita super præmissis veritate diligentius, si vobis constiterit, rem taliter se habere, auctoritate nostra tribuatis eis licentiam postulatam, nec contra eam permittatis, eosdem a quocumque temere molestari. Datis Laterani, X kal. junii, anno sexto [septimo].

CXLII

Ad Remonem episcopum Senogalliensem.

29 maii 1223.

[Ughelli, Italia sacra, II, 868.]

Ecclesiam Senogalliensem sub beati Petri et sua protectione suscipit omnesque ejus possessiones ac bona, jura ac privilegia confirmat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Remoni episcopo Senogalliensi, salutem et Apostolicam benedictionem.

In eminenti Apostolicæ Sedis specula licet immeriti, disponente Domino, constituti, fratres nostros episcopos, tam propinquos, quam longe positos, fraterna debemus caritate diligere, et ecclesiis sibi a Deo commissis pastorali sollicitudine providere : Quocirca, venerabilis in Christo frater episcope, tuis justis postulationibus clementer annuimus, et ecclesiam Senogalliensem, cui, auctore Deo, præesse dignosceris, sub beati Petri, et nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti privilegio communimus, statuentes, ut quascumque possessiones, quæcumque bona eadem ecclesia in præsentiarum juste, ac canonice possidet, etc., *usque* illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. In civitate Senogalliensi Sancti Johannis Baptistæ, S. Petri, S. Martini, S. Georgii, S. Mariæ de Scottis, S. Laurentii, S. Salvatoris, S. Crucis, S. Bartholomæi, S. Paterniani, S. Brigidæ, et S. Severi ecclesias cum omnibus pertinentiis earumdem, et tertiam partem de omni reddita, ac datione, distracto quoque, et placito, et de mercato, nec non de ripa, et portu, seu de aliis supradictæ civitatis vectigalibus; seliquatico, pedagio, mensuratico, et de aliis portis, et porterolis civitatis ipsius, excepta porta S. Angeli, cujus nostri in integrum sunt proventus. In diœcesi Senogalliensi monasterium S. Gaudentii cum omnibus ejus bonis, et pertinentiis, et curtem quæ vocatur Turturaria cum molendinis, et suis pertinentiis, ecclesiam S. Viti cum hospitali S. Spiritus, ecclesiam S. Stephani cum curte, pratis, paludibus quoque, ac salinis omnibus a mari usque ad muros dictæ civitatis, et cum omnibus possessionibus positis in monte S. Stephani planiciis, et curtem Senogalliæ, de jure episcopatus Senogalliensi, et curtem quæ vocatur Tres Basilicæ, cum castello, quod vocatur Orgiolo cum omnibus hominibus, et eorum bonis et suis pertinentiis, et castrum Vivarii, castrum Ramusceti et castellare filiorum Leonis, et castellare Scorzaleporis, et castrum Montale, et castellare Castellionis, et castrum Farnesi, castrum Peticli, et castellare Fossecebæ, et castellare Montisfortius, et quidquid episcopatus habet in castro insulæ

Camarcelli, et ejus curte, in curte insula Hugvitionis, in castellare Campi Longi, et ejus curte, in curte Ravonis, in castellare Qunzan, et ejus curte, in castro Montis Novi, et ejus curte, in castro Peudingarda, et ejus curte, in castellare insulæ Caselvacis, et ejus curte, in castellare montis S. Viti, et ejus curte, in castro Maruci, et ejus curte, in castellare S. Martini filii Aldonis, et ejus curte, in castro Cerreti, et ejus curte, in Folliano, et ejus curte, in Jassellare, et ejus curte, in curte Arcæ contractæ, turris ruptæ, et in castellare Albani, et ejus curte cum hominibus, curtibus, et pertinentiis eorumdem, monasterium S. Genesii, plebem Manæ, plebem S. Michaelis de colle Urbano, plebem S. Apostoli, plebem Scorzalepori, plebem S. Gervasii de Bulgaria, plebem de Paone, plebem de Cavis, plebem S. Hippolyti, plebem de Muro, plebem S. Petri de Colonia, plebem plani, plebem de colle, et plebem montis Porci, plebem Orgeoli, plebem S. Gregorii, ecclesiam Sanctæ Mariæ de Bodio, ecclesiam S. Jacobi cum hospitali, ecclesiam S. Mariæ de Filleto cum hospitali de Massa, ecclesiam S. Johannis de Monte Novo, ecclesiam S. Johannis de Scapzano, plebem de Allano, plebem S. Martini filiorum Aldonis, plebem S. Archangeli, plebem S. Paterniani de Fractula, plebem de Casertino, et plebem S. Clementis cum capellis in earum plebatibus positis, bonis, possessionibus, ac hominibus earumdem cum plena jurisdictione, quam Senogalliensis ecclesia noscitur in iis hactenus habuisse. Præterea quod communi assensu tui capituli, vel majoris partis ipsius consilii sanioris in tua diœcesi per te canonice fuerit institutum, ratum, et firmum volumus permanere. Prohibemus insuper ne excommunicatos tuos, vel interdictos ad officium, vel communionem ecclesiasticam sine conscientia, et consensu tuo quisquam admittat, aut contra sententiam tuam canonice promulgatam aliquis venire præsumat, nisi forte periculum mortis immineat, aut dum præsentiam tuam habere nequiverint, per alium secundum formam Ecclesiæ satisfactione promissa oporteat ligatum absolvi. Sacrorum quoque canonum auctoritatem sequentes statuimus, quod nullus archiepiscopus, vel episcopus absque assensu Senogalliensis episcopi in diœcesi Senogalliensi conventus celebrare, causas etiam, et ecclesiastica negotia ejusdem diœcesis, nisi per Romanum Pontificem, vel ejus legatum fuerit eidem injunctum tractare præsumat. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat præfatam ecclesiam temere perturbare, etc., *usque* profutura, salvo mandato Sedis Apostolicæ speciali. Si qua igitur, etc. Cunctis autem, etc. Datum Laterani per manum magistri Guidonis, D. papæ capellani, IV kalendas junii, indictione XII, Incarnationis Dominicæ anno 1223, pontificatus vero I Honorii papæ III anno septimo.

CXLIII

Ad abbatissam ac conventum de Brailla, Cisterciensis ordinis.

23 maii 1223.

[Manrique, Annal. Camaldul., IV, 240.]

Mandat ut F. reclusam domus S. Lazari Cameracensis in sororem suam sine difficultate admittant.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectæ filiæ abbatissæ, ac conventui de Brailla, Cisterciensis ordinis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Dilecta in Christo filia F. reclusa domus Sancti Lazari Cameracensis, nobis fecit humiliter supplicari, ut cum ei tutius videatur agere in monasterio residuum vitæ suæ, quam sic esse reclusam, et ipsi licentiam concedere Cisterciensem ordinem assumendi, et vos pro receptione ipsius nostris invitare litteris dignaremur : nos itaque preces ejus, et propositum, benigno favore in Domino prosequentes, caritatem vestram rogamus, et monemus attente, per Apostolicam Sedem mandantes, quatenus ipsam, ob reverentiam divinam et nostram in sororem vestram sine difficultate qualibet admittatis; ita quod ipsa una vobiscum de virtute proficere valeat in virtutem, et vestra caritas vos caras, et commendabiles reddat in oculis Salvatoris. Datum Laterani, III kal. junii, pontificatus nostri anno sexto [septimo].

CXLIV

Ad cantorem et magistros Gaufridum et Girardum, canonicos Parisienses.

30 maii 1223.

[Marlot, Hist. de Reims, III, 781.]

[redacted] mandata dat de gravi quæstione Laudunensis episcopi.

[redacted]norius episcopus, servus servorum Dei, d[redacted]is filiis cantori et magistris Gaufrido et [redacted]ardo canonicis Parisiensibus, salutem, [redacted]c.

Ve[redacted]bilis frater noster Laudunensis episcop[redacted]avem nobis obtulit quæstionem, quod quu[redacted]mense capitulum nuper postulasset ab [redacted]t pro reparanda ecclesia Remensi, eis p[redacted]Laudunensem diœcesim litteras prædicati[redacted]s concederet, unum annum indulgentiaru[redacted]continentes expresse, ac eorum nuntii per[redacted]am ipsam diœcesim cum processione recip[redacted]ntur a clero et populo, et dies adventus [redacted]um tanquam dominicus haberetur, et [redacted]m venirent ad locum interdicto suppos[redacted]n, divina libere celebrarentur ibidem qua[redacted]u essent, et statueretur pro ipsius eccle[redacted] confraria, etc. Datum Laterani, pontific[redacted]s nostri anno septimo.

CXLV

[redacted] abbatem et conven[redacted] monasterii Casine[redacted]

[redacted]3.

[[redacted]Monte Cassino, II, 304.]

Sententiam inter L. priorem ecclesiæ S. Gregorii de Spaczano et abbatem de Scuza ab episcopo S. Marci latam corroborat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati et conventui Casinensi, salutem et Apostolicam benedictionem.

Ea quæ judicio vel concordia terminantur firma debent et illibata persistere, et ne in recidivæ contemptionis scrupulum relabantur, Apostolico convenit præsidio communiri. Ex parte siquidem vestra fuit expositum coram nobis quod quum venerabilis frater noster... Tusculanus episcopus, tunc Apostolicæ Sedis legatus, causam quæ inter L. priorem ecclesiæ Sancti Gregorii de Spaczano ad Casinense monasterium pertinentis, et... abbatem de Scuza vertebatur, super eo quod idem prior se ab ipso eadem ecclesia contra justitiam spoliatum fuisse dicebat, venerabili fratri nostro... episcopo Sancti Marci commisisset fine debito terminandam; idem episcopus Sancti Marci, cognitis causæ meritis, pro dicto priore monasterii Casinensis contra præfatum abbatem super eamdem ecclesiam, quoad possessorium diffinitivam sententiam promulgavit. Nos itaque vestris supplicationibus inclinati, sententiam ipsam, sicut est justa, nec legitima provocatione suspensa, et in ipsius litteris plenius continetur, auctoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Signiæ, septimo idus junii, pontificatus nostri anno septimo.

CXLVI

Ad abbatem Aremacen., Trecen. diœcesis, et archidiaconum, et... decanum S. Stephani Trecen.

8 junii 1223.

[Regest., lib. VII, ep. 174. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat ut causam, inter abbatem S. Petri Vivi Senonensem et archidiaconum Senonensem audiant.

Honorius, etc., dilectis filiis..... abbati Aremacen. Trecen. diœc. et archid., et..... decano S. Stephani Trecen., salutem, etc.

Dilecto filio... abbate monasterii S. Petri Vivi Senonen. olim suam ad nos querimoniam perferente, quod dilectus filius... archidiaconus Senonen. in eum insolitam jurisdictionem usurpans, quam sui prædecessores in eum, vel ejus conventum non consueverant exercere, nos ejusdem abbatis, vel conventus sui gravamen indebitum sustinere nolentes, eidem archidiacono dedimus in mandatis, ut in ipsos de cætero non usurpet aliquam jurisdictionem insolitam, vel excerceat; sed his tantummodo contentus existens, quibus prædecessores sui contenti fuerunt, non exigat aliud ab eisdem quam a dictis prædecessoribus suis

exactum fuerat, et perceptum, dantes... abbati S. Crispini majoris Suessionen. et ejus collegis per nostras litteras in mandatis ut ipsum canonica districtione compescerent, si mandato nostro præsumeret contraire. Postmodum vero ad petitionem ejusdem archidiaconi conquerentis, quod... abbas et conventus prædicti procurationem annuam et quædam alia ratione sui archidiaconatus ad ipsum spectantia exhibere sibi contra justitiam denegabant, eidem abbati Sancti Crispini, et collegis ejus dedimus in mandatis ut audirent causam hujusmodi et fine debito terminarent, coram quibus petiit dictus archidiaconus, ut quum idem monasterium infra metas sui archidiaconatus sit situm, ei præfati abbas et monachi obedirent in his, quæ pertinent ad jurisdictionem, correctionem et visitationem, ad jus, ut dicebat, archidiaconale spectantes, videlicet, ut coram ipso conquerentibus responderent, ac starent juri et justas ejus sententias observarent; citati etiam venirent ad ejus præsentiam, et ejus mandata honesta, et facta secundum Deum de correctione excessuum et aliis, quæ archidiaconi solent et possunt rationabiliter injungere, audituri et, salva sua regula et abbatis sui obedentia debita, servaturi. Petiit insuper ne de cætero facerent aliquos de Senonen. baliva eo prætermisso coram... officiali Senonen. archiepiscopi convenire asserens illos prius debere convenire sub ipso quam coram officiali prædicto, specialibus ipsius archiepiscopi et hominum ac familiæ suæ causis dumtaxat exceptis. Lite igitur super præmissis coram præfatis judicibus legitime contestata, et [partibus] auditis ab eisdem, judices de utriusque partis assensu causam ipsam ad examen Apostolicum remiserunt. Ipsis ergo abbate et archidiacono in nostra præsentia constitutis, venerabilem fratrem nostrum P. Albanen. episcopum eis dedimus auditorem. Quumque ipso archidiacono interim regresso ad propria, suo propter hoc procuratore relicto, dictus episcopus inspexisset acta judicii diligenter, et tam ipsa quam ea, quæ partes curaverunt proponere coram ipso, nobis et fratribus nostris fideliter retulisset, nos attendentes ecclesiarum consuetudines esse super archidiaconorum jurisdictione diversas, cum in hoc casu nesciremus consuetudinem, qua in abbatiis ordinis præfati monasterii utebatur archidiaconatus Senonenses finalem habere justitiam non potuit hujusmodi quæstio; sed, ut finis debitus imponatur, causam ipsam vobis de ipsius abbatis, et procuratoris alterius partis assensu duximus committendam. Ideoque discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus inter majoris ecclesiæ Senonen. canonicos, qui habere debent de hujusmodi consuetudine notitiam pleniorem, super his veritatem sollicite inquiratis, et nisi vobis infra tres menses post primæ citationis edictum, constiterit per eosdem præfatum archidiaconum vel prædecessores ipsius de pacifice obtenta consuetudine jurisdictionem aliquam in ipso monasterio, vel in hujusmodi abbatiis hactenus habuisse, præfatum monasterium ab ejus petitione penitus absolvatis, perpetuum super hoc ipsi archidiacono silentium imponentes. Si vero per eosdem canonicos vobis constiterit ipsum archidiaconum, vel ejus prædecessores de sic obtenta consuetudine hactenus habuisse jurisdictionem aliquam in ipso monasterio, vel in aliis hujusmodi abbatiis, ea dumtaxat adjudicantes eidem in monasterio supradicto quæ ipsum, vel prædecessores suos in monasterio ipso vel in eisdem abbatiis constiterit habuisse, super aliis perpetuum ei silentium imponatis in prædictis omnibus, sublato appellationis obstaculo processuri. Nullis litteris obstantibus, si quæ apparuerint præter assensum partium a Sede Apostolica impetratæ. Quod si non omnes, etc. Datum Signiæ, VI idus junii, pontificatus nostri anno septimo.

CXLVII

Ad conventum ecclesiæ S. Trudonis.

12 junii 1223.

[Piot, Cartulaire de l'abbaye de S.-Trond, I, 179, n. 143.]

Inhibet ne pro advocatorum monasterii delicto villæ ad ipsum pertinentes interdicto ecclesiastico supponantur.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis conventui ecclesiæ Sancti Trudonis, Leodiensis diœcesis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Quum a nobis petitur quod justum est et honestum, tam vigor æquitatis quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem offi-

cii nostri ad debitum perducatur effectum. Quia vero, sicut ex vestra relatione didicimus, advocati, quos monasterium vestrum habet, prout fuit ab antiquo provisum, quosdam certos redditus a vobis recipiunt annuatim, pro quibus villarum vestrarum defensio incumbit eisdem, nos vestris justis precibus inclinati, auctoritate præsentium inhibemus ne, pro ipsorum advocatorum delicto, villæ ad vos pertinentes interdicto ecclesiastico vobis in culpa non existentibus supponantur, non obstante quod eidem advocati quædam in prædictis villis percipiunt quæ, sicut asseritis, nequaquam sibi de jure competere dignoscuntur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ inhibitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli, Apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Signiæ, II pridie idus junii, pontificatus nostri anno septimo.

CXLVIII

Ad Constantinum episcopum Scalensem.

13 junii 1223.

[Ughelli, Italia sacra, VII, 329.]

Eis causam inter Jacobum de S. Severino comitem Avellini et Nicolaum Salernitanum archiepiscopum super jure patronatus vertentem, committit decidendam.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus Constantino episcopo Scalensi, et dilectis filiis Mathæo archidiacono, et Constantino Faburo subdiacono nostro canonicis Amalphitanis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Dilectus filius nobilis vir Jacobus de Sancto Severino, comes Avellini, suam ad nos querimoniam destinavit, quod venerabilis frater noster Nicolaus Salernitanus archiepiscopus quasdam capellas de castris suis S. Severini, et S. Georgii exactionibus indebitis aggravans, et molestans super jura patronatus quarumdam aliarum ecclesiarum, ipsum et milites suos indebite inquietat. Ideoque discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus partibus convocatis, audiatis causam, et in loco debito conjunctis, facientes quod decreveritis per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Testes autem qui fuerint nominati, si se gratia, odio vel timore subtraxerint, per censuram eamdem, appellatione cessante, cogatis veritati testimonium perhibere. Quod si non omnes exsequendis potueritis interesse, tu, frater episcope, cum eorum altero, etc. Datum Romæ, idibus junii, pontificatus nostri anno septimo.

CXLIX

Ad Conradum Portuensem episcopum, A. S. legatum.

18 junii 1223.

[Bouquet, Recueil des Hist., XIX, p. 732.]

Mandat Conrado ut, si tractatus de conciliandis Raimundi VII Tolosani cum Amalrico de Monteforti dissidiis ad affectum perductus fuerit, adjudicata per Apostolicam Sedem Vivariensi ecclesiæ castra tueri conetur.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri C., Portuensi episcopo, Apostolicæ Sedis legato, salutem et Apostolicam benedictionem.

Licet credamus quod es ad conservandum ecclesiarum jura sollicitus per te ipsum, ex abundanti tamen fraternitatem tuam sollicitandam duximus et hortandam, per Apostolica tibi scripta mandantes quatenus, si tractatum concordiæ inter nobilem virum A. comitem Montisfortis et R., quondam comitis Tolosani filium, R. perduci contingeret ad effectum, provideas quod jus Vivariensis episcopi, tum in aliis, tum specialiter in castro de Fanjau et Argentariæ, cum pertinentiis ipsorum, in ipsa concordia conservetur illæsum, prout illi per Apostolicam Sedem adjudicatum esse noscitur et concessum : mandatum nostrum taliter impleturus, quod diligentia tua inde possit merito compleri, etc. Datum Laterani, XIV kalendas julii, pontificatus nostri anno septimo.

CL

Ad abbatissam et conventum de Fonte beatæ Mariæ, Cisterc. ordinis.

18 junii 1223.

[Regest. lib. VII, epist. 57. Mss. La Porte du Theil.]

Eas cum omnibus bonis sub beati Petri et sua protectione suscipit.

Honorius, etc., dilectis in Christo filia-

bus... abbatissæ ac conventui de Fonte beatæ Mariæ Cistercien. ordinis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Sacrosancta Romana Ecclesia devotos et humiles filios ex assuetæ pietatis officio propensius diligere consuevit, et ne pravorum hominum molestiis agitentur, eos tanquam pia mater suæ protectionis munimine confovere. Ea propter, dilectæ in Domino filiæ, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, personas vestras et locum in quo divino estis obsequio mancipatæ, cum omnibus bonis quæ in præsentiarum rationabiliter possidetis aut in futurum, præstante Domino, justis modis poteritis adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus. Specialiter autem annuum redditum sexaginta solidorum Valencen. monetæ, a quondam A. de S. Auberto ad winagium suum de Haspra percipiendum monasterio vestro concessum, terras, molendinum, prata, terraginam, nemora et redditus de Poteles, de Trit in territorio S. Leodegarii et de Querceto, et alia bona vestra, sicut ea omnia vestrum monasterium juste possidet et quiete, vobis et per vos eidem monasterio auctoritate Apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ protectionis et confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Signiæ, XIV kal. julii, pontificatus nostri anno septimo.

CLI

Ad abbatissam et conventum monasterii de Fonte beatæ Mariæ, Cisterc. ordinis.

18 junii 1223.

[Regest., lib. VII, epist. 58. Mss. La Porte du Theil.]

Eis quasdam possessiones confirmat.

Honorius, etc., dilectis in Christo filiabus... abbatissæ ac conventui monasterii de Fonte beatæ Mariæ, Cistercien. ordinis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Justis petentium desideriis dignum est nos facilem præbere consensum et vota, quæ a rationis tramite non discordant, effectu prosequente complere. Ea propter, dilectæ in Domino filiæ, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, annuum redditum duodecim librarum Valencen. monetæ ad cambam de ponte Noironis percipiendum a nobili muliere J. comitissa Flandren. monasterio vestro concessum, possessiones, terras, prata, nemora, terragia et omnes redditus quos habetis ex donatione dictæ comitissæ et nobilium virorum Simonis de Gillain, Hellens de Alheto, S. de Tion, Egidii de Samion, Amandi de Pones, B. de Semeriis, W. de Maing, E. de Ering, R. marescalci et A. Locins, et alia bona vestra, sicut ea omnia vestrum monasterium juste, canonice ac pacifice possidet, vobis et per vos eidem monasterio auctoritate Apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Signiæ, XIV kal. julii, pontificatus nostri anno septimo.

CLII

Ad Fredericum Romanorum imperatorem.

27 junii 1223.

[Huillard-Bréholles, II, 384.]

Honorius papa Friderico Romanorum imperatori conqueritur quod Capuanæ et Aversanæ ecclesiis ipse providere præsumat et si alios ad easdem ecclesias curia Romana miserit, hos recipi prohibeat, adjectis verbis in auctoritatem pontificalem contumeliosis. Jus suum in ecclesias regni Siciliæ memorat, hortaturque ut saniori usus consilio asperitatem verborum negando removeat et in nuntium ipsius refundat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Frederico, Romanorum imperatori, salutem et Apostolicam benedictionem.

Venientem ad præsentiam nostram dilectum filium L. judicem Barensem consueta benignitate recepimus, et ea quæ nobis ex parte tua dicere voluit, audivimus diligenter. Eo autem nominante quasdam in præsentia nostra personas de quarum aliquibus Capuanæ et Aversanæ ecclesiis provi-

deri petebat, nos cum propter quorumdam fratrum nostrorum absentiam super hoc deliberare finaliter non possemus, fecimus ad te deferendas fieri litteras, quales tunc vidimus faciendas. Sed dictus judex ad te illas deferre recusans, audientiam a nobis et fratribus nostris petiit sibi dari; qua ei benigne concessa, verba quædam proposuit a te sibi, prout dicebat, injuncta, in quæ tua non debuisset prorumpere circumspectio, etiamsi gravem a nobis injuriam pertulisset. Dixit enim nos tibi protectionem dedisse, quæ non erat protectio, sed destructio potius appellanda, utpote tendens, prout idem subintulit, ad personæ tuæ perditionem et regni. Et adjecit quod, quandoquidem nolebamus a te nominatos recipere, nullos ad præfatas mitteremus ecclesias, quia non reciperes aliquos nec recipi sustineres a nobis ad ipsas ecclesias destinatos. Denique nostris est auribus postmodum intimatum te Capuanis, Salernitanis et Aversanis firmiter mandavisse ut si alios quam a te nominatos ad ecclesias miserimus eorumdem, ipsi nullatenus admittantur, sed portæ non solum ecclesiarum, sed etiam civitatum obserentur eisdem. Quæ vera vix esse credimus, et si vera sunt, tua circumspectio videat utrum te deceat talia facere, utrumve Apostolica Sedes talia debeat tolerare. Sane non satis sano, ut cum tua pace loquamur, fuisti usus consilio si talia dici vel fieri mandavisti, quia sic innuisti dicens te, quod non credimus, esse paratum et promptum ad rumpendum inter nos et te vinculum caritatis. Desideramus enim, fili carissime ut omni tempore, maxime nostro, sit inter te et Romanam Ecclesiam firma et sincera dilectio, quia id et ipsi ecclesiæ utile et tibi ac toti christianitati cognoscimus expedire; nec quicquam amarius facile nobis possit accidere quam si statum tuum, quem multa cura promovere studuimus, cogeremur aut perturbare, quod absit, aut perturbari ab aliis, illum, si tibi favorem Apostolicum deesse cognoscerent, perturbare paratis, conniventibus oculis pertransire. Sed si, quod Deus avertat, necesse est ut veniant scandala, quæ causa excogitari poterit conflatura tibi plus odii vel conciliatura Ecclesiæ plus favoris, quam si tu per intolerabilem usurpationem attentes evertere ecclesiasticam libertatem, Apostolica vero Sedes illam secundum divinas et humanas sanctiones studeat conservare.

Certe vides quod qui talia persuadent, aut sua cæca ambitione falluntur, aut malitiose te fallunt, et gressuum tuorum vias fraudulentis dissipare consiliis et machinationibus pravis subvertere moliuntur. Videre potes etiam quam sincero quamque paterno te zelemur affectu, qui non solum verborum tuorum injuriam patienter accipimus, verum etiam contra nos te quodammodo præmunimus, dum dissuademus te causam illam assumere, ex qua posses quasi commune incurrere odium, Sede Apostolica ex eadem favorem plurimum assequente. Cur enim non obtinebimus illam jurisdictionem vel potestatem in regno Siciliæ quam in Francia, Anglia, Hispania ac cæterorum christianorum regnis ac in ipso imperio noscimur obtinere? Numquid in regno Siciliæ minus potestatis aut auctoritatis habebimus, quia in eo tanquam in Apostolicæ Sedis patrimonio plus juris et jurisdictionis habemus? Quid conaris aggredi, quid meditaris incipere, seductus falsis consiliis et animatus tuæ calore ac robore juventutis? An credis esse prudentiam vel consilium aut potentiam contra Deum; et ejus timore postposito speras te posse prævalere adversus Ecclesiam, cum qua promisit se ipse Deus usque ad consummationem sæculi permansurum? Si contemnis nostris acquiescere monitis, domesticis saltem acquiescas exemplis, tecum ipse recogitans manum Domini abbreviatam non esse, ut non possit deprimere et erigere, perdere ac salvare. Hæc tibi benigno animo ac sincero affectu, princeps inclytissime, scribimus, satagentes inconsultos animi tui motus paterna commonitione, comminatione, redargutione, obsecratione, an increpatione compescere, teque ad ea quæ terrenum stabiliant tibi regnum et æternum præparent, informare.

Denique ut tibi consulamus quantum ad præsentem articulum bona fide consilii nostri est, ut litteras tuas seorsum nobis et seorsum fratribus nostris sine dilatione transmittas, per quas, si forte præfatus nuncius de mandato tuo usus non fuit, prædictorum asperitate verborum, nec mandasti quod præmisimus de civitatibus et ecclesiis observandis, hujusmodi culpam a te factam negando removeas et in talium portitorem verborum a te removendo refundas. Quod si forte dici prædicta et fieri præ-

cepisti, non te pudeat culpam tuam agnoscere ac eam reverenter, ut condecet, excusare, certus quod nos et fratres nostri te sincera in Domino caritate diligimus et gerimus in firmo proposito, quantum cum Deo et honestate possumus, ea semper efficere, quæ tuæ placere debeant voluntati, ac inter te et Apostolicam Sedem pacem et caritatem perpetuam conservare. Super his autem dilectum filium A. subdiaconum et capellanum nostrum, virum fidei et probitatis expertum, ad tuam duximus præsentiam destinandum, rogantes ut eum vultu sereno respicias et ad nos laudabiliter expeditum sine longa dilatione transmittas. Datum Signiæ, V kalendas julii, pontificatus nostri anno septimo.

CLIII

Ad Angelicam fundatricem ecclesiæ S. Mariæ de Guardia.

27 junii 1223.

[Ripolli, Bull. ord. Prædic., I, 15, n. 30.]

Eximit a jurisdictione episcopi et ecclesiæ Bononiensis ecclesiam Sanctæ Mariæ de Monte de Guardia.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, Angelicæ fundatrici ecclesiæ Sanctæ Mariæ de Monte de Guardia, salutem et Apostolicam benedictionem.

Quum pias postulantium voluntates sine læsione justitiæ alienæ ducere possumus ad effectum, gratum petentibus assensum impendimus et favorem. Eapropter, dilecta in Christo filia, felicis recordationis Innocentii papæ prædecessoris nostri vestigiis inhærentes, ecclesiam Sanctæ Mariæ de Monte de Guardia tuo studio fabricatam, a jurisdictione episcopi et ecclesiæ Bononiensis eximimus, et ad exemplar ejusdem Innocentii, et bonæ memoriæ Cœlestini papæ prædecessoris nostri Apostolicæ protectionis præsidio communimus. Nulli ergo, etc. Si quis autem, etc. Datum Signiæ, kalendis julii, pontificatus nostri anno septimo.

CLIV

Ad rectorem et fratres Hospitalis S. Spiritus in Saxia.

5 julii 1223.

[Bullar. Roman., ed. Taurin, III, 387.]

Stationem institutam ab Innocentio apud illud hospitale quotannis celebrandam, solemnemque supplicationem effigiei Salvatoris delatione habendam confirmat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis rectori, et fratribus Hospitalis Sancti Spiritus in Saxia, salutem et Apostolicam benedictionem.

Ad commemorandas nuptias salutares, quæ in conversione peccatoris moraliter celebrantur inter spiritum hominis, et gratiam Conditoris, ex quibus affectus et actiones tanquam filii ac filiæ generantur; dominica prima post octavam Epiphaniæ, quando illud legitur evangelium, quod Jesus cum discipulis suis in Cana Galileæ, ubi mater ipsius erat, invitatus ad nuptias aquam convertit in vinum, solemnem apud hospitale vestrum instituimus stationem, in quo vos ex institutione nostra divino estis obsequio mancipati, ea potissimum ratione, quod in illis nuptiis sex hydriæ secundum purificationem Judæorum fuisse narrantur. Et quidem in hoc hospitali tanquam in Cana Galileæ, loco videlicet ubi zelus est transmigrandi de vitiis ad virtutes, positæ sunt sex hydriæ, id est, sex opera misericordiæ instituta, quæ sunt pascere esurientem, potare sitientem, colligere hospitem, vestire nudum, visitare infirmum, et incarceratum adire. Ad purificationem utique Judæorum, ut per illa videlicet confitentes a vitiis expientur. Istæ vero sex hydriæ usque ad summum implentur, quando illa sex opera misericordiæ ad perfectum usque geruntur, et ex aqua fit vinum quum ex merito eleemosynæ jus accenditur caritatis. Quia vero Jesus cum discipulis suis ad has nuptias in Cana Galileæ, ubi mater ejus erat, legitur invitatus, idcirco rationabiliter instituimus, ut effigies Jesu Christi a beati Petri basilica, per ejusdem canonicos ad dictum hospitale, ubi memoria beatissimæ matris ejus recolitur, infra capsam ex auro et argento et lapidibus pretiosis ad hoc specialiter fabrefactam venerabiliter deportetur, fidelibus populis, qui ad has

nuptias celebrandas devote convenerint, desiderabiliter ostendenda. Ut autem nos, qui Domino revelante venerandum aliis aperuimus sacramentum, eo etiam inspirante imitandum aliis præbeamus exemplum; concedimus, statuimus, et jubemus, ut pro mille pauperibus extrinsecus adventantibus, et trecentis personis intus degentibus, decem et septem libræ usualis monetæ, ut singuli accipiant tres denarios, unum pro pane, alterum pro vino, aliumque pro carne, ab eleemosynario summi Pontificis annuatim vobis in perpetuum tribuantur, et canonicis supradictis, qui præscriptam effigiem Salvatoris processionaliter deportabunt, singulis duodecim nummi, et cereus unius libræ, qui deferatur accensus, de oblationibus beati Petri præstentur. Quia vero non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit ex ore Dei, debet huic stationi Romanus Pontifex cum suis cardinalibus interesse, ut et missarum solemnia ibi celebret, et exhortatorium faciat de hac celebritate sermonem, ne fidelis populus famelicus ab iis nuptiis revertatur, præter materialem et doctrinalem, spiritualem quoque sibi cibum impendat, remissionem unius anni de injunctis sibi pœnitentiis indulgendo. Monemus igitur, et obsecramus successores nostros per Jesum Christum, qui venturus est judicare vivos et mortuos, ut hanc institutionem, quæ ipso teste de pietatis fonte processit, faciant inviolabiliter observari, sub obtestatione divini judicii prohibentes, ut nulli omnino hominum liceat paginam nostræ concessionis, constitutionis et jussionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Signiæ, tertio nonas julii, pontificatus nostri anno septimo.

CLV

Ad episcopum Trajectensem.

6 julii 1223.

[Kluit, Historia Hollandiæ, II, I, 444, n. 106.]

Compositionem inter Ottonem episcopum Trajectensem et Willelmum quondam comitem Hollandiæ olim super quibusdam hominibus amicabiliter initam confirmat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri episcopo Trajectensi, salutem et Apostolicam benedictionem.

Justis petentium desideriis dignum est nos facilem præbere consensum et ea, quæ a rationis tramite non discordant, effectu prosequente complere. Eapropter, venerabilis in Christo frater, tuis justis postulationibus grato concurrentes assensu, compositionem (1) quæ inter te olim et W. quon-

(1) Hæc est compositio :
Ego Wilhelmus, Dei gratia comes Hollandiæ, universis Christi fidelibus tam præsentibus quam futuris in perpetuum. Cum omne feudum, quod frater meus, bonæ memoriæ Theodoricus comes Hollandiæ, ab ecclesia Trajectensi juste possederat, a manu domini mei Theodorici Trajectensis episcopi recepissem, eique sicut ligius homo ligiam fidelitatem servare jurassem, ne aliqua unquam occasio discordiæ de cætero inter episcopatum Trajectensem, et comitatum Hollandiæ possit coalescere, ad perpetuam pacem nostram talis inter nos est compositio laudabiliter ordinata : Omnes ministeriales vel servos, qui ad episcopatum pertinebant, in terra comitis Hollandiæ manentes, exceptis militibus et eorum liberis, dedit mihi et meis successoribus dominus meus Trajectensis episcopus; ego similiter omnes ministeriales vel servos, qui ad comitatum Hollandiæ pertinere dicebantur, in terra episcopi manentes, exceptis militibus et eorum liberis, dedi ecclesiæ Trajectensi prædictæ, ea conditione adjecta, ut si qui eorum de terra episcopi ad comitatum Hollandiæ transierunt, vel e converso de comitatu ad terram episcopi, ejus maneant, in cujus dominio mansionem elegerint. Ego etiam et homines mei juramento promisimus, quod de cætero nulla unquam occasione, Renus apud Suadenburgh, vel alibi obstruetur. Item promisi et juravi, quod nunquam prohibebo mercatores quoscumque deferre salem, vel quaslibet alias merces ad terram episcopi; similiter nec episcopus prohibebit aliquos mercatores ire ad terram meam. De comitatu Frisiæ in Oostergo et Westergo et Staveren hoc est adjectum, quod compositio, quondam ordinata inter episcopum Godefridum et patrem meum comitem Florentium, etiam inter nos inviolabiliter observabitur, quæ talis est : episcopus et comes communi consensu mittent comitem unum in Frisiam ad servanda placita sæcularia, et quidquid de redditibus, ad comitatum pertinentibus, vel de proventibus placitorum sæcularium, deductis expensis, excrevit, æqualiter dividetur inter episcopum et comitem, sed quando contigerit comitem illum non intrare Frisiam, nuncii episcopi et comitis Hollandiæ simul ibunt in communi expensa colligere redditus, ad comitatum pertinentes. Monetarii, thelonarii, sculteti, villici, et omnes beneficiati in comitatu illo manentes, feuda vel officia sua primum recipient de manu episcopi, et postea de manu comitis Hollandiæ, et utrique jurabunt fidelitatem. Item de jurisdictione in Hesewijck, juxta Montfort sita, hoc est conditum, quod nuncius episcopi in ea servabit placita sæcularia, et quartam tantum partem eorum, quæ inde provenerint, habebit comes Hollandiæ, reliqua

dam comitem Hollandiæ super quibusdam hominibus amicabiliter intervenit, sicut sine pravitate provide facta est et ab utraque parte... accepta et hactenus pacifice observata, auctoritate Apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Signiæ, II nonas julii, pontificatus nostri anno septimo.

CLVI

Ad decanum et capitulum Anicienses.

7 julii 1223.

[Gallia Christiana, II, 711.]

Eis notificat se Stephano Aniciensi electo ordines diaconatus et presbyteratus propriis manibus impendisse eumque in episcopum consecrasse, pallio ipsi collato.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis decano et capitulo Aniciensi, salutem et Apostolicam benedictionem.

Venerabilem fratrem nostrum Stephanum episcopum vestrum tunc electum, una cum dilecto filio Raimundo canonico vestro, nobis vestras litteras exhibentem, ad nostram ecclesiam venientem, eo benigniore affectione recipimus, quo vos et ecclesiam vestram sinceriori caritate diligimus, tanquam ad Apostolicam Sedem specialiter pertinentes; ipsumque diaconum et presbyterum propriis manibus ordinantes, in episcopum curavimus consecrari, ei pallium conferendo. Eumdem igitur ad vos cum nostræ gratiæ plenitudine remittentes, mandamus ut sicut patri et pastori vestro obediatis humiliter ac devote. Nonas julii, pontificatus nostri, anno septimo.

CLVII

Ad Primogenitum, subdiaconum.

10 julii 1223.

[Fejer, Cod. diplom., III, 416.]

Primogenito, Zagrabiensi præposito, exusta ecclesia hac cathedrali, oblatum a Jauriensi episcopo canonicatum acceptandi facultatem largitur.

Honorius, servus servorum Dei, dilecto filio Primogenito, subdiacono nostro, salutem et Apostolicam benedictionem.

Sicut in nostra proposuisti præsentia constitutus, præpositura quam in Zagrabiensi ecclesia te canonice proponis adeptum, fuit incendio devastata, et redditus tui sunt exiles: venerabilis quoque frater noster episcopus quondam Georiensis, esse te posse considerans ecclesiæ Georiensi fructuosum, ipsius ecclesiæ canonicatum cum quibusdam decimis tibi concessit, sicut in ejus dixisti litteris contineri. Quia vero de concessione ipsius episcopi dubitabas ex eo, quod Georiensem episcopatum dignoscitur resignasse, nos de gratia, qua prævenerris a nobis, tuis supplicationibus inclinati, concessionem hujusmodi per nostram etiam rati habitionem robur firmitatis habere volentes, quod super hoc ab eodem episcopo factum est, auctoritate Apostolica confirmamus. Datum Signiæ, VI idus julii, pontificatus nostri anno septimo.

omnia libere cedent episcopo. Præterea de distinctione terminorum inter terram episcopi et Hollandiensis sic inter nos convenit, quod si de aliqua terra vel decima episcopus quæstionem fecerit mihi vel hominibus meis, liberam eam dimittam episcopo, vel jurabo eam de jure ad me pertinere. Similiter si ego quæstionem moverem episcopo vel hominibus suis de aliqua terra vel decima, episcopus mihi eam liberam dimittet, vel unus priorum suorum aut ministerialium ecclesiæ tertia manu jurabit, terram illam vel decimam ad ecclesiam de jure pertinere, et sic libera erit ecclesiæ. Insuper compromissum est, quod si aliquis hominum episcopi offensam ejus forte incurreret, nullum habebit ad me refugium, nisi ad hoc tantum, ut per me gratiam inveniat, vel in curia episcopi judicio comparium suorum sistat, et e converso.

Acta sunt hæc ab Incarnatione Domini, anno millesimo ducentesimo quarto, pontificatus domini Theodorici episcopi anno septimo apud Trajectum coram altari beati Martini, super quo obtuli homines meos, quos pro suis commutavi, in quo etiam juravi, et homines mei, Wolterus de Eve, Albertus Baniart, Jacobus Burgravius de Leyden, Gyselbertus de Lecke, Albertus Rusus, et alii quamplures; testibus his, Henrico duce Lotharingiæ, Ottone comite Gelriæ, Gerardo comite de Are, Henrico de Evere, Gerardo Xanctensi, Waltero Sancti Petri, Bernardo Tielensi, Bertholdo Aldersalensi, Remboldo Sanctæ Mariæ præpositis, Elya Sancti Petri, Gysberto Sancti Johannis, Henrico Sanctæ Mariæ decanis, et universis tam ministerialibus, quam civibus Trajectensibus, et aliis quampluribus, compositionem hanc, sicut præscripta est, inviolabiliter observare.

CLVIII

Ad abbatem monasterii Montis Majoris ejusque fratres.

11 julii 1223.

[Regest., lib. VII, epist. 37. Mss. La Porte du Theil.]

Eos sub beati Petri et sua protectione suscipit, et bona, quorum plurima recenset, confirmat.

Honorius, etc., dilectis filiis... abbati monasterii Montis Majoris, ejusque fratribus tam præsentibus, quam futuris regularem vitam professis in perpetuum, salutem, etc.

Quum universis Ecclesiæ catholicæ filiis debitores ex injuncto nobis a Deo Apostolatus officio existamus, illis tamen locis atque personis propensiori nos convenit caritatis studio imminere, quæ ad Sedem Apostolicam noscuntur specialius pertinere. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, et prædecessorum nostrorum felicis memoriæ Urbani, Pascalis, Gelasii, Calixti, Eugenii, Lucii et Innocentii Romanorum pontificum vestigiis inhærentes præfatum monasterium, in quo divino mancipati estis obsequio, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et præsentis scripti privilegio communimus, statuentes ut quascumque possessiones, quæcumque bona idem monasterium in præsentiarum juste et canonice possidet aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, Deo propitio, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus, et illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocaculis. In comitatu Arelaten. : monasterium ipsum Sancti Petri Montis Majoris cum pertinentiis suis, Castelletum cum omni territorio suo; ecclesiam Sancti Isidori infra muros civitatis Arelaten. sitam cum parochia et cœmeterio; ecclesiam Sanctæ Mariæ de Mari cum omnibus pertinentiis suis; castrum de Miramars, et ecclesiam ejusdem castri cum omnibus pertinentiis suis; ecclesiam et villam Sancti Genesii cum pertinentiis suis; ecclesiam Sancti Martini, parochialem de Lauria cum omnibus pertinentiis suis; ecclesiam Sancti Romani cum omnibus pertinentiis suis; ecclesiam Sancti Jacobi de Moriers cum omnibus pertinentiis suis; ecclesiam de Pellicana cum pertinentiis suis; ecclesiam Sancti Sereni cum pertinentiis, et ecclesiam Sancti Petri de Mallan., cum omnibus pertinentiis suis. In episcopatu Avinionen., omnia jura et possessiones, quas in castro Tarasconis et Bellicadri habetis; omnia jura, quæ in villa et territorio de Laurade habetis ; ecclesiam Sanctæ Mariæ de villa Sancti Remigii cum medietate ejusdem villæ et cum omnibus pertinentiis ; ecclesiam Sancti Genesii de Romarino ; omnia jura, quæ habetis in villa de Cabannis et ejusdem territorio ; ecclesiam Sancti Sepulchri de Virgueriis, cum pertinentiis suis, et cætera quæ in eadem villa habetis ; omnia jura et possessiones, quas habetis in villa Sancti Andeoli, et ejusdem territorio; omnia jura et possessiones, quas habetis in villa de Moleges et ejusdem territorio; ecclesiam Sancti Verami, quæ est in territorio Airagei cum omnibus pertinentiis suis; omnia jura et possessiones, quas habetis in villa et territorio de Lagoses; castrum de Gavison cum omnibus pertinentiis suis.

In episcopatu Cavillicen., ecclesiam Sancti Petri Menamenas cum omnibus pertinentiis suis; ecclesiam Sancti Johannis de Clen; omnia jura et possessiones, quas in villa et territorio de Anellonegues habetis. In episcopatu Compentoralen., ecclesiam Sancti Petri de Paternis; ecclesiam Sancti Mauricii de Venebsca cum pertinentiis suis; ecclesiam Sancti Laurentii de Mormoron cum pertinentiis suis; ecclesiam Sanctæ Fidei cum pertinentiis suis; monasterium Sancti Antonii et medietatem castri de Bedoni cum omnibus pertinentiis suis; monasterium Sancti Jacobi de Vallesaltus cum pertinentiis suis; ecclesiam Sancti Michaelis de Anesque cum pertinentiis suis; ecclesias Sancti Martini et Sanctæ Mariæ de Montiliis cum omnibus pertinentiis suis. In episcopatu Vassionen., ecclesiam Sanctæ Mariæ de Forques cum omnibus pertinentiis ; ecclesiam Sancti Andreæ de Romerum cum pertinentiis suis; ecclesiam de Dalona et villam cum pertinentiis suis; ecclesiam Sancti Andeoli de Cagram cum pertinentiis suis, et ecclesiam Sancti Petri de Revello cum pertinentiis suis. In episcopatu Aurasicen., ecclesiam S. Marcelli de Sanian cum pertinentiis suis; ecclesiam S. Petri de Vellaicha cum pertinentiis suis; omnia jura et possessiones, quas in civitate Aurasicensi habetis. In comitatu

Aquen. ecclesiam Sancti Petri de Aleno cum omnibus pertinentiis suis; ecclesiam Sancti Michaelis de Malamort, cum pertinentiis suis; ecclesiam Sanctæ Mariæ de Roquarossa; ecclesiam Sanctæ Mariæ de Plano cum omnibus pertinentiis suis; ecclesiam Sancti Stephani de Ronnas; ecclesiam Sancti Johannis de Salleras; ecclesiam Sancti Petri de Mari; ecclesiam Sanctæ Mariæ de Collican, cum omnibus pertinentiis suis; monasterium Sancti Honorati de Rocchafrondosa cum pertinentiis suis; ecclesiam Sancti Juliani de Arguitt. cum pertinentiis suis; ecclesiam de Vellans, ecclesiam de Cabrer, et ecclesiam Sancti Petri de Pino cum omnibus pertinentiis suis. Quidquid juris habetis in ecclesia de Pleras, et quartam partem ejusdem castri; ecclesiam Sanctæ Mariæ de Sols, ecclesiam de Bolcadenas, ecclesiam de Balles, et ecclesiam Sanctæ Mariæ de Fons cum omnibus pertinentiis suis; ecclesiam Sancti Juliani, quæ est in territorio de Joquas cum pertinentiis suis; castrum de Pertusio cum omni villa adjacente et cum omni territorrio culto, et inculto; omnes ecclesias in eodem castro cum pertinentiis suis, et cum omni dominio totius castri in omnibus intus, et extra, et portum Duventiæ; ecclesiam Sanctæ Mariæ de Alnen, et ecclesiam Sancti Laurentii de Bobians cum omnibus pertinentiis suis; monasterium Sanctæ Mariæ de Caroloco cum omnibus pertinentiis suis; ecclesias de Castro Rellan, Sancti Petri, Sanctæ Mariæ et Sancti Dionysii cum omnibus pertinentiis suis.

In episcopatu Aren., ecclesiam Sancti Petri de Vallibus cum pertinentiis suis; ecclesiam S. Crucis de Aurebett., ecclesiam S. Stephani de Crauque, quæ est sita in territorio castri Sancti Saturnii cum pertinentiis suis. In episcopatu Forojulien., monasterium de Correx cum omnibus pertinentiis suis. In castro Villepiscis, ecclesiam S. Michaelis cum parochia sua. In castro Rochabrun., parochiam. In castro Flachon., ecclesias cum parochiis suis. Quidquid juris habetis in ecclesia Sanctæ Mariæ de Aurere; ecclesias de Busa cum omnibus pertinentiis suis. In episcopatu Regen., monasterium S. Petri de Stublon cum omnibus pertinentiis suis; ecclesiam Sancti Vincentii de Messello; ecclesiam Sancti Petri de Priolers; ecclesiam Sancti Pontii de castro novo cum pertinentiis suis; ecclesiam Sancti Martini de Bruneto cum pertinentiis suis; ecclesiam Sancti Petri de Juleta cum pertinentiis suis; ecclesiam S. Honorati de Pallacols, et ecclesiam S. Mariæ de Villanova cum omnibus pertinentiis suis. In episcopatu Senescen., castrum quod dicitur Noranta cum omnibus pertinentiis suis. In episcopatu Sistericen., ecclesiam S. Petri de Sanmanna cum pertinentiis suis et ecclesiam S. Salvatoris Valbames cum pertinentiis suis. In episcopatu de Vapincen., ecclesiam S. Mariæ de Antoneves cum omnibus pertinentiis suis, et ecclesiam Sancti Laugerii de Jobia cum pertinentiis suis. In diœcesi Viennen., ecclesiam S. Antonii de Mata cum parochia sua, et cum omnibus aliis pertinentiis suis et domum eleemosynariam, quæ in ejus parochia sita est, et proprietate cum omnibus pertinentiis suis; ecclesiam S. Mariæ de Montanea, ecclesiam S. Marcellini; ecclesiam S. Johannis de Fornuntal, ecclesiam S. Martini de Visnai, ecclesiam S. Petri de Monteluser, ecclesiam S. Mariæ de Quincen, ecclesiam S. Desiderarii de castro, ecclesiam S. Cypriani, ecclesiam S. M. Magdalenæ de Bacu, cum omnibus pertinentiis suis, ecclesiam S. Petri de Lauzann., ecclesiam de Capreriis cum omnibus pertinentiis suis; ecclesias S. Evadii, S. Boniti, S. Hilarii, S. Salvatoris, et S. Mariæ de Lechis cum omnibus pertinentiis suis. In episcopatu Grationopol., ecclesiam Sancti Justi, ecclesiam castri de Rovo et dominium ejusdem castri cum omnibus pertinentiis suis; ecclesiam S. Romani de Graneneo cum omnibus pertinentiis suis; monasterium Sancti Stephani de Nacon cum pertinentiis suis; ecclesiam S. Johannis de Exasto; ecclesiam de Renturett., ecclesiam de Conniis; ecclesiam S. Justi et ecclesiam S. Mariæ de Albaripa cum omnibus pertinentiis suis.

In episcopatu Dien., monasterium Sancti Johannis de Rains; ecclesiam Sancti Martini de Coroneti cum pertinentiis suis, et quidquid juris habetis in ecclesia S. Mariæ de Auriolo. In episcopatu Valentii, ecclesias S. Petri de Mata, S. Thomæ et S. Mariæ de Jallens cum pertinentiis suis, ecclesiam S. Mariæ de Maunassis, ecclesiam de Cerma, et ecclesiam de Podio Rigando cum omnibus pertinentiis suis. In comitatu Vi-

ginti Milien. Juxta Mare, abbatiam B. Appellin. cum omnibus pertinentiis suis. Sane novalium vestrorum, quæ propriis manibus, aut sumptibus colitis, sive de nutrimentis animalium vestrorum, nullus a vobis omnino decimas exigere, vel extorquere præsumat. Præsenti nihilominus decreto prohibemus, ut nullus infra parochias vestras absque diœcesani episcopi et vestro assensu ecclesiam de novo ædificare præsumat; salvis tamen privilegiis pontificum Romanorum. In parochialibus autem ecclesiis, quas habetis, liceat vobis sacerdotes eligere et episcopo præsentare, quibus, si idonei fuerint, tantum ad repræsentationem vestram animarum curam committat, ut de plebis quidem cura episcopo, vobis autem de temporalibus debeat respondere. Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse decernimus, ut eorum qui se illic sepelire deliberaverint, devotioni et extremæ voluntati, nisi forte excommunicati vel interdicti sint, nullus obsistat, salva tamen illarum ecclesiarum canonica justitia, a quibus mortuorum corpora assumuntur. Obeunte vero te nunc ejusdem loci abbate, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet subreptionis astutia seu violentia præponatur, nisi quem fratres communi assensu, vel pars consilii sanioris secundum Deum et B. Benedicti regulam providerent eligendum. Nulli etiam episcopo facultas sit sine Romani pontificis, aut legati ejus mandato, idem monasterium excommunicationi vel interdicto subjicere. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatum monasterium temere perturbare, etc., *usque* profutura, salva Sedis Apostolicæ auctoritate, et diœcesanorum episcoporum canonica justitia in supradictis capellis. Ad indicium autem hujus a Sede Apostolica perceptæ libertatis, quatuor solidos Mergurien. monetæ veteris nobis, nostrisque successoribus annis singulis persolvetis. Si qua igitur in futurum, etc. Cunctis autem, etc., *usque* amen. Datum Signiæ, per manum magistri Guidonis capellani domini Papæ, V idus julii, indictione XI, Incarnationis Dominicæ anno 1224, pontificatus vero domini Honorii Papæ III anno septimo.

CLIX

Ad S. Ægidii, S. Jacobi et S. Petri de Posega, abbates Vesprimiensis et Quinqueecclesiensis diœcesum.

11 julii 1223.

[Fejer, Cod. diplom., I, p. 416.]

Episcopum Zagrabiensem a præposito et capitulo loci incusatum, præfixo termino ad faciem Sedis Apostolicæ evocat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis... S. Ægidii,... S. Jacobi, et... S. Petri (de Posega) abbatibus Vesprimiensis et Quinqueeclesiensis diœcesum, salutem et Apostolicam benedictionem.

Insinuantibus olim nobis dilectis filiis magistro Primogenito, subdiacono nostro, præposito, et capitulo de Ceresmen. quod venerabilis frater noster Zagrabiensis episcopus, loci diœcesanus, ecclesiam ipsam incendio devastarat, homicidium perpetraverat, et pro injectione manuum in quosdam ipsius ecclesiæ canonicos violenta, vinculo excommunicationis adstrictus, divina temere celebraverat, absolutionis beneficio non obtento, multisque aliis criminibus irretitus. Nos ad clamosam insinuationem ipsorum vobis super præmissis inquisitionem sub certa forma duximus committendam. Sed sicut nuper dictus præpositus exposuit coram nobis, licet vos diligenter in commisso vobis inquisitionis negotio procedentes, quæ invenistis, nobis juxta mandati nostri tenorem sub vestris sigillis remiseritis fideliter interclusa, præfigentes partibus terminum competentem, quo nostro se conspectui præsentarent; eodem præposito cum quibusdam suis concanonicis in præfixo eis termino propter hoc ad Sedem Apostolicam accedente, memoratus tamen episcopus, utpote sibi conscius, nec venit, nec misit aliquem responsalem. Ne igitur idem episcopus de sua contumacia videatur commodum reportare, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus ipsum in festo Nativitatis Dominicæ proximo futuræ, quod ei et parti alteri pro peremptorio assignamus, per se vel responsalem idoneum nostro se propter hoc conspectui repræsentent, auctoritate nostra, cessante appellatione, cogatis. Quod si non omnes, etc., *ut in aliis*, etc. Datum Signiæ, V idus julii, pontificatus nostri anno septimo.

CLX

Ad abbatem et conventum monasterii S. Victoris Massiliensis.

11 julii 1223.

[Belsunce, Antiquité de l'église de Marseille, t. II, p. 80.]

A suspensionis sententia ab Ebredunensi archiepiscopo prolata eos absolvit.

Honorius episcopus, etc., dilectis filiis abbati et conventui monasterii S. Victoris Massiliensis, salutem, etc.

Auditis quæ fuere proposita coram nobis, super processu visitationis quam auctoritate nostra in monasterio vestro, venerabilis frater archiepiscopus Ebredunensis impendit; consideratis, etc., utentes providentia potius quam rigore, relaxamus suspensionis sententiam in te, fili abbas, ab eodem archiepiscopo promulgatam, etc., sic et tu cum consilio fratrum in monasterio residentium, qui secundum regulam B. Benedicti fuerint evocandi tres eligas, etc. Volumus ut tu abbas secundum regulam punias delinquentes, etc. Sane concessionem archiepiscopi factam de prioratu de Tritis conventui Sanctimonialium domus Sancti Zachariæ sic volumus observari, quod ejusdem domus, debitis persolutis, dictus prioratus ad monasterium Sancti Victoris, prout erat antea, revertatur. Adjecto nihilominus, quod ad revocationem de Sexfurnis, de Nant, de Pennis et de S. Saturnino, de Castro Regali, etc., et domus de Sala, etc., dabit opem et operam. Datum Signiæ, V idus julii, pontificatus nostri anno septimo.

CLXI

Ad consules Terracinenses.

12 julii 1223.

[Contator, Histor. Terracin., 182.]

Eos monet et hortatur ut comitem Alemannum, cum familia et omnibus bonis suis habeant commendatum.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis consulibus Terracin., salutem et Apostolicam benedictionem.

Ex litteris vestris accepimus, quod nobilis vir comes Alemannus cum navibus, et aliis vasis suis nuper applicuit Terracinam; qui cum ibi proponat aliquandiu commorari apud vos, desiderat sub nostra securitate et protectione manere. Licet autem libenter abstineamus ab omnibus, per quæ imperator reputare se posset offendi a nobis, quia tamen ab anno præterito, quo ad partes istas idem comes accessit per eum, et alios intelleximus, quod ab eodem imperatore litteras securitatis habebat, devotionem vestram monemus, et hortamur attente per Apostolica vobis scripta mandantes, quatenus eum tanquam vestræ protectioni, et securitati suppositum cum familia, et omnibus aliis bonis suis habeatis propensius commendatum, et insuper honorare curetis; cum et ipse sit talis, de quo vobis, et civitati vestræ potest utilitas provenire.

Datum Signiæ, IV idus julii, pontificatus nostri anno septimo.

CLXII

Ad episcopum et præpositum Forojulienses.

13 julii 1223.

[Belsunce, Antiquité de l'église de Marseille, II, p. 74.]

Ut potestas et commune Massilienses sextam partem curiæ abbati S. Victoris restituant.

Honorius, etc., venerabili fratri episcopo, et dilecto filio præposito Forojuliensi, salutem, etc.

Dilectus filius abbas Sancti Victoris Massiliensis exposuit coram nobis, quod potestas et commune Massiliense sextam partem curiæ et jurisdictionis civitatis Massiliensis ad suum monasterium de jure spectantem detinet, etc. Quocirca discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus, etc. Datum Signiæ, III idus julii, pontificatus nostri anno septimo.

CLXIII

Ad archiepiscopos, episcopos et alios prælatos ecclesiarum.

14 julii 1223.

[Bull. Rom., ed. Taur. III, 389, n. 65.]

Mandata dat contra illos qui falsas reliquias et litteras nomine S. Antonii præferentes eleemosynas ad opus pauperum aut verius ad luxum proprium a fidelibus extorquent.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiscopis,

episcopis et dilectis filiis aliis ecclesiarum prælatis ad quos litteræ istæ pervenerint, salutem et Apostolicam benedictionem.

Grave gerimus et indignum quod, sicut nobis relatum est, multoties a multissimo, sicut jam pene universalis Ecclesia non ignorat, prætextu simulatæ religionis, quin potius damnandæ cupiditatis obtentu, quidam nomine sancti Antonii quasdam regiones percurrunt, qui mendicantes ad opus pauperum eleemosynas, seu verius ad luxum proprium extorquentes, prævaricando graviter quod oblata suscipiunt, sed gravius offendendo per causas, quibus simplices ad offerendum inducunt, dum falsa confingendo miracula, et ignota ossa pro sanctis reliquiis ostendendo, cum falsis litteris non solummodo magnatum et regum, verum etiam Apostolicis, et aliorum ecclesiæ prælatorum, sese in stratis publicis objiciunt peregrinis, et locum in quo sanctum Antonium asserunt requiescere inaccessibilem pro latronum insidiis esse dicentes, præripiunt oblationes eorum, quos deceptoria suffragiorum, et orationum promissione solantur. Sæpe vero mensam linteo coopertam exponunt, et impositis super ea luridis manibus seu pedibus crematorum ad offerendum in ea, tamquam in re aliqua venerabili, devotionem credulorum alliciunt, misericordias Dei multas ex hoc ipso testantes, quod consumpti non sunt, et patientiam ejus magnam esse probantes, quod de crematis hujusmodi divinæ illudendo virtuti, ipsi ultionis ejus divino judicio non cremantur, ut de aliis abominationibus taceatur, quas circa præscriptam materiam committere referuntur. Quia igitur abusionis tantæ flagitium et tantorum flagitiorum abusum nec volumus, nec debemus ulterius sustinere; universitati vestræ per Apostolica scripta mandamus et districte præcipimus, quatenus per parochias vestras denuntiare solemniter procuretis, ne quæstoribus hujuscemodi qui proponunt talia, vel ostendunt, nec impertiantur auditum, nec beneficium largiantur, quin potius eos sicut fures et deceptores sacrilegos et blasphemos confundant et humilient universi. Proviso prudenter, ne, dum viri sic pestiferi repelluntur, veris quæstoribus pietatis viscera præcludantur. Quia sic volumus eis auditum, vel beneficium denegari, ne viris misericordiæ fidelium eleemosynas ad opus pauperum beati Antonii cum humilitate ac veritate petentibus, pius favor et caritativa propter hoc subsidia subtrahantur. Ea vero, quæ nomine B. Antonii noveritis esse collata, consignari ejus ecclesiæ, prout convenit, faciatis, contradictores per censuram ecclesiasticam, sublato appellationis obstaculo, compescentes. Datum Signiæ, II idus julii, pontificatus nostri anno septimo.

CLXIV

Ad priorem et ecclesiam Pisanorum.

15 julii 1223.

[Ughelli, Italia Sacra, III, 419.]

Eos cum omnibus bonis sub beati Petri et sua protectione suscipit.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis priori ecclesiæ Pisanorum, salutem et Apostolicam benedictionem.

Sacrosancta Romana Ecclesia devotos, et humiles filios ex assuetæ pietatis officio propensius diligere consuevit, et ne pravorum hominum molestiis agitentur, eos tamquam pia mater suæ protectionis munimine confovere. Eapropter, dilecte in Domino fili, tuis justis postulationibus grato concurrentes assensu, ecclesiam cum omnibus bonis, quæ in præsentiarum rationabiliter possidet, ac in futurum justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, sub beati Petri, et nostra protectione suscipimus, specialiter autem redditus, et possessiones eidem ecclesiæ a dilecto filio nostro J. tituli Sanctæ Praxedis presbytero cardinali, tunc Apostolicæ Sedis legato, pia et provida liberalitate collatas, prout in ipsius litteris dicitur plenius contineri, sicut ea omnia juste, canonice ac pacifice possides, tibi, et per te ipsi ecclesiæ auctoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ protectionis, et confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Signiæ, idibus julii, pontificatus nostri anno septimo.

CLXV

Ad abbates, fratresque ordinis Cisterciensis.

15 julii 1223.

[Fonds Moreau, Mss. latins, t. 132, p. 111. Biblioth. Nationale.]

Mandat ut, non obstante capellanorum contradictione, postulantes libere recipiant.

Honorius, etc., dilectis filiis..... abbati Cisterciensi et universis coabbatibus, et abbatissis, ejusque fratribus et sororibus sub eodem ordine Deo servientibus, salutem et Apostolicam benedictionem.

Constituti juxta verbum Prophetæ, licet insufficientibus meritis, super gentes et regna officii nostri debitum decenter exsequimur, quum evellimus evellenda et plantanda plantamus, recta gerimus et dirigimus indirecta. Significastis siquidem nobis, quod in quibusdam partibus consuetudo detestabilis inolevit, videlicet, quod cum aliqui æmulantes charismata meliora, monasteria vestri ordinis volunt causa religionis intrare, ut ibi Domino famulentur, capellani eorum donec ab ipsis pecuniam quæ mortuarium nuncupatur extorqueant, prout a parochianis suis decedentibus consueverunt accipere, illis temere se opponunt : quare super hoc nostræ providentiæ remedium flagitastis. Volentes igitur abusum corruptelæ hujusmodi aboleri, auctoritate vobis præsentium indulgemus, ut, capellanorum contradictione hujusmodi non obstante, liberas personas ad vos a sæculo fugientes libere recipere valeatis. Nulli ergo omnino, etc. Si quis autem, etc. Datum Signiæ, idibus julii, pontificatus nostri anno septimo.

CLXVI

Ad Petrum Leonis de Corneto.

19 julii 1223.

[Theiner, Codex dipl. dom. temp., I, 75, n. 126.]

Petro Leonis Cornetano pontifex confirmat sententiam, quam cardinalis SS. Sergii et Bachi pro eo tulerat in lite, quam idem cum commune Cornetano habuerat.

Honorius episcopus, etc., dilecto filio Petro Leonis de Corneto, salutem, etc.

Quum causam, quæ inter te ex parte una, et Benedictum syndicum communitatis Cornetanæ nomine ipsius communitatis ex altera, vertebatur, dilecto filio nostro O., Sanctorum Sergii et Bachi diacono cardinali, duxerimus committendam, tu, syndico ipso præsente, in ejusdem cardinalis proposuisti præsentia, quod potestas, rectores, syndicus et populus Cornetani pro eo quod P. et Ph. laicos de Corneto supra quadam vinea, horto et territorio auctoritate nostra conveneras, priusquam super his fuisset in eorum curia quæstio agitata, domum tuam auctoritate propria destruxerunt, in hoc et aliis damna tibi usque ad centum librarum Pisanorum valentiam irrogando, exceptis expensis occasione hujusmodi a te factis, quas summam mille solidorum monetæ ipsius excedere asserebas, de quibus omnibus tibi petebas justitiam exhiberi. Prædictus vero syndicus proposuit ex adverso, quod quum contineatur in statuto Corneti, ad cujus observantiam Cornetani præstito juramento teneantur, ut si quæ quæstio inter aliquos eorum suboritur, prius de ipsa cognosci debeat in curia Cornetana, qua tu curia ipsa omissa, prædictos P. et Ph. apud Sedem Apostolicam convenisti, contra prædictum statutum temere veniendo; consules Cornetani, qui tunc erant, domum tuam, sicut modo apparet, auctoritate ipsius statuti pro eo, quod contra ipsum veneras, licite diruerunt. Quare memoratus syndicus asserebat te non esse supra præmissis aliquatenus audiendum. Præfatus autem cardinalis his et aliis, quæ coram eo fuerunt proposita, plenius intellectis et nobis fideliter recitatis, de mandato nostro et fratrum nostrorum consilio supradictum syndicum nomine communitatis prædictæ, non obstante quod postquam fuit in causa conclusum, procuratore, quem ipse reliquerat, recesso, contumaciter propter destructionem domus, damna et expensas, supra damnis tamen et expensis taxatione ipsius cardinalis et tuo juramento præmissis, in centum libris Pisanorum tibi sententialiter condemnavit, juramento, quod de servando prædicto statuto prædictum esse dicitur, nullum præjudicium afferente, quum sit omnino contrarium juramento, quo jura Ecclesiæ Romanæ servare tenentur. Nos itaque, quod per eumdem cardinalem supra his provide actum est, ratum habentes, auctoritate Apostolica confirmamus et præ-

sentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Signiæ, XIV kalendas augusti, pontificatus nostri anno septimo.

CLXVII

Ad potestatem et commune Massilienses.

20 julii 1222.

[Belsunce, Antiquité de l'église de Marseille, t. II, p. 82.]

Ut per censuram ecclesiasticam quadringentas marcas Valentiæ monasterio S. Victoris reddere cogantur.

Honorius, etc., dilectis filiis potestati et communi Massiliensi, etc.

Dilectus filius abbas Sancti Victoris Massiliensis exposuit coram nobis quod, quum vos commune quondam de thesauris monasterii quadringentas marcas Valentiæ receperitis, quas venerabili fratri nostro, Portuensi episcopo, Apostolicæ Sedis legato, pro cautione, etc., nec curatis eas recolligere, etc. Universitatem vestram monemus attente, per Apostolica scripta mandantes, quatenus, etc. Alioquin venerabili fratri nostro episcopo et dilecto filio præposito Forojuliensi, nostris damus litteris in mandatis, ut vos ad id per censuram ecclesiasticam, sicut justum est, appellatione remota, compellant. Datum Signiæ, XIII kalendas augusti, pontificatus nostri anno septimo.

CLXVIII

Ad magistros Guidonem et Durandum archidiaconos et Ar. Esperum canonicum Lemovicensem.

1222-1223.

[Baluze, Hist. généal. de la maison d'Auvergne, II, 83.]

Ut causam inter C. comitissam Arverniæ et dominum Borbonium pendentem audiant et quod canonicum fuerit statuant.

Dilecta in Christo filia nobilis mulier C. comitissa Arverniæ vidua, transmissa nobis petitione, monstravit quod nobilis vir dominus Borbonii Bituricensis diœcesis super quibusdam castris, possessionibus, villis, et rebus aliis ad eam ratione dotis seu donationis propter nuptias secundum consuetudinem terræ spectantibus injuriatur eidem. Ideoque discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus quatenus, partibus convocatis, audiatis causam et appellatione remota fine canonico terminetis, facientes quod decreveritis per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Testes autem qui fuerint nominati, si se gratia, odio, vel timore subtraxerint...., simili appellatione remota cogatis veritati testimonium perhibere. Quod si non omnes, etc. Datum..., pontificatus nostri anno septimo.

CLXIX

Ad episcopum Convenarum.

20 julii 1223.

[Regest., lib. VII, epist. 121. Mss. La Porte du Theil.]

Ei gubernationem monasterii Sylvæ Majoris committit.

Honorius, etc., venerabili fratri... episcopo Convenarum, salutem et Apostolicam benedictionem.

Venerabilis frater noster.... episcopus Portuen., Apostolicæ Sedis legatus, suis nobis litteris intimavit, quod quum nuper monasterio Sylvæ Majoris abbatis regimine destituto... prior et conventus ejusdem monasterii non possent in personam idoneam concordare, tandem post tractatus multiplices unanimiter convenerunt, ut idem monasterium tuæ committeretur providentiæ gubernandum, consentiente gratanter in hoc venerabili fratre nostro... Burdigalen. archiepiscopo, loci diœcesano, sicut ex patentibus litteris ejus evidenter apparet, quibus super hoc nos suppliciter exoravit quia sperat, ut asserit, quod cum ibi per triginta annos, et amplius fueris laudabiliter conversatus, velis et valeas ipsum laudabiliter gubernare. Idem quoque legatus ad instantiam tam ipsius archiepiscopi, quam prioris et conventus, quantum in eo erat assentiens, nobis supplicavit instanter, ut necessitati dicti monasterii debito compatientes affectu, gubernationem ipsius monasterii tibi committere dignaremur. Nos itaque de fide, ac honestate tua in Domino

fiduciam obtinentes curam ipsius monasterii tibi duximus fiducialiter committendam, fraternitatem tuam monentes attente, ac per Apostolica scripta mandantes quatenus circa illud eam studeas diligentiam adhibere, quod propitiationem divinam exinde uberius merearis, et nos circumspectionem tuam dignis debeamus in Domino laudibus commendare. Datum Signiæ, XIII kalend. augusti, pontificatus nostri anno septimo.

CLXX

Ad Armannum abbatem monasterii Casæ Dei ejusque fratres.

23 julii 1223.

[Regest., lib. VIII, epist. 1. Mss. La Porte du Theil.]

Eos sub beati Petri et sua protectione suscipit, ac bona, quorum recenset plurima, confirmat.

Honorius, etc., dilectis filiis Armanno abbati monasterii Casæ Dei, ejusque fratribus tam præsentibus quam futuris, regulariter substituendis in perpetuum, salutem, etc.

Cum omnibus catholicæ Ecclesiæ filiis ex injuncto nobis a Deo apostolatus officio debitores existamus, illis tamen locis atque personis propensiori nos convenit caritatis studio imminere, quos in veræ religionis habitu omnipotenti Deo cognoscimus militare, et ad Sedem Apostolicam noscuntur specialius pertinere. Dignum namque et honestati conveniens esse cognoscitur, ut qui ad ecclesiarum regimen, disponente Domino, sumus assumpti eos, et a pravorum hominum nequitia tueamur, et beati Petri atque sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ patrocinio muniamus. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus et prædecessorum nostrorum felicis memoriæ Leonis noni, Alexandri, Urbani, Paschalis, Calixti, Eugenii, Alexandri et Lucii Romanorum pontificum vestigiis inhærentes, monasterium beati Roberti, in quo divino mancipati estis obsequio, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti privilegio communimus, statuentes, ut quascumque possessiones, quæcumque bona idem monasterium in præsentiarum juste, ac canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum, vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis præstante Domino poterit adispisci firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant.

In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Locum ipsum in quo præfatum monasterium situm est cum omnibus pertinentiis suis, abbatiam Sancti Sicarii Brantosmentis, abbatiam Sancti Michaelis Galliacen., abbatiam Fraxmoren., monasterium sancti Roberti Carnilionis, abbatiam Faverniacen., prioratum Sancti Baudili Nemausen., cum ecclesiis omnibus, decimis et pertinentiis suis; prioratum Sancti Quirici secus lacum cum omnibus ecclesiis, decimis et pertinentiis suis; prioratum Sancti Treverii cum omnibus ecclesiis, decimis et pertinentiis suis; prioratum vallis Traversæ cum omnibus ecclesiis, decimis et pertinentiis suis; prioratum de Monte Bruson cum omnibus ecclesiis, decimis et pertinentiis suis; prioratum de Calina cum omnibus ecclesiis, decimis et pertinentiis suis; ecclesias de Bellicadro cum omnibus decimis et pertinentiis suis; ecclesias de Persenacio cum omnibus decimis, et pertinentiis suis; prioratum Sancti Pauli cum omnibus ecclesiis, decimis, et pertinentiis suis; prioratum de Busseto cum omnibus ecclesiis, decimis et pertinentiis suis; prioratum Sancti Salvatoris cum omnibus ecclesiis, et pertinentiis suis; monasterium de Dimeria cum ecclesia Sancti Victoris, et cum omnibus decimis, et pertinentiis suis; ecclesiam Sancti Ustiani cum omnibus decimis, et pertinentiis suis; monasterium de Rochapaula cum parochia Sancti Agrippani, et aliis ecclesiis, decimis et pertinentiis suis; prioratum de Cantoloro cum omnibus ecclesiis, decimis et pertinentiis suis; ecclesiam Sanctæ Mariæ Novimontis Pilosi, cum ecclesia Sanctæ Mariæ veteris, et aliis ecclesiis, possessionibus, et aliis pertinentiis suis, sicut ea vobis bonæ memoriæ Rogerius illustris rex Siciliæ de piæ recordationis Innocentii papæ prædecessoris nostri assensu, in ordine prioratus habenda concessit; monasterium de Marmillac cum omnibus decimis, et pertinentiis suis; ecclesiam de Preisac, et ecclesiam de Lemde cum omnibus decimis et pertinentiis suis; monasterium sanctimonialium de Sancto Genesio cum omni-

bus decimis et pertinentiis suis; monasterium de Genesta cum omnibus decimis et pertinentiis suis; monasterium sanctimonialium de Cumps cum omnibus ecclesiis, decimis, et pertinentiis suis; monasterium sanctimonialium de Rocca in Monteferrato cum capellis, decimis, et pertinentiis suis; ecclesiam de Aseraco cum omnibus decimis et pertinentiis suis; ecclesiam de Cassegnola cum omnibus decimis, et pertinentiis suis; ecclesiam de Campagnac cum omnibus decimis et pertinentiis suis; monasterium de Nonede cum ecclesiis, decimis et pertinentiis suis; ecclesiam de Grazan cum capella de Broco, cum omnibus decimis et pertinentiis suis; capellam de Vertoison cum omnibus obventionibus suis; ecclesias montis Ferrandi cum ea integritate, quæ a bonæ memoriæ Aimerico quondam Claromonten. episcopo vobis concessæ sunt, et cum omnibus decimis, et pertinentiis suis; prioratum de portu Dei cum ecclesia de Petriniaco, et cum ecclesia de Veireres, et omnibus aliis ecclesiis decimis et pertinentiis suis; prioratum de Vedrinis cum ecclesia de Vergna, et aliis ecclesiis, decimis, et pertinentiis suis; prioratum de Galiniaco cum omnibus ecclesiis, decimis et pertinentiis suis; prioratum de Audria cum omnibus ecclesiis, decimis, et pertinentiis suis; prioratum Sanctæ Gemmæcum omnibus ecclesiis, decimis et pertinentiis suis; prioratus de Andocia, de Veranilla, et de Verano cum ecclesiis Sancti Verani, et pertinentiis eorum; prioratum de Boscosellis cum ecclesiis de Hidoschio, de Longacanal, de Bisonas, de Sancto Desiderio, de Sanctæ Mariæ de Strata, de Leschos et Sancto Hylario et Sancto Urso detracta cum parrochia de monte, sicut rivus dividit, cum capella de Bochetto cum decimis et pertinentiis eorum; alias quoque ecclesias vel abbatias, sive possessiones ex episcoporum vobis donatione concessas, quas quilibet ex laicorum dono prius tenuisse proponunt, vobis potius tamquam ex justiori acquisitione manere sancimus, nisi eas illos canonica, idest tricenaria, præscriptione possedisse, vel episcopali dono habuisse, aut idoneis testibus, aut scriptis fuerit rationabilibus comprobatum.

Præterea suscipientes vos in speciales Ecclesiæ Romanæ filios eo vos Apostolicæ Sedis patrocinio per decreti præsentis paginam communimus, et in sempiternum statuimus, ut de cætero nulli archiepiscopo, vel episcopo liceat super vestrum cœnobium, vel abbatem, aut ejusdem cœnobii fratres excommunicationis, interdicti, vel suspensionis manum extendere. Quod si factum fuerit, vos ea sententia non teneri decernimus, sed in beati Petri, et ejus vicariorum manum semper quieti ac liberi per omnipotentis Dei gratiam maneatis. Digne vero petentibus, qui pro suorum scelerum venia præfati monasterii limina expetierint, ipsum intrare, et illic Domino sua concedimus vota persolvere. Liceat quoque vobis quoslibet e sæculo fugientes liberos, et absolutos sine episcoporum contradictione ad monachorum [numerum] admittere.

Hoc quoque capitulo præsenti subjungimus, ut in communi interdicto liceat fratribus vestris, qui per vestras ecclesias commorantur, clausis januis, non pulsatis tintinnabulis, nisi in majori monasterio divina officia celebrare, ita tamen ut nec excommunicatos nec interdictos admittent. Statuimus insuper, ut nulli omnino hominum liceat, nisi his, qui a Sede Apostolica fuerint delegati, abbatem vestrum ad synodum vel conventum vocare, ne cuiquam fas sit in parochiis vestris novum oratorium absque vestro, et diœcesani episcopi assensu construere. Ad hæc adjicientes statuimus, ut in abbatiis, quæ Apostolica vobis auctoritate concessæ sunt, abbates semper per vestram sollicitudinem ordinentur, et eis decedentibus, vel in manus vestras resignantibus substituendi alios, sicut hactenus consuevistis, liberam licentiam habeatis, et tam abbates, quam monachi in obedientia vestra semper permaneant, nec a vestra ullo tempore subjectione recedant. Quod si erga obedientiam vestram rebelles extiterint, liceat discretioni vestræ disciplina eos regulari coercere nec episcoporum quisquam in parte hac adversetur. Si quas vero alienationes in damnum ecclesiarum, donationes etiam, sive ordinationes tam abbates quam priores vestri fecerint quamdiu rebelles et inobedientes vobis extiterint, nullam firmitatem, vel robur obtineant.

Chrisma vero, oleum sanctum, consecrationes altarium, seu basilicarum, ordinationes clericorum, seu monachorum, qui ad sacros ordines fuerint promovendi, a diœcesano suscipietis episcopo, si quidem catholicus fuerit, et gratiam Apostolicæ Sedis

habuerit, et ea gratis et absque pravitate aliqua vobis voluerit exhibere. Alioquin liceat vobis quemcumque malueritis adire antistitem, qui nostra fultus auctoritate quod postulatur indulgeat. Sepulturam quoque ipsius loci, etc., *usque* nullus obsistat, salva tamen justitia matricis Ecclesiæ. Præterea liceat vobis in ecclesiis vestris sacerdotes eligere, et electos diœcesano episcopo præsentare, quibus, si idonei fuerint, episcopus curam animarum committat et eis de spiritualibus, vobis autem de temporalibus debeant respondere. Nulli præterea fratrum liceat contra ipsum abbatem, vel contra priores ob ea rationabiliter constitutos insurgere, et mandatis ac disciplinis illius, quæ ad animarum salutem pertinent, contraire. Justis quoque ordinationibus et administrationibus ipsius in aliquo detractare, vel ipsi inobediens et rebellis existere nullus eorum præsumat. Obeunte vero te nunc ejusdem loci abbate, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet subreptionis astutia, seu violentia præponatur, nisi quem fratres communi consensu, vel fratrum pars consilii sanioris, secundum Deum et beati Benedicti regulam, de vestro collegio duxerint eligendum. Ad indicium autem, quod idem monasterium specialiter beati Petri juris exstat, bisantium unum nobis nostrisque successoribus annis singulis persolvetis. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatum monasterium temere perturbare, etc., *usque* profutura, salva Sedis Apostolicæ auctoritate, et in prædictis capellis diœcesanorum episcoporum canonica justitia. Si qua igitur in futurum, etc. Cunctis autem, etc., *usque* inveniat. Amen. Datum Signiæ, per manum magistri Guidonis domini papæ capellani, VII kal. augusti, indictione XI, Incarnationis Dominicæ anno 1223, pontificatus vero domini Honorii papæ III anno septimo.

CLXXI

Ad decanum, cantorem et P. canonicum S. Audomari diœcesis Morinensis.

24 julii 1223.

[Miræus, Opera dipl. et hist., II, 989.]

Mandat ut inquirant et de lite pronuntient, si quid ab episcopo Tornacensi factum sit contra privilegia a Sede Apostolica ecclesiæ S. Donatiani Brugensis concessa.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis decano, cantori et P. canonico S. Audomari Morinensis diœcesis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Dilecti filii decanus et capitulum ecclesiæ Sancti Donatiani Brugensis transmissa nobis petitione monstrarunt, quod omnibus eis a Sede Apostolica sit indultum, ut si quando clerici jugiter servientes in ecclesia ipsa deliquerint, correctionem recipiant infra claustrum, nisi forsan usque adeo fuerint graves eorum excessus, quod merito debeant ad Sedem Apostolicam laborare. Nuper venerabilis frater noster Tornacensis episcopus loci diœcesanus duos eorum concanonicos delinquentes, qui juxta indulgentiarum ipsarum tenorem correctionem intra eorum claustrum suscipere sunt parati, citavit apud Tornacensem ecclesiam corrigendos, in derogationem indulgentiarum ipsarum et eorumdem decani et capituli præjudicium et gravamen; propter quod ipsi ad nostram audientiam appellarunt. Quare nobis ex parte dilectorum decani et capituli fuit humiliter supplicatum, ut, si quid forsan in eorum præjudicium post hujusmodi appellationem esset temere attentatum, in statum debitum revocari, et eumdem episcopum ab eorum super hoc gravamine desistere faceremus. Quocirca discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus quatenus, si est ita, revocato in statum debitum quidquid contra tenorem indulgentiarum ipsarum temere inveneritis attentatum, audiatis si quid fuerit quæstionis, et appellatione remota fine canonico decidatis, facientes quod decreveritis auctoritate nostra firmiter observari; alioquin negotium ad eumdem episcopum remittatis, appellantes in expensis legitimis condemnantes. Quod si non omnes his exsequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nihilominus exsequantur. Datum Signiæ, IX kal. augusti, pontificatus nostri anno octavo.

CLXXII

Ad Novariense capitulum.

25 julii 1223.

[Historiæ patr. monum. Chart. I, col. 1283.]

Novariensis capituli statuta sic temperat, ut canonici cota vel capa nigra et clausa utantur in matutinis et missis et sufficiat sexarius numerus sacerdotum archipresbytero.

Honorius episcopus, servus servorum Dei,

dilectis filiis Novariensi capitulo, salutem et Apostolicam benedictionem.

Inter statuta quæ venerabilis frater noster Mediolanensis archiepiscopus auctoritate nostra in ecclesia vestra fecit, hæc vidimus contineri ut videlicet ipsius canonici cota semper in matutinis utantur et missis, et ut septem sacerdotes, totidemque diaconi archipresbytero et archidiacono computatis ordinentur in ea, nec sacerdoti cum eis locum vacare contigerit, substituatur alius quam sacerdos vel talis qui cito in sacerdotem valeat promoveri, hoc ipso circa diaconos observando adjecto, ut nullus canonicorum infra portas canonice præsumat vinum vendere ad minutum, et quod ostia quæ respondent in curia obstruantur. Volentes igitur ut alia statuta quæ inspexerimus et approbamus inconcussam obtineant firmitatem, quæ prænotata sunt sic duximus temperanda, ut videlicet ipsi canonici cota vel capa nigra et clausa utantur in matutinis et missis et sufficiat denarius numerus sacerdotum archipresbytero computato, cæteris in hoc comprehensis capitulo inviolabiliter observandis. Quod si forsan aliquis eorum qui fuerint in inferioribus ordinibus constituti promotus fuerit ad ordines supradictos ita quod per hoc augeatur presbyterorum vel diaconorum numerus prætaxatus, ejus loco vacante, libere possit ei substitui alius in minoribus ordinibus constitutus; permittimus etiam ut ostia in suo statu remaneant, dummodo statutum de non vendendo vino inviolabiliter observetur. Ideoque universitati vestræ per Apostolica scripta firmiter præcipiendo mandamus, quatenus hæç inviolabiliter observetis. Datum Signiæ, VIII kalendas augusti, pontificatus nostri anno septimo.

LIBER OCTAVUS

I

Ad magistrum Accontium, capellanum A. S. legatum.

27 julii 1223.

[Fejer, Cod. diplom., I, 418.]

Accontium legatum suum Gunzello Spalatensi, in gratiam recepto, pallium tradere jubet.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio et magistro A., capellano nostro, Apostolicæ Sedis legato, salutem et Apostolicam benedictionem.

Per G., Spalatensem electum, olim tibi scripta nostra direximus, ut ei, quem restituta sibi gratia nostra, remisimus ad ecclesiam Spalatensem, pallium per V. dudum a nobis transmissum, juxta formam traderes, sub bulla nostra directam, juramentum fidelitatis ab ipso secundum formam, quam sub bulla nostra destinavimus, recepturus. Quum autem hactenus, sicut dicitur, in partibus agente remotis, nondum eidem sit electo pallium assignatum, devotioni tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus mandatum, quod tibi super hoc fecimus, absque moræ dispendio exsequaris. Datum Signiæ, VI kalendas augusti, pontificatus nostri anno octavo.

II

Ad archiepiscopum Spalatensem.

27 julii 1223.

[Fejer, Cod. diplom., I, p. 419.]

Gunzellum A. episcopum Spalatensem, ne abbati Stephano molestias facessat, admonet.

Honorius, etc.

Sicut per alias, ita per præsentes litteras tuæ fraternitati mandamus, quatenus abbatem monasterii S. Stephani de Spalato, ex eo, quod te apud Sedem Apostolicam constituto, per capitulum tuum confirmationem electionis obtinuit, et per suffraganeos ec-

clesiæ Spalatensis, ad petitionem ipsius capituli, munus benedictionis accepit, non molestes omnino; quia id in contemptum tuum factum non exstitit, quum circa te, qui apud nos moram aliquandiu traxeras, crederetur aliter esse actum. Per hoc autem, quin ex alia rationabili causa contra dictum abbatem super promotione ipsius agere valeas, non negamus. Datum Signiæ, VI kalendas augusti, pontificatus nostri anno octavo.

III

Ad abbatem Vallis S. Petri Cisterc. ord. Coloniens. diœcesis, decanum et præpositum Colonienses.

29 julii 1223.

[Schaten, Ann. Paderb., I, 998.]

Mandat ut, quod canonicum fuerit, de electione Henrici in episcopum, statuant.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati Vallis S. Petri Cisterciensis ordinis, Coloniensis diœcesis, decano et præposito Coloniensibus, salutem et Apostolicam benedictionem.

Ad audientiam nostram, dilectis filiis præposito et decano, ac quibusdam canonicis Paderburnensis ecclesiæ significantibus, noveritis pervenisse, quod abbas et decanus et canonici S. Petri Paderburn., Wernerus, B. et H. fratres ejus, milites de Bracle, et quidam alii Paderburnensis civitatis et diœcesis in eorum ecclesiam temere irruentes, ac molientes ipsius episcopatum Henrico ejusdem ecclesiæ canonico sua conferre potentia, ipsum de facto in episcopum eligere præsumpserunt. Quare petierunt humiliter, ut cum occasione hujusmodi gravia damna incurrerint, eos ad satisfaciendum de tantæ præsumptionis injuria, et damnis, quæ incurrerunt occasione prædicta, cogere dignaremur. Quia vero nobis non constitit de præmissis, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus vocatis, qui fuerint evocandi, et auditis hinc inde propositis, quod canonicum fuerit, appellatione postposita, statuatis, facientes quod decreveritis per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Testes autem, qui fuerint nominati, si se gratia, odio vel timore subtraxerint, per censuram eamdem, appellatione cessante, cogatis veritati testimonium perhibere. Quod si non omnes his exsequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nihilominus exsequantur. Datum Signiæ, III kalendas augusti, pontificatus nostri anno octavo.

IV

Ad Fredericum Romanorum imperatorem.

5 augusti 1223.

[Huillard-Bréholles, II, 394.]

Honorius papa Friderico Romanorum imperatori scribit se auctoritate præsentium dispensare ut copuletur cum Isabella filia regis Hierosolymitani, quæ ipsi in quarta consanguinitatis linea attinere dicitur.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Frederico, illustri Romanorum imperatori, salutem et Apostolicam benedictionem.

Quia cœlestia... Cum zelo fidei christianæ succensus, et inspirante Domino aspirans ardenter ad vindicandam injuriam Jesu Christi et terram ejus de perfidorum manibus vindicandam, accepta cruce, illuc devoveris transfretare, ac ut exhiberes circa Christi causam ferventioris devotionis affectum et ad persecutionem ejus te arctius obligans alios ad id efficacius exhorteris, fastigium excellentiæ imperialis decenter humilians ad consilium nostrum et fratrum nostrorum nobilem mulierem Isabellam natam carissimi in Christo filii nostri J. illustris regis Hierosolymitani affidaveris publice in uxorem, nos provide attendentes quod tanta res, quæ noscitur principaliter Dei esse, non erat impedimento aliquo retardanda, sed potius favore benivolo prosequenda, impedimentum consanguinitatis vel affinitatis si quod obsisteret, tunc decrevimus submovendum, et nunc ut non obstante quod in quarta consanguinitatis linea eadem Isabella tibi dicitur attinere, legitime copulemini auctoritate præsentium dispensamus. Datum Signiæ, nonis augusti, pontificatus nostri anno octavo.

V

Ad monasterium Skaken.

7 augusti 1223.

[Schaten, Ann. Paderb., I, 999.]

Illud monasterium sub sua protectione suscipit, eique confirmat ecclesias de Imminchus et de Godesleim.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis præposito et conventui monasterii Skaken, salutem et Apostolicam benedictionem.

Sacrosancta Romana Ecclesia devotos et humiles filios ex assuetæ pietatis officio propensius diligere consuevit, et ne pravorum hominum molestiis agitentur, eos tanquam pia mater suæ protectionis munimine confovet. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, personas vestras et locum in quo divino estis obsequio mancipati, cum omnibus bonis quæ in præsentiarum rationabiliter possidet, aut in futurum justis modis præstante Domino poterit adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus; specialiter autem de Imminchus, et de Godesleim ecclesias cum omnibus pertinentibus suis, sicut eas juste, canonice et pacifice possidetis, vobis et per vos monasterio vestro auctoritate Apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli vero omnino hominum liceat hanc paginam nostræ protectionis et confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Signiæ, VII idus augusti, pontificatus nostri anno octavo.

VI

Ad Garsiæ Gundisalvum.

9 augusti 1223.

[Raynaldi, Ann. ad ann. 1223, § 54.]

Garsiæ Gundisalvo magistro militiæ beati Jacobi ejusque fratribus privilegia et bona ejusdem militiæ confirmat subditque :

Sit tamen omnibus præcipua cura et cautela continua, ut qui conjugium sortiti fuerint, continentiam custodiant conjugalem, et qui sine conjugio manere decreverint, inviolatam teneant castitatem, etc. Datum Signiæ, per manum magistri Guidonis D. papæ capellani, V id. aug., indictione XI, Incarnationis Dominicæ anno MCCXXIII, pontificatus vero domini Honorii papæ III anno septimo.

VII

Ad præpositum..... de Sancta Cruce et S. Andreæ decanos Hildesemenses.

17 augusti 1223.

[Lappenberg, Hamburg. Urkund., I, p. 407, n. 466.]

Mandat ut accusationem capituli Hamburgensis contra archiepiscopum Bremensem investigent.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis... præposito... de Sancta Cruce et Sancti Andreæ decanis Hildesemensibus, salutem et Apostolicam benedictionem.

Dilecti filii capitulum Hamburgense transmissa nobis petitione monstrarunt, quod, quum inter ipsos ex parte una et canonicos Bremenses ex altera, super jure eligendi archiepiscopum et rebus aliis coram judicibus delegatis a nobis, quæstio verteretur, venerabilis frater noster... Bremensis archiepiscopus tunc electus, timens, quod per electionem, quæ contemptis prædictis Hamburgensibus, qui commode poterant et debebant de jure vocari, de ipso celebrata fuerat, sibi non potuerat jus acquiri, de consilio prædictorum judicum quamdam compositionis formam cum eisdem Hamburgensibus iniit, præstito juramento, ut videlicet in pari honore ac dignitate servaret Hamburgensem ecclesiam cum Bremensi, scribendo se tam in sigillo quam litteris archiepiscopum utriusque, prout etiam prius fuerat a prædecessoribus suis factum. Postmodum vero prænominatus electus ad... præpositum Sanctæ Mariæ ad gradus Coloniensis et ejus collegas nostras litteras impetrans, se per eos ab hujusmodi juramento absolvi et compositionem irritari prædictam, contemptis prædictis Hamburgensibus, procuravit. Lite quoque pendente inter præfatas ecclesias super eo, quod utraque se fore asserit cathedralem, idem electus sub nomine tantum Bremensis ecclesiæ pallium a nobis per nuntios suos obtinuit, nullam de præmissis faciens men-

tionem. Quare nobis ex parte dictorum Hamburgensium, fuit humiliter supplicatum, ut ne propter hoc ipsis et ecclesiæ suæ in posterum præjudicium generetur, eis exhiberi plenitudinem justitiæ faceremus. Quocirca discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus vocatis qui fuerint evocandi et auditis hinc inde propositis, causam, si de partium voluntate processerit, fine canonico terminetis. Alioquin ipsam ad nos remittatis sufficienter instructam, præfigentes partibus terminum competentem, quo per procuratores idoneos et sufficienter instructos nostro se conspectui repræsentent, justam auctore Domino sententiam recepturæ. Testes autem qui fuerint nominati, si se gratia, odio vel timore subtraxerint, per censuram ecclesiasticam appellatione cessante, cogatis veritati testimonium perhibere, nullis litteris veritati et justitiæ præjudicantibus a Sede Apostolica impetratis. Quod si non omnes... potueritis interesse, duo vestrum ea nihilominus exsequantur. Datum Signiæ, XVI kalendas septembris, pontificatus nostri anno octavo.

VIII

Ad Senonensem archiepiscopum et episcopum Catalaunensem.

18 augusti 1223.

[Bouquet, Rec. des Hist., XIX, 735.]

Cum ageretur in Francia de contrahendo matrimonio inter Guillelmum de Dampetra et Aliciam, Henrici regis Jerosolymitani filiam, reginam Cypri, propinquitatis necessitudine conjunctos, Honorius vetat quominus hujusmodi copula fiat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus Senonensi archiepiscopo et episcopo Catalaunensi, salutem et Apostolicam benedictionem.

Ad audientiam nostram noveritis pervenisse quod, licet vir nobilis Willelmus de Donnapetra et carissima filia nostra illustris regina Cypri se in eo gradu propinquitatis attingant, ut secundum canonicas sanctiones nequeant matrimonialiter copulari, nihilominus tamen tractatur de contrahendo matrimonio inter eos. Cum igitur melius sit ante tempus occurrere, quam post vulneratam causam remedium implorare, vosque in quorum provincia et diœcesibus terra nobilis prædicti consistit, super iis investigare possitis facilius veritatem, fraternitati vestræ per Apostolica scripta mandamus quatenus, si res ita se habet, præfato nobili, auctoritate nostra, inhibeatis publice ac expresse ne ad hujusmodi copulam procedere aliquo modo præsumat; denunciantes etiam quod, si secus facere attentaret, nos non solum illegitimam nunciaremus prolem ex tali conjunctione susceptam, verum etiam procederemus alias contra eos, prout ratio postularet (1). Id ipsum autem eidem reginæ inhibere et denunciare curetis, si forte ad partes venerit gallicanas. Datum Signiæ, XV kalendarum septembris, pontificatus nostri anno octavo.

IX

Ad Theobaldum, Campaniæ comitem.

29 augusti 1223.

[Bouquet, Rec. des Hist., XIX, p. 735. Regest., lib. VIII, ep. 15.]

Post diutinam inter Theobaldum, Campaniæ comitem, et Erardum de Brena, concertationem de Campaniæ comitatu, sancitam inter eos pacem Honorius confirmat.

Honorius episcopus, etc., dilecto filio nobili viro T., comiti Campaniæ, salutem, etc.

Si pedes evangelizantium pacem pulchri voce prophetica nunciantur, facientium illam, seu etiam conservantium, tanto pulchriores possunt non immerito æstimari, quanto proeminet opus verbo; propter quod nobis, qui, licet immeriti, ejus locum tenemus in terris, qui pacificavit quæ in terris et quæ in cœlis sunt per sanguinem crucis suæ, ex officio apostolatus incumbit ad ea quæ sunt pacis intendere, ut videlicet discordantes reducamus ad pacem, et ad concordiam revocatos, circumspectione Apostolica, foveamus in illa, ne sopita patiatur discordia recidivum, in discrimen corporum et periculum animarum, consecuturi ex hoc pulchritudinem præmii amplioris, cum in pace principum sæcularium ecclesiarum tranquillitas ex magna parte consistat, et ex ipsorum discordia eædem incurrant frequenter oppressiones non modicas et jacturas.

(1) Guillelmus, haud multo post eodem anno ... Margaretam, comitissam Flandrensem.

Cum igitur gravis et periculosa discordia quæ inter te ac dilectam in Christo filiam nobilem mulierem B[lancham] comitissam Campaniæ, matrem tuam, ex parte una, et nobilem virum Erardum de Brena et Philippam uxorem ejus, ex altera, vertebatur, sit, eo faciente ad cujus imperium spiritus procellæ subsistit et fluctus silent, ejusdem amicabili pace sopita, et prædicti Erardus et uxor ejus suis nobis litteris supplicarint, ut eamdem dignaremur Apostolico munimine roborare; nos tam tuis quam eorum precibus inclinati, pacem ipsam sive concordiam, sicut provide facta est et ab utraque parte sponte recepta, et hinc inde juramento firmata, nec non ut in authenticis inde confectis plenius continetur (1), auctoritate Apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo liceat ausu temerario hanc paginam nostræ confirmationis infringere, etc. Datum Signiæ, IV kalendas septembris, pontificatus nostri anno octavo.

X

Ad archiepiscopos et episcopos, etc., in terra nobilis viri Gaufridi de Villa Arduini principis Achaiæ.

4 septemb. 1223.

[Bull. Roman., ed. Taur., III, n. 390.]

Pactum sive conventionem, tenore ejus inserto, inter archiepiscopos et episcopos et capitula eorumdem in terra Gaufridi de Villa Arduini principis Achaiæ citra passum Megaræ Corinthiensis constitutos ex parte una, et memoratum principem ac suos ex altera, super universis ecclesiis positis, sive sitis, vel fundatis in Thessalonica usque Corinthum factam confirmat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis, et dilectis filiis capitulis eorumdem in terra nobilis viri Gaufridi de Villa Arduini, principis Achaiæ citra passum Megaræ Corinthiensis constitutis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Sedis Apostolicæ circumspectio constituta super gentes et regna, ut evellat et destruat, ædificet atque plantet, ubique retinens moderamen, interdum rigore, interdum mansuetudine utitur, interdum consideratis circumstantiis temporum et locorum, medium faciens ex utroque, aspera in vias planas et prava dirigit in directa et lite confusionis implicita explicans et dirimens, litem ipsam ad certas imaginem et rectitudinis normam provida distinctione reducit, ut quæ sunt Cæsaris Cæsari, et quæ sunt Dei Deo congrua dispensatione reddantur. Sane quum est principum imperii Romaniæ insolentia confutanda, hujusmodi confusionis inoleverit corruptela, ut nunc iidem bona conferrent ecclesiis, et nunc ea ipsis auferrent pro suæ libito voluntatis, et collata præcipue abbatiis juxta beneplacitum suum propriis usibus applicarent, ac Græci prælati receptis muneribus indifferenter quoslibet ad sacerdotium promoverent, et dilectus filius nobilis vir G. de Villa Arduini princeps Achaiæ innisus hujusmodi corruptelæ abbatias et possessiones ecclesiasticas in suis manibus retinens, et fructus earum propriis usibus applicans, et quibus volebat pro libito tribuens, papates tamquam rusticos retineret, quia monitus ab abolenda corruptela prædicta nolebat desistere, ipsum contingit excommunicationis laqueo innodari; sed tactus ab eo qui tangit montes et fumigant, seman datis Ecclesiæ obtulit saniori usus consilio pariturum. Et quia humiliter redeuntibus non est

(1) Pacis instrumentum vulgavit Lud. *Chantereau le Febvre*, in feodorum origine, in-fol. 1652, pag. 134, in hunc modum :

« Ego Erardus de Brena et carissima uxor mea Philippa, notum facimus universis præsentes litteras inspecturis, quod carissimus dominus noster Theobaldus illustris comes Campaniæ et Briæ palatinus, et illustris domina Blancha mater ejus, comitissa Trecensis palatina, dederunt et concesserunt carissimæ uxori meæ Philippæ et successive descendentibus ex corpore ipsius hæredibus in perpetuum mille et ducentas libratas terræ in feodum ligium, quas mille et ducentas libratas terræ dictus Theobaldus comes, et dicta comitissa mater ejus, non possunt revocare sive reclamare decreto, nec hæredes ex corpore Theobaldi successive descendentes, propter donationem, et quitationem et translationem, et remissionem et abjurationem, quas ipsi Theobaldo comiti et hæredibus ex corpore ejus successive descendentibus, et illustri dominæ Blanchæ comitissæ Trecensi palatinæ, super comitatibus Campaniæ et Briæ, et eorum pertinentiis,..... (Desunt nonnulla vocabula.) nisi alia justa et rationabilis causa, quam dicta quitatio et donatio, esset, quare dictus Theobaldus comes et hæredes ex corpore ipsius successive descendentes, et dicta Blancha comitissa, ad dictum feodum deberent de jure assenare. In cujus rei testimonium ego Erardus et ego Philippa præsentem cartam fieri voluimus et sigillorum nostrorum præsentia roborari. Actum anno gratiæ MCCXXII, mense februario, quarta feria post Purificationem beatæ Mariæ (anno 1223). » (Bouquet.)

Ecclesiæ aditus præcludendus, juxta formam Ecclesiæ intra castra ipsius obtinuit per humilitatem reduci, a quibus ejectus fuerat per contumaciam et contemptum. Nos ergo non minus ipsius principis saluti, quam ecclesiarum utilitatibus providere volentes, sibi præcipimus, ut vel resignationem Ravenicæ auctoritate Sedis Apostolicæ ampliatam reciperet, vel pacem, quam ecclesiastici inierunt, Constantinopolitani barones, qui erga Romanam Ecclesiam majorem devotionem habentes in servitiis defensionis imperii potius sunt gravati. Verum licet resignationem prædictam, quæ gravior videbatur, dictus princeps se dixerit recepisse, quia tamen eam nullatenus effectui mancipavit, sed vobiscum compositionem iniit valde illicitam et penitus inhonestam, nos de ipsius salute solliciti, ipsumque de confusione consilii Achitofel volentes eruere, et ad devotionem Ecclesiæ revocare, duximus concedendum, ut per venerabilem fratrem Pelagium Albanensem episcopum, et dilectos filios nostros Thomam, tituli Sanctæ Sabinæ, et Johannem tituli Sanctæ Praxedis, presbyteros cardinales, cum dilectis filiis clericis ecclesiarum vestrarum, apud Sedem Apostolicam existentibus, necnon P. de Altomagno milite, ac nuncio principis memorati, inter principem ipsum ac clericos memoratos pax tractaretur honesta, et eisdem episcopo et cardinalibus mediantibus, post tractatum diutius habitum, in pacem hujusmodi convenerunt, ampliata resignatione Ravenicæ de assensu vestro, deducta terra nobilis viri Oddonis de Roccha domini Athenarum taliter moderata, ut videlicet omnes ecclesiæ vestræ, omnes possessiones suas, quas obtinent in præsenti, vel habuisse aliquando dignoscuntur a tempore coronationis Alexii Bambacoratii ab omni exactione, ac jurisdictione liberas habeant laicali, salvis justis, et debitis acrosticis secundum moderationem inferius adnotatam, non obstantibus compositionibus, si quæ reperiantur factæ perpetuo, ne illis super quibus non apparent aliqua instrumenta nisi a vobis, et subditis vestris eorum aliquæ merito acceptentur; ita tamen quod super possessionibus quas in præsenti eædem tenent ecclesiæ, nulla eis prorsus a quoquam quæstio moveatur. In casali vero XXV et ultra usque ad LXX lares habenti, duo erunt papates cum uxoribus, filiis, et familiis, nisi forte filii manserint extra domos paternas, sub ecclesiarum dominio a laicali jurisdictione omnino liberi et immunes. Quilibet vero papas unum ennicarium in scatia sua liberum habeat, si illum nunc habet vel habuerit a tempore supradicto. Quod si larium numerus septuagenarium excesserit, in casali quatuor papates erunt in illo liberi et immunes cum singulis ennicariis, sicut superius est expressum. Quod si ultra centenarium et vigesimum quintum excesserit, numerus papatum excrescet in sextum. Et sic deinceps papates addentur cum libertate præscripta. At si casalis XXV lares non habeat, de vicinioribus casalibus seu locis tot adjungantur eidem, quod præfatus XXV numerus impleatur, et sic erunt duo papates in illo præscripta libertate gaudentes.

Cæterum reliqui rurales papates cuncta servitia et auxilia consueta et præstita hactenus laicis exhibebunt, eo tamen salvo, quod ipsorum dominus temporalis et sui in personas eorum manus mittere non audebunt, nec permittent, quod in terra contra Latinorum clericorum celebretur voluntatem. Papates vero seu clerici Græci ecclesiarum cathedralium, viventes a tempore, quo mandatum Apostolicum emanavit, ad quod resignationem Ravenicæ dictus princeps dicitur recepisse, erunt omnino liberi, ut de aliis superius est expressum. Sed et circa reliquos papates civitatum illud idem servetur quod est de ruralibus ordinatum. Prælati quoque de laicorum hominibus contra voluntatem ipsorum tam in ecclesiis cathedralibus, quam in aliis civitatum, seu casalium de cætero aliquem non instituent, nec ad ordines promovebunt ultra papatum numerum prætaxatum. Sed et papates a jurisdictione liberi laicorum debitum, et antiquum acrosticum, si quod debent pro terris, quas nunc tenent, ex illis, quas a prædicto tempore tenuerunt, laicis sine difficultate persolvent. Sæpedictus vero princeps et Latini sibi subjecti decimas integre solvent, et facient a Græcis sibi subditis, et non rebellantibus simili modo persolvi. Porro vos eidem principi, et suis ecclesiarum thesauros, et alia mobilia vestra necnon et injurias irrogatas, præter personales, remittetis omnino. Verumtamen de personalibus fructibusque perceptis et damnis datis tempore, quo princeps ipse

fuit a dilecto filio nostro Johanne, tituli Sanctæ Praxedis presbytero cardinale, nunc Apostolicæ Sedis legato, excommunicationis sententia innodatus, necnon de perceptis fructibus ex possessionibus et bonis ecclesiasticis et damnis illatis a tempore, quo mandatum emanavit prædictum, princeps ipse ac sui vobis competentem satisfactionem impendent, et dimittent vobis, si in aliquo reputant se offensos, ac in recompensationem omnium prædictorum vestris cathedralibus ecclesiis, deducta Argolicensi ecclesia pro parte nobilis memorati, mille hyperperorum annuum redditum assignare curabunt; ita quod cuilibet cathedrali ecclesiæ sors, quæ ipsam contingit, videlicet centum septuaginta ecclesiæ Patracensi, Corinthiensi totidem, necnon centum quinquaginta Lacadamonensi et Amiclensi ecclesiis, Coronensi quoque centum quinquaginta, et totidem Mothonensi, necnon Olenensi ecclesiæ totidem; et Argolicensi ecclesiæ sexaginta octo certo loco et congruo in ejus diœcesi assignetur, nisi forte eadem ecclesia in acrostico teneatur, quod pro quantitate ipsius eadem sibi reputabit in sortem; si quid ex ipsa defuerit, loco idoneo de aliis suppleturi. Quod si sæpefactus princeps ad sui ab ecclesiis acrosticum duxerit exigendum, de quo ipso et quantitate ipsius, nisi jam sit remissum, erit prius veritas inquirenda. Et cum constiterit de illo, et quantitate ipsius, inquiri debet nihilominus, utrum possessiones, et bona pro quibus illud debetur acrosticum, deteriorata sint propter malitiam temporis seu etiam imminuta, et juxta quantitatem deteriorationis vel diminutionis illorum acrosticum pro illis debitum minuatur; reliquis in suo robore remanentibus in prædicta resignatione Ravenicæ ac prædicto mandato Apostolico comprehensis, necnon et privilegio, quod super ecclesiarum et clericorum libertatibus voluntarie princeps ipse concessit. Ipse quoque, ac sui et illi, quibus de novo terra dabitur vel baliva, pacem præscriptam servare bona fide jurabunt, ac contra ipsam penitus non venire. Quod si eidem principi vel suis quisquam subjectus contravenire præsumpserit, et ob hoc laqueo excommunicationis ligatus super eo non satisfecerit infra annum, dictus princeps vel ille, cui noscitur immediate subesse compellet ad satisfactionem competentem et debitam exhibendam, quam tamquam excommunicatum ipse et sui in omnibus evitabunt, præterquam in perceptione servitii, quod sibi vel aliis exhibere tenetur. Cum igitur vos ex parte una necnon et memoratus princeps ac sui ex altera præscriptam pacem sponte duxeritis acceptandam, et tam ex parte vestra, quam sua fuerit nobis humiliter supplicatum, ut eamdem dignaremur Apostolico munimine roborare, nos vestris et ipsius precibus inclinati, ne negotium possit iterato in labyrinthum confusionis immergi, pacem ipsam sive concordiam prædictis episcopo et cardinalibus mediantibus auctoritate nostra provide factam, et ultro receptam, gratam et ratam habentes, auctoritate Apostolica confirmamus et præcipimus firmiter observari. Ad majorem autem evidentiam sæpedictam resignationem Ravenicæ, prout exinde in confecto authentico continetur, huic nostræ paginæ de verbo ad verbum fecimus adnotari:

« In nomine Domini. Amen. »

« Ad honorem Dei et sanctæ matris Ecclesiæ et domini papæ Innocentii III. »

« Hoc est pactum, sive conventio super universis ecclesiis positis, sive sitis, vel fundatis in Thessalonica usque Corinthum, quod intervenit inter dominum Thomam Dei gratia Constantinopolitanæ Ecclesiæ patriarcham et archiepiscopos Atheniensem, Larissensem, Neopatrensem, et episcopos infra ponendos, et barones inferius propriis nominibus declarandos. Renuntiaverunt quidem domini Nameus Roffredus, conestabulus regni Thessalonici; Otto de Roccha, dominus Athenarum; Guido marchio; Ravanus, dominus insulæ Nigripontis; Raynerius de Traval, Albertinus de Canosa, Thomas de Stromomort, comes Bertuldus, Nicolaus de Sancto-Omer, Guillelmus de Blanel, Guillelmus de Arsa pro se et hominibus suis et fidelibus et vassallis, in manibus supradicti domini patriarchæ recipientis pro Ecclesia nomine domini papæ et suo et archiepiscoporum et episcoporum infra dictos terminos positorum et ecclesiarum cunctarum, omnes ecclesias et monasteria, possessiones, redditus, mobilia et immobilia bona, et universa jura Ecclesiæ Dei, volentes et firmissime promittentes dictas ecclesias et monasteria, cum omnibus rebus suis ha-

bitis et habendis, et personas in eis positas et ponendas, et claustra ecclesiarum et servientes et servos et ancillas et homines et universa suppellectilia et bona libera et absoluta per se successoresque suos, homines, milites, vassallos, fideles, servientes et servos in perpetuum permanere ab omnibus angariis et parangariis, taliis, servitiis, et servitutibus universis, excepto acrostico tantum, quod eis debent cuncti sive Latini sive Græci, tam in dignitatibus, quam in minoribus officiis et ordinibus constituti propter terras, quas tenent ab ipsis, si quas tenent vel tenuerunt, quod tempore captionis civitatis regiæ Constantinopolitanæ solvebatur a Græcis, et nihil aliud debent, et nihil aliud præfati barones per se, successores suos, vassallos, homines, fideles, servientes, et servos, sibi in prædictis ecclesiis sive monasteriis vendicare, nihilque in posterum usurpare, sed si qui ex prædictis clericis tam prælatis, quam cæteris ecclesias, vel monasteria destruere voluerint, debent quantum eis licuerit repugnare decenter, et turbare ne compleant quod nequiter conceperunt. Si qui vero fuerint de clericis Latinis, vel Græcis, sive monachis, papatibus, vel calogeris, in dignitatibus vel minoribus ordinibus, vel officiis constituti, qui dictorum baronum terras detineant, et laborent, et acrosticum solvere noluerint termino inter eos statuto, nisi solverint quod tenentur, potestatem habeant nominati barones accipiendi de bonis eorum tantum, quod eorum debitum et nihil amplius persolvatur; sed in cunctis absoluti et liberi, quantum ad personas et res ipsorum et ecclesiarum, quæ superabundant debitum, perpetuo in posterum perseverent. Hæredes quoque, sive filios clericorum, sive papatum, et uxores eorum non capiant, vel detineant, vel faciant detineri, vel capi, quamdiu ad mobilia eorum suas poterint extendere manus, sive de eorum mobilibus eis poterit super debiti quantitate satisfieri competenter : filii quoque laicorum Græcorum, sive clericorum seu papatum in baronum servitio juxta morem solitum perseverent, nisi per archiepiscopos, vel episcopos, vel de eorum licentia fuerint ordinati. Post ordinationem vero eodem privilegio gaudeant, quo fruuntur clerici in obedientia Romanæ Ecclesiæ constituti. Si qui vero papatum, vel monachorum Græcorum baronum detinuerint, et laboraverint terras, quæ ad ecclesiarum vel monachorum non pertineant jura, eodem modo prædictis respondeant dominis, quo fecerint laici, qui eorum terras detinent et laborant. Alioquin si præfati barones contra jam dicta venerint vel aliquod præmissorum, post admonitionem per suos excommunicentur prælatos, et tamdiu in excommunicatione persistant, quamdiu de damnis et injuriis canonice satisfecerint irrogatis. Ut tamen præmissis fides plenior habeatur de voluntate, et consensu et auctoritate dominorum Thomæ patriarchæ, et imperatoris Henrici Constantinopolitan. et archiepiscoporum, et omnium baronum in præsenti chartula positorum appensa sigilla consistunt, salvis in omnibus domini Papæ auctoritate, reverentia, et honore.

« Acta sunt hæc apud Ravenicam, anno Domini MCCX, indictione XIII, præsentibus archiepiscopis et episcopis et electis et clericis et militibus, videlicet Heracliensi, Atheniensi, Larissensi, Neopatrensi archiepiscopis, Avallonensi, Fermopilensi, Davaliensi, Zaratoriensi, Castoriensi, Sidoniensi episcopis, Nazariensi, Citrensi electis, etc., quorum consensu et voluntate et auctoritate sunt præmissa peracta, et præsentibus cantore Leonardo, Jacobo presbytero, Henrico, magistro Bonifacio, canonico ecclesiæ Sanctæ Sophiæ de Constantinopoli, et priore cruciferorum Bononiæ, archidiacono Thebano, decano Davaliensi, domino Arduino et Arnuldo capellanis imperatoris præfati, et præsentibus Guiffredo marescalco totius imperii Romaniæ, et Rolandino de Canosa, et Raynerio de Gumbulla, et Guillelmo de Sarz, et Bonuz de Sancto Sepulcro, et Gerandino de Gummula, et Jacobo de Assesso, et Hugone de Settenguen, Albuin de Plunges, et Philippo de Mombis et aliis pluribus. Hæc autem completa sunt mense, maii die secundo intrante. »

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis et jussionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, et beatornm Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Signiæ, secundo nonas septembris, pontificatus nostri anno octavo.

XI

Ad abbatissam et conventum S. Mariæ de Percheio.

9 septemb. 1223.

[Manrique, Ann. Cisterc., IV, 495.]

Concedit ut abbas Cisterciensis suas vices abbati S. Angeli Constantinopolitani ejusdem ordinis tam in visitatione quam in ordinatione committat.

Abbatissæ et conventui S. Mariæ de Percheio, Cisterciensis ordinis, Constantinopolitanæ diœcesis.

Sedes Apostolica pia mater, etsi omnes habeat in visceribus caritatis, illis tamen favorem specialis gratiæ impertitur, quibus ampliora devotionis merita suffragantur, et majori fervore noscuntur divinis obsequiis inhærere. Cum igitur a magnis et fide dignis, de fervore religionis, et honestatis monasterium vestrum multipliciter commendetur, et dilectus filius abbas Cistercii, sicut ex parte vestra fuit propositum coram nobis, in specialem filiam Cisterciensis cœnobii receperit domum vestram, ac de totius capituli generalis assensu pactiones inter vos, et monasterium Sanctæ Mariæ Magdalenæ Avonensis, ejusdem ordinis, initas irritarit, vobisque duxerit diligendo indulgendum, ut nullum visitatorem de cætero admittatis, nisi ejus super hoc mandatum ostenderit speciale; et cum ipse juxta statuta ordinis visitationis officium propter locorum distantiam vobis non possit impendere annuatim, dilecto filio abbati Sancti Angeli Constantinopolitani, ejusdem ordinis, tam in visitatione, quam in ordinatione, cum apposuerit abbatissam, quam in aliis, quæ in domo vestra fuerint ordinanda, commiserit vices suas, prout in ejus litteris dicitur contineri : nos venerabilis fratris patriarchæ, ac carissimi in Christo filii nostri imperatoris illustris Constantinopolitani, necnon et vestris precibus inclinati, quod ab eodem abbate super iis sine pravitate provide factum est, ratum habentes, de gratia speciali auctoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli, etc., nostræ confirmationis, etc. Si quis autem, etc. Datum Signiæ, V idus septembris, pontificatus nostri anno octavo.

XII

Ad Conradum Portuensem episcopum, A. S. legatum.

10 septemb. 1223.

[Bouquet, Rec. des Hist., XIX, 737; Regest., lib. VIII, epist. 23.]

Ex Conradi litteris nihil certum eliciens Honorius, arbitrio ejus, utrum redeat in urbem, nec ne, permittit.

Honorius episcopus, etc., venerabili fratri episcopo Portuensi (Conrado), A. S. legato, salutem, etc.

Significasti nobis casum emersisse inopinatum, propter quem compelleris ad reditum festinare. Quia vero super hoc certum quid fraternitati tuæ rescribere non potuimus, quia nec casum hujusmodi expressisti, tibi, qui prælatorum habuisti consilium, et plenius quam nos profectum nosti et defectum negotii, et circumstantias universas, quidve ipsi negotio expedire noscatur, an adhuc morari vel redire debeas duximus committendum. Datum Signiæ, IV idus septembris, pontificatus nostri anno octavo.

XIII

Ad Vitalem Pisanum archiepiscopum.

11 septemb. 1223.

[Ughelli, Italia sacra, III, 428.]

Ei terribilem zeloque plenam epistolam, quod ejus favore consiliove Pisani cives Ubaldum in potestatem elegerunt.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, Pisano archiepiscopo.

Si ad tribunal mentis accesseris, et ante te statueris temetipsum, cogitationemque, accusatoris vice ac defensoris, utatur investigetque ratio sancta tua, numquid non te tua conscientia condemnabit, et judicabit non tantum Ecclesiæ Dei membrum inutile, verum etiam putridum, et ob hoc ab ea merito abscidendum, qui oblitus fidelitatis exhibitæ nobis, et sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ in susceptione pallii præstito corporaliter juramento, filium Belial Ubaldum in iniquitate patentem, perfidum, et Dei Ecclesiæ inimicum, traditumque cum complicibus, et fautoribus suis propter multiplices, et graves ejus excessus in Aposto-

licam Sedem commissos, in carnis interitum Satanæ, permisisti, ne dicamus verius, fecisti in Pisanæ civitatis potestatem assumi, non sine scrupulo forsitan societatis occultæ : nec sufficit si ad excusandas excusationes in peccatis forsitan dixeris, quod tu illum nequaquam elegeris, sed potius electores, qui elegerunt eumdem, cum tibi de providendo rectore, seu potestate, civitati Pisanæ littera fuerit tributa facultas, et illis potuisses electoribus inhibere, ne prædictum eligerent reprobum, eo quod esset ab ecclesiastica unitate præcisus, et ipsius contagio infici posset populus universus. Præterea multos alios in electores potuisses eligere, qui nequaquam elegissent eumdem, et ideo frustra jacitur rete ante oculos piscatorum. Rursus consule temetipsum, utrum scelus incurreris idololatriæ contra obedientiam nobis promissam temere veniendo, et deferendo homini contra Deum. Quum enim tibi nostris litteris dederimus in mandatis, ut nisi populus civitatis prædictæ a te monitus diligenter sæpedictum reprobum removerent a suæ regimine civitatis, tam civitatem ipsam auctoritate nostra ecclesiastico interdicto conclusam, quam sæpe dictum Satanæ membrum, et omnes intendentes eidem, seu præstantes auxilium, vel favorem, excommunicationis laqueo innodatos, sublato cujuslibet contradictionis et appellationis obstaculo nuntiares, et per civitatem eamdem et ejus diœcesim faceres nuntiari; tu, oculos tuos statuens declinare in terram, obedientiæ nexu dirupto, non solum id efficere contempsisti, verum etiam noluisti litteras ipsas recipere, et quod deterius est, nuntios, adferentes easdem, non sine comptemptu Apostolicæ Sedis et nostro, in tuis sustinuisti domibus acriter verberari, quod non sine tua conniventia merito præsumitur fore factum. Vide, et apud te ipsum recogita, quam in hoc nobis fueris obediens, quam fidelis! Si Sedes est Apostolica mater tua, ubi est honor ejus? si domina, ubi timor? Nonne in iis, et honorem, et reverentiam subtraxisti, et fœdus iniisse videris cum morte? Attende iterum et considera, si episcopale convenit tibi nomen, quum ad extrahendum de lacu perversitatis gregem tibi commissum, ne in profundum veniat, et contemnat, prout interpretatio dicti nominis et officium exigit, non intendens, sed ipsum in illo permittas immergi potius, et immergas. Numquid non populum ipsum in sua videris perversitate fovere, dum præsentibus vinculo excommunicationis ligatis, solemniter celebras in civitate auctoritate nostra supposita interdicto. Nec allegare potes profecto, quod ignores civitatem eamdem interdicto conclusam, eo quod non receperis litteras illas, per quas id tibi fuerat demandatum, quum talis ignorantia non solum sit crassa, sed etiam affacinata, et nihilominus eædem litteræ postmodum per clericum venerabilis fratris nostri Bethleemitani episcopi, cui fuerunt exhibitæ, ut eas faceret tibi præsentari, in tua fuerint præsentia recitatæ; cui sic diceris respondisse, quod idem episcopus de iis hoc tempore se intromittere non deberet. Quum ergo sic ad te mandatum Apostolicum venerit iterato, et obstinato corde non acquieveris et facie indurata, nonne incurristi quasi ariolandi peccatum, et in Balaal filii Beor consortium incidisti. Præterea, et si super hoc nostrum non recepisses mandatum, nec tamen deberes illis celebrare divina, nec participare cum eis, præterquam in illis, quæ pertinent ad salutem, quum scias illos excommunicationis sententiam incurrisse, quam prædictus Bethleemitanus episcopus tulit in eos, si a nono kalendas junii usque ad festum beati Jacobi proximo tunc venturum, Lucanis in personis, et rebus per se, vel subditos suos offendere attentarent, et ex eo nihilominus excommunicatione ligatos non ignores eosdem, quod communicant reprobo memorato, intendendo sibi et parendo ipsius dispositionibus et mandatis.

Denique quum deberes ex officio pastorali reducere propriis humeris aberrantes oves ad caulas, tu de pastore, ne proprius dicamus in lupum, in mercenarium commutatus exposuisti gregem tibi commissum luporum rapacium morsibus laniandum, dum eis talem in rectorem præfici permisisti, cujus contagio maculati tendant ad interitum salutis æternæ. Ecce quomodo diligis gregem tuum, ecce qualiter exsequens officium pastorale, quod est infirmum consolidas, et sic quod ægrotum est sanas, necnon ita quod confractum est alligas, et abjectum reducis, et quod de ipso grege periit, sic requiris? Disciplinam namque videris, ut consilio perditus, abjecisse, sic tuis ovibus providendo, et subtrahendo obe-

dientiam, et reverentiam sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ matri tuæ. Utinam saperes, et intelligeres, ac novissima providens non hæc ei retribueres, quæ te creavit, et ad tantum provexit apicem dignitatis, quæ quoque nunc dicere de te potest : Filium enutrivi, et exaltavi, ipse autem me contemnit, et spernit; propter quod dolentes compellimur exclamare : Pœnitet nos hominem hunc fecisse; cum propter hæc de te non modicum confundamur, et adversarii tui contra nos, qui te promovimus, materiam habeant insultandi. Nonnulli fratrum nostrorum nobis in faciem jam pluries insultarunt, ex eo quod Apostolicæ Sedi, et nobis te indevotum sic exhibes et ingratum. Et quidem pœnitentiam nostram in te celeriter sortiri faceremus effectum, excessus hujusmodi taliter castigando, quod, pœna docente, cognosceres quam temerarium sit Apostolicis non obedire mandatis, brachia contra torrentem extendere, contraque stimulum calcitrare, nisi mansuetudo motum nostri animi temperaret, et non minus nostro, quam tuo pareremus pudori, quum vix sine nostra, qui te nonnullis contradicentibus et invitis promovimus, posses confusione confundi. Adhuc igitur experiri volentes utrum in te saltem synderesis remanserit inextincta, ita quod hujusmodi objurgationis vexatio tuo auditui tribuat intellectum, fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, et in virtute obedientiæ districte præcipimus, quatenus mandatum præscriptum, omni gratia et timore mundano postpositis, illud infra octo dies post susceptionem præsentium, qualibet occasione, contradictione ac appellatione cessantibus, plene ac fideliter exsequaris, et ad sæpedicti perfidi confusionem majorem, et ejus contumaciam confutandam, ipsum cum complicibus ac fautoribus suis, singulis diebus dominicis et festivis, pulsatis campanis, et candelis accensis, anathematizatum, et ab ecclesiastica unitate præcisum, et tu ipse denunties, et facias per totam civitatem Pisanam et ejus diœcesim publice nuntiari; attentius provisurus, ut in civitate prædicta interdicto conclusa, quamdiu sæpedictus reprobus eidem præfuerit, nullum prorsus ecclesiasticum sacramentum præter baptisma parvulorum, et pœnitentias morientium ministretur; alioquin ex nunc te noveris ab officio pontificali et sacerdotali suspensum, et sic usque infra mensem unum nostro te conspectui repræsentes, responsurum de tanta inobedientia et contemptu, et recepturum quod de te nostri consilii circumspectio providerit decernendum. Datum Signiæ... septembris, pontificatus nostri anno octavo.

XIV

Ad priorem et fratres Carthusienses.

2 octob. 1223.

[Guichenon, Hist. de Bresse, preuv. 121.]

Compositionem inter priorem et fratres Carthusienses ex parte una, et conventum monasterii de Jugo Dei ex altera, super domo Montismerulæ intercedente Raynaudo Lugdunensi archiepiscopo initam confirmat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis priori et fratribus Carthusiensibus, salutem et Apostolicam benedictionem.

Ea quæ judicio vel concordia terminantur, firma debent et illibata permanere, et ne in recidivæ contentionis scrupulum relabantur, Apostolico convenit præsidio communiri. Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, compositionem, quæ inter vos ex parte una, et dilectos filios abbatem et conventum monasterii de Jugo Dei ex altera, super domo Montismerulæ, quæ alio nomine vallis S. Stephani appellatur, mediante venerabili fratre nostro R. Lugdunensi archiepiscopo amicabiliter intercessit, sicut sine pravitate provide facta est, et ab utraque parte sponte recepta, et hactenus pacifice observata, ut in instrumento exinde confecto, sigillo ejusdem archiepiscopi roborato, cujus tenorem de verbo ad verbum præsenti paginæ fecimus annotari, plenius continetur, auctoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Tenor autem instrumenti ejusdem est talis :

« Raynaudus, Dei gratia primæ Lugdunensis ecclesiæ minister humilis, omnibus in perpetuum, quod coram nobis pia intentione geritur, ne cujusquam dolo, vel versutia pervertatur, vel annis tacite labentibus oblivioni tradatur in posterum, dignum duximus litterarum adminiculo communiri.

Noverint igitur universi præsentes et futuri quod quum controversia verteretur inter domum Carthusiensem ex parte una, et domum de Jugo Dei ex altera, super domo Montismerulæ, et diu fuisset agitata, tandem Raynaudo et Ogerio Sellionis, et vallis S. Martini prioribus, qui speciale mandatum a domo Carthusiæ super eadem causa ad agendum, transigendum, seu alias qualitercumque faciendum, se per litteras sigillo Carthusiæ munitas habere monstrarunt, et præterea Aymone abbate et Joanne priore de Jugo Dei pro se, et toto conventu in nostra præsentia constitutis, partes in hoc unanimiter convenerunt, ut quidquid juris in dicta domo, et ad eam pertinentibus habebant in nos transferrent, concedentes expresse et bona fide quod quidquid inde faceremus actum et firmum, sine contradictione perpetuo servarent. Facta itaque ab utraque parte juris sui, et possessionis in nos translatione et investitura, nos de consilio venerabilis fratris nostri Duranni Cabilonensis episcopi, Willelmi et Joannis Saviniacensis, et Bellevillæ abbatum, et aliorum prudentium nobis assistentium rem, de qua lis fuerat, taliter divisimus inter eos, videlicet, ut domus Carthusiæ perpetuo et pleno jure habeat, et pacifice possideat domum Montismerulæ, cum omnibus ad eam pertinentibus tam mobilibus, quam immobilibus, et se moventibus, seu aliis juribus, libris etiam et ornamentis ecclesiæ, et cartis sigillatis, et non sigillatis, excepta grangia de Chiurous, quæ cum omnibus ad eam pertinentibus, tam mobilibus quam immobilibus et se moventibus, quæ modo sunt in eadem grangia, domui de Jugo Dei perpetuo habenda concedimus, et perpetuo pacifice possidenda, ita tamen quod de animalibus, et pecoribus ejusdem grangiæ domus Montismerulæ tertiam partem habeat cum integritate. Præterea præcepimus, quod si forte contingeret ut ordo Carthusiensis domum Montismerulæ ad alium ordinem transferre vellet, non posset nisi ad domum de Jugo Dei; neque illi de Jugo Dei ex tunc alium ordinem possent ibi statuere, nisi suum; sciendum quoque quod de pecunia quam vir nobilis Guido dominus Baugiaci habuit, statuimus ut quidquid de ipsa recuperare potuerint inter se æqualiter dividant dictæ domus; dictum etiam fuit, quod Carthusienses dominum Ulricum de Baugiaco dictam grangiam domui de Jugo Dei concedere facerent, et confirmare, et bona fide precibus quantum possent inducerent Alexandram comitissam ut eamdem grangiam dictæ domui permittat pacifice possidere; et illi de Jugo Dei debent testificari domum Montismerulæ ad ordinem Carthusiensem pertinere, et de omnibus ad eamdem domum pertinentibus, eos bona fide certiorare. Item dictum fuit quod domus de Jugo Dei de debitis domus Montismerulæ non teneatur. Ad hæc fecimus manifestum, quod nos per venerabilem fratrem nostrum Durannum Cabilonensem episcopum partes in possessionem rerum sibi assignatarum fecimus induci corporalem, et ne super præmissis aliqua valeat in posterum quæstio suboriri, nos ad preces partium præsentem cartam per alphabetum divisam inde fieri, et sigillo nostro fecimus in testimonium roborari. Actum anno Domini MCCXX. Datum per manum Antelmi, cancellarii nostri. »

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Anagniæ, VI nonis octobris, pontificatus nostri anno octavo.

XV

Ad potestatem et populum Perusinos.

4 octob. 1223.

[Theiner, Cod. dipl. dominii temp., I, 76, n. 127.]

Confirmatio pacis reformatæ inter milites et commune civitatis Perusinæ, auctore J. Sanctæ Praxedis cardinali initæ, inserto concordiæ instrumento.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis potestati et populo Perusinis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Ea quæ auctoritate Sedis Apostolicæ, mediantibus maxime fratribus nostris, provide statuimus, firma debent et illibata persistere; ne in recidivæ contentionis scrupulum relabantur, Apostolico convenit præsidio communiri. Quapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus inclinati, pacem, mandata et ordinationes,

quas dilectus filius noster J., tituli Sanctæ Praxedis presbyter cardinalis inter vos de mandato nostro prudenter ac provide fecisse dignoscitur, auctoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Et illa sunt talia :

« In nomine Domini. Amen. Quum nos, J. Dei gratia tituli Sanctæ Praxedis presbyter cardinalis ad sedandam discordiam inter milites et sequaces eorum ex parte una, et populares Perusinos et adjutores eorum ex altera, de mandato domini Papæ Perusium venissemus, habitis ab eis de parendo supra discordia ipsa mandatis Apostolicis atque nostris, juramentis, pignoribus, obsidibus ac tenutis, et intellectis quæ partes in nostra proposuere præsentia, universa juramenta, pactiones, obligationes, colligationes et promissiones, quæ societatum, communitatum, seu fraternitatum, cedonum, pellipariorum, lanificum, et aliorum artificum occasione generaliter vel singulariter factæ sunt tam ex parte, quam in parte militum et peditum in civitate Perusina et ejus districtu, penitus irritamus, ac ab eorum observatione absolvimus universos sub debito fidelitatis, qua Ecclesiæ Romanæ tenentur, juramenti nobis præstiti, et trium millium marcarum pœna firmiter præcipiendo mandantes, ne præmissa observent de cætero, vel similia deinceps audeant attentare. Prohibemus insuper, ne quisquam communiter vel divisim aliquid malum retribuat parti, vel alicui de parte seu fautoribus et adjutoribus suis dictorum civitatis et districtus, occasione discordiæ hactenus agitatæ. Ad hæc, quum ex præsumptione constitutariorum statuentium secundum motum voluntatis propriæ quidquid volunt, multa sunt incommoda subsecuta, volumus et mandamus, ut nihil unquam statuatur deinceps contra milites et pedites supradictos, seu etiam bona eorum contra leges et canonicas sanctiones, rationabiles et approbatas consuetudines, et pacem factam per dominum sanctæ basilicæ Duodecim Apostolorum presbyterum cardinalem, bonæ memoriæ domini I. Papæ camerarium, et Bobonem Oddonis Bobonis tunc potestatem Perusinum quæ a dicto domino I. confirmata, et per dominum Honorium declarata existit in quibusdam ; sed inviolabiliter observetur, nisi forsan prædictorum communi et libera voluntate, ac domini Papæ et successorum suorum expresso consensu aliquid duxerint statuendum. Et quæcumque contra prædicta omnia, præsertim in præjudicium juris alieni statuta vel ordinata sunt in scriptis, vel etiam sine scriptis, decernimus non tenere, non obstantibus juramentis vel instrumentis aliquibus pro his observandis factis, vel rescriptis etiam impetratis ; sed liceat omnibus utriusque partis rebus suis uti pacifice ac quiete, nec ab aliqua partium generaliter vel singulariter auferantur reliqua bona sua. Et si militibus, vel peditibus tam in civitate Perusina, quam ipsius districtu in incisione arborum, vel combustione domorum fuerint, quod absit, de cætero damna data, per camerarium communis vel per homines pleberii, in quo damnum datum fuerit, secundum constitutum civitatis Perusinæ fiat satisfactio damnum passis, omnesque qui contra prædicta venerint, excommunicationis vinculo innodantes, quod præsumpserunt, decernimus irritum ipso facto.

« Præterea ne quisquam præmissis audeat contraire, sub pœna superius memorata firmiter inhibentes, ad majoris roboris firmitatem Spoletani in tribus millibus librarum Lucensium, et Urbevetani in totidem fidejussores recepimus, ita videlicet quod si qua partium contra pacem et mandata nostra venire præsumpserit, iidem fidejussores domino Papæ vel successoribus suis, et parti, quæ pacem et mandata servaverit, communiter in dicta pecunia teneantur, recipientes a Fuliginatensibus nihilominus juramenta, quod partem, quæ contra pacem et mandata prædicta venerit, deprimant, et servantem eadem pro viribus adjuvabunt.

« Verum quum potestates, qui Perusinis per tempora præfuerint, una cum eis episcopo, canoniæ Sancti Laurentii, monasterio Sancti Petri et aliis ecclesiis civitatis et diœcesis Perusinæ quasdam possessiones et bona violenter abstulerint, mandantes, ut venturus in proximo Perusinus potestas ante omnium causarum cognitionem competens excambium assignans canoniæ supradictæ pro excambio palatii, quod eidem dudum concessisse dignoscitur populus Perusinus, et illo eam spoliavit postmodum, motu propriæ voluntatis restituat ; sic ablata episcopo et supradictis ecclesiis infra mensem, restitutione Bagnariæ facta

per nos monasterio Sancti Petri in suo robore permanente.

« Statuta edita et consuetudines seu potius abusiones introductas contra ecclesiasticam libertatem præcipimus non servari, excommunicando statutarios, scriptores statutorum ipsorum, potestates, consules, rectores, judices et consiliarios civitatis et districtus prædicti, si de cætero hujusmodi statuta vel consuetudines edere præsumpserint vel servare, ac illos etiam qui secundum ea judicaverint, vel in publicam formam redegerint judicata, et si feudum vel officium aliquod detinent ab ecclesia, eis sint ipso facto privati ; sane statuta serenissimi domini Friderici Dei gratia Romanorum imperatoris semper augusti et regis Siciliæ, tempore suæ coronationis edita pro ecclesiastica libertate, præcipientes sub debito fidelitatis prædictæ et pœna mille marcarum inconcusse servari.

« Ballivi, consules, rectores vel priores fraternitatum, societatum, familiarum seu quarumlibet artium, quibuscumque nominibus censeantur, qui nobis omnia instrumenta, scripta vel constituta confecta supra his neglexerunt resignare, quique de cætero hujusmodi se officiis præsumpserint immiscere sine mandato Sedis Apostolicæ speciali, judices quoque ac notarii, qui scripta, rogita seu protocolla super his confecta suppresserint, excommunicationis vinculo innodamus, et scripta, quæ super his apparuerint, irrita judicando, ipsorum auctores de cætero privatos officio suo decernimus ipso facto. Etsi nec sic judices, notarii et alii supradicti a sua præsumptione destiterint, contra prædicta temere veniendo, quilibet eorum, pro quolibet actu contrario, bannum viginti librarum Cameræ communis componat, cujus tertia præter salarium suum potestati, qui pro tempore fuerit, applicetur.

« Quamvis autem pœnam, quam veniendo contra pacem factam a camerario et Bobone prædictis, et interpretationem domini papæ incurrisse noscuntur populus Perusinus, posset idem [bannum] dominus Papa recipere, adhuc tamen experiri volentes, si saltem metu pœnæ, etsi non virtutis amore, veræ pacis exhibuerint se cultores, et receptionem ejusdem pœnæ ad manus summi Pontificis retinentes, reservamus eidem nihilominus potestatem interpretandi et declarandi, si quid difficultatis emerserit in prædictis, et in aliis etiam, supra quibus coram nobis partes deposuere querelam, sicque prædictis omnibus per syndicos partium et alios approbatis, decem ex una parte, ac totidem ex alia, præsentibus vivificæ Crucis signo, sacro Dominico corpore, Evangeliis ac aliis sanctuariis, recepti sunt ad osculum veræ pacis vice et voluntate omnium aliorum. Quia vero secundum pacem factam per camerarium et Bobonem prædictos, ac declarationem subsecutam per dominum Honorium in quibusdam capitulis super ipsa pacem et mandata nostra servari convenit, in plerisque, sicut superius continetur, tenorem pacis et declarationis ipsius ad majorem cautelam de verbo ad verbum præsentibus fecimus annotari : qui tales sunt :

« Innocentius, etc., dilectis filiis populo Perusino, salutem, etc. Veri pacifici vestigia imitantes, qui est pax nostra, qui fecit utraque unum, pacem inter illos, qui longe sunt, et qui prope, seminare volumus et studiosius conservare. Hinc est quod nos pacem inter vos milites et populum per dilectum filium Sanctæ basilicæ duodecim Apostolorum presbyterum cardinalem, camerarium nostrum, et nobilem virum B. Oddonis Bobonis, potestatem vestram, provide ordinatum et a vobis juramento firmatum, volentes firmitatem debitam obtinere, præsentium vobis auctoritate mandamus et districte præcipimus sub debito præstiti juramenti, quatenus pacem ipsam, prout eadem inferius est descripta, inviolabiliter observetis, sciturí pro certo, quod quicumque contra ipsam temere venire tentaverit, præter reatum perjurii divinam et nostram indignationem, necnon et pœnam juxta nostri arbitrii voluntatem taxandam incurret. Ut autem nullus per ignorantiam se valeat excusare, prædictæ pacis tenorem, quem universis et singulis esse volumus manifestum, præsentibus duximus inserendum.

« In nomine Domini. Amen. Nos Stephanus Dei gratia duodecim Apostolorum basilicæ presbyter cardinalis, domini papæ camerarius, et B. Oddonis Bobbonis Romanorum consul et Perusii potestas, præsentes litteras inspecturis, salutem, etc. Quia divina cooperante gratia milites et populus

Perusini, nostris obtemperantes monitis et mandatis, jurarunt stabilitam a nobis inter eos pacis concordiam observare juxta tenorem præsentibus exaratum, ad vestram volumus notitiam pervenire, quod nos ad honorem Dei et domini Papæ, ac pro pace populi Perusini volumus et præcipimus, ut communitates omnes, quas populus Perusinus communiter tenet ad manus suas, vel recuperare potest juste, potestas vel consules, qui pro tempore fuerint, dent ad cottumum pro denariis illi vel illis qui plus voluerint dare, et recipiant cottumum, et committant tali vel talibus personis, quæ cottumum ipsum fideliter ad opus communitatis conservent, nec de cottumis illis expendatur nisi per emendationem equorum, vel pro aliis necessariis expensis, pro utilitate communi de consilio generali. Collecta vel multa non fiat nisi pro quatuor causis, videlicet, pro servitio Ecclesiæ Romanæ, populi Romani, imperatoris vel nuntii sui, et quum populus Perusinus moverit guerram de communi voluntate, et quum debet fieri, fiat fideliter per parochiam vel capellam : ita tamem quod de unaquaque parochia duo eligantur, qui sacramento præstito faciant collectam diligenter, nec excusent aliquem amicitia, consanguinitate vel alio dolo. Collecta autem vel multa non fiat, donec aliquid superest de communitate, et si communitas non sufficeret ad salvum equorum, tum fiat collecta sive multa. Salvum vero equorum fiat secundum constitutum civitatis, ita tamen quod si suspectus habeatur ille, cujus equus moritur, probet per duos idoneos testes equum mortuum esse sine culpa et dolo suo, ita quod familiares non excludantur a testimonio. Salvum equorum intelligimus tempore pacis per equum triginta quinque libras, et tempore guerræ quadraginta libras usque in decem, ita tamen si constiterit potestati vel consulibus, qui pro tempore fuerint, quod tantum valeat equus. Salvum vero equorum intelligimus a tempore Rustici. Præcipimus etiam, ut de cætero nulla singularis constitutio fiat nisi in generali consilio civitatis, et nisi per eos, qui electi fuerint in concione de communi voluntate ad constitutum faciendum. Cæterum si qua partium contra hæc omnia venire tentaverit, præter reatum perjurii duo millia librarum communitati persolvat, omnibus prædictis in sua firmitate nihilominus permanentibus. Præcipimus etiam, ut omnia prædicta inviolabiliter in perpetuum observentur. Et si communitas vellet addere vel minuere, nonnisi de conscientia et permissione domini papæ fiat. Datum Viterbii, XIII kal. octobris, pontificatus nostri anno septimo decimo.

« Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis potestati et populo Perusinis, salutem et Apostolicam benedictionem. Gratum gerimus, et prudentiam vestram in Domino commendamus, quod attendentes dilectionis affectum, quem Apostolica Sedes, et specialiter nos ad vestram gerimus civitatem, pro imminentibus vobis negotiis ad nos, sicut decet, recurritis, ut in illis secundum nostri moderaminis prudentiam procedatis. Litteris igitur, quas vestra nobis destinavit discretio, diligenter auditis, ex tenore collegimus earumdem quod ex quibusdam verbis concordiæ olim inter vos per dilectum filium S. basilicæ duodecim Apostolorum presbyterum cardinalem, et Bobonem Oddonis Bobonis, qui tunc obtinebat vestræ civitatis regimen, stabilitæ, quædam inter vos dubitatio est suborta, quibusdam dicentibus fieri debere collectam, cum Eugubinis guerram de communi moveritis voluntate, et istud sit unum ex quatuor casibus, in quibus est facienda collecta secundum tenorem concordiæ memoratæ, quum communitates et cottumum communantiarum præsentis anni non sufficiant ad salvum equorum ; et alia facienda, nec communitates ipsæ, quæ pro præsenti anno semel cottumatæ sunt, hoc eodem anno iterum cottumandæ, quum expressum sit in concordia supradicta, ut rectores, qui pro tempore fuerint, illas debeant cottumare, maxime quum non sit aliud tempore pacis, unde possint expensas facere imminentes, eo quod secundum concordiæ sæpedictæ tenorem tempore pacis non sit facienda collecta, et insuper asserentibus collectam debere fideliter fieri secundum servatam consuetudinem non per libram, quum per libram fieri non soleat in vestra civitate collecta, sicut assertione vestrorum plurium comprobatur. Alii vero licet guerram motam fuisse de communi voluntate omnium fateantur, et salvum equorum et alias expensas dicant esse reddendas, asserunt tamen collectam aliquatenus fieri non de-

bere, dicentes communitates prædictas posse hoc anno iterum cottumari pro tot sequentibus annis, quod contractum debitum solvi possit. Adjiciunt etiam quod si collecta fieri debet, est facienda per libram, quum in pacis serie contineatur expressum, ut quum fieri debet, fiat fideliter per parochiam vel capellam. Unde super alteratione hujusmodi ad nostræ interpretationis oraculum recurrere curavistis. Nos igitur felicis memoriæ Innocentii papæ prædecessoris nostri litteris, quibus dictæ concordiæ tenor est de verbo ad verbum insertus, diligenter inspectis, et habito supra his fratrum nostrorum consilio, vobis auctoritate præsentium respondemus, communitates superius notatas secundum sæpedictæ concordiæ formam non debere hoc anno iterum cottumari, nec haberi ex verbis concordiæ supradictæ quod collecta sit facienda per libram, sed juxta ejusdem verba per parochiam vel capellam fideliter. Quod qualiter intelligi debeat, sequentia verba declarant, videlicet per viros fideles juramento adstrictos, quod eam faciant diligenter, nullum amicitia, consanguinitate vel dolo quolibet excusantes. Ideoque universitati vestræ sub debito fidelitatis, interminatione anathematis, ac pœna mille librarum districte præcipiendo mandamus, quatenus contra responsionem nostram nihil penitus molientes in tranquillitate ac pace, quæ agenda sunt, sicut viri providi faciatis. Datum Laterani, VIII kalendas martii, pontificatus nostri anno secundo.

« Præcipimus autem, ut hæc omnia in constituto conscripta juret servare potestas, qui pro tempore fuerit, ac ea jurari et servari facere ab omnibus hominibus civitatis et districtus sæpius dictorum qui sibi juraverint, et a suo etiam successore, nec juretur eidem, nec habeatur pro potestate, consule aut rectore nisi præmissa juraverint. Et quicumque jurabit ei, de cætero juret istud, nec de constitutis, ubi ea scribi præcipimus annuatim, aliquatenus deleantur. Mandamus etiam quatenus octaginta et novem libræ et duo solidi, ac decem et octo petiæ Mastorolæ vel æquivalens, quæ Bonajuncta Constantii, Johannes Rusticelli, Hugo de Priore, Reynerius de Dentesalvi, Saladinus, Hermannus Tribaldi, Consul Carlevaris, et alii capitanei quondam peditum cum hominibus partis suæ habuerunt a Bonojohanne Bernardi Petruzioli et filiis Egidii Curiatti, vel eorum fidejussoribus, sicut pars peditum in nostra præsentia recognovit, restituantur infra duos menses Hugolino Majoli, Gualfredo, Gualfredutio Tribaldi, Pegolotto et Bonaccurso quondam capitaneis militum et parti eorum a prædictis Bonajuncta Constantii, Johanne Rusticelli, et aliis capitaneis quondam peditum et eorum parte. Et si quid plus a dictis Bonojohanne et filiis Egidii Curiatti, vel eorum fidejussoribus capitaneos peditum et eorum partem probatum fuerit recepisse, fidejussores prædictorum et aliorum qui juraverunt cum militibus dictis, absolventes : ita tamen quod illi, qui tempore mandati erant in parte capitaneorum peditum, satisfaciant tam in his, quam in aliis debitis, obligationibus et expensis, quas eorum capitaneos fecisse usque ad adventum venturi proximo potestatis pro eorum utilitatibus apparebit.

« Ad hæc volumus et mandamus infra duos menses restitui domos et terras, homines et alia bona tam in civitate quam extra, occasione istius discordiæ subtracta, omnibus ex utraque parte, et foveæ et muri facti a tempore et in tempore Jordani Perusinorum potestatis, sine auctoritate domini a parte peditum per vineas, casalina et terras hominum partis militum, et in viis publicis destruantur et sine illorum expensis, qui damna passi sunt, reducantur in pristinum statum, januis portarum civitatis in locis pristinis repositis et locatis, quotque muri Castellionis filiorum Fusci per eos, qui ipsos diruisse noscuntur, congrue reparentur. Cæterum cum parti militum in incisione arborum et combustione domorum fuerint data damna, præcipimus ut dictis Hugolino, Gualfredo et aliis quondam capitaneis militum infra duos menses pro damnis ipsis in quinquaginta quinque libris de communis camera satisfiat, fiatque nihilominus totum salvum equorum, qui non fuerunt emendati a principio potestariæ Boni Baronis infra sex menses utrique parti per potestatem futurum, secundum quod in carta pacis factæ per dominum Sanctæ basilicæ duodecim Apostolorum presbyterum cardinalem, et Bobonem Oddonis Bobonis tunc potestatem Perusinorum plenius continetur.

« Adjicientes nihilominus, ut debita, quæ per Suppolinum quondam capitaneum militum, sicut apparet per instrumentum Be-

nevenuti notarii, fuerunt imposita parti suæ, venturus potestas infra duos menses post tempus suscepti regiminis sine salario solvi facere teneatur, et si quis pro parte sua de parte militum pro expensis vel debitis obligatus est, usque ad adventum potestatis prædicti ipsum indemnem per suos facere conservari, ac restituere de camera communis expensas, quæ in custodia vallis Martulæ et Roccæ de Flea factæ sunt, et fient, quamdiu per Sedem Apostolicam tenebuntur. Si quæ vero per nos acta sunt, potestas non intromittat se de illis, sed ea faciat inviolabiliter observari, fiatque justitia Benedefendendi de fuga, et intra tres menses per potestatem ipsum executioni mandetur. De damno quinquaginta librarum, quod sub custodia Jordani olim Perusini potestatis sibi datum exstitit, prout per testes et confessiones dignoscitur probavisse, communi defensione legitime reservata, de damno autem dato Oderisio et Bonojohanni Orlandi Ermanni in domibus, terris, vineis et rebus eisdem ablatis, nihil dicimus, cum causa supra his sit electo Clusino et conjudicibus suis a domino papa commissa.

« Prætera partem peditum ab impetitione partis militum supra centum quinquaginta libras, quas per Jordanum olim Perusinum potestatem habuerunt pro custodia turrium, absolventes, supra omnibus aliis præteritis, quæ vel pars militum posset proponere contra pedites, vel peditum contra eos, utrosque decernimus absolutos, et imponimus eis silentium in futurum.

« Actum in platea Perusina in præsentia Perusini et Fulginatis episcoporum..., Clusini electi, Spoletani et Fulginatis potestatum et sociorum suorum, ac alterius multitudinis numerosæ, anno Domini MCCXXIII, pontificatus domini Honorii papæ tertii anno septimo, mense julii die undecima. »

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Anagniæ, III nonas octobris, pontificatus nostri anno octavo.

XVI

Ad Walterum archiepiscopum Eboracensem.

5 octob. 1223.

[Rymer, Fœdera, I, 96.]

Mandat ut Lewellini excommunicati terras subjaceat interdicto, pro guerra quam fecit regi Angliæ.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiscopo Eboracensi et suffraganeis suis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Frequens, sicut intelleximus, nobilis viri Lewellini, dicti principis Norwalliæ, prævaricatio nil ei aliud, quam damnationem et confusionem adducet; cum ita levis factus sit fidei, ut credi ei, sicut salutis et famæ prodigo, jam non possit.

Sane inter alia carissimus in Christo filius noster Henricus, illustris rex Angliæ nuper nobis exposuit, quod nobilis ipse qui ejus homo ligius esse debet, a primis diebus, quibus dominari cœpit in terra prædicta, claræ memoriæ Johanni regi Angliæ, patri suo, non timuit rebellare.

Qui ad cor tandem reversus, et majores terræ suæ juramento firmarunt, quod prædicto regi, tanquam Domino, obedirent; sed dictus nobilis, contra præstitum veniens juramentum, præfatum regem et regnum infestavit ipsius. Demum vero, mediante dilecto filio nostro Gualone, tituli Sancti Martini presbytero cardinale, tunc in partibus illis Apostolicæ Sedis legato, prænominatus nobilis, a tanto revocatus excessu, facta præfato regi fidelitate et homagio, secundo juravit se regem et regnum nullatenus de cætero turbaturum. Quare idem rex, ut fortius sibi alligaret ejus commisit custodiæ quædam castra, quæ ille se fideliter servaturum tertio juramento firmavit. Recepit etiam de manu regis ipsius castra quædam, ad hæredes cujusdam nobilis pertinentia; quæ se redditurum ipsis hæredibus quarto præstito juramento promisit.

Quum autem, tempore legationis venerabilis fratris nostri Pandulphi, nunc episcopi, tunc vero electi Norwicensis, multa de his rursus infregerit, ad ultimum, coram eodem, et omnibus fere prælatis, et principibus Angliæ, cum ipso rege componens,

quinta vice juravit se deinceps contra fidelitatem eidem regi debitam non venturum; et per nos tandem obtinuit compositionem hujusmodi confirmari.

Nunc vero idem, tanquam homo prævaricationi assuetus, et facilis ad fallendum, se simul et famam, et promissa confundens, regi obedire recusat, et castra, sibi ab eo commissa, diruens, arma contra ipsum regem erexit; et ei, et ejus fidelibus, præcipue nobili viro Willelmo comiti Pembrocensi, ballivo regio, guerram movet, a quibus, et aliis nequitiis suis desistere noluit, licet ab ipso rege fuerit a venerabili fratre nostro Stephano Cantuariensi archiepiscopo, sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinali, metropolitano loci, et omnibus fere prælatis et principibus vicinis attente monitus et rogatus.

Quare, tot et tantis exigentibus culpis notoriis, et manifestis ejus offensis, una cum complicibus et fautoribus suis, per præfatum metropolitanum et quosdam ejus suffraganeos, quibus injunxeramus ut omnes perturbatores prædicti regis et regni sui spiritualiter et temporaliter exercerent, auctoritate Apostolica denuntiatus extitit excommunicationis sententiæ subjacere, ac terræ ipsorum ecclesiastico fuerint interdicto conclusæ : unde rex ipse humiliter postulavit, ut juxta supplicationem ex parte sua nobis exhibitam, obviare tantæ illius insolentiæ, ac sibi et regno suo, super hoc consulere dignaremur.

Nos igitur, regis et regni tranquillitatem zelantes, et pacem et multiplicem transgressionem fidei nobilis supradicti merito detestantes, cum in consuetudinem duxisse noscatur fidem frangere, seque ad fallendum facilem exhibere, fraternitati vestræ per Apostolica scripta præcipiendo mandamus quatenus, sententias quibus præfatus nobilis et fautores sui per antedictos metropolitanum et suffraganeos ejus nuntiati sunt auctoritate Apostolica subjacere, per omnes cathedrales, et alias civitatum et diœcesum vestrarum ecclesias, pulsatis campanis, et accensis candelis, singulis diebus dominicis et festivis, sublato cujuslibet appellationis et contradictionis objectu, solemniter innovantes, terras ipsorum interdicto arctissimo concludatis; ita quod, præter baptisma, pœnitentiam et viaticum in extremis, omnia ibi sacramenta ecclesiastica denegentur, ut nec corpora decedentium ecclesiasticæ sepulturæ tradantur.

Prælatos quoque ac clericos, qui easdem sententias non servaverint, ad nostram faciatis præsentiam, officiis et beneficiis, cum vestris testimonialibus litteris venire suspensos.

Quod si vexatio adhuc eidem non tribuerit intellectum, ut regi super his satisfactionem congruam non impendat, vos post sex menses a tempore talis interdicti, et innovatione sententiarum ipsarum, ab homagio et fidelitate ipsius denuntiaretis ejus subditos absolutos; exponendis bonis suis et suorum; et tantæ iniquitatis auctoribus non, nisi personaliter ad Sedem Apostolicam veniant, absolvendis. Datum Anagniæ III nonas octobris, pontificatus nostri anno octavo.

XVII

Ad abbatem de Cremimunster, S. Nicolai et de domo S. Floriani præpositos diœcesis Pataviensis.

6 octob. 1223.

[Monumenta Boica, XIII, 201.]

Eis mandat ut in causa excommunicationis, quam abbas de Walrebach ejusque collegæ ad instantiam Ludovici ducis Bavariæ contra abbatem conventumque monasterii Priviningensis tulerant post appellationem interpositam, juxta priorum litterarum continentiam procedant.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati de Cremimunster, S. Nicolai et de domo Sancti Floriani præpositis Pataviensis diœcesis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Sua nobis... abbas et conventus monasterii Priviningensis insinuatione monstrarunt, quod quum nobilis vir Ludovicus dux Bawariæ, Ratisponensis diœcesis, ipsos super quodam monte ac rebus aliis coram... abbate de Walrebach et ejus collegis ex delegatione Apostolica traxisset in causam, quia dicti judices nullas ad deliberandum inducias concedebant prorsus eisdem humiliter requisiti, dicti... abbas et conventus sentientes indebite se gravari, nostram audientiam appellarunt. At illi eorum appellatione contempta excommunicationis tulerunt sententiam in eosdem. Ideoque discretioni vestræ per Apostolica scripta man-

damus, quatenus, si dictam excommunicationis sententiam post hujusmodi appellationem inveneritis esse latam, denuntiantes eam penitus non tenere, in eadem causa juxta priorum litterarum continentiam, ratione prævia procedatis; alioquin partes ad priorum judicum remittatis examen, appellantes in expensis legitimis condemnando. Testes autem qui fuerint nominati, si se gratia, odio vel timore subtraxerint, per censuram ecclesiasticam, appellatione cessante, cogatis veritati testimonium perhibere. Quod si non omnes his exsequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nihilominus exsequantur. Datum Anagniæ, II non. octobris, pontificatus nostri anno octavo.

XVIII

Ad magistrum et fratres militiæ Templi in Francia.

6 octob. 1223.

[Regest., lib. VIII, epist. 57. Mss. La Porte du Theil.]

Inhibet ne possessiones, ad dominium fratrum militiæ Templi pertinentes, ab aliquibus Cisterciensis ordinis comparari possint.

Honorius, etc., dilectis filiis... magistro et fratribus militiæ Templi in Francia, salutem et Apostolicam benedictionem.

Quum sicut ex parte devotionis vestræ fuit nostris auribus intimatum, quidam abbates, priores et monachi Cistercien. ordinis, et alii viri religiosi terras, possessiones, et redditus ad vestrum dominium pertinentes a vestris hominibus comparare et appropriare sibi, vobis invitis, in vestrum gravamen et præjudicium non formident, nos vestris et vestræ domus indemnitatibus præcavere, quantum cum Deo et honestate possumus, cupientes, ne talia de cætero ab aliquibus attententur, auctoritate præsentium districtius inhibemus. Nulli ergo hanc paginam nostræ inhibitionis infringere, etc. Si quis autem, etc. Datum Anagniæ, II nonas octobris, anno octavo.

In eumdem modum scriptum est magistro et fratribus militiæ Templi in Anglia.

XIX

Ad Thomam Strigoniensem archiepisc.

7 octob. 1223.

[Fejer, Codex Diplom., III, I, 419.]

Ei concedit ut præbendas tenues canonicorum suorum e proventibus capellarum in perpetuum annectendarum augmentare possit.

Honorius, etc., archiepiscopo Strigoniensi, etc., salutem.

Ex parte tua nobis fuit humiliter supplicatum, ut quum, sicut asseris, præbendæ Strigoniensis ecclesiæ tenues sint æqualiter et exiles, de nostra permissione liceret canonicis Strigoniensibus ad provisionem eorum augendam conferre. Verum licet personam tuam sincero in Christo diligamus affectu, parati quantum cum Deo possumus tuis votis libenter annuere, ac condescendere postulatis; quia tamen per hoc statutis derogaretur generalis Concilii, quæ volumus inconcusse servari, te hac in parte nequivimus exaudire. Porro super gratiam tibi a nobis exhibitam gratiam facientes, fraternitati tuæ præsentium auctoritate concedimus, ut si evidens necessitas, vel utilitas exigat, ecclesiæ memoratæ præbendas de capellis in perpetuum annectendis eisdem valeas sicut discretione prævia expedire videris, augmentare. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam, etc. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Anagniæ, nonis octobris, pontificatus nostri anno octavo.

XX

Ad Hildenshemensem et Mindensem episcopos.

7 octob. 1223.

[Wenck, Hessische Landesgeschicte, II, 143, n. 104.]

Ut abbati et conventui monasterii de Helmwardeshusen, chrisma, oleum sanctum, etc., impendant.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus Hildenshemensi et Mindensi episcopis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Sicut intelleximus monasterium de Helm-

wardeshusen ad Romanam Ecclesiam nullo pertinere mediante, ac ipsi a Sede Apostolica esse indultum, quod ejus abbas et conventus a quocunque catholico maluerint episcopo chrisma, oleum sanctum, ordinationes monachorum seu clericorum, consecrationes altarium seu basilicarum, et alia recipiant ecclesiastica sacramenta; quia vero, sicut audimus, hæc difficulter aliquando exhibentur, fraternitatem vestram monemus attente per Apostolica vobis scripta mandantes, quatenus, quum ab eis fueritis requisiti, prædicta ipsis sine difficultate qualibet impendatis, ita quod vos religiosa loca diligere et ad Christi ministeria habere comprobemini caritatem, nosque non compellamur super hoc aliter providere. Datum Anagniæ, nonis octobris, pontificatus nostri anno octavo.

XXI

Ad magistrum Arnaldum priorem hospitalis S. Jacobi Burdegalen.

13 octob. 1223.

[Regest., lib. VIII, epist. 34. Mss. La Porte du Theil.]

Inhibet ne capitulum Burdegalense in eos aliam jurisdictionem quam ordinariam exercere valeant.

Honorius, etc., dilecto filio magistro Arnaldo priori hospitalis Sancti Jacobi Burdegalen., salutem et Apostolicam benedictionem.

Hi qui pietatis opera exercentes infirmorum et pauperum obsequiis se voverunt, sic sunt ab universis Christi fidelibus confovendi, ne per aliquorum injurias et pressuras a tam pio proposito revocentur. Quum igitur, sicut tu, dilecte fili... prior, exposuisti humiliter coram nobis, tu et fratres tui pauperum et infirmorum obsequiis jugiter insistatis, sub certa regula a felicis recordationis Innocentio Papa, prædecessore nostro, vobis data degentes, nos paci, et quieti tuæ et fratrum tuorum ac successorum vestrorum, infirmorum ac pauperum, quorum servitiis incessanter laudabiliter insudatis providere volentes, præsentium auctoritate statuimus, et districtius inhibemus, ne... decanus et capitulum Burdegalen. in vos, et ipsum hospitale aliam quam in omnes alias ejusdem civitatis collegiatas, et conventuales personas ordinariam jurisdictionem valeant exercere, præsertim cum quæstiones omnes dudum inter hospitale ratione parochiæ ac territorii exortæ per sollemne arbitrium, a partibus sine contradictione susceptum, ut proponitis, fuerunt sopitæ, sicut in instrumento super hoc confecto dicitur plenius contineri... Indignum namque videretur nimium, et absurdum, quod quum viri religiosi donari majori soleant libertate quam alii, vos plus cæteris ejusdem civitatis regularibus et conventualibus personis prædictæ subjaceamini servituti. Nulli ergo, etc., hanc paginam nostræ constitutionis et inhibitionis, etc. Si quis autem, etc. Datum Anagniæ, III idus octobris pontificatus, nostri anno octavo.

XXII

Ad archiepiscopum Burdegalensem.

13 octob. 1223.

[Regest., lib. VIII, epist. 75.]

Idem argumentum quam præcedentis epistolæ.

Honorius, etc., venerabili fratri... Burdegalen... archiepiscopo, salutem, etc.

Hi, qui pietatis opera, etc. *usque* revocentur. Quum igitur, sicut dilectus filius magister Arnaldus prior hospitalis Sancti Jacobi Burdegalen. exposuit humiliter coram nobis, idem et fratres sui pro viribus jugiter obsequiis pauperum et infirmorum insistant, sub certa regula a felicis recordationis Innocentio Papa prædecessore nostro ipsis data degentes, eosdem fraternitati tuæ propensius commendamus per Apostolica scripta mandantes, quatenus non permittas... decanum et capitulum Burdegalen. in eos et ipsum hospitale aliam, quam in omnes alias civitatis tuæ collegiatas et conventuales personas jurisdictionem ordinariam exercere, præsertim, etc., *ut supra usque* susceptum, fuerunt sopitæ, sicut in instrumento super hoc confecto dicitur plenius contineri, contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Non obstantibus litteris, vel eorum processum si quis minus legitime habitus est per ipsas super obedientia et reverentia contra prædictos priorem et fratres a dictis decano et capitulo

de dicto arbitrio mentione non habita impetratis a nobis postquam idem prior iter arripuit ad Sedem Apostolicam veniendi. Taliter itaque mandatum Apostolicum exsequaris, quod dictorum prioris et fratrum ac ipsius hospitalis tranquillitati sic provideatur et paci, quod a pietatis operibus minime revocentur, sed prout consueverunt in illis jugiter perseverent. Indignum namque, etc., *usque* quam alii vos plus cæteris, etc. *usque* subjaceant servituti. Præterea nolentes quod præfatum hospitale, pro eo quod dicti fratres vinculo excommunicationis esse dicuntur adstricti, præsentium litterarum, et indulgentiæ a nobis tibi concessæ fraudetur affectu, volumus, ut eis juxta formam Ecclesiæ beneficium absolutionis impendens, occasione hujusmodi non obstante, mandatum nostrum secundum earumdem litterarum continentiam exsequaris et indulgentiam suam facias servare vigorem. Datum Anagniæ, III idus octobris, anno octavo.

XXIII

Ad decanum et capitulum Matisconen.

21 octob. 1223.

[Regest., lib. VIII, epist. 30. Mss. La Porte du Theil.]

Quamdam ordinationem eis factam confirmat.

Honorius, etc., dilectis filiis... decano et capitulo Matisconen.. salutem, etc.

Justis petentium, etc., *usque* assensu. Ordinationem per venerabilem fratrem nostrum Lugdunensem archiepiscopum, loci metropolitanum, auctoritate venerabilis fratris nostri... Portuen. episcopi, Apostolicæ Sedis legati, de consilio venerabilium fratrum nostrorum... Matiscon. et... Cabilonen. episcoporum, tam super continuo servitio majori altari ecclesiæ vestræ a tribus presbyteris exhibendo, quam super annuo redditu eorum singulis ministrando, nec non canonicorum residentia, distributione terrarum, et quibusdam aliis articulis in ecclesia ipsa factam, et per eumdem legatum postmodum approbatam, prout in eorum litteris dicitur plenius contineri, sicut canonice et provide facta est, auctoritate Apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo, etc., hanc paginam nostræ confirmationis infringere, etc. Si quis autem, etc. Datum Laterani, X kal. novembris, pontificatus nostri anno octavo.

XXIV

Ad abbatem et conventum de Esrom.

23 octob. 1223.

[Thorkelin, Dipl. Arna Magn., I, 99.]

Eos sub beati Petri et sua protectione suscipit.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati et conventui de Esrom, salutem et Apostolicam benedictionem.

Justis petentium desideriis dignum est nos facilem præbere consensum et vota, quæ a rationis tramite non discordant, effectu prosequente complere. Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, personas vestras cum omnibus bonis quæ in præsentiarum rationabiliter possidetis aut in futurum justis modis, præstante Domino, poteritis adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus. Specialiter autem possessiones de Husbii, de Haerluffe, et de Wethlewe ac alia bona, sicut ea juste ac pacifice possidetis, vobis et per vos vestro monasterio auctoritate Apostolica confirmamus, etc. Nulli ergo, etc. Si quis autem, etc. Datum Laterani, X kalendas novembris, pontificatus nostri anno octavo.

XXV

Ad abbatem et conventum S. Dionysii Parisiensis.

3 octob. 1223.

[Doublet, Hist. de l'abbaye de Saint-Denis, p. 536.]

Eis indulget ut si qui priores vel alii monachi in eorum domibus exterioribus existentes mutuum sine majoris et sanioris partis fratrum assensu contraxerint, exinde creditoribus respondere cogi minime possint.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati et conventui S. Dionysii Parisiensis, salutem, etc.

Quia melius est in tempore occurrere, quam post exitum vindicare, nos indemnibati vestri monasterii præcavere volentes, auctoritate vobis præsentium indulgemus, ut si qui priores, vel alii monachi in domi-

bus vestris exterioribus existentes, mutuum sine vestro vel vestrum majoris et sanioris partis assensu contraxerint, non cogamini exinde creditoribus respondere. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam, etc. Datum Laterani, X kalendas novembris, pontificatus nostri anno octavo.

XXVI

Ad Ludovicum VIII, Francorum regem.

25 octob. 1223.

[Bouquet, Rec. des Histor., XIX, 737; Regest., lib. VIII, epist. 77.]

Ludovico, qui Philippi regis obitum suamque in regnum promotionem nuntiavit, rescribit Honorius patrem laudibus concelebrans, et filio gratulatus. Simul et pro Theobaldo, quem rex commendavit, pollicetur se opem navaturum.

Honorius episcopus....., carissimo in Christo filio Ludovico, regi Francorum illustri, salutem, etc.

Ineffabilis Providentiæ divinæ profunditas, attingens a fine usque ad finem, fortiter omnia suaviterque disponens, ac secundum suæ dispositionis arcanum mutans per successiones labentium temporum reges terræ, inclytæ recordationis Ph. rege Francorum, patre tuo, post laudabiliter acta regni terreni negotia, sicut credimus, ad meliora vocato, te in ejus solio feliciter collocavit, ut, te regnante pro ipso, ac ejus pietatem et justitiam imitante, pater in filio vivere videatur. Licet igitur patris tui obitus nos, qui eum sincera caritate dileximus, secundum hominem contristaverit, accepimus tamen in personæ tuæ sublimatione solatium, ita quod ex hoc orta lætitia dolorem qui ex morte jamdicti patris tui acciderat, temperavit, ipsa nativa bonitate tui præclari generis plenam nobis tribuente fiduciam, quod progenitorum tuorum vestigia imitanda non deseres, sed sicut in regni sede, sic et in decore virtutum eis, Domino largiente, succedes : propter quod, illam dilectionem sinceram quæ sæpedictum patrem tuum sumus amplexati, in te totaliter transfundentes, firmiter gerimus in proposito honori et profectui tuæ sublimitatis intendere, et in quibuscumque decuerit, tibi favorem Apostolicum exhibere. Rogamus igitur circumspectionem tuam et hortamur attente, quatenus præfatum patrem tuum, tum in cæteris commendandis actibus, tum specialiter in vera devotione quam ad Apostolicam Sedem et ad totam Dei Ecclesiam habuisse dignoscitur, taliter imiteris, quod, sicut ipse Apostolicam gratiam suis exigentibus meritis incessabiliter habuit, sic et tu illam habere jugiter merearis.

Sane litteras quas super negotio nobilis viri Theobaldi de Ulliaco et consanguineorum ejus tua nobis serenitas destinavit, diligenter audivimus, et ea quæ continebantur in illis, pleno concepimus intellectu, dictoque Theobaldo specialiter, consideratione personæ tuæ, secundum quod honeste potuimus, super hoc curavimus providere, sicut litteræ nostræ super hoc venerabili fratri nostro Parisiensi episcopo et aliis destinatæ tibi plenius declarabunt. Tu ergo jus tuum cum ea mansuetudine et eo moderamine tuearis, quod tuæ celsitudinis circumspectio merito commendetur et Apostolicus favor tibi deesse non debeat, sed adesse. Datum Laterani, VIII kal. novembris, pontificatus nostri anno octavo.

XXVII

Ad abbatem et conventum de Sora.

27 octob. 1223.

[Thorkelin, Dipl. Arn. Magn., I, 99.]

Eos cum omnibus bonis sub beati Petri et sua protectione suscipit.

Sacrosancta Romana Ecclesia devotos ac humiles ex assuetæ pietatis officio propensius diligere consuevit, et ne pravorum hominum molestiis agitentur, eos tanquam pia mater suæ protectionis munimine confovere. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus gratum impartientes assensum, personas vestras et locum in quo divino estis obsequio mancipati, cum omnibus bonis quæ in præsentiarum possidetis aut in futurum justis modis, præstante Domino, poteritis adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus. Specialiter autem possessiones de Brebihalese, Nubo, Susethorp, Brunhong et Gishugi ac alia bona vestra, sicut ea omnia juste ac pacifice possidetis vobis et per vos eidem monasterio auctoritate Apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio

communimus. Nulli ergo omnino hominum, hanc paginam nostræ confirmationis infringere, etc. Si quis autem, etc. Datum Laterani, IV kalendas novembris, anno octavo.

XXVIII

Ad abbatem et conventum Sanctæ Mariæ de Victoria.

28 octob. 1223.

[Mss. latins. Fonds Moreau, t. CXXXII. Biblioth. nat.]

Eos sub beati Petri et sua protectione suscipit.

Honorius, etc., dilectis filiis abbati et conventui Sanctæ Mariæ de Victoria, salutem et Apostolicam benedictionem.

Sacrosancta Romanà Ecclesia devotos et humiles filios ex assuetæ pietatis officio propensius diligere consuevit, et ne pravorum hominum molestiis agitentur, eos tamquam pia mater suæ protectionis munimine confovere. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, personas vestras et locum in quo estis divino obsequio mancipati, cum omnibus bonis quæ in præsentiarum rationabiliter possidetis, aut in futurum justis modis, præstante Domino, poteritis adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus; specialiter autem possessiones et redditus ecclesiæ vestræ a claræ memoriæ Philippo rege Francorum, ejus fundatore, necnon a christianissimo in Christo filio nostro Ludovico, nato ejus, rege Francorum illustri, regia liberalitate collata; libertates quoque ac immunitates eidem ecclesiæ a præfatis regibus et ab aliis ecclesiasticis personis vel mundanis pia et provida devotione concessas, sicut ea omnia juste, canonice et pacifice possidetis, vobis et per vos ipsi ecclesiæ auctoritate Apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ protectionis et confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani, V kalendas novembris, pontificatus nostri anno octavo.

XXIX

Ad abbatem S. Vincentii Mediolanensis.

30 octob. 1223.

[Tatti, Annali di Como, II, 931.]

Causam super ecclesia S. Abundii de Bocarda eis committit dijudicandam.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati S. Vincentii Mediolanensis, et priori S. Petri de Laude Veteri Lauden. diœcesis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Dilecti filii abbas et conventus S. Abundii Cumani nobis conquerendo monstrarunt quod archipresbyter, et clerici S. Martini in Olza, Placentin. diœcesis, ipsos super ecclesia S. Abundii de Bocarda ad eorum monasterinm de jure spectante, aggravant et molestant, alias eis injuriosi non modicum existentes. Ideoque discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus partibus convocatis, audiatis causam, et appellatione remota fine debito terminetis, facientes quod decreveritis per censuram ecclesiasticam observari. Testes autem, qui fuerint nominati, si se gratia, odio vel timore subtraxerint, per censuram eamdem cessante appellatione cogatis veritati testimonium perhibere. Datum Laterani, III kalendas novembris, pontificatus nostri anno octavo.

XXX

Ad Henricum comitem de Zwerin.

31 octob. 1223.

[Urkundenbuch Meklenburgisches, I, 278, n. 292.]

Ei mandat ut sub pœna excommunicationis regem Daciæ et filium ejus libertati restituat.

Grandem et gravem in gloria tua maculam posuisti et quæ tibi et tuis improperari poterit omni tempore, nisi eam per acceleratæ satisfactionis remedium curaveris citius abolere. Non enim attendens, quantum sit fidelitatis vinculum et quantum vassallus domino teneatur quamve gravis criminis notam incurrat non solum, qui offendit proprium dominum, sed etiam qui offensum ab alio pro viribus non defendit, in carissimum in Christo filium nostrum.... illustrem regem Daciæ, dominum tuum, transgressor juramenti fidelitatis, quod ei præstiteras, et

multorum beneficiorum, quæ, ut dicitur, ab eo receperas, immemor et ingratus manus extendere præsumpsisti, quodque sine dolore animi nec audivimus nec referimus, graviter vulneratum extra regnum suum irreverenter abducens captum cum filio suo detinere præsumis. Profecto te per hujusmodi facinus reddidisti regibus et principibus universis odibilem, utpote qui contra eos et contra temetipsum exemplum pessimum edidisti, quid, quum homines proniores sint mala imitari quam bona, nonnulli forte hoc exemplo audebunt contra dominos suos ea præsumere, quæ te contra tuum audierint præsumpsisse. Offendisti etiam graviter Deum et Romanam Ecclesiam, ad quam ipsum regnum specialiter pertinet, et cujus idem rex est specialis filius et fidelis. Quia igitur tum propter hanc rationem, tnm propter firmam promissionem, qua nobis adstrictus est de impendendo grandi subsidio Terræ Sanctæ, nos ita sibi recognoscimus et fatemur adstrictos, quod sine læsione famæ nostræ ac etiam conscientiæ, sibi non possemus in tam gravi casu necessitate deesse; nobilitatem tuam monemus attente et sub obtestatione divini judicii tibi districte præcipiendo mandamus quatenus infra mensem post susceptionem præsentium ipsum regem et filium ejus plenæ libertati restituas et sine difficultate qualibet liberos abire permittas, nosque tibi faciemus exhiberi justitiæ complementum, si adversus eum habes aliquid quæstionis; alioquin noveris nos venerabili fratri nostro Coloniensi archiepiscopo mandavisse, ut extunc te ac omnes tuos in hac iniquitate fautores, sublato appellationis obstaculo, excommunicet, faciens excommunicationem singulis diebus dominicis et festivis, pulsatis campanis et candelis accensis, solemniter publicari per universa loca, in quibus viderit expedire. Ad hæc diœcesim, in qua sæpedictum regem et filium ejus contigerit detineri, subjiciat interdicto, interdicens in ea et omnino cessare faciens omnia ecclesiastica sacramenta et sepulturas specialiter mortuorum, eo dumtaxat excepto, quod baptisma parvulis et morientibus pœnitentia non negetur, hoc idem faciens de quolibet loco, ad quem te devenire contigerit, quamdiu fueris in eadem. Denique quum fidelitatem in subditis tuis invenire non debeas, quam in præfatum dominum tuum tam damnabiliter violasti, quoslibet tibi vinculo fidelitatis adstrictos ab illo auctoritate nostra denuntiet absolutos, in eos, si tibi post hujusmodi absolutionem præsumpserint adhærere, excommunicationis sententiam proferendo ac faciendo eosdem sicut excommunicatos arctius evitari. Pro certo autem noveris, quod, si contemptis pœnis hujusmodi sæpedictum regem et filium ejus præsumpseris detinere, nos contra te pœnas alias excogitare curabimus, et specialiter imperialem dexteram in tuum exterminium concitare, taliterque super te gravabimus manus nostras, quod te ad ultimum pœnitebit luctamen contra Deum et Romanam Ecclesiam suscepisse, et erit sera pœnitentia post ruinam. Videas ergo, dum potes, ne te illis immergas angustiis, de quibus exire desideres et non possis, quum dignum sit, ut quum velit, non valeat, qui noluit, quum valebat. Datum Laterani, II kalandas novembris, pontificatus nostri anno octavo.

XXXI

Ad Engelbertum Coloniensem archiepiscopum.

1 novemb. 1223.

[Raynald., Ann. eccl., ad ann. 1223, § 24, 27.]

Mandat ut comitem de Zwerin et ejus fautores excommunicet, nisi infra mensem regem Daciæ et ejus filium libertati restituerit.

Coloniensi archiepiscopo.

Immanitas detestandi facinoris, quod Henricus comes de Zwerin in carissimum in Christo filium nostrum... illustrem regem Daciæ dominum suum, et ejus filium attentavit. Deum procul dubio incitat, et incitare debet homines contra eum, ipsumque reddere odibilem universis, qui perfidiæ dolositatem oderunt, et diligunt fidei puritatem. Sicut enim ex litteris prælatorum et principum regni Daciæ nobis innotuit, quum idem rex in quamdam insulam ipsius regni, æstivo tempore, ob aeris clementioris temperiem, cum sua privata familia secessisset, nec aliquas suspicaretur insidias, utpote qui non moliebatur adversus aliquem quidquam mali, ecce dictus comes transgressor juramenti fidelitatis, quod ei præstiterat, et multorum beneficio-

rum, quæ ab ipso receperat, immemor et ingratus, nocturno tempore in tentorium ejus irruens cum armatis, immitis mitem, armatus inermem, vassallus dominum in strato suo dormientem invasit; et quod sine dolore, nec audire potuimus, nec possumus recitare, ipsum regem impie vulneratum, una cum præfato filio suo in sylvam quamdam adduxit, ac deinde cum illis extra regnum se transferens, eos in districtu imperii captos detinere præsumpsit.

Omnes siquidem reges et principes tangere debet tam enorme flagitium, eo quod aliis attentandi contra dominos suos similia tribuere potuit incentivum, audentibus hoc exemplo præsumere, quæ comitem prædictum audiverint præsumpsisse. Sane licet Apostolatus officium vos universos constituat debitores, dicto tamen regi specialis ratio, non una, sed multiplex nos astringit; ita quod sine læsione famæ nostræ, ac etiam conscientiæ, sibi non possemus in tam gravis articuli necessitate deesse. Primo enim regnum Daciæ specialiter ad Romanam spectat Ecclesiam, et ad specialis ditionis indicium ei esse noscitur censuale, idemque rex, sicut et prædecessores sui se Apostolicæ Sedi fidelem semper exhibuit et devotum : unde si eadem ipsum in hoc casu, quod absit, desereret, se non solum ingratam, sed indignam quoque fidelitatis et devotionis hujusmodi exhiberet. Accedit et alia ratio, non invalida, sed quæ sola sufficeret nos ad ipsius regiminis subventionem inducere, etiamsi rationes deficerent supradictæ. Idem enim rex, etsi pro subsidio Terræ Sanctæ non bajulat signum crucis in publico, illud tamen ad nostram exhortationem susceptum bajulat in occulto, certa nobis promissione facta, quod ipse vel filius ejus, in ipsius Terræ Sanctæ succursum transfretabit in instanti passagio generali. Et si forsan neuter ipsorum personaliter transfretare potuerit, illuc centum ved ad minus quinquaginta milites destinabit; unde patet cuilibet volenti veritatem oculo rationis inspicere, quod sæpedicto regi tenemus, saltem sicut aliis crucesignatis, adesse.

Gaudentes igitur, et caritatem tuam dignis in Domino laudibus commendantes, quod ad liberationem ipsius regis et filii sui hactenus, sicut accepimus, fideliter intendisti, fraternitatem tuam rogamus attentius et hortamur, ac tibi per Apostolica scripta firmiter injungendo mandamus, quatenus quod hactenus fecisti laudabiliter per teipsum, de cætero studiosius facies, mandato et precibus Apostolicis invitatus, ad liberandum eos, modis quibuscumque potes, incessanter intendas, ita quod studium tuum clareat per effectum, et tu præter Sedis Apostolicæ gratiam, quam ex hoc plenius assequeris, crescas et nomine apud homines, et merito apud Deum.

Inter cætera vero dictum comitem ex parte nostra moneas diligenter, ut infra mensem post susceptionem litterarum nostrarum, quas super hoc sibi dirigimus, præfatum regem et filium ejus plenæ libertati restituat, et absque difficultate qualibet liberos abire permittat, nosque ipsi faciemus exhiberi justitiæ complementum, si adversus eum habet aliquid quæstionis. Qui si tuis, imo nostris acquiescere monitis non curaverit, ipsum et omnes ejus in hac iniquitate fautores, sublato appellationis obstaculo, excommunices, faciens excommunicationem ipsam singulis diebus dominicis et festivis, pulsatis campanis, et candelis accensis, solemniter publicari per universa loca, in quibus videris expedire, etc.

Imperat ut provinciam, in qua rex detentus in vinculis fuerit, interdicto ecclesiastico supponat.

Datum Laterani, kalend. novembris, anno octavo.

XXXII

Ad Fredericum Romanorum imperatorem.

1 nov. 1223.

[Urkundenbuch Meklenburgisches, I, 282, n. 294.]

Mandat ut regi Daciæ ac filio ejus captivis auxilium ferat.

Honorius, etc., *ut supra.* Imperialis quoque clementiæ providentiam decet et expedit, impendere auxilium dicto regi ac ipsi præsumptori signa dignæ indignationis ostendere ac per hoc alios a præsumptione simili deterrere. David cuidam nuntianti, quod regem Saulem persecutorem ejus occiderat, et propter hoc ab ipso præmia exspectanti : Quare, inquit, non timuisti mittere manum tuam, ut occideres christum Domini, et statim illum imperavit

occidi, ut qui audirent hujusmodi vindictam, plenius intelligerent, quanta reverentia debeatur regiæ dignitati, et attentare similia formidarent. Non tibi suggerimus hoc exemplo, ut occidas comitem memoratum : absit hæc a mansuetudine Sedis Apostolicæ impietas; sed utique suademus, ut rex regi feras auxilium et citra sanguinis pœnam sic ipsum comitem punias quod audacia perfidiæ suæ non transeat in exemplum. Monemus itaque serenitatem tuam et quanta possumus affectione rogamus, pro grandi et speciali munere postulantes, quatenus pro Dei et Sedis Apostolicæ reverentia, necnon pro consideratione regiæ dignitatis, cui te debes favorabilem exhibere, dictum regem et filium ejus plenæ restitui facias libertati, super hoc imperialia scripta ita expressa et efficacia dirigendo, quod eorum liberatio non possit diutius protelari, preces nostras taliter impleturus, quod præter hominum laudes et perpetuam devotionem ipsius regis ac filii sui, quam ex hoc plenarie assequeris, æterna tibi a Rege regum præmia reserventur. Datum Laterani, kalend. novembris, anno octavo.

XXXIII

Ad Bertholdum episcopum Lubicensem.

2 novemb. 1223.

[Urkundenbuch Meklenburgisches, I, 283, n. 296.]

Ei mandat ut comitem de Zwerin et ejus fautores excommunicet.

Honorius, etc., *ut supra.* Ideoque fraternitati tuæ per Apostolica scripta firmiter præcipiendo mandamus, quatenus, nisi dictus comes infra mensem post susceptionem litterarum quas super hoc sibi dirigimus, ipsum regem ac filium ejus reddiderit libertati, ipsum et omnes ejus in hac iniquitate fautores appellatione remota excommunicatos publice nunties, et facias eosdem usque ad satisfactionem condignam arctius evitari, faciendo excommunicationem ipsam, pulsatis campanis et candelis accensis, publicari solemniter singulis diebus dominicis et festivis per loca, in quibus videris expedire. Datum Laterani, IV non. nov., anno octavo.

XXXIV

Ad cives Lubicenses.

2 novemb. 1223.

[Urkundenbuch Meklenburgisches, I, 283, n. 296.]

Eis mandat ut erga regem Daciæ captum fideles sese demonstrent.

Sicut vasa figuli probat fornax, sic adversitatis caminus examinat fidei puritatem. Quum ergo carissimus in Christo filius noster... illustris rex Daciæ dominus et filius ejus capti per Henrici comitis de Zwerin perfidiam teneantur, universitatem vestram sollicitandam duximus et hortandam, per Apostolica vobis scripta mandantes, quatenus fidei vestræ constantia, quam prospera clare demonstrare non poterant, in hoc adversitatis articulo demonstrantes, in ipsius regis fidelitate taliter persistatis, quod laudis vestræ præconia merito apud præsentes et posteros referantur et idem rex ac filius ejus, ad quorum liberationem studiose intendimus et intendemus auxiliante Domino cum effectu, quum in regnum suum redierint, eo se vobis exhibeant benigniores in prosperis, quo vos sibi fideliores extitisse meminerint in adversis. Datum Laterani, IV nonis nov., anno octavo.

XXXV

Ad capitulum S. Martini Wormatiensis.

2 novemb. 1223.

[Schannat, Hist. episcopat. Wormat., I, 105.]

Annuum redditum et ecclesiam de Speije eis confirmat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis decano et capitulo Sancti Martini Wormatiensis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Quum a nobis petitur quod justum est et honestum, tam vigor æquitatis, quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, annuum 16 librarum Wormat. monetæ redditum vobis et ecclesiæ vestræ a claræ memoriæ H. imperatore in recompensationem cujusdam telonei, quod a

vobis acceperat, assignatum, et ecclesiam de Speije, quam bonæ memoriæ B. Wormatiensis episcopus vobis et eidem ecclesiæ vestræ de sui capituli assensu contulit, sicut ea juste, canonice ac pacifice possidetis, et in prædictorum imperatoris et episcopi litteris dicitur contineri, vobis et per vos jam dictæ ecclesiæ vestræ auctoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Datum Laterani, IV nonas novembris, pontificatus nostri anno octavo.

XXXVI

Ad decanum... magistrum Fremuldum et Clementem, canonicos Atrebatenses.

4 novemb. 1223.

[Regest., lib. VIII, epist. 85. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat ut in monasterio Aimocurcen. quod viderint expedire faciant.

Honorius, etc., dilectis filiis decano, magistro Fremuldo et Clementi canonicis Atrebaten., salutem, etc.

Ex parte conventus monasterii Aimocurcen. fuit expositum coram nobis, quod quum ipsi videntes monasterium ipsum per dilapidationem... abbatis eorum, qui perjurii crimine irretitus alia plura commisit enormia in animæ suæ dispendium et scandalum plurimorum, fere ad extremam exinanitionem temporalium devenisse, duos monachos confratres eorum denunciaturos hæc nobis ad Sedem Apostolicam destinassent, idem abbas, qui saltem ob id a consueta debuerat malitia revocari, nec adhuc a dilapidatione bonorum ejusdem monasterii manum retrahens prodigalem, quosdam contractus, præter conventus assensum illicite inierat in dicti monasterii læsionem ab eis petiit sigillari; quod illis facere penitus recusantibus, præfatus abbas querelam super hoc venerabili fratri nostro... Cameracen. episcopo, loci diœcesano, deponens duos de clericis ipsius episcopi ad monasterium secum duxit; quare ipsi, ne ab eis prægravarentur in aliquo, se ac monasterium protectioni Sedis Apostolicæ supponentes, ad nostram audientiam appellarunt. Sed dicti clerici, eorum appellatione contempta, inhibuerunt eisdem ne abbatis contractus aliquatenus impedirent sub anathematis pœna, eis firmiter injungentes, ut sigillum conventus ad eumdem episcopum destinarent; propter quod illi ad nos iterum appellarunt. At illi nihilominus in fratres præsentes suspensionis, et in absentes excommunicationis sententias postularunt. Et licet dicti conventus de appellatione interposita confidentes aliquandiu celebraverint, cessarunt tamen postmodum de prudentum virorum consilio a divinis. Prædictus vero episcopus, eorum appellationibus penitus vilipensis, ipsos de claustro fecit ejici violenter, et quosdam eorum arctæ custodiæ mancipari; nec his contentus personaliter ad locum accedens, eis appellationes interpositas renovantibus, arcam in qua erat sigillum eorum confringens, et illud exinde secum portans, ipsos a divinorum celebratione suspendit. Quumque illi duo monachi, quos ad Sedem Apostolicam destinaverant, rediissent ad vos contra eumdem abbatem nostras inquisitionis litteras reportantes, quia litteræ ipsæ de tot et tantis gravaminibus, quorum prædicti duo fuerant prorsus ignari, nullam facerent mentionem, sæpedicti conventus nobis humiliter supplicarunt ut quicquid post eorumdem duorum iter arreptum ad Sedem Apostolicam veniendi, et appellationem ad nos interpositam, in eorum et monasterii præjudicium noscitur attentatum, faceremus in irritum revocari. Quocirca discretioni vestræ per Apostolica [scripta] mandamus, quatenus tam super præmissis, quam super illis, quæ in directis ad vos litteris continentur inquirentes plenarie veritatem, procedatis in negotio, ratione prævia, juxta priorum continentiam litterarum, provisuri nihilominus super eo quod dicti monachi taliter celebrarunt, prout saluti animarum ipsorum, et quieti monasterii secundum Deum videritis expedire. Quod si non omnes, etc. Datum Laterani, II nonas novembris, anno octavo.

XXXVII

Ad Ottonem episcopum Verdensem.

4 novemb. 1223.

[Urkundenbuch Meklenburgisches, I, 284, n. 297.]

Ei mandat ut comitem de Zwerin et ejus fautores excommunicet.

Quum igitur idem rex et filius suus in tua

dicantur diœcesi detineri, fraternitati tuæ per Apostolica scripta firmiter præcipiendo mandamus, quatenus, nisi dictus comes infra mensem post susceptionem litterarum, quas super hoc sibi dirigimus, ipsum regem ac filium ejus reddiderit libertati, ipsum et omnes ejus in hac iniquitate fautores excommunicatos publice nuntians et faciens excommunicationem ipsam, pulsatis campanis et candelis accensis, solemniter publicari singulis diebus dominicis et festivis in ipsa diœcesi, quamdiu rex ipse ac filius ejus detenti fuerint in eadem, interdicas et omnino cessare facias omnia ecclesiastica sacramenta et sepulturas specialiter mortuorum, eo duntaxat excepto, quod baptisma parvulis et morientibus pœnitentia non negetur, hoc idem faciens de quolibet loco, ad quem comitem ipsum devenire contigerit, quamdiu fuerit in eodem, præceptum nostrum ita sollicite impleturus, quod de negligentia reprehendi non debeas et puniri. Datum Laterani, II non. novembris, anno octavo.

XXXVIII

Ad abbates de Ripatorio et Aremarensem, et cantorem Lingonensem.

15 novemb. 1223.

[Bouquet, Rec. des Hist., XIX, 738; Regest., lib. VIII, epist. 86.]

Super Guidonis de Castellione, comitis Sancti Pauli, matrimonio cum Agnete, filia Hervei comitis Nivernensis, diligenter inquiri jubet Honorius, et inhiberi quominus cohabitare præsumant.

Honorius episcopus..., dilectis filiis de Ripatorio Cisterciensis ordinis et Aremarensi abbatibus, Trecensis diœcesis, et cantori Lingonensi, salutem, etc.

Ad aures nostras multorum relatione pervenit, quod nobilis vir Guido de Castellione cum nobili muliere filia quondam comitis Nivernensis (1) matrimonium de facto contraxit, quamquam sit ita proxima consanguinitatis linea sibi junctus, ut, secundum statutum generalis Concilii, non debeat hujusmodi copula tolerari; et, licet pro eadem copula dissolvenda nostras dicamur jamdudum litteras destinasse, illarum tamen non est auctoritate processum, sive negligentia illorum quibus super hoc scripsimus, sive calliditas id fecerit aliorum. Nolentes igitur id vel indiscussum relinquere, vel, si verum est, sub dissimulatione transire, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus quatenus, vocatis quos propter hoc videritis evocandos, et inquisita super hoc diligentissime veritate, si inveneritis rem taliter se habere, injungatis utrique ut, se ad invicem abjurantes, nullatenus cohabitare præsumant : qui nisi vobis paruerint, in eos, appellatione remota excommunicationis sententiam proferatis, et, facientes eos usque ad satisfactionem condignam arctius evitari, prolem, si quam ex hujusmodi copula incestuosa forte susceperint, illegitimam publice nuncietis, et in hæreditate paterna nullo unquam tempore successuram (2). Quod si non omnes, etc. Datum Laterani, XVII kal. decembris, pontificatus nostri anno octavo.

XXXIX

Ad eosdem delegatos abbates.

15 novemb. 1223.

[Bouquet, Rec. des Hist., XIX, p. 738.]

In eumdem fere modum scribit eisdem Honorius de incerto Margaretæ, sororis comitissæ Flandrensis, matrimonio cum Willelmo de Donnapetra.

Honorius episcopus... eisdem.

Ad aures nostras multorum relatione pervenit, quod nobilis mulier Margareta soror dilectæ in Christo filiæ, nobilis mulieris Joannæ comitissæ Flandrensis, quæ olim cum Burchardo de Avesnis matrimonium de facto contraxit, cum de jure non posset, nunc simili modo contraxit cum alio Willelmo de Donnapetra, videlicet ita proxima consanguinitatis linea sibi juncto, ut, secundum statutum generalis Concilii, non

(1) Cum Agnes, filia Hervei comitis Nivernensis et ejus hæres unica, in minori ætate desponsata fuisset, anno 1215, Philippo nepoti Philippi regis, ut videre est tomo nostro XVIII, p. 783; eodemque Philippo infante haud multo post mortuo, anno incerto, nupsisset Guidoni de Castellione, licet proximo consanguinitatis gradu illi conjuncta, hujusmodi copulæ adversatum fuisse Honorium discimus ex epistola ista 86. (Bouquet.)

(2) Cum inquisitione ex Honorii mandato facta consanguinitatis vinculum non compareret, pro comperto habendum est stetisse id matrimonium, et plures ex eo liberos procreatos, non spurios, sed legitimos, quos memorat historia. (Bouquet.)

debeat hujusmodi copula tolerari (1). Nolentes igitur id vel indiscussum relinquere, vel, si verum est, sub dissimulatione transire, discretioni vestræ, etc., *reliqua ut supra*. Datum Laterani, XVII kal. decembris.

XL

Ad Ludovicum VIII, Francorum regem.

15 novemb. 1223.

[Bouquet, Rec. des Hist., XIX, p. 739. Regest., lib. VIII, ep. 88.]

Præmonet regem Honorius ut, si Cypri regina de Campaniæ comitatu quæstionem proponere apud eum velit, non audiatur illa, donec ejus natalium causa Romæ terminata fuerit.

Honorius episcopus... carissimo in Christo filio Ludovico, regi Francorum illustri, salutem, etc.

Tuam non credimus latere prudentiam, causam natalium carissimæ in Christo filiæ nostræ illustris reginæ Cypri (2) ad examen nostrum, utpote quæ ad forum ecclesiasticum pertinet, jamdudum esse delatam. Unde claræ memoriæ Philippum regem Franciæ, patrem tuum, litteris nostris curavimus præmonere ut, si forsan regina ipsa super successione comitatus Campaniæ quæstionem proponeret coram eo, non audiret eamdem, quousque terminata esset prædicta causa natalium, ex qua illa noscitur dependere (3). Licet ergo, sicut eidem patri tuo scripsimus, velimus reginam ipsam in suis justis petitionibus exaudiri, quia tamen, antequam natalium causa terminata sit, dependentem ex illa successionis causam incipere nihil aliud esset quam diversis processibus intricare negotium, et confusione quadam ordinem judicii perturbare, tuam quoque serenitatem præmonendam duximus et rogandam quatenus, si forte ab ipsa regina vel nuncio ejus, seu quolibet alio, super hoc fueris requisitus, eorum precibus aures regias, donec jam dicta causa natalium Apostolico judicio finem acceperit, non inclines. Datum Laterani, XVII kalendarum decembris, pontificatus nostri anno octavo.

XLI

Ad Laurentium episcopum Wratislaviensem.

17 nov. 1223.

[Theiner, Monum. Poloniæ, I, 14, n. 31.]

Mandat ut insistant apud episcopum Cracoviensem, ut deposito habitu monachali ad regimen suæ ecclesiæ redeat.

Honorius episcopus, etc., venerabili fratri... episcopo Wratizlaviensi, et... dilectis filiis... abbati Lubensi et C. monacho quondam scholastico Wratizlaviensi, salutem, etc.

Quodam nuntio venerabilis fratris nostri... Cracoviensis episcopi olim in nostra præsentia proponente, quod idem episcopus voto et juramento tenebatur adstrictus assumere habitum regularem, ac ex parte ipsius humiliter supplicante, ut eidem cedendi licentiam largiremur, nos licet hujusmodi supplicatio nobis esset gravis admodum et amara, eo quod dictus dicebatur in spiritualibus salubriter, et in temporalibus utiliter ministrasse, ne tamen ejus videremur invidere quieti, vobis dedimus in mandatis, ut cessionem suam reciperetis, si tamen esset voluntaria, vice nostra, usu ei pontificalium reservato, facientes ipsi de bonis Cracoviensis ecclesiæ congrue provideri. Nuper autem vestras, Cracoviensis

(1) In opere de investigandis chronicis notis (*l'Art de vérifier les dates*, tome III, p. 16), legitur Margaretam nupsisse Guillelmo de Dampetra, anno 1218. Erroris autem arguitur auctor, tum Honorii verbis in hac epistola, *nunc contraxit cum alio Willelmo*, etc.; tum ejusdem litteris superius recitatis, lib. VI, epist. 55 et 56, quibus liquet Margaretam usque ad annum 1221, volentem vel coactam, cohabitasse cum Burchardo de Avesnis. Igitur collocandum videtur Margaretæ cum Guillelmo de Dampetra matrimonium circa annum 1223. Præterea epistola Ingelranni de Codiciaco ad Theobaldum Campaniæ comitem, a D. Martenio vulgata, t. I *Collectionis Ampliss.*, col. 1256, rem diserte adstrueret, si aliunde probationes deessent: « Sciatis insuper, inquit Ingelrannus, quod ipsa die, quando litteræ vestræ ad me venerunt, mihi verissime dictum est quod dominus Guillelmus de Dampetra sororem comitissæ Flandrensis dominam Hannoniensem duxerat in uxorem. » (Bouquet.)

(2) Aliciæ, viduæ tunc Hugonis de Leziniaco regis, filiæ Henrici II Campaniæ comitis et Isabellæ reginæ Jerosolymitanæ. (Bouquet.)

(3) Vide lib. III, epist. 244, ad annum 1219, t. III, col. 253.

capituli et multorum aliorum litteras recepimus, continentes, quod præfatus episcopus non posset hoc tempore sine gravi Cracoviensis ecclesiæ detrimento ejusdem regimen abdicare, propter quod nobis unanimiter supplicastis, ne per cessionem hujusmodi eamdem viduari et desolari ecclesiam pateremur. Nos igitur attendentes, quod etsi Rachel et clara oculis et facie formosa describitur, in comparatione tamen fœcunditatis lippæ sororis sterilis appellatur; considerantes etiam, quod quum sæpedictus episcopus regularem habitum jam susceperit, per quod desiderio suo satisfecisse videtur, eidem nostris dedimus litteris firmiter in præceptis, ut regimen Cracoviensis ecclesiæ quasi de novo auctoritate nostra suscipiat, et eam vigilanter more solito regat; quum etiam in episcopio possit et interdum pulchræ Rachelis amplexibus per studium contemplationis insistere, et interdum per prædicationis verbum et bonæ operationis exemplum spirituales de Lia filios generare, memor quod patriarcha Jacob post Rachel amplexus ad Liam rediisse narratur, et Moyses nunc delituisse in tabernaculo, nunc foras exisse ad populum memoratum. Ideoque discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus ad recipiendum cessionem ipsius episcopi nullatenus procedatis. Datum Romæ, XV kalendas decembris, pontificatus nostri anno octavo.

XLII

Ad decanum et capitulum Cracovienses.

17 novemb. 1223.

[Theiner, Monum. Poloniæ, I, 15, n. 32.]

Decano et capitulo Cracoviensibus super eodem argumento.

Honorius episcopus, etc., dilectis filiis.... decano et capitulo Cracoviensibus, salutem, etc.

Quodam nuntio, etc., *usque* invidere quieti, venerabili fratri nostro... episcopo Wratizlaviensi et collegis ejus dedimus in mandatis, ut cessionem suam, si tamen esset voluntaria, reciperent vice nostra, usu ei pontificalium reservato, facientes ipsi de bonis Cracoviensis ecclesiæ congrue provideri. Nuper autem vestras et multorum aliorum litteras recepimus, continentes, etc., *usque* per cessionem hujusmodi vestram viduari ac desolari ecclesiam pateremur. Nos igitur commendantes, quod talem virum desideratis habere pontificem, vestroque salubri desiderio annuentes, eidem episcopo dedimus firmiter in præceptis, ut quum regularem habitum jam susceperit, per quod desiderio suo satisfecisse videtur, regimen ipsius ecclesiæ quasi de novo auctoritate nostra suscipiat, etc., *usque* ad populum memoratum. Idcirco universitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus eidem tanquam pastori et episcopo animarum vestrarum intendatis, et obediatis humiliter et devote. Datum Romæ, XV kalendas decembris, pontificatus nostri anno octavo.

XLIII

Ad abbatem et priorem de Walkinrid et præpositum de Northusin.

19 novemb. 1223.

[Chronicon Montis Sereni, 183.]

Eis causam conventus Ilseneburgensis et Rochmanni monachi ejusdem monasterii fine canonico terminandam committit.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati et priori de Walkinrid et præposito de Northusin, Maguntinensis diœcesis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Sua nobis abbas et conventus Ilseneburgensis petitione monstrarunt, quod quum Rochmannus quondam monachus ipsius monasterii falso nobis suggerens, quod ipsi excommunicati et degradati divina temere celebrabant, causam super his et aliis abbati et priori de Pigavia et præposito Brandenburgensi obtinuisset a Sede Apostolica delegari quia dicto abbate interim viam universæ carnis ingresso, Hartwicus monachus, qui se in locum ejus proponit electum, et præfatus prior contento tertio conjudice volebant in eadem causa procedere ex parte dictorum abbatis et conventus fuit excipiendo præpositum coram eis, quod quum prænominatus Rochmannus esset excommunicatus tempore quo tales litteras

impetravit, prout erant incontinenter probare parati, nec exinde in litteris mentio haberetur, ipsi earum auctoritate procedere non poterant nec debebant. Sed quia dicti judices hanc exceptionem eorum denegabant admittere, ipsi ad nostram audientiam appellaverunt. Ideoque discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus, si ita est, revocato in statutum debitum, quidquid post hujusmodi appellationem inveneritis temere attentatum, audiatis causam, et appellatione remota fine canonico terminetis, facientes quod decreveritis per censuram ecclesiasticam firmiter observari; alioquin partes ad priorum judicum remittentes examen, appellantem in expensis legitimis condemnantes. Quod si non omnes, etc. Datum Laterani, XIII kalendas decembris, pontificatus nostri anno octavo.

XLIV

Ad Henricum regem Anglorum.

20 novemb. 1223.

[Shirley, Royal Letters, I, 339, n. 14.]

Respondet se quasdam litteras non duxisse revocandas.

Ex parte tua nobis fuit humiliter supplicatum, ut quum quasdam a nobis audisses litteras emanasse, quibus venerabilem fratrem nostrum Wintoniensem episcopum, et dilectos filios nobiles viros Ranulphum comitem Cestrensem, Hubertum de Burgo justitiarium Angliæ, et Falkesium de Breaute ad ballias et castra regia reddenda in manibus tuis mandabamus compelli, decerneremus litteras illas irritas et inanes, ne inde posset turbationis occasio suboriri, quum ipsi tanquam viri fideles parati sint ea cum ratiocinio proventuum reddere tempore opportuno, nec sint quibus illa securius valeant commendari. Verum quia litteræ hujusmodi ex parte tua, et ob tui causam a nobis petitæ ac concessæ fuerunt, nos ne aliqua intervenisse levitas videatur, eas aliter non duximus revocandas, nisi quod, si tibi auctoritate ipsarum procedere non placet, districtius inhibemus, ne per eas aliquatenus procedatur litteras ipsas; et si quid forte contra prædictos, te invito, attentatum est per easdem, decernentes[8] penitus non valere. Datum Laterani, duodecimo kalendas decembris anno octavo.

XLV

Ad Rothomagen. archiepiscopum.

20 novemb. 1223.

[Regest., lib. VIII, epist. 96. Mss. La Porte du Theil.]

Ei concedit ut contra nonnulla capitula officii sui debitum exsequatur.

Honorius, etc., venerabili fratri... Rothomagen. archiepiscopo, salutem, etc.

Quum, sicut ex parte tua fuit propositum coram nobis, nonnulla capitula tam religiosorum quam sæcularium tuæ jurisdictioni subjecta, ut visitationis et reformationis tuæ ordinariam effugiant diciplinam, frequenter in vocem appellationis prorumpant, nos provide attendentes quod appellationis remedium non ad diffugium malignantium, sed ad innocentium subsidium est inventum, fraternitati tuæ præsentium auctoritate concedimus, ut, non obstante frivolæ appellationis objectu, contra eadem capitula officii tui debitum exsequaris. Nulli ergo, etc., hanc paginam nostræ concessionis, etc. Si quis autem, etc. Datum Laterani, XII kal. decembris, anno octavo.

XLVI

Ad archiepiscopum Narbonen.

23 novemb. 1223.

[Regest., lib VIII, epist. 93. Mss. La Porte du Theil.]

Indulget ei ut quasdam possessiones in emphyteosim perpetuam ad vineas plantandas in eis concedere possit.

Honorius, etc., venerabili fratri archiepiscopo Narbonen., salutem, etc.

Ex parte tua nobis humiliter supplicatum, ut quasdam possessiones ecclesiæ tuæ in emphyteosim perpetuam concedendi ad vineas plantandas in eis tibi licentiam concedere dignaremur, quum speres exinde proventus ipsius ecclesiæ augmentandos. Nos itaque de tua discretione plenam in Domino fiduciam obtinentes, fraternitati tuæ licentiam concedimus postulatam, dummodo ad id capituli tui consensus accedat, et id ec-

clesiæ tuæ videas expedire. Datum Laterani, XI kalendas decembris, anno octavo.

XLVII

Ad magistrum Sdizlaum, archidiaconum Zavikoztensem.

24 novemb. 1223.

[Theiner, Mon. Poloniæ, t. I, p. 14, n. 30.]

Archidiacono Zavikoztensi, diœcesis Cracoviensis, a magnatibus suæ regionis ob zelum religionis insectato indulgetur, ut in ecclesiis in quibus beneficia obtinet, per vicarios possit deservire.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio magistro Sdizlao, archidiacono Zavikoztensi, Cracoviensis diœcesis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Certantibus pro justitia et laborantibus pro ecclesiastica libertate, impendimus auxilium et favorem, quum in his nostri potius coadjutores existere videantur, qui ecclesiarum omnium curam tenemur gerere generalem. Quum igitur tanquam vir fidelis et prudens contra oppressores ecclesiarum magnanimiter te opponens, pluries ad Sedem Apostolicam laborans, qua re multorum magnatum inimicitias incurristi, quibus te indebite persequentibus in locis, in quibus beneficia obtines, nequis interdum secure morari, et interdum etiam, dum pro una laboras, ab aliarum obsequiis subtrahere te oportet: nos nolentes, ut inde patiaris dispendium, unde præmium promereris, devotionis tuæ precibus inclinati, auctoritate tibi præsentium indulgemus, ut in ecclesiis, a quibus beneficia obtines, valeas per vicarios idoneos deservire. Nulli ergo, etc., nostræ concessionis, etc. Si quis, etc. Datum Laterani, VIII kalendas decembris, pontificatus nostri anno octavo.

XLVIII

Ad abbatissam et conventum S. Amandi Rothomagen.

24 novemb. 1223.

[Regest., lib. VIII, epist. 99. Mss. La Porte du Theil.]

Adaugendi personarum numerum usque ad quadragesimum licentiam concedit.

Honorius, etc., dilectis in Christo filiabus.., abbatissæ et conventui Sancti Amandi Rothomagen., salutem, etc.

Ex parte vestra nobis fuit humiliter supplicatum, ut quum felicis memoriæ Cœlestinus Papa prædecessor noster, facultatum monasterii vestri qualitate pensata, tricenarium monialium numerum in monasterio vestro taxatum vobis indulserit, ut ultra ipsum nullam cogeremini recipere in sororem, nisi adeo monasterii excrescerent facultates, quod merito deberet ibidem personarum numerus adaugeri, nunc facultatibus per Domini gratiam augmentatis, vobis licentiam augendi personarum numerum usque ad quadragesimum concedere dignaremur. Nos itaque vestris supplicationibus inclinati, vobis auctoritate præsentium licentiam concedimus postulatam. Nulli ergo, etc., hanc paginam nostræ concessionis, etc. Si quis autem, etc. Datum Laterani, VIII kalendas decembris, anno octavo.

XLIX

Ad mercatores Perusinos.

27 novemb. 1223.

[Theiner, Cod. dipl. dom. temp., I, 79, n. 128.]

Mandat ut non obstante cardinalis S. Praxedis statuto, ex se rectores eligere possint, qui falsarios mensuræ et ponderis puniant, pacis fœdera ineant, etc.

Honorius episcopus, etc., dilectis filiis mercatoribus Perusinis, salutem.

Licet in civitate Perusina per statuta dilecti filii nostri J., tituli Sanctæ Praxedis presbyteri cardinalis, colligationes omnes et societates universæ dissolutæ noscantur, falsitatibus tamen et iniquis adinventionibus plurimorum obviare volentes, universitati vestræ præsentium auctoritate committimus, ut ubique possitis ex vobis rectores eligere, qui puniant falsitatem in mensura et pondere committentes, et prout consuevistis, stratas reficiant, pacis ineant fœdera et de conductu possint providere securo, salvis per omnia statutis eisdem, ut occasione hujusmodi, nec societates vel colligationes, aut alia per eumdem cardinalem inhibita resumantur. Nulli ergo, etc., nostræ concessionis, etc. Si quis autem, etc. Datum Laterani, V kal. decembris, pontificatus nostri anno octavo.

L

Ad B. Franciscum ordinis fratrum Minorum.

29 novemb. 1223.

[Cherubini, Bullarium, I, 80.]

Approbatio regulæ et ordinis fratrum Minorum S. Francisci.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis fratri Franscisco, et aliis fratribus de ordine fratrum Minorum, salutem et Apostolicam benedictionem.

Solet annuere Sedes Apostolica piis votis et honestis petentium desideriis favorem benivolum impertiri. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris piis precibus inclinati, ordinis vestri regulam a bonæ memoriæ Innocentio papa prædecessore nostro approbatam, annotatam præsentibus auctoritate vobis Apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Quæ talis est.

In nomine Domini.

Incipit regula et vita fratrum Minorum.

CAP. I.

Regula et vita fratrum Minorum hæc est, scilicet Domini nostri Jesu Christi sanctum Evangelium observare, vivendo in obedientia, sine proprio et in castitate. Frater Franciscus promittit obedientiam, et reverentiam domino papæ Honorio, ac successoribus ejus canonice intrantibus, et Ecclesiæ Romanæ. Et alii fratres teneantur fratri Franscisco et ejus successoribus obedire.

CAP. II.

Si qui voluerint hanc vitam accipere, et venerint ad fratres nostros, mittant eos ad suos ministros provinciales, quibus solummodo et non aliis, fratres recipiendi licentia concedatur. Ministri vero diligenter examinent eos de fide catholica et ecclesiasticis sacramentis. Etsi hæc omnia credant, et velint ea fideliter confiteri, et usque in finem firmiter observare et uxores non habeant, vel si habent, et monasterium jam intraverint, uxores, vel licentiam eis dederint, auctoritate diœcesani episcopi voto continentiæ jam emisso, et illius sint ætatis uxores, quod non possit de eis oriri suspicio, dicant illis verbum sancti Evangelii, quod vadant et vendant omnia sua bona et ea studeant pauperibus erogare. Quod si facere non potuerint, sufficit eis bona voluntas. Et caveant fratres et eorum ministri ne solliciti sint de rebus suis temporalibus, et libere faciant de rebus suis quidquid Dominus inspiraverit eis. Si tamen consilium requiratur, licentiam habeant ministri mittendi eos ad aliquos Deum timentes, quorum consilio bona sua pauperibus erogentur. Postea concedant eis annos probationis, videlicet duas tunicas sine capucio, et cingulum et braccas et caparonem usque ad cingulum, nisi eisdem ministris aliud secundum Deum aliquando videatur. Finito vero anno probationis, recipiantur ad obedientiam, promittentes vitam istam et regulam semper observare, Et nullo modo licebit eis de ista religione exire, juxta mandatum domini papæ, quia secundum sanctum Evangelium *nemo mittens manum ad aratrum, et aspiciens retro aptus est regno Dei.* Et qui jam promiserunt obedientiam, habeant unam tunicam cum capucio, et aliam sine capucio qui voluerint habere. Et qui necessitate coguntur possint portare calciamenta. Et fratres omnes vestimentis vilibus induantur, et possint ea repetiare de saccis, et aliis petiis cum benedictione Dei. Quos moneo et exhortor ne despiciant, neque judicent homines quos mollibus viderint vestimentis, et coloratis indutos, uti cibis et potibus delicatis; sed magis unusquisque judicet et despiciat semetipsum.

CAP. III.

Clerici faciant divinum officium secundum ordinem sanctæ Romanæ Ecclesiæ, excepto psalterio, ex quo habere poterunt breviaria. Laici vero dicant viginti quatuor *Pater noster* pro matutino, pro laudibus quinque, pro prima, tertia, sexta, nona, pro qualibet istarum septem, pro vesperis autem duodecim; pro completorio septem, et orent pro defunctis. Et jejunent a festo Omnium Sanctorum, usque ad Nativitatem Domini. Sanctam vero Quadragesimam, quæ incipit ab Epiphania Domini, usque ad continuos quadraginta dies, quam Dominus suo sancto jejunio consecravit, qui voluntarie eam jejunant, benedicti sint a Domino, et qui nolunt non sunt adstricti; sed etiam usque ad Resurrectionem Domini jejunent. Aliis autem temporibus non teneantur fratres nisi feria sexta jejunare; tempore vero manifestæ necessitatis non teneantur fratres jejunio cor-

porali. Consulo vero, moneo et exhortor fratres meos in Domino Jesu Christo, ut quando vadunt per mundum, non litigent, neque contendant verbis, nec alios judicent. Sed sint mites, pacifici et modesti, mansueti et humiles, honeste loquentes omnibus, sicut decet. Et non debeant equitare, nisi manifesta necessitate vel infirmitate cogantur.

In quamcumque domum intraverint primum dicant : Pax huic domui. Et secundum sanctum Evangelium de omnibus cibis qui apponuntur eis liceat manducare.

CAP. IV.

Præcipio firmiter fratribus universis, ut nullo modo denarios, vel pecuniam recipiant, per se vel per interpositam personam, tamen pro necessitatibus infirmorum et aliis fratribus induendis per amicos spirituales; ministri tantum et custodes, sollicitam curam gerant, secundum loca et tempora et frigidas regiones, sicut necessitati viderint expedire, eo semper salvo, ut, sicut dictum est, denarios vel pecuniam non recipiant.

CAP. V.

Fratres illi, quibus gratiam dedit Dominus laborandi, laborent fideliter et devote, ita quod excluso otio animæ inimico, sanctæ orationis et devotionis spiritum non extinguant, cui debent cætera temporalia deservire. De mercede vero laboris, pro se et suis fratribus necessaria corporis recipiant, præter denarios, vel pecuniam et hoc humiliter, sicut decet servos Dei, et paupertatis sanctissimæ sectatores.

CAP. VI.

Fratres nihil sibi approprient, nec domum, nec locum, nec aliquam rem, sed tanquam peregrini et advenæ in hoc sæculo, in paupertate et humilitate Domino famulantes, vadant pro eleemosyna confidenter. Nec oportet eos verecundari, quia Dominus pro nobis se fecit pauperem in hoc mundo. Hæc est illa celsitudo altissimæ paupertatis, quæ vos carissimos fratres meos, hæredes et reges regni cœlorum instituit, pauperes rebus fecit, virtutibus sublimavit. Hæc sit portio vestra, quæ perducit in terram viventium, cui dilectissimi fratres totaliter inhærentes nihil aliud pro nomine Domini nostri Jesu Christi in perpetuum sub cœlo habere velitis. Et ubicumque sunt et se invenerint fratres, ostendant se domesticos invicem inter se et secure manifestet unus alteri necessitatem suam. Quia si mater diligit et nutrit filium suum carnalem, quanto diligentius quis debet diligere et nutrire fratrem suum spiritualem? Et si quis eorum in infirmitate ceciderit, alii fratres debent ei servire, sicut vellent sibi servire.

CAP. VII.

Si qui fratrum instigante inimico mortaliter peccaverint, pro illis peccatis, de quibus ordinatum fuerit inter fratres, ut recurratur ad ministros provinciales, teneantur prædicti fratres ad eos recurrere quam citius poterunt sine mora : ipsi vero ministri, si presbyteri sunt, cum misericordia injungant illis pœnitentiam; si vero presbyteri non sunt, injungi faciant per alios sacerdotes ordinis, sicut eis secundum Deum melius videbitur expedire. Et cavere debent, ne irascantur, et conturbentur propter peccatum alicujus, quia ira et conturbatio in se et in aliis impediunt caritatem.

CAP. VIII.

Universi fratres unum de fratribus istius religionis teneantur semper habere generalem ministrum, et servum totius fraternitatis, et ei teneantur firmiter obedire. Quo decedente, electio successoris fiat a ministris provincialibus et custodibus in capitulo Pentecostes, in quo provinciales ministri teneantur semper insimul convenire, ubicumque a generali ministro fuerit constitutum; et hoc semel in tribus annis, vel ad alium terminum majorem, vel minorem, sicut a prædicto ministro fuerit ordinatum. Et si aliquo tempore appareret universitati ministrorum provincialium, et custodum, prædictum ministrum non esse sufficientem ad servitium, et communem utilitatem fratrum, teneantur prædicti fratres, quibus electio data est, in nomine Domini alium sibi eligere in custodem. Post capitulum vero Pentecostes ministri et custodes possint, si voluerint et eis expedire videbitur, eodem anno in suis custodiis semel fratres suos ad capitulum convocare.

CAP. IX.

Fratres non prædicent in episcopatu alicujus episcopi, quum ab eo illis fuerit contradictum. Et nullus fratrum populo pe-

itus audeat prædicare, nisi a ministro generali hujus fraternitatis fuerit examinatus, et approbatus, et ab eo officium prædicationis sibi concessum. Moneo quoque et eosdem fratres ut in prædicatione quam faciunt sint examinata et casta eorum eloquia, ad utilitatem et ædificationem populi, annuntiando eis vitia et virtutes, pœnam et gloriam, cum brevitate sermonis, quia verbum abbreviatum fecit Dominus super terram.

CAP. X.

Fratres, qui sunt ministri et servi aliorum fratrum, visitent et moneant fratres suos, et humiliter et caritative corrigant eos, non præcipientes eis aliquid, quod sit contra animam suam, et regulam nostram. Fratres vero, qui sunt subditi, recordentur quod propter Deum abnegaverunt proprias voluntates. Unde firmiter præcipio eis, ut obediant suis ministris, in omnibus quæ promiserunt Domino observare, et non sint contraria animæ et regulæ nostræ. Et ubicumque sunt fratres, qui scirent et cognoscerent se non posse regulam spiritualiter observare, ad suos ministros debeant et possint recurrere. Ministri vero caritative et benigne eos recipiant, et tantam familiaritatem habeant circa ipsos, ut dicere possint eis, et facere sicut domini servis suis; nam ita debet esse quod ministri sint servi omnium fratrum. Moneo quoque et exhortor in Domino Jesu Christo ut caveant fratres ab omni superbia, vana gloria, invidia, avaritia, cura et sollicitudine hujus sæculi, detractione et murmuratione. Et non curent nescientes litteras discere, sed attendant, quod super omnia desiderare debent habere spiritum Domini, et sanctam ejus operationem, orare semper ad Deum puro corde, et habere humilitatem, patientiam in persecutione, et in infirmitate et diligere eos qui nos persequuntur, reprehendunt et arguunt, quia dicit Dominus : *Diligite inimicos vestros et orate pro persequentibus et calumniantibus vos; beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum, qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.*

CAP. XI.

Præcipio firmiter fratribus universis ne habeant suspecta consortia, vel consilia mulierum, et ne ingrediantur monasteria monacharum, præter illos quibus a Sede Apostolica concessa est licentia specialis. Nec fiant compatres virorum vel mulierum, ne hac occasione inter fratres vel de fratribus scandalum oriatur.

CAP. XII.

Quicumque fratrum divina inspiratione voluerint ire inter Saracenos et alios infideles, petant inde licentiam a suis ministris provincialibus. Ministri vero nullis eundi licentiam tribuant, nisi eis quos viderint idoneos ad admittendum.

Ad hæc per obedientiam injungo ministris, ut petant a domino Papa unum de sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalibus, qui sit gubernator et protector et corrector illius fraternitatis, ut semper subditi et subjecti pedibus ejusdem sanctæ Ecclesiæ stabiles in fide catholica paupertatem et humilitatem, et sanctum Evangelium Domini nostri Jesu Christi, quod firmiter promisimus, observemus.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem, etc. Datum Laterani, III kalendas decembris, pontificatus nostri anno octavo.

LI

Ad Pisanum antistitem.

4 decemb. 1223.

[Raynald, Annal. ad ann. 1223, § 22.]

Ei mandat ut in ecclesiis suæ diœcesis corrigat quæ fuerint corrigenda.

Quia sicut dolentes audivimus et referimus, quidam presbyteri, et alii clerici tuæ diœcesis Christi corpus irreverenter exponunt, et non solum ecclesias dimittunt incultas, verum etiam vasa ministerii, vestimenta ministrorum, pallas altaris, et ipsa corporalia tam immunda relinquunt, quod interdum aliquibus sunt horrori; ne alienam culpam facias esse tuam, si tam latam negligentiam neglexeris castigare, fraternitatem tuam monemus, per Apostolica scripta mandantes, quatenus ecclesias tuæ diœcesis visitans diligenter, super iis specialiter corrigas quæ fuerint corrigenda, subditis tuis injungendo districte, ut corpus Christi cum omni honorificentia studeant custodire, et

tam vasa ministerii quam alia supradicta curent munda et nitida conservare, monita et mandata nostra taliter impleturus, quod nullus nobis rumor de tua negligentia referatur. Datum Laterani, II non. decembris, pontificatus nostri anno octavo.

LII

Ad archidiaconos de Brabantia et de Antuerpia, et decanum Cameracensem.

4 decemb. 1223.

[Mss. latins, Colbert Flandre, t. LXVI, Bibl. nat.]

Mandat ut causam inter episcopum ex una parte et abbatem S. Theodorici ac capitulum S. Donatiani Brugensis ex altera, audiant atque quod statuerint firmiter observari faciant.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis de Brabantia et de Antuerpia archidiaconis et decano Cameracensi, salutem et Apostolicam benedictionem.

Ex parte venerabilis fratris nostri episcopi Tornacensis nobis est oblata querela, quod abbas Sancti Theodorici, capitulum Sancti Donatiani Brugensis, et quidam alii Tornacensis et Remensis diœcesis super procurationibus et rebus aliis injuriantur eidem, ideoque discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus, partibus convocatis, audiatis causam et quod justum fuerit, appellatione postposita, satuatis, facientes quod statueritis per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Testes autem, qui fuerint nominati, si se gratia, odio, vel timore subtraxerint per censuram eamdem appellatione cessante cogatis veritati testimonium perhibere. Quod si non omnes his exsequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nihilominus exsequantur. Datum Laterani, II nonas decembris, pontificatus nostri anno octavo.

LIII

Ad Lingonensem episcopum.

5 decemb. 1223.

[Regest., lib. VIII, epist. 121. Mss. La Porte du Theil.]

Ei mandat ut cœmeterium juxta capellam de Calinta benedicat.

Honorius, etc., venerabili fratri... Lingonen. episcopo, salutem et Apostolicam bene[dictionem].

Significantibus dilectis filiis... magistr[o] et fratribus Hospitalis Hierosolymitani i[n] Burgundia nos noveris accepisse, quod quum olim tibi direxerimus scripta nostra ut eis juxta capellam domus eorum de Ca[-]linta tuæ diœcesis cœmeterium benedicere[s] tantummodo pro eisdem sine juris præjudicio alieni, tu mandatum nostrum per[-]transiens aure surda, id hactenus efficere non curasti, licet in eisdem litteris contineretur expresse, quod, te in executione mandati nostri cessante, id impleri per alium faceremus. Quare a nobis humiliter postulabant, ut eis super hoc providere de benignitate Sedis Apostolicæ dignaremur. Nos igitur an aliqua in te obedientiæ scintilla remanserit adhuc experiri volentes, fraternitati tuæ per Apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus jamdictis fratribus juxta capellam præfatam, secundum priorum continentiam litterarum, cœmeterium benedicas, præceptum nostrum taliter impleturus, quod iidem assecutos se gaudeant quod intendunt, et nos devotionem tuam possimus in Domino merito commendare; alioquin noveris nos venerabili fratri nostro Cabilonen. episcopo nostris dedisse litteris in mandatis, ut, te quod mandavimus efficere negligente, idem inquisita super præmissis diligentius veritate, quod super his invenerit per suas nobis litteras intimare procuret ut, per ejus relationem instructi, securius in ipso negotio procedamus.

Datum Laterani, nonis decembris, anno octavo.

In eumdem modum scriptum est Cabilonen. episcopo, verbis competenter mutatis, *usque* commendare. *Dein subjicitur* : Quocirca fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus, eodem episcopo quod mandavimus efficere negligenter, tu, inquisita super præmissis diligentius veritate, quod super his inveneris, per tuas nobis litteras intimare procures, ut per tuam relationem instructi securius in ipso negotio procedamus. Datum Laterani, nonis decembris, anno octavo.

LIV

Ad Obizonem Terdonensem episcopum.

7 dec. 1223.

[Affo, Hist. di Guastella, I, 364, n. 54.]

Ei scribit de controversia inter abbatem S. Sixti Placentinum et communitatem Cremonensem vertente, eique mandat ut in eodem negotio procedat juxta litterarum tenorem ad episcopum Placentinum directarum.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Terdonensi episcopo, salutem et Apostolicam benedictionem.

Orta dudum inter communitatem Cremonen. ex parte una, et dilectum filium abbatem S. Sixti Placentin. ex altera, super duabus partibus castri, et curte Guastallæ, ac curte Luciariæ quæstione, tandem ut media, quorum est longa retro series, omittamus, dictum abbatem exigente ipsorum Cremonen. contumacia verum petitorem constituimus possessorem, venerabili fratri nostro episcopo, et dilecti filii abbati S. Savini et præposito S. Eufemiæ Placentin. præcipiendo mandantes, ut in corporalem possessionem eorum inducentes eumdem, et defendentes inductum, contradictores, si qui forent, etc., compescendo, et excommunicationis et interdicti sententias, quæ in potestatem, et consiliarios Cremonen. fuerunt olim hac de causa prolatæ, per loca, in quibus expedire viderint, solemniter publicantes et innovantes easdem, illas facerent usque ad satisfactionem condignam firmiter observari, et inhiberent expresse, ne aliqua civitas quemquam civem Cremonen. in potestatem assumeret, vel assumptum præsumeret detinere. Nuper autem idem abbas nobis insinuare curavit, quod præfatus episcopus et collegæ sui videntes, quod, si exsequerentur prædicta, grave poterat eorum ecclesiis dispendium imminere, præsertim quum per Cremon. regatur civitas Placentin., ipso abbate in possessionem inducto, mandatum nostrum non fuerunt quantum ad alios articulos executi; quare petiit, ut illud executioni mandari per alios faceremus. Ideoque fraternitati tuæ per Apostolica scripta firmiter præcipiendo mandamus, quatenus appellatione remota, in negotio procedas eodem, juxta litterarum tenorem ad præfatum episcopum, et ejus conjudices directarum, præceptum nostrum ita sollicite impleturus, quod dictus abbas pro defectu tuo ad nos recurrere non cogatur. Datum Laterani, VII idus decembris, anno octavo.

LV

Ad archiepiscopum Rothomagensem.

9 dec. 1223.

[Regest., lib. VIII, epist. 123. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat ut aliquibus sacerdotibus et clericis absolutionis beneficium impendant.

Honorius, etc., venerabili fratri... archiepiscopo Rothomagen., salutem, etc.

Ex parte tua fuit propositum coram nobis, quod in tua diœcesi nonnulli sunt sacerdotes, et clerici qui propter manifestam mulierum cohabitationem prolatam super hoc per legatum Apostolicæ Sedis excommunicationis sententiam incurrerunt, non abstinentes, licet non obtinuerint absolutionis beneficium, a divinis, quidam autem excommunicati pro fraude in vicesima solvenda commissa irreverenter præsumant divina officia celebrare. Quum vero tales propter hoc irregularitatem incurrerint, et tanta in causa sit multitudo, quod valde dispendiosum esset hos omnes ad Sedem Apostolicam laborare, provideri eis misericorditer et remittere ad nos veniendi laborem, ne in peccatis moriuntur hujusmodi, postulasti. Nos autem qui solutionem quærimus, non vinculum animarum, de tuæ fraternitatis prudentia confidentes, per Apostolica tibi scripta mandamus, quatenus hac [vice] duntaxat excommunicatis hujusmodi juxta formam Ecclesiæ absolutis, sufficienti quoque ab eis pro vicesima satisfactione recepta, super aliis facias, quod ipsorum saluti videris expedire, nobis quantitatem, quam super vicesimæ satisfactione receperis, absque moræ dispendio fideliter expressurus. Datum Laterani, quinto idus decembris, anno octavo.

LVI

Ad eumdem.

9 decemb. 1223.

[Regest., lib. VIII, epist. 124. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat ut in sua diœcesi statuta Concilii generalis firmiter observari faciat.

Quum nil valeat sacra prolongare statuta,

nisi ad eadem observanda transgressores superioris auctoritate cogantur; quin potius exinde vilescat auctoritas statuentis, quod multis esset in scandalum et ruinam, audito, quod in diœcesi tua in multis enervantur statuta Concilii generalis, de discretione tua plenam in Domino fiduciam obtinentes, fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus prædicta statuta facias in tua diœcesi firmiter observari, transgressores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo; præceptum autem nostrum taliter studeas adimplere, quod nequaquam alienam culpam, dum eam corrigere negligis, facias esse tuam, nec nos tandem contra te tanquam negligentem, et tepidum procedere compellamur. Datum Laterani, V idus decembris, anno octavo.

LVII

Ad Gualterum, Senonensem archiepisc.

11 decemb. 1223.

[Bouquet, Rec. des Hist., XIX, 739. Regest., lib. VIII, epist. 130.]

Cum Amalricus de Monteforti viribus pene deficeret, et Albigensi terra jam cogeretur decedere mandat Honorius ut, super indicta clericis reddituum vicesima, librarum quinque millia mutuo accipiat archiepiscopus Senonensis, et Amalrico transmittat.

Honorius episcopus..., venerabili fratri archiepiscopo Senonensi [Gualtero Cornuto] salutem, etc.

Sollicite intendentes, ut ad relevationem negotii quod in partibus Albigensibus, exigentibus populi christiani peccatis, miserabiliter est collapsum, fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus ad opus prædicti negotii, ne dissolvatur penitus, et nobilis vir Amalricus comes Tolosanus exire terra et ipsum deserere negotium compellatur, quinque millia librarum mutuo absque dispendio moræ recipias, pecuniam hujusmodi eidem comiti, si in partibus illis remanserit, transmissurus, cum super provinciæ tuæ vicesima, quæ longe plus valere dicitur, hujusmodi mutuum valeas sine tuo recipere detrimento; nihilominus postmodum quod de ipsa vicesima soluto mutuo superfuerit, memorato comiti si remanserit in Albigensi terra, transmittas. Datum Laterani, III idus decembris pontificatus nostri anno octavo.

LVIII

Ad abbatem et conventum de Pratorio, Cisterc. ordinis.

11 decemb. 1223.

[Regest., lib. VIII, epist. 129. Mss. La Porte du Theil.]

Decimas de Vernolio eis confirmat.

Honorius, etc., dilectis filiis... abbati et conventui de Pratorio, Cistercien. ordinis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Justis petentium, etc., *usque* complere. Eapropter, etc., assensu decimas de Vernolio, monasterio vestro a Gaufrido de Losduno clerico de assensu venerabilis fratris nostri... Andegaven. episcopi intuitu pietatis collatas, sicut eas juste, canonice, et pacifice possidetis, et in dictorum episcopi, et clerici litteris confectis exinde dicitur contineri, vobis et per vos eidem monasterio auctoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus, dum tamen nulli per hoc præjudicium generetur. Nulli ergo, etc., nostræ confirmationis, etc. Si quis autem, etc. Datum Laterani, III idus decembris, anno octavo.

LIX

Ad Bituricensem archiepiscopum, Lingonensem ac Silvanectensem episcopos.

12 decemb. 1223.

[Bouquet, Rec. des Hist., XIX, 741.]

Ludovicum Francorum regem adeant, et, lectis eidem litteris de suscipiendo adversus Albigenses bello, eum vehementer hortentur ad facienda quæ poscit Honorius.

Honorius episcopus..., venerabilibus fratribus archiepiscopo Bituricensi (1), *Lingonensi* (2) et Silvanectensi (3) episcopis, salutem, etc.

Fraternitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, et in virtute obedientiæ districte præcipimus, quatenus ad carissimum in Christo filium regem Francorum illustrem, cum litteris quas super facto Albigensi per

(1) Simoni de Suliaco. (2) Hugoni de Monteregali. (3) Garino.

vos ei præsentari volumus, personaliter accedatis; quem, aperte sibi perlectis et fideliter expositis litteris supradictis, quarum tenorem vobis, fratres Bituricensis et Lingonensis, constitutis in nostra præsentia dedimus, ad faciendum quod super hoc de fratrum nostrorum consilio ab ipso requirimus, tam diligenter quam efficaciter inducere procuretis, ita quod apud Deum et Sedem Apostolicam de diligentia debeatis merito commendari. Datum Laterani, pridie idus decembris, pontificatus nostri anno octavo.

LX

Ad Cenomanensem et Andegavensem episcopos, etc.

12 decemb. 1223.

[Bouquet, loco citato, p. 744; Regest., lib. VIII, ep. 156.]

Recrudescente de jure Bituricensis ecclesiæ in Burdegalensem provinciam dissidio, mandat Honorius ut instructa causa transmittatur ad se dijudicanda.

Honorius episcopus... venerabilibus fratribus Cenomanensi (1) et Andegavensi (2) episcopis, et dilecto filio abbati Burguliensi, Andegavensis diœcesis, salutem, etc.

Cum felicis memoriæ Innocentius Papa, prædecessor noster, olim in mandatis dedisset abbati Majoris monasterii Turonensis (3), ut reciperet testes senes et valetudinarios, et de quorum diuturna timebatur absentia, quos bonæ memoriæ Bituricensis archiepiscopus duceret producendos super usu et possessione primatiæ quam Bituricensis ecclesia in Burdegalensem archiepiscopum et ejus provinciam dicitur obtinere, præfatus Burdegalensis archiepiscopus, propter hoc apud Haiam ab ipso abbate vocatus, procuratores suos ad locum destinavit eumdem, qui, asserentes locum ipsum non esse ipsi archiepiscopo Burdegalensi (4) securum ad Sedem Apostolicam appellarunt. Abbas vero, appellationem hujusmodi reputans frustratoriam nihilominus de prudentum virorum consilio ad receptionem processit testium prædictorum, et licet cognitionem appellationis prædictæ vobis, frater Andegavensis et fili abbas, obtentu præfati Burdegalensis commiserimus quinquennio jam elapso, et te, frater Cenomanensis, eidem cognitioni alterius partis obtentu duxerimus adjungendum, idem tamen Burdegalensis probationes suas super eodem negotio hactenus, ut dicitur, non produxit.

Cum ergo eumdem ab instanti festo Dominicæ Nativitatis ad annum peremptorie citaverimus, præfato Bituricensi super quibusdam aliis articulis per se vel procuratorem idoneum responsurum, per Apostolica vobis scripta mandamus quatenus probationes, si quas sæpedictus Burdegalensis ad ostendendum supradictam appellationem fuisse legitimam duxerit producendas, ita recipere studeatis quod eas nobis transmittatis in termino supradicto, quantum de jure poterunt valituras, cum ipse Bituricensis protestatus fuerit coram nobis, quod eædem probationes valere non debent, eo quod ipse Burdegalensis eas infra tempus debitum non produxit. Quod si non omnes, etc. Datum Laterani, pridie idus decembris, anno octavo.

(1) Mauricio.
(2) Guillelmo de Bellomonte.
(3) Hugoni de Rupibus Corbonis.
(4) Guillelmo de Gebennis.

LXI

Ab abbates Dalonensem et de Palatio Sanctæ Mariæ.

12 decemb. 1223.

[Bouquet, Rec. des Hist., XIX, p. 745; Regest., lib. VIII, epist. 157.]

Mandatur eis, ut Burdegalensem archiepiscopum coram Pontifice, tempore præfinito, comparere jubeant.

Honorius episcopus..., dilectis filiis Dalonensi et de Palatio Sanctæ Mariæ abbatibus Cisterciensis ordinis, Lemovicensis diœcesis, salutem, etc.

Venerabilis frater noster Bituricensis archiepiscopus (5) proposuit coram nobis, quod venerabilis frater noster Burdegalensis archiepiscopus (6) super turbatione possessionis primatiæ quam Bituricensis ecclesia in ipso ac provincia sua noscitur obtinere, sibi et eidem ecclesiæ gravis et injuriosus existit, ac bonæ memoriæ G. (7) Bituricensi archiepiscopo prædecessori suo, quondam provinciam ipsam ejusdem prima-

(5) Simon Suliacus.
(6) Giraldus de Cros.
(7) Guillelmo Amanevi.

tiæ auctoritate visitare volenti, se irreverenter opponens, ei et sociis ejus, et in eis Bituricensi ecclesiæ, graves injurias et damna temere irrogavit : quare petiit ut sibi et ecclesiæ suæ super his faceremus justitiam exhiberi. Cum ergo a justis prædicti Bituricensis archiepiscopi clamoribus Apostolicas aures avertere non possimus, eidem Burdegalensi archiepiscopo nostris damus litteris in mandatis, ut ab instanti festo Dominicæ Nativitatis ad annum, quod peremptorium sibi terminum assignamus, per se vel per procuratorem idoneum compareat coram nobis, exhibiturus super his quod ordo poposcerit rationis. Quocirca discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus hoc ipsum injungatis eidem Burdegalensi archiepiscopo viva voce, nobis quod inde fecerit rescripturi. Quod si non omnes, etc. Datum Laterani, pridie idus decembris, anno octavo.

Scriptum est in eumdem modum Burdegalensi archiepiscopo in epistola 158.

LXII

Ad Raynaldum episcopum Ultrasylvanum.

12 decemb. 1223.

[Fejer, Codex diplom., III, I, 420.]

Ei mandat ut si quas forte de facto in clericos vel alios habitatores terræ Bozæ sententias protulerit, eas de facto revocet et ab illorum gravamine conquiescat.

Honorius, etc., episcopo Ultrasylvano.

Quod dilecti filii magister et fratres domus S. Mariæ Theutonicorum terram Bozæ et ultra Montes Nivium propter paganorum insultus vastam usque ad proxima tempora, et desertam, noviter inhabitare cœperunt, ipsorum paganorum impetu non sine multo discrimine refrænato, eis ad meritum, nobis ad gaudium, et toti populo Christiano provenit ad profectum, propter quod ipsi fratres et inhabitatores terræ prædictæ non sunt lacessendi injuriis, sed beneficiis confovendi; quatenus numerus fidelium, terram ipsam inhabitantium, ad paganorum terrorem, et christianitatis subsidium, feliciter augeatur. Cum autem terra ipsa secundum indulgentias dictis fratribus ab Apostolica Sede concessas, nullum præter Romanum Pontificem episcopum habeant, vel prælatum, tu, sicut eorum nobis conquæstio patefecit, in ea tibi jurisdictionem indebitam usurpare contendens, presbyteros et clericos ipsius terræ ad synodum tuam vocas, et tam ab eis, quam a laicis decimas et alia episcopalia jura niteris extorquere; in eos, si tuæ non satisfaciunt voluntati, interdicti et excommunicationis sententias de facto, quum de jure nequeas, proferendo. Nolentes igitur aliquatenus sustinere quod iidem fratres indebite præsertim contra nostras indulgentias molestentur, fraternitati tuæ per Apostolica scripta firmiter præcipiendo mandamus, quatenus, si quas forte de facto in clericos, vel alios habitatores ipsius terræ sententias protulisti, eas de facto quoque non differens revocare, ab eorum gravamine taliter conquiescas, quod nec ipsi justam habeant conquerendi materiam, nec nos tibi durius scribere compellamur; qui domum eorumdem fratrum sic rore nostræ gratiæ rigavimus, ut eam de humili statu ad altum tempore nostro provectam plantationem non incongrue appellare possimus; illam ea prærogativa diligimus caritatis, quod ejus indigna gravamina non possemus in patientia tolerare. Noveris autem nos venerabili fratri nostro, Strigoniensi archiepiscopo, mandavisse, ut nisi juxta mandatum nostrum curaveris revocare sententias, si quas in sæpedictos incolas protulisti, ipse illas tanquam a non suo judice promulgatas, denunciet nullas esse. Datum Laterani, II idus decembris, anno octavo.

LXIII

Ad Fanensem et Feretransem episcopos et abbatem S. Mariæ foris portam Faventinam.

13 decemb. 1223.

[Amiani, Mem. di Fano, 186.]

Mandat ut inter potestatem ac commune Cervienses ex parte una, et archiepiscopum Ravennatem ex altera, judicium faciant.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus Fanen....., Feretran... episcopis, et dilecto filio... abbati

S. Mariæ foris portam Faventinam, salutem et Apostolicam benedictionem.

Sua nobis potestas et commune Cervien. conquestione monstrarunt, quod venerabilis frater noster archiepiscopus Rav. procedens hostiliter contra ipsos, vineas, arbores, et alia, quæ extra civitatem suam habebant, incidi fecit nequiter, et cremari, alia damna eis gravia et injurias irrogando; ideoque discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus partibus convocatis, audiatis causam, et, appellatione remota, fine debito terminetis, facientes quod decreveritis auctoritate nostra firmiter observari; quod si non omnes iis exsequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nihilominus exsequantur. Datum Laterani, idibus decembris, pontificatus nostri anno octavo.

LXIV

Ad Thomam archiepisc. Strigoniensem.

13 decemb. 1223.

[Fejer, Cod. diplom., t. III, I, 422.]

Fratres Theutonicos, in terra Bozza contra injusta episcopi Transylvani aggravia tuetur, sententiasque hujus in illos latas annihilat.

Honorius, etc., archiepiscopo Strigoniensi.

Quod dilecti filii, etc., *usque* prælatum. Venerabilis frater noster, episcopus Ultrasylvanus sicut eorum nobis conquestio patefecit in ea sibi jurisdictionem, *usque* molestentur; dicto episcopo dedimus in mandatis, ut si quas, etc., *usque* tolerare. Ideoque fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus quatenus, nisi dictus episcopus, juxta mandatum nostrum, curaverit revocare sententias, si quas in sæpedictos incolas promulgavit, tu illas, tanquam a non suo judice promulgatas, denuncies nullas esse. Datum Laterani, idibus decembris, anno octavo.

LXV

Ad Amalricum de Monteforti, comitem Tolosanum.

13 decemb. 1223.

[Bouquet, Rec. des Histor., XIX, 740. Regest., lib. VIII, epist. 133.]

Amalricum certiorem facit Honorius se a rege studiosius flagitasse auxilium ad inimicos pacis et fidei debellandos.

Honorius episcopus..., dilecto filio nobili viro Amalrico, comiti Tolosano, salutem et Apostolicam benedictionem.

Ecce super negotio pacis et fidei carissimo in Christo filio nostro Ludovico, illustri regi Francorum, ut illud sibi assumere debeat, et cito tibi succurrere juxta petitionem nunciorum tuorum, litteras destinamus præsentandas ei per venerabiles fratres nostros archiepiscopum Bituricensem (1), Silvanectensem (2) et Lingonensem (3) episcopos, ipsum ad hoc diligenter et efficaciter inducturos (4). Scribimus etiam super collectione vicesimæ, et ut venerabiles fratres nostri Remensis et Senonensis archiepiscopi, absque moræ dispendio, interim super vicesima ipsa mutuo decem millia librarum recipiant, tibi pecuniam hujusmodi et quod supererit per fideles nuncios transmissuri. Sed et ad solutionem vicesimæ compelli mandamus exemptos. Unde cum indecens videretur si negotium desereres memoratum, tu, in Christo, de quo sperandum est quod nomini suo tandem daturus sit gloriam, totam ponens fiduciam, negotium ipsum pro defensione catholicæ fidei et honore universalis Ecclesiæ studeas

(1) Simonem de Suliaco.
(2) Garinum.
(3) Hugonem de Monteregali.
(4) Quid ea de re egerit rex Ludovicus cum Conrado Portuensi, A. S. legato, describendum hic esset. Sed, cum ipsius regis litteras et ad legatum responsiones repræsentaverimus olim, tomo nostro XVII, pag. 303 et seq., liceat easdem replicare, quæ sic incipiunt :

« Noveritis quod carissimus dominus et genitor noster Philippus, piæ memoriæ rex quondam Francorum illustris, in principio non est aggressus negotium Albigesii, et quod onus illud nunquam recipere voluit, quamvis multa expenderit in eodem negotio, et multi milites de regno Franciæ ibidem mortui sunt, et multa expenderunt; et quod semel et secundo in propria persona in eadem terra pro dicto negotio, in quantum potuimus, fideliter laboravimus. Et cum genitor noster vitæ suæ diem ultimum clauserit, dominus Portuensis venit ad nos, supplicans nobis humiliter ut consilium apponeremus in negotio Albigesii, quia prælati Franciæ idem negotium aggredi volebant, si assensum et voluntatem nostram super hoc haberent. Nos autem, quamvis essemus incerti de statu regni, dedimus prælatis nostris licentiam aggrediendi negotium supradictum, etc. » (Bouquet.)

viriliter sustinere : sciturus quod super hoc, et si Romana Ecclesia plurimum laboravit, non solum spirituale sed et temporale auxilium quod potuit impendendo, nihilominus tamen parati nos sumus, et laborem ad hoc assumere, et consilium et auxilium impertiri. Solliciti præterea sumus et erimus quomodo circumpositi prædictum negotium foveant, et tecum inimicos pacis et fidei persequantur. Datum Laterani, idibus decembris, pontificatus nostri anno octavo.

LXVI

Ad Ludovicum VIII, Francorum regem.

13 decemb. 1223.

[Bouquet, Rec. des Hist., XIX, 740. Regest., lib. VIII, epist. 134.]

Honorius, quo Ludovicum, Francorum regem, facilius inducat ad suscipiendum adversus Albigenses hæreticos bellum, eidem de prorogandis inter illum et Angliæ regem induciis satagere se nunciat.

Honorius episcopus... carissimo in Christo filio Ludovico, illustri regi Francorum, salutem, etc.

Dignas Deo laudes et tibi gratiarum actiones immensas referimus quod, sicut venerabilis frater noster Portuensis episcopus [Conradus] coram nobis et fratribus nostris proposuit, prædecessores tuos non minus christiana devotione quam genere imitando, in ipsis tuæ coronationis initiis, quantacumque tibi sollicitudo incumberet, Christi negotium proprio et communem utilitatem privatæ præponens, super facto Albigensium christianissimi principis ostendisti (prout injuria fidei orthodoxæ te angit) affectum, protestando quod potius defectum in tua causa sustinere volebas, quam idem negotium, tuis ei non subvenientibus, dispendium pateretur : unde prælatis et aliis qui se occasione facti tui ab ipsius subventione negotii retrahebant, facilem et benignam tribuisti licentiam eidem negotio, relicto tuo, personaliter intendendi (1). Denique, affectus ipsius magnitudine te ad producendum illum in actum, sicut decuit, impellente, decem millia marcarum argenti, de eleemosyna inclytæ recordationis Philippi patris tui, ad negotii ejusdem subsidium transmisisti. Quare de tua serenitate confidimus et speramus, quod ille qui ad hoc tam prompte tuum animum excitavit, faciet etiam quod, sicut per alias litteras a tua sublimitate requirimus, tibi assumes ipsum negotium, et illud ad laudem sui nominis et tui honoris et salutis augmentum feliciter prosequeris. Et quidem non credimus te aliquid aliud agere posse ad præsens, unde divinam et Apostolicæ Sedis gratiam facilius assequaris, vel quod magis ad regni tui statum pertineat et honorem. Cæterum, ut efficacius atque libentius possis intendere negotio Jesu Christi, treugas inter te ac carissimum in Christo filium nostrum illustrem regem Angliæ intendimus prorogare. Datum Laterani, idibus decembris, pontificatus nostri anno octavo.

(1) Cum, flagrante Ludovici regis cum Angliæ rege dissidio, prælati et alii regis clientes a bello in Albigensi terra gerendo recederent, certiorem fecit Honorium legatus Conradus Portuensis episcopus, eisdem benigne concessisse Ludovicum licentiam militandi adversus Albigenses. (Bouquet.)

LXVII

Ad Ludovicum VIII, Francorum regem.

14 decemb. 1223.

[Bouquet, Rec. des Hist., XIX, 741. Regest., lib. VIII, epist. 135.]

Instantius agit Honorius apud regem, ut adversus Albigenses potenter exsurgat; et Amalricum de Monteforti terram suam regis dominio subjicere paratum esse spondet.

Honorius episcopus. . carissimo in Christo filio Ludovico, illustri regi Francorum, salutem, etc.

Cum reges et principes christiani, propter Ecclesiam matrem suam, ex qua spiritualiter nati sunt, et quam a Christo, ut eam temporibus suis foveant, suscepere tuendam, Deo teneantur reddere rationem; grave nimis debes gerere ac indignum, quod intra terminos regni tui, videlicet in partibus Albigensium, hæretici manifeste ac intrepide impugnant Ecclesiam, fidem christianam evacuant, et dilacerant ipsum Christum. Certe Nabuchodonosor rex decrevit, dicens : *Quicumque dixerint blasphemiam in Deum Sidrach, Misach et Abdenago, in interitu erunt, et domus eorum in dispersione* (2). Si ergo taliter fuit rex

(2) Dan., III, 96.

alienigena, ne deberet Deus Israel blasphemari, commotus; tu, rex christianissime, devotissimorum principum successor et hæres, cum quo devotio christiana convenit, evacuari fidem nostram, lacerari Christum et Ecclesiam dissipari a talibus patieris? Denique, si potestates sæculi et rectores raptores persequuntur et fures, tu, qui regni solium obtines, terram tuam hæreticis, qui animas pretiosiores cunctis substantiis furantur et rapiunt, non purgabis? Sane præceptum a Domino legitur : *Si audieris in una ex civitatibus quas Dominus Deus tuus dabit tibi, inhabitare illic dicentes*, eamus, et serviamus diis alienis quos non nostis, *pones illos in ore gladii, et igni civitatem incendes* (1) Nimirum, etsi pro immensis susceptis in hoc sæculo beneficiis, Deo, a quo est omne datum optimum et omne donum perfectum, tenearis in multis, ad hoc tamen illi reputare te debes fortius obligatum ut pro ipso in fidei subversores a quibus blasphematur, animosus insurgas, et pro catholica puritate quam de partibus illis, attendentes dæmoniorum doctrinis, ejecisse noscuntur, viriliter te opponas.

Porro non absque dolore cordis et gravi mentis amaritudine recolere possumus quod, cum ad exstirpandam inde pestem hæreticam multis sit personarum et rerum dispendiis laboratum, pene omnia in confusionem antiquam, populi christiani peccatis exigentibus, sunt reducta; et ille qui felicibus invidet actibus, sic armavit in antichristi præambulos partes suas, ut, diffundentibus illis intrepide ac latius pravi dogmatis sui virus, verendum est plurimum ne ipsorum veneno regnum tuum, in fide ac devotione præ aliis radicatum, cui Dominus benedixit, inficiant, et ex hoc contra totam Ecclesiam, tanquam in principaliori parte concussam, nova persecutio excitetur. Multo ergo desiderio exspectantes, ut per te catholicum principem et catholicorum principum successorem impiis eorum conatibus celeriter obvietur, ne illud modicum terræ quod adhuc tenent catholici, amittatur, et pestis hujusmodi regnum Franciæ maculet, cui jam aperte suos expandendo laqueos appropinquat, celsitudinem regiam monemus, rogamus et obsecramus in Domino, quatenus, zelo, ut decet, fidei et devotionis accensus, oblatis Deo tuæ coronationis principiis, causam hujusmodi, quæ Christi est, tibi, per quem post Deum posse felicius agi æstimatur, assumas : pro certo securus quod super hoc, licet multum Romana Ecclesia laboraverit, non solum spirituale, sed temporale auxilium in personis et rebus quod potuit impendendo, nihilominus tamen parati nos sumus adhuc et laborem assumere, et consilium et auxilium impertiri. Cum autem hic negotium summæ pietatis se ingerat, et ex eo videatur agi etiam causa tua, quod pestis ipsa loca jam tibi vicina venenat, cito, carissime fili, Christo et Ecclesiæ potenter et patienter, prout Dominus tibi posse tribuit, in hac parte succurras; nam potestatem propterea suscepisti, ut per te persecutores Ecclesiæ, quod ipsa non potest facere, conterantur. Et quidem, si, prout confidimus, Christi et fidei orthodoxæ opprobria in te cadunt, ut zelum sicut potes habeas tantam injuriam vindicandi (quod quippe regis honori expedit), ne defectui tuo tantam fidei subversionem contingeret imputari. Speramus in eo qui pueri propositum provehit et consilium dissipat peccatorum, quod negotium in manu tua prosperabitur, et magnitudo tuæ devotionis et fidei, contritis hæreticis, clarius elucescet (2).

Cæterum, cum, sicut intelleximus, nobilis vir Amalricus comes Tolosanus, quidquid juris habet in terra, tibi sit offerre paratus in dominio tuo, illud accipias a te ac hæredibus tuis libere deinceps et quiete jure perpetuo possidendum. Ad hæc pro certo noveris quod Raymundum quondam

(1) Deut., XIII.

(2) Tandem instantia sua Honorius pervicit ut Ludovicum regem induceret ad negotium illud suscipiendum, de quo scribit Guillelmus de Podio Laurentii, in hoc XIX volumine, cap. 34, pag. 216, patrem ejus Philippum, dum viveret, Romani Pontificis declinasse ac etiam respuisse consilia, his verbis :

« Rex Philippus, inquit, negotium ipsum nunquam voluerat acceptare, defunctus anno Domini MCCXXIII : qui dum viveret, quasi futurorum præsagus, sicut referebat dominus Fulco episcopus, qui hoc se ab ipso audivisse dicebat : « Scio, « inquiebat, quod post mortem meam insistent « clerici, quod filius meus Ludovicus assumat ne- « gotium Albigensium; et ipse, cum sit homo « delicatus et debilis, laborem illum non poterit « ferre, et breviter morietur, et tunc remanebit « regnum in manu feminæ et infantium, et peri- « culo non carebit. » Et ex parte quæ dicebat, ex providentia sunt secuta. » (Bouquet.)

Tolosanum comitem et filium ejus cum eorum fautoribus dudum excommunicavimus, nec ad emendationem, licet benigne admoniti, revertuntur, sed contumaciter in sua malitia perseverant. Venerabiles vero fratres nostros archiepiscopum Bituricensem (1), et Lingonensem (2) et Silvanectensem (3) episcopos, qui de tuo regno existunt et tibi favorabiles credimus et devotos, et tui non dubitamus honoris existere zelatores, specialiter propter hoc ad tuam duximus præsentiam destinandos : quibus solita benignitate susceptis, oblatam tibi per eos quibus in virtute obedientiæ hujusmodi onus injunximus, nostram et Ecclesiæ petitionem tam necessariam, affectuose et efficaciter studeas exaudire. Datum Laterani, XIX kal. januarii, pontificatus nostri anno octavo.

LXVIII

Ad Simonem, Bituricensem archiepisc.

15 decemb. 1223.

[Bouquet, Rec. des Hist., XIX, 739. Regest., lib. VIII, ep. 132.]

Mandat ut ad opus fidei, vicesimam hujus anni in provincia Bituricensi et Turonensi colligat.

Honorius episcopus..., venerabili fratri archiepiscopo Bituricensi [Simoni de Suliaco] salutem, etc.

Volentes ut negotium pacis et fidei, quod in partibus Albigensium, exigentibus populi christiani peccatis, miserabiliter est collapsum, et ad cujus relevationem sollicite et diligenter intendimus, interim valeat sustineri, fraternitati tuæ per Apostolica scripta præcipiendo mandavimus, quatenus ad opus prædicti negotii vicesimam hujus anni et si quid restat de proxime præteriti anni vicesima colligendum per tuam diœcesim et Turonensem provinciam, sine moræ dispendio studeas colligere diligenter, contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Datum Laterani, XVIII kal. januarii, pontificatus nostri anno octavo.

Scriptum est in eumdem modum Remensi archiepiscopo de ejus et Rotomagensi provinciis, etc.

In eumdem modum Senonensi archiepiscopo.

LXIX

Ad Sancti Victoris Parisiensis et Sanctæ Mariæ de Vallibus abbates.

15 decemb. 1223.

[Bouquet, Rec. des Hist. XIX, 742. Regest., lib. VIII, ep. 130.]

Negotio adversus Albigenses collapso, mandat Honorius ut ad solverdam vigesimam adigantur exempti in provinciis Senonensi, Remensi ac Rotomagensi constituti.

Honorius episcopus..., dilectis filiis Sancti Victoris Parisiensis, Sanctæ Mariæ de Vallibus, Cisterciensis ordinis, Carnotensis diœcesis, salutem, etc.

Sollicite intendentes ad relevationem negotii quod in partibus Albigensibus, exigentibus populi christiani peccatis, miserabiliter est collapsum, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus ad opus prædicti negotii auctoritate nostra, cessante appellatione, cogatis exemptos in Senonensi provincia constitutos ad solutionem vicesimæ anni proxime præteriti et præsentis. Datum Laterani, XVIII kal. januarii, pontificatus nostri anno octavo.

In eumdem modum scriptum est abbati et priori Sancti Eligii Noviomensis, circa exemptos in Remensi et Rothomagensi provinciis constitutos, etc.

LXX

Ad episcopum Melden.

15 decemb. 1223.

[Regest., lib. VIII, epist. 136. Mss. La Porte du Theil.]

Ei indulget ut, quæ correctionis ac reformationis officio noverit indigere, libere corrigere ac reformare valeat.

Honorius, etc., venerabili fratri... episcopo Melden., salutem et Apostolicam benedictionem.

Etsi ad corrigendos tuorum subditorum excessus satis auctoritas ordinaria tibi sufficiat, ut tamen adjectæ potestatis vigore suffultus confidentius ad correctionem procedere valeas, et processus tuus in hujus-

(1) Simonem de Suliaco. (2) Hugonem de Monteregali. (3) Garinum.

modi reverentius observetur, auctoritate tibi præsentium indulgemus, ut, non obstante frivolæ appellationis objectu, libere corrigere ac reformare valeas quæ tam circa prælatos, quam subditos, correctionis ac reformationis officio noveris indigere, contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Datum Laterani, XVIII kalendas januarii, anno octavo.

LXXI

Ad abbatem et conventum S. Mariæ de Matine de Samburen.

18 decemb. 1223.

[Regest., lib. VIII, epist. 150. Mss. La Porte du Theil.]

Eis quasdam possessiones confirmat.

Honorius, etc., dilectis filiis... abbati et conventui Sanctæ Mariæ de Matine de Samburen., Cistercien. ordinis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Quum a nobis petitur, etc., *usque* effectum. Eapropter, etc., *usque* assensu, ecclesias, grangias, casalia, possessiones et alia bona necnon libertates, immunitates, et alia jura, quæ monasterium Sanctæ Mariæ de Matine, priusquam Cisterciensis ordo institueretur, ibidem habebat, sicut ea juste, canonice et pacifice possidetis, vobis et per vos monasterio vestro auctoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo, etc., hanc paginam nostræ confirmationis infringere, etc. Si quis autem, etc. Datum Laterani, XV kalendas januarii, anno octavo.

LXXII

Ad archiepiscopos, episcopos et prælatos.

19 decemb. 1223.

[Sbaralea, Bullarium Francisc., I, 19, 15.]

Monet ut discedentes ordinem fratrum Minorum post factam professionem excommunicatos nuntient.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis, et dilectis filiis abbatibus, prioribus, archidiaconis, decanis, et aliis ecclesiarum prælatis, ad quos litteræ istæ pervenerint, salutem et Apostolicam benedictionem.

Fratrum Minorum continent instituta, ut nullus ad professionem sui ordinis, nisi per annum in probatione fuerit, admittatur; ne forte altiora se quærens, retro tandem respiciat, tanquam in commotionem dederit pedem suum; sed et nulli ejusdem ordinis fratrum, post factam professionem ordinem, ipsum relinquere, nec relinquentem alicui liceat retinere. Nosque prioribus, et custodibus fratrum ipsorum concessimus, ut in discedentes liceat, donec resipuerint, ecclesiasticam exercere censuram : quia cum probati fuerint, nullus locus est pœnitudini, quam alias posset levitatis occasio excusare. Nunc autem non sine admiratione accepimus, quod, sicut relatum est nobis, quum prædicti priores, et custodes taliter discedentes excommunicationi subjiciunt, hos aliqui vestrum tanquam excommunicatos evitare non curant: unde illos magis obstinari contingit, et dictorum fratrum religionem et ordinem infamari. Quia vero, etsi universis liberum sit in vovendo arbitrium, nec necessitas in votis locum habeat, sed voluntas; usque adeo tamen solutio necessaria est post votum, ut non sine propriæ salutis dispendio alicui resilire liceat ab iis, quæ sponte ac solemniter repromisit. Quare nemo mittens manum ad aratrum, et respiciens retro aptus est regno Dei. Ananias, et Saphira, qui abiere retrorsum, Sancto Spiritui mentientes a conspectu apostolorum principis mortui scribuntur successive delati : universitatem vestram monemus, et hortamur in Domino per Apostolica scripta mandantes, quatenus ne quis vestrum in peccatis suis moriatur, et ut ordo hujusmodi detractioni subjaceat, sit occasio; discedentes post professionem ab eis, præsertim excommunicatione notatos ab ipsis, evitetis omnino, quos etiam, quum ab eisdem prioribus et custodibus fueritis requisiti, excommunicatos nuntiare curetis, ut cum se demum cognoverint inter homines vivere, ac humano carere solatio, ad ordinem suum, reddendo Deo votum, quod in ejus susceptione devoverant, revertantur. Datum Laterani, XV kalendas januarii, pontificatus nostri anno octavo.

LXXIII

Ad abbatem et conventum Cistercienses.

(Sine signo chronologico.)

[Manrique, Annal. Cisterc., IV, 240.]

Sermones quos diversis temporibus habuit ad clerum populumque Romanum in unum volumen ordinatos ad eos transmittit.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati et conventui Cisterciensi, salutem et Apostolicam benedictionem.

Aquas nostras jubemur dividere in plateas, ita tamen ut non sint nostri participes alieni, quia scilicet rivulum, immo rorem scientiæ datæ nobis a Domino, qui etiam mutorum linguas facit esse disertas, debemus in latitudinem spargere populorum, et excusso inanis gloriæ pulvere, ac respectu quæstus temporalis excluso, arentia subditorum corda sic ex sola caritate rigare, ut nullam in opere nostro partem sibi spiritus valeant vindicare maligni. Quamlibet igitur proprii corporis infirmitate gravati, quamlibet pressi onere pontificalis officii, quamlibet irruentibus undique sollicitudinum fluctibus agitati, vix tandem aliquando valeamus recolligere mentem, in tam diversa divisam, et lectioni seu meditationi vel modicum dare tempus : ne tamen id temporis, quod occupationibus nostris subducere, et quasi furari potuimus, efflueret otiosum, sermones quos diversis temporibus habuimus ad clerum populumque Romanum, studuimus in unum compilare, ac ordinare volumen ad utilitatem præsentium, ac etiam posterorum.

Ipsum ergo volumen vestræ caritati duximus destinandum, in quo si quid laudabile inveneritis, Domino, qui dat omnibus affluenter et non improperat, adscribatis : ea, quæ minus bene, minusve sufficienter dicta inveneritis in eodem, nostræ insufficientiæ imputantes. Pro hujusmodi autem dono, quod vobis ex multa caritate dirigimus, orationum vestrarum valde necessaria nobis antidota postulamus. Illud vos latere nolentes, quod cum ecclesiis urbis et aliis simus, Deo propitio, quamplures sacras vestes, et alia ecclesiastica ornamenta largiti ; protulimus sententiam excommunicationis in illos qui ea dare, vel vendere, seu quocumque modo alienare præsumpserint ab eisdem. Unde caveatis vos universi, et singuli, ne vel præsens volumen, vel alia ornamenta ecclesiastica, quæ ecclesiæ vestræ contulimus, distrahendo, et alienando quomodolibet ab eadem, supradictam sententiam incurratis. Valete.

LXXIV

Ad Nicolaum Tusculanum episcopum.

Sine nota chronologica.

[Schannat, Vindemiæ litter., I, 190.]

Ejusdem pontificis mandatum apostolicum quo Tusculanum episcopum a legatione sua revocat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili in Christo fratri Tusculano episcopo, salutem et Apostolicam benedictionem.

Divulgata est satis hæresis, quæ diutius in terra comitis Sancti Ægidii pullulavit, et longe lateque se diffundens quotidie serpit ut cancer, diabolo seminante semen suum, qui fel draconum et venenum aspidum insanabile in calice Babylonis vicinis... jam propinat; ad eam ergo de terra radicitus extirpandam te misimus e latere nostro tanquam potentem in opere et sermone, tu autem cum deberes insistere operi prædicationis, laborasti potius pro denariis colligendis, et scandalizati sunt per te plurimi in regno Franciæ, dicentes : Ecce, qui prædicat non furandum, furatur, de contemptu rerum clamat in publico et res ipse colligit, et non dat pauperibus nec dispergit; ejiciet primum trabem de oculo suo, et tunc ejiciat festucam de oculo fratris sui. Inde nomen Dei blasphematur in gentibus et contemnuntur claves Ecclesiæ, cum medicus primum curare se ipsum debeat, et turpe est doctori quum redarguit ipsum culpa; deberes enim habere pennas columbæ deargentatæ ne quid in te appareret, quod posset offuscare candorem ecclesiasticæ puritatis; sed quum intendas avaritiæ, quæ est idolorum servitus, uteris potius pennis corvi denigratis per opera tenebrarum; cogitasse debueras quid liceat, quid deceat, quid expediat secundum æquitatem, quid deceat secundum honestatem, quid expediat secundum utilitatem; sed..... tanquam contrarium et indecens, quod contra bonos

mores, et inutile, quod contra profectum nominis Christiani : ob hoc te revocamus, mandantes tibi ne de cætero legationis officio ingerere te præsumas; cujus enim vita despicitur, restat ut ejus prædicatio contemnatur.

LXXV

Ad Gerhardum archiepiscopum et capitulum Bremenses.

21 decemb. 1223.

[Lappenberg, Hamburgisches Urkundenbuch, I, 408, 467.]

Mandat ut ab ecclesiæ Livoniensis molestatione penitus desistant.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri archiepiscopo et dilectis filiis capitulo Bremensi, salutem et Apostolicam benedictionem.

Grave gerimus et indignum, quod, sicut venerabilis frater noster Livoniensis episcopus nostris auribus intimavit, vos ecclesiam Livoniensem Bremensi ecclesiæ subjicere juri metropolitico gestientes, ipsam multipliciter aggravatis, non sine gravi Apostolicæ Sedis injuria et contemptu, maxime quum jam secundario super hoc receperitis scripta nostra. Ut igitur, ex iteratione mandati mandantis affectum plenius agnoscentes, vobis ab inobedientiæ vitio caveatis, universitati vestræ per iterata scripta firmiter præcipiendo mandamus, quatenus, quum præfatam ecclesiam Livoniensem et omnes alias ecclesias, quæ ab ea et per eam ibidem, Domino cooperante, creantur, ad manus nostras specialiter teneamus, ab ipsius molestatione penitus desistentes, eam super hoc de cætero impetere nullatenus attentetis. Datum Laterani, XII kalendas januarii, pontificatus nostri anno octavo.

LXXVI

Ad abbatem monasterii S. Benigni Divionensis.

21 decemb. 1223.

[Pérard, Recueil, 406.]

Illud monasterium patrocinandum suscipit.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio abbati monasterii S. Benigni Divionensis, salutem, etc.

Sacrosancta Romana Ecclesia devotos et humiles filios ex assuetæ pietatis officio propensius diligere consuevit, et ne pravorum hominum molestiis agitentur, eos tanquam pia mater suæ protectionis munimine confovere. Ea propter, dilecte in Domino fili, tuis justis petitionibus inclinati, tibi ac per te tuo monasterio bona, jura ac privilegia, sicut ea juste ac pacifice possides, confirmamus et præsentis scripti patrocinio suscipimus. Nulli ergo, etc. Si quis autem, etc. Datum Laterani, XII kalend. januarii, pontificatus nostri anno octavo.

LXXVII

Ad S. archidiaconum Magalonen.

22 decemb. 1223.

[Regest., lib. VIII, epist. 148. Mss. La Porte du Theil.]

Compositionem inter ecclesiam Sancti Firmini et ecclesiam beatæ Mariæ Pessulan. confirmat.

Honorius, etc., dilecto filio et archidiacono Magalonen., salutem et Apostolicam benedictionem.

Ea quæ judicio, vel concordia terminantur firma debent et illibata persistere, et ne in recidivæ contentionis scrupulum relabantur, Apostolico convenit præsidio communiri. Ea propter, dilecte in Domino fili, tuis justis postulationibus grato concurrentes assensu, compositionem, quæ inter te pro ecclesia Sancti Firmini ex parte una, et P. Gortin archidiaconum Magalonen. pro ecclesia beatæ Mariæ Pessulan. ex altera, tam super eo quod duo capellani debent in prædicta ecclesia beatæ Mariæ institui, quam super eo quod ab eis sunt populo sacramenta ecclesiastica exhibenda, necnon oblationibus, obventionibus, et quibusdam aliis articulis, mediante J. præposito Magalonen., amicabiliter intervenit, per venerabilem fratrem nostrum... Portuen. episcopum, tunc Apostolicæ Sedis legatum, postmodum approbatam, prout in utriusque litteris plenius continetur, sicut rite, sine pravitate provide facta est, et ab utraque parte sponte recepta, et adhuc pacifice observata, auctoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis

infringere, etc. Si quis autem, etc. Datum Laterani, XI kalend. januarii, pontificatus nostri anno octavo.

LXXVIII

Ad Magalonen. episcopum.

22 decemb. 1223.

[Regest., lib. VIII, epist. 145. Mss. La Porte du Theil.]

Ei concedit ut in singulis ecclesiis suæ diœcesis ad relevationem debitorum moderatum subsidium suscipere valeat.

Honorius, etc., venerabili fratri episcopo Magalonen., salutem et Apostolicam benedictionem.

Quum pro fidei et pacis negotio multa coactus expendere, gravia subieris onera debitorum, nos tibi debito compatientes affectu, fraternitati tuæ præsentium auctoritate concedimus, ut in singulis ecclesiis tuæ diœcesis, lege tibi diœcesana subjectis, ad relevationem debitorum ipsorum suscipere valeas subsidium moderatum, contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Datum Laterani, XI kal. januarii, anno octavo.

LXXIX

Ad eumdem.

22 decemb. 1223.

[Regest., lib. VIII, epist. 146. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat ut aliquibus excommunicatis beneficium absolutionis impertiri possit.

Aversos a communione fidelium convertere cupientes, auctoritate tibi præsentium indulgemus, ut si homines de Melgorio, vel alii tuæ diœcesis legatorum Sedis Apostolicæ sententiis involuti, aut qui tamdiu sub excommunicationis sententia perstiterunt, quod secundum statuta legatorum Apostolicæ Sedis, non nisi a Sede Apostolica possunt absolvi, ad unitatem Ecclesiæ redire voluerint, competenti ab iis satisfactione recepta, redeuntibus valeas juxta formam Ecclesiæ absolutionis beneficium impertiri, proviso attentius, ne occasione hujusmodi nervus dissolvatur ecclesiasticæ disciplinæ. Datum *ut supra.*

LXXX

Ad Bernardum Magalonensem episcopum.

23 decemb. 1223.

[Bouquet, Recueil des Hist. XIX, p. 743; Regest. lib. VIII, epist. 143.]

Cum Raimundus VII comes Tolosanus Melgorium castrum, a Romana Ecclesia Magalonensibus episcopis traditum, furtive subripuisset, Honorius latas in eum excommunicationis et in terras ejus interdicti sententias confirmat, donec castrum illud restituatur.

Honorius episcopus..., venerabili fratri episcopo Magalonensi (1), salutem, etc.

Cum, sicut in nostra proposuisti præsentia constitutus, perditionis filius Raimundus natus Raymundi, quondam comitis Tolosani, castrum Melgorii et alia quædam ad dictum castrum et comitatum ejus spectantia, quæ ab Ecclesia Romana sub annuo canone tenes in feudum (2), furtive rapuerit vel subripuerit violenter, quia idem ex parte tua requisitus ea reddere denegavit, tu in personam ejus excommunicationis et in terram interdicti sententias, exigente justitia, promulgasti, ad petitionem tuam publicari mandavimus et firmiter observari. Nos igitur, sententias ipsas ratas habentes et firmas, et volentes adhuc tibi et ecclesiæ tuæ super hoc abundantius providere, ne, si dictum R., cum sit ex aliis causis vinculo ex-

(1) Bernardo de Mese.

(2) Anno 1216. Melgoriense castrum et comitatum, Magalonensi ecclesiæ in feodum ab Innocentio III donatum, docet Petrus Gariel in *Historica Serie Magalonensium episcoporum*, p. 316, edit. 1651 :

« Innocentius episcopus..., venerabili fratri Guillelmo episcopo Magalonensi, sulutem, etc. Devotiomem quam te et Magalonensem ecclesiam ad Apostolicam Sedem novimus habuisse et habere in futurum speramus attendentes, comitatum Melgorii sive Montisferrandi, qui ad jus sive proprietatem Romanæ Ecclesiæ noscitur pertinere, cum omnibus pertinentiis ejus in feudum concedimus tibi et successoribus tuis, sub annuo censu viginti marcharum argenti, nostris et successoribus in festo Resurrectionis Domini persolvendo, salvo nihilominus alio censu quem pro alia causa Romanæ Ecclesiæ debetis; ita quod tu et successores tui nobis et successoribus nostris fidelitatem propter hoc specialiter faciatis, et per Romanam Ecclesiam ipsum recognoscatis et teneatis comitatum, et de ipso deinceps faciatis guerram et pacem ad mandatum ipsius, nec castrum Melgorii seu castrum Montisferrandi, cum sint caput comitatus ejusdem, infeudare vel quolibet modo alienare ullatenus præsumatis absque Apostolicæ Sedis licentia speciali; nulla etiam feuda quæ ad ipsum

communicationis adstrictus, priusquam tibi satisfaciat, absolvi contingat, videatur ecclesiæ tuæ præjudicium generari, fraternitati tuæ præsentium auctoritate concedimus ut prænotatæ sententiæ in eumdem R. et terram ejus a te ac pro te latæ nullatenus relaxentur, nisi dictum castrum cum pertinentiis suis ecclesiæ tuæ fuerit restitutum, et super satisfaciendo de damnis et injuriis congrue satisdatum. Datum Laterani, X kalendarum januarii, pontificatus nostri anno octavo.

LXXXI

Ad milites et populum Melgoriensis comitatus.

23 decemb. 1223.

Bouquet, Rec. des Hist, XIX, 743; Regest., lib. VIII, epist. 142,]

Objurgat eos Honorius, quod a dominio Magalonensis episcopi ad partes Raimundi Tolosani desciverint, et pœnam ab iis severiorem se repetiturum minatur, nisi in legitimam ditionem rursus concedere festinent.

Honorius episcopus..., militibus et populo de Melgorio, spiritum consilii sanioris.

Quod de libertatis maternæ dulcedine in amaritudinem tyrannicæ servitutis præcipitastis infeliciter vosmetipsos, fugiendo benignam dominationem vel potius gubernationem Magalonensis ecclesiæ, quæ vos non sine multo discrimine de multis angustiis liberarat, et tradendo vos proditionis (1) filio Raimundo nato R. quondam comitis Tolosani, ut innitentes baculo arundineo, qui fractus manum perforat innitentis, cum fracto etiam confringamini, non solum damnabilis reatum perjurii et detestandæ proditionis infamiam, sed etiam abominandæ ingratitudinis vitium et notam manifestæ dementiæ infallibiliter incurristis, rerum dispendia, personarum pericula et animarum detrimenta, nisi resipueritis, procul dubio incursuri.

Verum, cum vobis monita direxerimus et mandata, ut, qui abieratis improvide, ne dixerimus nequiter, de dextera in sinistram, de sinistra in dexteram provide rediretis, vos, quasi erubescentes inde surgere ubi deberetis erubescere corruisse, vel, quod est gravius, animos vestros in malitia obdurantes adhuc in pristina perfidia remanetis, tanquam in profundum veneritis peccatorum. Ut igitur iterata monitio monentis affectum exprimens potiorem, utilem in vobis assequatur correctionis affectum universitatem vestram sicut iterum, sic attentius commonemus, per Apostolica vobis scripta firmiter præcipiendo mandantes quatenus, si quid in vobis est divini timoris vel pudoris humani, antequam contra vos rigidæ ultionis gladius irrevocabiliter exeratur, ad matrem vestram convertamini festinanter, obedituri venerabili fratri nostro Magalonensi episcopo (2) tanquam domino vestro humiliter et devote, non obstante juramento si quod dicto R. (3) fecistis, quod illicite præstitum licite servari non potest. Alioquin non exspectetis a nobis ulterius commoneri si quanto vos hactenus patientius comportavimus, tanto duritiam vestram tam spiritualiter quam temporaliter severius puniemus vos tanquam perfidos et bona vestra omnibus exponendo. Datum Laterani, X kal. januarii, pontificatus nostri anno octavo.

pertinent comitatum, ulli concedatis omnino extra Magalonensem diœcesim commoranti. Nulli ergo, etc. Datum Laterani, XVIII kal. maii, pontificatus nostri anno decimo octavo. » (Bouquet.)

LXXXII

Ad præpositum Massilien.

23 decemb. 1223.

[Regest., lib. VIII, epist. 144. Mss. La Porte du Theil.]

Ecclesiam de Alando in usus proprios retinendi ei facultatem concedit.

Honorius, etc., præposito Massilien.

Quum, sicut exhibita nobis tua petitio declaravit, cives Massilien. contra Deum et justitiam impie prosequentes, de propriis domibus vos ejectos vestris redditibus spoliarint, nos tibi debito compatientes affectu ecclesiam de Alando hunc vacantem, quæ ad donationem tuam de assensu episcopi et capituli noscitur pertinere, sicut asseris, in usus proprios retinendi, donec ad præposituram tuam pacifice redire valeas et in ea secure morari, auctoritate tibi præsentium concedimus facultatem. Datum Laterani, X kalendas januarii, pontificatus nostri anno octavo.

(1) *Forsan* perditionis *ut supra.*
(2) Bernardo.
(3) Raimundo VII.

LXXXIII

Ad episcopum, præpositum et priorem S. Firmini de Montepessulo.

23 decemb. 1223.

[Mémoires de la Société archéolog. de Montpellier, V, p. 553, n. 29.]

Compositionem tam super ecclesia intra parochiam S. Firmini construenda quam super cœmeterio initam confirmat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri episcopo, et dilectis filiis præposito et priori Sancti Firmini de Montepessulo, Magalonensis diœcesis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Ea quæ judicio vel concordia terminantur firma debent et illibata persistere, et ne in recidivæ contentionis scrupulum relabantur, Apostolico convenit præsidio communiri. Ea propter, venerabilis in Christo frater noster episcope, ac dilecti in Domino filii præposite ac prior, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, compositionem quæ inter vos ex parte una et priorem et fratres ordinis Prædicatorum ex altera, tam super ecclesia cum tribus tantum altaribus intra parochiam Sancti Firmini de Montepessulo a dictis fratribus construenda quam super cœmeterio ad opus eorumdem fratrum et conversorum suorum tantum habendo, necnon manuali obedientia, salva sui ordinis observantia regulari, tibi, frater episcope, ac tuorum cuilibet successorum, a priore qui pro tempore instituetur ibidem pro se ac suis fratribus exhibenda, et quibusdam aliis articulis, mediante venerabili fratre nostro Portuensi episcopo, tunc Apostolicæ Sedis legato, amicabiliter intervenit, prout in ipsius litteris plenius continetur, sicut rite, sine pravitate provide facta est, et ab utraque parte sponte recepta, auctoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani, X kalendas januarii, pontificatus nostri anno octavo.

LXXXIV

Ad archiepiscopum Bituricen.

24 decemb. 1223.

[Regest., lib. VIII, epist. 159. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat ut de quibusdam ecclesiis suæ diœcesis unum canonicum ad ejus servitium evocare possit.

Honorius, etc., archiepiscopo Bituricen.

Precibus tuis benignum impartientes assensum, auctoritate tibi præsentium indulgemus, ut de singulis ecclesiis tuæ diœcesis habentibus denarium canonicorum numerum, vel majorem, liceat tibi unum ad tuum servitium evocare, qui quamdiu tuis insistant officiis integre fructus suarum percipiant præbendarum, non obstante contraria consuetudine, vel statuto quacumque firmitate vallato. Nulli ergo, etc., hanc paginam nostræ concessionis infringere, etc. Si quis autem, etc. Datum Laterani, IX kalend. januarii anno octavo.

LXXXV

Ad archiepiscopum Narbonæ.

29 decemb. 1222.

[Vaissète, Histoire du Languedoc, p. 282.]

Ei mandat ut in compositione cum A. comite Tolosano det operam efficacem.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, archiepiscopo Narbonæ, salutem et Apostolicam benedictionem.

Recepimus litteras nobilis viri R., filii quondam R. comitis Tolosæ, continentes, quod est solemnes nuntios ad nostram præsentiam transmissurus, facturus pro ipso nostræ beneplacitum voluntatis. Quum ergo de te, tamquam magno et honorabili Ecclesiæ Dei membro, gerimus fiduciam specialem, certiusque responsum a te, cui jam dudum super hoc direximus litteras, exspectemus, fraternitatem tuam sollicitandam duximus et hortandam, per Apostolica tibi scripta mandantes, quatenus, secundum datam tibi a Deo prudentiam, des operam efficacem, ut terra ita purgetur hæreticis, et ita ecclesiis fiat restitutio ablatorum, et cum nobili viro A. comiti Tolosano taliter componatur, quod ad audiendos jam dicti nobilis nuntios aures Apostolicas inclinare

merito debeamus; et quod super iis factum fuerit, nobis per litteras tuas fideliter intimare procures, ita quod ipsi nuntii nobis falsa pro veris non valeant suadere.

LXXXVI

Ad Guillelmum, Remensem archiepisc.

29 decemb. 1223.

[Bouquet, Rec. des Hist., XIX, 744; Regest., lib. VIII, epist. 149.]

Honorius Remensi archiepiscopo mandat, ut de vicesima provideat Narbonensis archidiaconi expensis, qui Pontificis ad regem Francorum litteras pro negotio pacis et fidei perferet.

Honorius episcopus..., venerabili fratri archiepiscopo Remensi (1), salutem, etc.

Cum dilectum filium P. archidiaconum (2) Narbonensem, latorem præsentium, de consilio fratrum nostrorum et venerabilium fratrum Bituricensis archiepiscopi (3) et episcopi Lingonensis (4), quos ad carissimum in Christo filium nostrum L., regem Francorum illustrem, pro negotio pacis et fidei dirigimus et ad nobilem virum comitem Montisfortis cum nostris litteris destinemus, nec ipsius redditus sibi sufficiant ad expensas, fraternitati tuæ præsentium auctoritate mandamus, quatenus de vicesima tua sic eidem in moderatis expensis provideas, quod idem ad dictum nobilem nostra valeat perferre mandata, et tu potius parcus quam largus appareas dispensator. Datum Laterani, IV kal. januarii, anno octavo.

LXXXVII

Ad abbatem et conventum S. Genovefæ.

3 januarii 1224.

[Regest., lib. VIII, epist. 164. Mss. La Porte du Theil.]

Eis concedit ut infra parochias suas exigendi novalium decimas facultatem habeant.

Honorius, etc., dilectis filiis... abbati et conventui Sanctæ Genovefæ Parisien., salutem et Apostolicam benedictionem.

Ex parte vestra fuit nobis humiliter supplicatum, ut quum vobis de parochiarum vestrarum laboribus sit indultum decimas cum integritate percipere, concederemus etiam ut infra easdem parochias haberetis de indulgentia nostra exigendi novalium decimas facultatem. Quum igitur quod majus est concessum sit vobis, devotionis vestræ precibus inclinati præsentium vobis auctoritate concedimus postulata. Nulli ergo, etc. Si quis autem, etc. Datum Laterani, III nonas januarii, anno octavo.

LXXXVIII

Ad abbatem et priorem Reomen., Lingonensis diœcesis.

4 januarii 1224.

[Regest., lib. VIII, epist. 239. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat ut uxorem et familiam Hugonis militis crucesignati ab aliquibus molestari non permittant.

Honorius, etc., dilectis filiis...... abbati et..... priori Reomen., Lingonen. diœcesis, salutem, etc.

Quum in generali Concilio provida fuerit deliberatione statutum, ut omnes crucesignati, ac eorum familiæ sub protectione Apostolicæ Sedis et nostra consistant, ac omnia bona ipsorum integra maneant, et quieta, donec post iter arreptum de ipsorum reditu, vel obitu certissime cognoscatur, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus uxorem ac familiam Hugonis militis crucesignati, quem accepimus in partibus transmarinis teneri captivum, contra idem statutum non permittatis ab aliquibus molestari, molestatores ipsius indebitos per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Datum Laterani, II nonas januarii, anno octavo.

LXXXIX

Ad Magdeburgensem, Mogontinum et Coloniensem archiepiscopos.

5 januarii 1224.

[Chronicon Montis Sereni, p. 165.]

Mandat eis ut illos qui possessiones, vel res, seu domos monasterii Montis Sereni invaserunt publice excommunicent.

Honorius episcopus, servus servorum Dei,

(1) Guillelmo de Joinville.
(2) Petrum Ameii, qui anno 1226 factus est Narbonensis archiepiscopus.
(3) Simonis de Suliaco.
(4) Hugonis de Monteregali.

venerabilibus fratribus Magdeburgensi, Mogontino et Coloniensi archiepiscopis et eorum suffraganeis et dilectis filiis abbatibus, prioribus, decanis, archidiaconis, præpositis et aliis ecclesiarum prælatis per Magdeburgensem et Coloniensem provinciam constitutis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Non absque dolore cordis et plurima perturbatione didicimus, quod ita in plerisque partibus ecclesiastica censura dissolvitur, et canonicæ sententiæ severitas enervatur, ut viri religiosi, et hi maxime, qui per Sedis Apostolicæ privilegia majori donati sunt libertate, passim a malefactoribus suis injurias sustineant et rapinas, dum vix invenitur, qui congrua illis protectione subveniat, et pro fovenda pauperum innocentia se murum defensionis opponat. Specialiter autem, dilecti filii præpositus et canonici monasterii Montis Sereni ordinis S. Augustini, quod ad Romanam Ecclesiam nullo pertinet mediante, tam de frequentibus injuriis, quam de ipso quotidiano defectu justitiæ conquerentes, universitatem vestram litteris petierunt Apostolicis excitari, ita ut videlicet eis in tribulationibus suis contra malefactores eorum prompta debeatis magnanimitate consurgere, ut ab angustiis quas sustinent et pressuris vestro possint præsidio respirare. Ideoque universitati vestræ per Apostolica scripta mandamus atque præcipimus, quatenus illos, qui possessiones vel res seu domos prædictorum præpositi et canonicorum, vel hominum suorum, irreverenter invaserint, aut ea injuste detinuerint, quæ ipsis ex testamento decedentium relinquuntur, seu in eos contra Apostolicæ Sedis indulta sententiam excommunicationis seu interdicti præsumpserint promulgare, vel decimas laborum de terris habitis ante Concilium, quas propriis manibus aut sumptibus excolunt, seu nutrimentis eorum, spretis Apostolicæ Sedis privilegiis extorquere monitione præmissa, si laici fuerint publice candelis accensis excommunicationis sententia percellatis : si vero clerici vel canonici regulares seu monachi fuerint, eos appellatione remota ab officio et beneficio suspendatis, neutram relaxaturi sententiam, donec jam dictis præposito et canonicis plene satisfaciant, et tam laici quam clerici sæculares, qui pro violenta manuum injectione anathematis vinculo fuerint innodati, cum diœcesani episcopi litteris ad Sedem Apostolicam venientes, ab eodem vinculo mereantur absolvi. Villas autem, in quibus bona prædictorum præpositi et canonicorum vel hominum suorum per violentiam detenta fuerint, quamdiu ibi sunt, interdicti sententiæ supponatis. Datis Laterani, nonas januarii, pontificatus nostri anno octavo.

CX

Ad episcopum Suessionen.

9 januarii 1224.

[Regest., lib. VIII, epist. 171. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat ut in quosdam suæ diœcesis statuat quod fuerit statuendum.

Honorius, etc., venerabili fratri..... episcopo Suessionen., salutem et Apostolicam benedictionem.

Ex tua insinuatione didicimus quasdam esse in tua diœcesi ecclesias regulares, diœcesano tibi jure subjectas, in quarum quibusdam sæculares clerici, in quibusdam vero laici commorantur : unde maximum scandalum, quum in eisdem ecclesiis regulares esse debeant, est subortum. Asserebas insuper quod in eadem diœcesi sunt nonnulli, quorum quidam pro non soluta vicesima, quidam vero pro injectione manuum in religiosas personas et sæculares clericos excommunicationis sententiam incurrerunt. Unde petebas ut in primo articulo propter scandalum, in secundo quia multitudo est in causa, consilium dignaremur Apostolicum adhibere. Ideoque fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus circa prædictas ecclesias auctoritate nostra suffultus, appellatione postposita, statuas quod secundum Deum fuerit statuendum. Excommunicatis vero hujusmodi, satisfactione ab ipsis pro facto vicesimæ sufficienti recepta, et manuum injectoribus injuriam passis satisfacientibus competenter, hac vice dumtaxat auctoritate nostra beneficium absolutionis impendas, nobis quantitatem, quam super vicesimæ satisfactione receperis, absque moræ dispendio fideliter expressurus. Datum Laterani, quinto idus januarii, anno octavo.

XCI

Ad magistrum Andream archiepiscopum quondam Lundensem et Petrum episcopum Roskildensem.

11 januarii 1224.

[Liljegren, Swenskt diplom., I, 232, n. 220.]

Ut Petro Lundensi electo, quum munus consecrationis acceperit, pallium tribuant.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, magistro A. archiepiscopo quondam Lundensi, et P. episcopo Roskildensi, salutem.

Dilecto filio Lundensi electo per dilectos filios magistrum Alberum, et Andream presbyterum mittentes pallium, quod est officii pontificalis insigne, per vos ipsi quum consecratus fuerit tribuendum, fraternitati vestræ per Apostolica scripta mandamus quatenus juxta formam, quam sub bulla nostra dirigimus, illud, quum munus consecrationis acceperit, tribuatis eidem, et fidelitatis recipiatis ab ipso Ecclesiæ Romanæ nomine juramentum. Porro si quid de alterutro vestrum ante pallei assignationem humanitus forte contingeret, reliquus nihilominus mandatum Apostolicum exsequatur. Datum Laterani, III idus januarii, anno octavo.

XCII

Ad Petrum electum Lundensem.

11 januarii 1224.

[Liljegren, Swenskt diplom., I, 233, n. 221.]

Ei nuntiat se per magistrum Alberum et Andream presbyterum ei pallium mittere.

Honorius, etc., dilecto filio... electo Lundensi.

Quum post petitam instantiam, et demum obtentam venerabilis fratris nostri... quondam Lundensis archiepiscopi cessionem vota canonicorum Lundensium in te, tunc ipsorum præpositum, concorditer convenissent, quia tandem examinato, sicut decuit, processu electionis tuæ, invenimus eam post publicationem consensuum et collationis tractatum aliquandiu fuisse protractam, assensumque tuum priusquam electus fueris requisitum, electionem eamdem ex ipsius duntaxat inordinato processu justitia cassavimus exigente. Verum ne gregi Dominico diu deesset cura pastoris, quum tam per prædictum prædecessorem tuum quam Lundense capitulum necnon et multorum testimonia intelleximus prælatorum, quod oneri et honori Lundensis ecclesiæ scientia, ætate ac moribus congruebas, te ipsi præficiendum providimus, et ad ejus curam et sollicitudinem assumendum. Postmodum vero dilectis filiis magistro Albero et Andrea presbytero præfati capituli nuntiis pallium, quod est plenitudinis officii pontificalis insigne, cum ea, quæ decuit, instantia postulantibus; nos utilitati prospicientes ecclesiæ supradictæ, ac specialem personæ tuæ super gratiam facere gratiam cupientes, per eosdem nuntios ad nomen et usum ipsius Lundensis ecclesiæ devotioni tuæ transmittimus pallium, quo quum consecratus fueris debeas decorari, tibi sub certa forma, quam in aliis litteris nostris exprimimus tribuendum. Porro et si firmiter teneamus, quod in prælatione tibi ejusdem ecclesiæ credita te laudabiliter debeas exercere, quia tamen famæ tuæ avidi sumus, et tui zelatores honoris discretionem tuam monemus attente per Apostolica tibi scripta mandantes, quatenus sic in bono potestatem tibi vendicare procures, ut in corrigendis subditis plus apud te valeat ratio quam potestas, atque te boni ducem, mali vero pium sentiant correctorem.

Datum Laterani, III idibus januarii, pontificatus nostri anno octavo.

XCIII

Ad suffraganeos ecclesiæ Lundensis.

11 januarii 1224.

[Liljegren, Swenskt diplom., I, 234, n. 222.]

Eos monet ut Petro electo tanquam fratri et pastori intendant ejus monita suscipiendo ac inviolabiliter observando.

Quum post petitam, etc., *usque* canonicorum Lundensium in dilectum filium..... tunc Lundensem præpositum, etc., *usque* tribuendum. Sane licet necesse non foret nostris vos litteris excitare, ut intendere debeatis eidem veluti cui ad hoc ex debito noscimini jam teneri, fraternitatem vestram monemus attente per Apostolica scripta mandantes, quatenus ei tanquam patri et pastori animarum vestrarum, plene ac humiliter intendatis ejus salubria monita suscipiendo devote, ac inviolabiliter obser-

vando, ita quod per promptam obedientiam vestram, et ille in cura regiminis sibi commissi efficacius operari valeat, et congruum afferentes sollicitudini suæ adminiculum inde possitis merito promereri. Alioquin sententiam quam rationabiliter tulerit in rebelles, ratam habebimus, et faciemus auctore Domino, inconcusse servari. Datum *ut supra.*

In eodem modo scriptum est capitulo Lundensi *usque* teneri, et qui sub ejus gubernari regimine ipsius doctrina instrui et informari moribus affectastis, de superabundanti tamen universitatem vestram monemus attente per Apostolica vobis scripta mandantes, quatenus ei tanquam patri animarum vestrarum, etc., usque in finem. Datum *ut supra.*

XCIV

Ad priores S. Viviani Xanctonen., et S. Stephani de Mauritania, Xanctonen. diœc., et cantorem Engolismen.

12 januarii 1225.

[Regest., lib. VIII, epist. 194. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat ut in monasterio S. Johannis Angeliacensis, quæ correctionis et reformationis noverint indigere, corrigant et reforment.

Honorius, etc., dilectis filiis..... Sancti Viviani Xanctonen., et..... Sancti Stephani de Mauritania Xanctonen. diœc., prioribus et..... cantori Engolismen., salutem, etc.

Ex parte..... abbatis et monachorum S. Johannis Angeliacen., Xanctonen. diœc., fuit propositum coram nobis, quod quum ipsorum monasterium horror non ordo possideat, sitque plurimum dissolutum et extraneum a regulari observantia videatur, per nostram exigunt sollicitudinem reformari. Quare humiliter postularunt, ut ad reformationem ipsius tam in capite, quam in membris, ne nobis ei non subvenientibus pereat, intendere dignaremur. Nos ergo qui demum cupimus ecclesiarum statum dirigi, et prosperum conservari, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus ad idem monasterium personaliter accedentes, et habentes præ oculis solum Deum, corrigatis et reformetis ibidem, appellatione remota, quæ correctionis et reformationis officio noveritis indigere, contradictores, etc. Quod si non omnes, etc. Datum Laterani, II idus januarii, anno octavo.

XCV

Ad præpositum, R. et J. archidiaconos Suessionen.

12 januarii 1224.

[Regest., lib. VIII, epist. 213. Mss. La Porte du Theil.]

Inhibet ne presbyteri ecclesiæ Jotren. proprio sigillo uti possint.

Honorius, etc., dilectis filiis..... præposito, R. et J. archidiaconis Suessionen., salutem, etc.

Dilecta in Christo filia abbatissa Jotren. nobis insinuare curavit, quod quum presbyteri et clerici Jotren. ecclesiæ, Melden. diœcesis, non consueverunt proprium habere sigillum, nec sint unum corpus, ita quod capitulum appellentur, nihilominus tamen contra voluntatem ipsius abbatissæ quæ ipsorum caput est et patrona, sigillum habere contendunt in ejus præjudicium et gravamen; quare id eis a nobis petiit inhiberi. Quia vero nobis non consistit de præmissis, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus, inquisita super his diligentius veritate, si vobis constiterit rem taliter se habere, dictis presbyteris et clericis auctoritate nostra inhibeatis expresse, ne præsumant vel de novo fabricare sigillum, vel uti eo, si forte noviter fabricarunt, ipsos si contra inhibitionem vestram venire præsumpserint, a præsumptione hujusmodi per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescentes. Quod si non omnes, etc. Datum Laterani, II idus januarii, anno octavo.

XCVI

Ad Gerardum Cremonensem episcopum.

13 januarii 1224.

[Ughelli, Italia sacra, V, 604.]

Indulget ut de quibusdam possessionibus episcopalibus infeudare, obligare vel vendere posset.

De providentia tua plenam in Domino fiduciam obtinentes, et gratiam tibi volentes facere specialem ut cum metropolitani, et capituli tui, vel majoris et sanioris partis ipsius consensu, de possessionibus episco-

palibus minus utilibus, si necessitas vel utilitas ejus exegerit, prævia descriptione infeudare, obligare, vendere valeas, et locare. Tibi quoque ut per te, vel per nuntium non nisi de triennio in triennium, visitare Sedem Apostolicam tenearis, auctoritate præsentium indulgemus. Nulli ergo nostræ concessionis, etc. Si quis, etc. Datum Laterani, idus januarii, anno octavo.

XCVII

Ad episcopum, archidiaconum et cantorem Trecenses.

15 januarii 1224.

[Regest., lib. VIII, epist. 179. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat ut abbas et conventus Pulterien. super debitis a R. quondam abbate ipsius monasterii contractis non molestentur.

Honorius, etc., venerabili fratri... episcopo, archidiacono, et... cantori Trecen., salutem, etc.

Dilecti filii... abbas et conventus Pulterien. nobis humiliter supplicarunt, ut, quum idem monasterium per dilapidationem R., quondam abbatis ipsius, qui tanquam dissipator multa et diversa contraxit debita, tanto gravetur onere debitorum, quod ipsi ad solutionem non sufficient eorumdem, providere super hoc eis, qui jam ad mandatum nostrum creditoribus satisfecerunt romanis, misericorditer dignaremur. Volentes igitur ipsius monasterii, quod ad nos specialiter pertinet, indebitis gravaminibus obviare, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus auctoritate nostra, sublato appellationis impedimento, providere curetis, ne super debitis, quæ nec de jure, nec de conventus, aut majoris et sanioris partis ejus assensu, nec pro utilitate monasterii ab ipso R. contracta fuerunt, abbas et conventus jamdicti prætextu litterarum ipsius R., cum plerumque ipse confecisse dicatur etiam post admonitionem suam super debitis litteras, molestentur. Quod si non omnes, etc., tu frater episcope, etc. Datum Laterani, XVIII kalend. februarii, anno octavo.

XCVIII

Ad ecclesiam Sanctæ Mariæ de Aquilar.

15 januarii 1224.

[Yepes Coronica, III, app. 26.]

Ecclesiam S. Mariæ de Aquilar tuendam suscipit omnesque ejus possessiones confirmat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati Sanctæ Mariæ Aquilarensis, ejusque fratribus, tam præsentibus, quam futuris, regularem vitam professis, in perpetuum.

Quoniam a nobis petitur quod religioni et honestati convenire dignoscitur, animo nos decet libenti concedere, ac petentium desideriis congrum suffragium impertiri. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, et præfatam ecclesiam Dei genitricis et Virginis Mariæ de Aquilar, in qua divino estis obsequio mancipati, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et præsentis scripti privilegio communimus. In primis siquidem statuentes, ut ordo canonicus, qui secundum Deum et beati Augustini regulam atque institutionem Præmonstratensium fratrum in eodem loco institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea quascumque possessiones, quæcumque bona ecclesia vestra in præsentiarum juste ac canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum, vel principum, oblatione fidelium, sive aliis justis modis præstante Domino poterit adipisci, firma vobis, vestrisque successoribus, et illibata permaneant : quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Locum ipsum in quo præfata ecclesia sita est cum omnibus pertinentiis suis : ecclesiam Sanctæ Mariæ Aquilaren. cum omnibus pertinentiis suis ; ecclesiam Sancti Martini de Cerraco ; ecclesiam Sancti Petri de Tobar ; ecclesiam Sancti Martini de Campo redondo ; ecclesiam Sancti Martini de Sotronca ; ecclesiam Sanctæ Eufemiæ de Vallebercosa ; ecclesiam Sancti Michaelis de Branosera ; ecclesiam Sanctæ Mariæ de Cordonilla ; ecclesiam Sancti Juliani de Villa Paderna ; ecclesiam Sancti Romani de Menazola ; ecclesiam Sancti Cypriani de la Vega cum suo termino ; ecclesiam Sancti Stephani de Villiela ; ecclesiam Sancti

Michaelis de Zolima; ecclesiam Sancti Victoris de Arcu; ecclesiam Sancti Mammetis; ecclesiam Sancti Salvatoris de Caudiola; ecclesiam Sanctæ Columbæ de Valderrible; ecclesiam Sancti Justi de Terradillos; ecclesiam Sanctæ Julianæ de Corvio; ecclesiam Sancti Martini de Medianedo; ecclesiam Sancti Augustini Granja; ecclesiam Sancti Romani Posecla; ecclesiam Sancti Martini de Montenigro; ecclesiam Sanctæ Columbæ de Salazar; ecclesiam Sanctæ Mariæ de Sandoval; ecclesiam Sanctæ Mariæ de Quintanilla; ecclesiam Sancti Michaelis de Conforcos; ecclesiam Sanctæ Mariæ: molendina de Congosta, de la Parilla Sancti Martini, et Torrontero, quæ sunt in ripa Pisorgæ. Præterea omnes libertates et immunitates a prædecessoribus nostris Romanis pontificibus ordini vestro concessas, necnon libertates, et exemptiones sæcularium exactionum a regibus, vel principibus, vel aliis fidelibus, rationabiliter vobis indultas, auctoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti privilegio communimus. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat præfatam ecclesiam temere, perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quomodolibet gravaminibus fatigare, sed omnia integra conserventur eorum, pro quorum gubernatione, ac sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura, salva Sedis Apostolicæ auctoritate. Si qua igitur in futurum ecclesiastica, sæcularisve persona, hanc nostræ constitutionis paginam, sciens contra eam temere, venire tentaverit, secundo, tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis, honorisque sui careat dignitate, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore et sanguine Dei et Domini nostri Redemptoris Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco jura servantibus, sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus et hic fructum bonæ actionis percipiant, et apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Datis Laterani, per manum magistri Guidonis domini papæ notarii, XVIII kal. februarii, indict. XI, Incarnationis Dominicæ anno MCCXVIII, pontificatus vero domini Honorii anno octavo.

XCIX

Ad Theobaldum Rothomagensem archiepiscopum.

15 januarii 1224.

[Bessin, Concil. Rothomag., II, 46.]

Ut nonnullos suæ diœcesis clericos, indebite ab aliis ordinatos sed ob conversationis honestatem misericordia non indignos, ad celebranda divina admittat.

Honorius... archiepiscopo Rothomagensi.

Quum sicut ex parte tua fuit propositum coram nobis, quidam presbyteri et clerici tuæ diœcesis ab alio quam a te fuerint ordinati, qui per suam conversationem honestam se reddunt misericordia non indignos. Nos de tua circumspectione plenam in Domino fiduciam obtinentes, hujusmodi presbyteros et clericos in tua diœcesi permittendi celebrare divina tibi auctoritate præsentium concedimus facultatem. Nulli ergo, etc. Datum Laterani, decimo octavo kalendas februarii, pontificatus nostri anno octavo.

C

Ab abbatem et conventum Vallis Gaudii Præmonstratensis ordinis.

16 januarii 1224.

[Hugo, Præmonstratenses Annales. I, 576.]

Confirmatio bonorum et possessionum Gaudii Vallis.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati et conventui Vallis Gaudii, Præmonstratensis ordinis, Carnotensis diœcesis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Quum a nobis petitur quod justum est et honestum, tam vigor æquitatis quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Ea propter, dilecti in Domino filii, justis vestris precibus inclinati, personas vestras et monasterium in quo divino estis obsequio mancipati, cum omnibus bonis quæ in præsentiarum rationabiliter possidetis, ac in futurum, præstante Domino, justis modis poteritis adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus. Specialiter autem possessiones ab inclytis Galliæ regibus et a nobili viro Bartholomæo

de Roya, partim vestro fundatore, pia vobis liberalitate concessas, et generaliter omnia alia bona vestra sive per donationem, sive per acquisitionem ab aliis quibuscumque personis accepta, sicut ea omnia juste, canonice et pacifice possidetis, vobis et per vos eidem monasterio vestro auctoritate Apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani, XVIII kalend. februarii, anno octavo.

CI

Ad potestatem et populum Firmanos.

19 januarii 1224.

[Cronache, Della citta di Fermo, 348.]

Mandat ut episcopo Firmano fidelitatis juramenta præstent.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis potestati et populo Firmano, salutem et Apostolicam benedictionem.

Cum omnis a Domino sit potestas, nemo ei debet resistere, ne voluntati divinæ obvius videatur; sed quilibet, non tam pœnæ formidine quam virtutis amore, libenter obsequi potestati tenetur, ut faciens de necessitate virtutem, sibi ex debito meritum et nomen bonum acquirat, cum affectus plus mereri soleant quam effectus. Qua de re universitatem vestram monendam duximus et hortandam per Apostolica scripta, sub debito fidelitatis, firmiter præcipiendo mandantes, quatenus venerabili fratri nostro Firmano episcopo, tanquam veri filii et fideles, de cætero in justis eidem ecclesiæ, juxta privilegia et indulgentias Pontificum Romanorum, in omnibus temporalibus ut temporali domino vestro, et spiritualibus ut pastori animarum vestrarum curetis plenarie respondere; et ut melius servare possit et assequi jura sua, sibi ecclesiæ Firmanæ nomine, fidelitatis juramenta præstetis; ita quod ex justitia gratiam mereamini, et eumdem episcopum propitium et nos vobis exinde reddatis favorabiles et benignos. Alioquin sententiam, quam idem rite tulerit et pœnam quam statuerit in rebelles ratas habebimus et præcipimus inviolabiliter observari. Cæterum favorem ei et auxilium, quatenus ecclesiæ suæ jura et sua, secundum privilegiorum et indulgentiarum tenorem, conservare ac recuperare valeat, impendatis. Datum Laterani, XIII kalendas februarii, pontificatus nostri anno octavo.

CII

Ad Simonem, Bituricensem archiepisc.

20 januarii 1223.

[Bouquet, Rec. des Hist., XIX, p. 745; Regest., lib. VIII, epist. 203.]

Mandat Honorius ut vicesima in Bituricensi, Claromontensi ac Lemovicensi diœcesibus collecta et colligenda pro Terræ Sanctæ subsidio, deponatur in Sancti Victoris Parisiensis ecclesia.

Honorius episcopus..., venerabili fratri archiepiscopo Bituricensi (1), salutem, etc.

Fraternitati tuæ, de qua plenam in Domino fiduciam obtinemus, per Apostolica scripta mandamus quatenus vicesimam tuæ ac Claromontensis et Lemovicensis diœcesum collectam et colligendam ad subsidium Terræ Sanctæ, necnon et quod datum est in eisdem diœcesibus pro redemptione votorum, tibi auctoritate nostra facias assignari, quæ postmodum penes ecclesiam Sancti Victoris Parisiensis cum ea qua decet cautela deponas, quantitatem eorum per litteras tuas nobis sine moræ dispendio fideliter expressurus; si qua tamen non sunt penes monasterium Dolense deposita, nolumus quod, hujusmodi mandati prætextu, ex his tibi aliqua facias assignari. Datum Laterani, XIII kal. februarii, anno octavo.

CIII

Ad universos Christi fideles per regnum Daciæ constitutos.

21 januarii 1224.

[Bullarium Romanum, III, 399.]

Sanctorum confessorum canoni adscribitur beatus Willelmus canonicus regularis congregationis S. Victoris Parisiensis et abbas Roschildensis in Dacia.

Honorius episcopus, servus servorum Dei,

(1) Simoni de Suliaco.

universis Christi fidelibus per regnum Daciæ constitutis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Sacrosancta Ecclesia divina luce perfusa per orbem terrarum longe lateque radios suæ illustrationis emittit, dum in sanctis suis mirabilis Dominus vitam sanctam eorum, qui seminaverunt in lacrymis, miraculorum virtute confirmat, signisque sequentibus indicat, quod eis splendorem pro meritis tribuit sempiternum, ostendens thesauri sui divitias in vasa misericordiæ, justificando prædestinatos, et glorificando justos, quos ad gloriam præparavit.

Cum ergo jamdudum sanctæ recordationis Willelmus abbas monasterii S. Thomæ, quod dicitur in Paraclito, et quod quodam felici præsagio, hujusmodi videtur sortitum vocabulum ex eventu, quum vere spiritus Paracliti donum fuerit, quo idem Domini famulus stola beatitudinis est indutus, post mortem cujus dispendium fides devota non patitur, domo lutea in cœleste habitaculum commutata. Quis esset apparuit, et in præmium meriti præcedentis, quia lumen in tenebris latere non poterat, neque civitas posita supra montem abscondi, multis cœpit coruscare miraculis, ut sanctus ab omnibus haberetur. Expositis nobis, vitæ, et conversationis ipsius, et quæ Dominus operabatur per eum, miraculorum insigniis, cum debita fuit a venerabilibus fratribus quondam Lundensi archiepiscopo, et Absolensi et Scariensi episcopis, instantia publicatum, ut, quia non erat, quod tanto nuntiabatur indicio negligendum, et canonizaremus eumdem, et sanctorum annumerari catalogo faceremus.

Quia vero aliquando vitium sub specie virtutum occulte subintrat, et angelus Satanæ sæpe se in lucis angelum simulate transformat, de prædicti famuli Domini vita, fama, et miraculis per prædictum quondam Lundensem archiepiscopum, approbatæ vitæ virum, timoratum et justum, cui merito erat super hoc adhibenda fides, ac per venerabilem fratrem nostrum R. Roschildensem episcopum, et dilectum filium abbatem de Ervado Cisterciensis ordinis, inquiri mandavimus diligenter, qui de vita, et fama certi, ac ipsis tam per se, quam per alios, et de miraculis tam per eos in quibus facta fuerant, quam per testes fide dignos, juratos veritate cognita, certos non reddere curaverunt, eis inter alia exponentibus, quod tanta in isto gratia divinæ benedictionis effulsit, ut ejus suffragiis leprosi mundentur, sanentur ægroti, liberentur dæmoniaci, aperiatur lingua mutorum, et quod est mirabilius, jam idem sit plurium mortuorum almificus suscitator.

Gaudeat itaque mater Ecclesia, quod cœlestis fabricatur Jerusalem, superni ædificii structura consurgit, nova in templo Dei columna erigetur, novumque produxit misericordia Domini florem, quem cœlesti rore uberius irrigatum mira et suavi ubertate fructuum fœcundavit. Lætari quoque patria vestra debet, et cum jucunditate in laudes assurgere Creatori, quod tanto est exaltata patrono, talemque apud Deum meruit intercessorem habere per quem nominis sui fama fit celebris, latiusque diffunditur, et per cujus suffragium quo vicini habitatores sui possunt facilius veniam promereri. Cantet propterea novum Domino canticum ecclesia Sancti Thomæ de Paraclito, quæ splendore novi luminis confessoris ipsius, requiescentis ibidem, pulchra facta est, et apparuit speciosa. Decet etiam matrem Ecclesiam, ab illius laudibus, quem vitæ beatitudine signisque ac miraculis beatificum adeo esse constat in gloria non vacare, sed ei potius debitum honorem exsolvere ac votis impendere sacramenta. Quare nos, quibus licet immeritis a Domino est Ecclesia gubernanda commissa, super vita, fama, et miraculis præfati viri domini, per dilectum nostrum G. Sancti Theodori diaconum cardinalem, qui legationis officium in partibus illis exercuit, certiores effecti, ne velle videremur quod lateret lucerna sub modio, quæ supra candelabrum esse debet, sicque inutiliter Christi essemus vicarii, si non faceremus, ut venerarentur fideles, illum quem sanctorum splendor Dominus tot et tantis fulgentem miraculis ineffabili disposuit providentia venerandum, ipsum de fratrum nostrorum et multorum prælatorum apud Sedem Apostolicam consistentium, canonizavimus consilio, et sanctorum statuimus catalogo adscribendum.

Quocirca universitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus scilicet attendentes, quantum terram vestram Dominus honoravit, et speciali quadam prærogativa decoris regnum Daciæ insignivit, dum mundo posito in maligno, et malitia hominum ex-

crescente, virum sibi exinde sanctum, qui pro peccatis omnium intercessor fieret, præelegit, vos, in quorum partibus tam sacri muneris thesaurus habetur, quum ex hoc tota patria vestra, tanquam sibi peculiaris, ejus sit suffragiis specialius commendata, prænominatum sanctum Domini confessorem tota devotione, totoque studio venerari curetis, cum dignis tanto confessore laudum præconiis extollentes; ita quod ipse devoti sibi populi se gaudeat esse patronum, et vos ejus mereamini apud Deum intercessionibus adjuvari, docentes alios per exemplum, quantum esse debeat celebris apud illos confessoris memoria gloriosa, et quidem si diligenter attenditis hunc honorem, gratiarum exsolvetis assiduas largitori bonorum omnium actiones, uti ex impensa patriæ vestræ tantæ benedictionis gratia, potestis merito, et debetis vos cognoscere debitores. Datum Laterani, XII kalendas februarii, anno octavo.

CIV

Ad abbates S. Gildasii, et... Misaracen., et... archipresbyterum Exoldunen., Bituricen. diœcesis.

23 januarii 1224.

[Regest., lib. VIII, ep. 206. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat ut moneant archiepiscopum et capitulum Bituricen. ut magistro Sanctio præbendam conferant.

Honorius, etc., dilectis filiis... Sancti Gildasii, et.... Misaracen. abbatibus et.... archipresbytero Exoldunen., Bituricen. diœcesis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Ecclesiarum utilitas non deperit, sed accrescit, quum personæ instituuntur in eis, de quibus non minus ipsis ecclesiis quam personis providetur. Quum igitur dilectus filius magister Sanctius, canonicus Sancti Austregisilii, vir notæ probitatis existat, sicut ex fama referente didicimus, et novimus per nos ipsos, nec in ecclesiasticis beneficiis adhuc congrue sibi sit pensata ejus probitate provisum, venerabili fratri nostro... archiepiscopo et dilectis filiis capitulo Bituricen. nostris damus litteris in mandatis intuitu et precum nostrarum obtentu eumdem in canonicum recipiant et in fratrem, eique præbendam, si qua vacat in ecclesia eorumdem, alioquin quamprimum obtulerit se facultas, liberaliter conferre procurent, preces et mandatum nostrum taliter impleturi, quod idem ipsis universis et singulis eo devotior existere teneatur, quo eos ad receptionem suam invenerit promptiores, nosque, qui quod de ipso incœpimus nolumus relinquere imperfectum, propter hoc amplius scribere non cogamur, scientes quod decernimus irritum, si de præbenda ipsa secus fuerit attentatum. Quocirca discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus prædictos archiepiscopum et capitulum ad id moneatis attentius, et efficaciter inducatis. Quod si non omnes, etc. Datum Laterani, X kalend. februarii, anno octavo.

CV

Ad præpositum et capitulum Loenses.

23 januarii 1224.

[Hollebeke, Cart. de l'abb. de St.-Pierre de Loo, 48, n. 41.]

Eis custodiam capellæ Loensis confirmat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis præposito et capitulo Loensibus, salutem et Apostolicam benedictionem.

Justis petentium desideriis dignum est nos facilem præbere consensum et vota quæ a rationis tramite non discordant effectu prosequente complere. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, custodiam capellæ Loensis, sicut eam juste ac pacifice possidetis, vobis et per vos monasterio vestro confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo, etc. Si quis autem, etc. Datum Laterani, X kalendas februarii, anno octavo.

CVI

Ad abbatissam Jotren.

23 januarii 1224.

[Regest., lib. VIII, epist. 220. Mss. La Porte du Theil.]

Rursus prohibet ne presbyteri ecclesiæ Jotren. proprio sigillo uti possint.

Honorius, etc., dilectæ in Christo filiæ... abbatissæ Jotren., salutem, etc.

Ex parte tua fuit nobis humiliter supplicatum, ut, quum presbyteri et clerici Jotren. ecclesiæ non consueverint, quum non sit

capitulum, proprium habere sigillum, providere ne contra prohibitionem tuam proprium faciant fabricari sigillum, aut habeant, vel utantur eodem, sollicite dignaremur. Nos autem tuis super hoc precibus annuentes id fieri auctoritate præsentium districtius inhibemus, volentes, si quid temere contra præsumptum fuerit, nullius existere firmitatis. Nulli ergo, etc., hanc paginam nostræ inhibitionis infringere, etc. Si quis autem, etc. Datum Laterani, X kal. febr., anno octavo.

CVII

Ad officialem, magistrum Jacobum, et Emorrandum, canonicos Laudunen.

23 januarii 1224.

[Regest., lib. VIII, epist. 211. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat ut quidam presbyteri et clerici Jotren. sacros ordines recipere et in ecclesia Jotren. residere cogantur.

Honorius, etc., dilectis filiis... officiali magistro Jacobo et Emorrando, canonicis Laudunen., salutem et Apostolicam benedictionem.

Dilecta in Christo filia Jotren. abbatissa nobis exposuit, quod quum ex ea sit magistro G. de Grangia, et quibusdam aliis presbyteris et clericis Jotren. provisum, ut ibidem in ministrorum solemnibus et aliis officiis, quæ per sanctimoniales exerceri non possunt, sollicite obsequendo ministrent, quidam ex eis nolunt ad sacros ordines, prout ipsius ecclesiæ quærit necessitas, promoveri : alii vero non solum suscipere sacros ordines, verum etiam in ecclesia residentiam facere dedignantur, propter quod, et eidem ecclesiæ modo debito non servitur et scandalum etiam generatur. Unde super hoc provideri a nobis abbatissa eadem postulavit. Quocirca discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus supradictos sacerdotes et clericos, ut ordines sacros recipiant, et in jamdicta ecclesia resideant, ut tenentur, in ea sine scandalo serviendo diligenter et sollicite moneatis, ipsos ad id, si necesse fuerit, per subtractionem beneficiorum, appellatione postposita, compellentes. Quod si nec sic ad hæc possent induci, vos auctoritate nostra abbatissæ permittatis eidem, ut eorum beneficia, quorum ad eam collatio dicitur pertinere, personis idoneis conferat, quæ in dicta ecclesia velint, et valeant deservire. Quod si non omnes, etc. Dat. Laterani, X kalendas februarii, anno octavo.

CVIII

Ad Magalonen. episcopum.

23 januarii 1224.

[Regest., lib. VIII, epist. 212. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat ut duobus clericis suæ ecclesiæ alterum beneficium conferre possit.

Honorius, etc., venerabili fratri... Magalonen. episcopo, salutem et Apostolicam benedictionem.

Supplicastis nobis ut, quum fere omnes parochiales ecclesiæ tuæ diœcesis tunc adeo tenues in redditibus, ut personæ, quibus majora merita suffragantur, ex una illarum provisionem non habeant congruentem, conferendi plures aliquibus de clericis tuis, dignis hujusmodi gratia, tibi licentiam, non obstante statuto Concilii generalis, concedere dignaremur. Nos igitur circa duos dumtaxat de clericis tuis licentiam tibi concedimus postulatam, ita tamen, quod illorum utrique unam tantum ecclesiam possis hujusmodi licentiæ auctoritate conferre. Nulli ergo, etc., hanc paginam nostræ concessionis infringere, etc. Si quis autem, etc. Datum Laterani, X kalendas februarii, anno octavo.

CIX

Ad abbatem et conventum monasterii de Passelet, ordinis Cluniacensis.

25 januarii 1224.

[Regist. monast. de Passelet, 421.]

Eis possessiones, specialiter terram de Petglassy, confirmat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, etc.

Justis petentium desideriis dignum est nos facilem præbere assensum, et vota quæ a rationis tramite non discordant effectu prosequente complere. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis precibus inclinati, personas vestras et locum in quo divino mancipati estis obsequio, cum omnibus bonis quæ in præsentiarum rationabiliter possi-

det aut in futurum justis modis præstante Domino poterit adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus. Specialiter autem terram quæ dicitur Petglassy, possessiones et alia bona vestra sicut ea omnia juste, canonice ac pacifice possidetis, vobis et per vos monasterio vestro, auctoritate Apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo, etc. Datum Laterani, X kalendas februarii, pontificatus nostri anno octavo.

CX

Ad Andream abbatem Sanctæ Mariæ Aquilarensis.

25 januarii 1224.

[Hugo, Ann. Præmonstrat., I, prob. 108.]

Confirmatio bonorum, possessionum et regulæ S. Mariæ de Aquilar.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, Andreæ abbati Sanctæ Mariæ Aquilarensis, ejusque fratribus tam præsentibus quam futuris, regularem vitam professis in perpetuum.

Quoties a nobis petitur quod religioni, et honestati convenire dignoscitur, animo nos decet libenti concedere, ac petentium desideriis congruum suffragium impertiri. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, et præfatam ecclesiam Dei Genitricis et Virginis Mariæ de Aquilar, in quo divino estis obsequio mancipati, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et præsentis scripti privilegio communimus, in primis siquidem statuentes, ut ordo canonicus qui secundum Deum et beati Augustini regulam, atque institutionem Præmonstratensium fratrum in eodem loco institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea, quascumque possessiones, quæcumque bona ecclesia vestra in præsentiarum juste ac canonice possidet, aut in futuro concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis præstante Domino poterit adipisci, firma vobis, vestrisque successoribus, et illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis :

Locum ipsum in quo præfata ecclesia sita est cum omnibus pertinentiis suis; ecclesiam S. Mariæ Aquilarensis, cum omnibus pertinentiis suis; ecclesiam S. Mariæ de Niord, cum omnibus pertinentiis suis; ecclesiam S. Mariæ de Valle Eguna, cum omnibus pertinentiis suis; ecclesiam S. Martini de Pozacos, cum omnibus pertinentiis suis; ecclesiam S. Stephani de Cerrazo cum omnibus pertinentiis suis; ecclesiam S. Mariæ de Olna, cum omnibus pertinentiis suis; ecclesiam S. Salvatoris de Enestar, cum omnibus pertinentiis suis; ecclesiam S. Martini de Camporedondo, cum omnibus pertinentiis suis; ecclesiam S. Martini de Sotronea, cum omnibus pertinentiis suis; ecclesiam S. Euphemiæ de Valleversosa, cum omnibus pertinentiis suis; ecclesiam S. Michaelis de Branosera, cum omnibus pertinentiis suis; ecclesiam S. Mariæ de Cardoviella, cum omnibus pertinentiis suis; ecclesiam S. Juliani de Villa Padierna, cum omnibus pertinentiis suis; ecclesiam S. Romani de Menezola, cum omnibus pertinentiis suis; ecclesiam S. Cypriani de la Vega, cum omnibus pertinentiis suis; ecclesiam S. Stephani de Villiela, cum omnibus pertinentiis suis; ecclesiam S. Michaelis de Zalima, cum omnibus pertinentiis suis; ecclesiam S. Victoris de Arcu, cum omnibus pertinentiis suis; ecclesiam S. Mammetis cum omnibus pertinentiis suis; ecclesiam S. Salvatoris de Candiosa, cum omnibus pertinentiis suis; ecclesiam S. Columbæ de Valderredible, cum omnibus pertinentiis suis; ecclesiam S. Justi de Terradillos, cum omnibus pertinentiis suis; ecclesiam S. Julianæ de Corbio, cum omnibus pertinentiis suis; ecclesiam S. Martini de Montenigro, cum omnibus pertinentiis suis; ecclesiam S. Augustini, cum omnibus pertinentiis suis; ecclesiam S. Romani, cum omnibus pertinentiis suis; ecclesiam S. Julianæ de Valdeboniel, cum omnibus pertinentiis suis; ecclesiam S. Columbæ de Salazar, cum omnibus pertinentiis suis; ecclesiam S. Cypriani de la Nava, cum omnibus pertinentiis suis; ecclesiam S. Andreæ de Melgarezo, cum omnibus pertinentiis suis; ecclesiam S. Mariæ Magdalenæ de Fontelaenzina, cum omnibus pertinentiis suis; ecclesiam S. Jacobi de Valbas, cum omnibus pertinentiis suis; ecclesiam S. Mariæ de Quintanilla, cum omnibus pertinentiis suis; ecclesiam S. Michaelis de Conforcos, cum

omnibus pertinentiis suis; ecclesiam S. Marinæ, cum omnibus pertinentiis suis; ecclesiam S. Tirci, cum omnibus pertinentiis suis; ecclesiam S. Martini de Graial, cum omnibus pertinentiis suis; villam de Cambria, cum omnibus pertinentiis suis; domum de Pradeja, cum omnibus pertinentiis suis; domos quas habetis in Carrion, et in Burgis in duobus locis cum omnibus pertinentiis suis; molendina de Palaciolos cum domibus, hortis, vineis, campis et aliis pertinentiis suis; territorium quod dicitur civitas Oliva cum omnibus pertinentiis suis; quidquid habetis in villa Munio, in Astudielo et in Grajal et in Valleboniel.

Sane laborum vestrorum, quos propriis manibus, aut sumptibus colitis, de possessionibus habitis ante Concilium generale, sive de hortis, et virgultis, et piscationibus vestris, vel de nutrimentis animalium vestrorum, aut etiam de novalibus, nullus a vobis decimas exigere, vel extorquere præsumat. Liceat vobis clericos, vel laicos, liberos et absolutos, e sæculo fugientes, ad conversionem recipere, et eos absque contradictione aliqua retinere. Chrisma vero, oleum sanctum, consecrationes altarium seu basilicarum, ordinationes clericorum, et monachorum vestrorum, a quocumque malueritis suscipietis episcopo, si quidem catholicus fuerit et gratiam atque communionem Apostolicæ Sedis habuerit, et ea gratis, et absque pravitate voluerit impertiri. Sepulturam quoque vobis liberam esse concedimus, ut eorum devotioni, et extremæ voluntati, qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi forte excommunicati, vel interdicti fuerint, nullus obsistat: salva tamen justitia illarum ecclesiarum, a quibus mortuorum corpora assumuntur. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat prædictum monasterium temere perturbare aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia illibata et integra conserventur eorum, pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura, salva Sedis Apostolicæ auctoritate. Si qua igitur in futurum ecclesiastica, etc. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus et hic fructum bonæ actionis percipiant, et apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Amen. Datum Laterani, per manum magistri Guidonis, domini papæ notarii, VIII kalendas februarii, indictione XI, Incarnationis Dominicæ anno 1223, pontificatus vero domini Honorii III anno octavo.

CXI

Ad Ambianen. episcopum.

26 januarii 1224.

[Regest., lib. VIII, epist. 223. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat ut cessionem abbatis S. Fusciani recipiat.

Honorius, etc., venerabili fratri... Ambianen. episcopo, salutem, etc.

Dilectus filius... abbas Sancti Fusciani sua nobis insinuatione monstravit, quod quum idem propter proprii molem corporis et incurabilem ægritudinem, qua gravatur, necnon propter incommoda, quæ ipsum circumveniunt, senectutis, commissum sibi monasterium jam non valeat utiliter gubernare, tu, cui dictum monasterium est subjectum, cessionem suam sæpe humiliter requisitus recipere, contradicis. Unde humiliter postulavit a nobis ut per te cessionem ipsius recipi et provideri, qualiter suæ subveniatur indigentiæ mandaremus. Quocirca fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus quatenus, si est ita, cessionem ipsius recipias, et ei pro sustentatione sua facias de bonis ejusdem monasterii, sicut expedire videris, providere. Datum Laterani, VII kalendas februarii, anno octavo.

CXII

Ad Otacarum, regem Bohemiæ.

27 januarii 1224.

[Theiner, Monum. Poloniæ, t. I, p. 15, n. 33.]

Rogat et hortatur regem Bohemiæ, ut possessiones, quas marchio Moraviæ ecclesiæ Vratislaviensi violenter abstulerat, eidem restitui curet.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, carissimo in Christo filio...... illustri regi Bohemiæ, salutem et Apostolicam benedictionem.

Olim venerabili fratre nostro... Vratislaviensi episcopo accepimus intimante quod claræ memoriæ... marchio Moraviensis possessiones quasdam ecclesiæ suæ, in quibus auri fodinæ consistunt, per violentiam

detinebat. Unde nos marchionem duximus rogandum eumdem, monuimus et exhortati sumus in Domino, ut possessiones ipsas cum perceptis ex eis fructibus ecclesiæ restitueret memorata ita, quod omnipotentem Dominum, quem male detinendo possessiones easdem offenderat, ex ipsarum sibi valeret restitutione placare, ac nos devotionem ipsius commendare possemus, dantes nihilominus venerabili fratri nostro... Cracoviensi episcopo, et dilectis filiis... abbati de Andreow, et F. scolastico Luciocensi Cracoviensis et Gnesnensis diœcesum nostris litteris in mandatis, ut si præfatus marchio, quod ipsum fueramus hortati, non duceret adimplendum, ipsi eum ad restituendas possessiones easdem per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, cogerent, justitia mediante; sed dicto marchione ante decisionem negotii memorati viam universæ carnis ingresso, ecclesia prætaxata possessiones per eos recuperare non potuit antedictas. Cum igitur, sicut nostris est auribus intimatum, ad manus tuas tam possessiones jam dictæ, quam omnia bona marchionis præfati devenisse dicantur, serenitatem tuam rogamus, monemus attentius et hortamur, quatenus possessiones ipsas cum fructibus perceptis ex eis ob reverentiam beati Petri et nostram episcopo et ecclesiæ restituas supradictis, preces nostras taliter admissurus, quod dictus episcopus ea sibi et ecclesiæ suæ fructuosas sentiat per effectum, et nos excellentiam regiam propter hoc non immerito commendare possimus. Datum Laterani, kal. februarii, pontificatus nostri anno octavo.

CXIII

Ad abbatem monast. de Reiddalhgthusen.

28 januarii 1224.

[Turgenevius, Russiæ Monum., I, 13, n. 13.]

Ei mandat ut priori monasterii prædicationis officium resumere præcipiat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, abbati monasterii de Reiddathgthusen. Cisterciensis ordinis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Quum dilectus filius... prior monasterii tui Deo gratius exhibere [non] possit obsequium, quam ad agnitionem ejus animas aberrantes adducere, ut lucrifaciat sibi eas, non sine causa miramur, quod sic venerabilis frater noster Livoniensis episcopus suis nobis litteris intimavit, quum eumdem priorem dudum elegerit, et assumpserit ad evangelizandum in partibus illis Dominum Jesum Christum, et dante Domino evangelizanti virtutem, multos de tenebris gentilis erroris ad lucem revocaverit catholicæ veritatis, nec reversus ad claustrum illectus dulcedine contemplativæ quietis, et quasi pulchræ Rachelis irretitus amplexibus ad opus utilitatis activæ, vel potius utilissimæ actionis, tanquam lippæ Liæ fœcunditate contempta, redire non curat, non attendens quod unigenitus Dei filius, ut multis prodesset, de sinu patris ad publicum nostrum exiit præ caritate nimia humanatus, et Apostolus omnibus omnia factus, ut lucrifaceret omnes Deo cupiebat fieri pro fratribus anathema. Ne igitur data prædicationis priori a Domino gratia de jure privetur, si eam usque adeo sibi velit habere privatam, quod ipsam communicare aliis pertimescat, eidem nostris dedimus litteris in mandatis, ut timens ne torpore silentii tot perdidisse animas Domino videatur, quod vigore prædicationis lucrifacere potuisset, et præmii spe illectus eo quod erunt tanquam stellæ perpetuo in firmamento locatæ, qui multos erudiunt ad salutem, prædicationis officium resumere non postponat, ita quod credita sibi talenta Domino referens geminata, commendari ab ipso, et in gaudium ejus recipi feliciter mereatur. Quocirca discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus quatenus ei super hoc non solum licentiam largiaris, imo præcipias et injungas. Datum Laterani, V kalendas februarii, anno octavo.

CXIV

Ad episcopum Lingonen.

31 januarii 1224.

[Regest., lib. VIII, epist. 240. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat ut abbas et conventus monasterii Sancti Benigni Divionen. W. monachum, a monasterio ejectum, recipiant.

Honorius, etc., venerabili fratri..... episcopo Lingonen., salutem, etc.

Quum dilectus filius W. monasterii Sancti Benigni Divionen. tuæ diœcesis monachus

ad claustrum suum, a quo minus rationabiliter ejectus dicitur, redire desideret, fraternitatem tuam rogandam duximus, et monendam per Apostolica tibi scripta mandantes, quatenus, secundum quod tibi viva voce præcepimus, abbatem et conventum monasterii memorati, ut dictum monachum, sine difficultate aliqua, in monasterio ipso recipiant, et salva ordinis disciplina et fraterna in Domino caritate pertractent, efficaciter moneas et diligenter inducas preces et mandatum nostrum taliter impleturus, quod dictus monachus extra claustrum suum non cogatur ulterius evagari. Datum Laterani, II kal. febr., anno octavo.

CXV

Ad Raimundum, filium R. quondam comitis Tolosani.

31 januarii 1224.

[Bouquet, Rec. des Histor., XIX, p. 745.]

Lectis ejus litteris, auditisque legatis, Pontifex Apostolicæ Sedis legatum in Franciam et Provinciam destinat Romanum, Sancti Angeli diaconum cardinalem.

Honorius episcopus..., nobili viro Raimundo, filio R. quondam comitis Tolosani, spiritum consilii salutarem.

Venientes ad Apostolicam Sedem G. vicecomitem, B. de Avenione, P. Martin, et magistrum G. nuncios tuos, viros utique sollicitos et prudentes, audiri fecimus diligenter, et iis quæ tuæ nobis per eos missæ litteræ continebant, ac iis quæ ipsi viva voce dixerunt, provide ac prudenter intellectis, dilectum filium nostrum R(omanum) Sancti Angeli diaconum cardinalem... et titulo generis et scientia morumque venustate præclarum, in regnum Franciæ et Provinciam, concesso sibi plenæ legationis officio, duximus destinandum, ut quæ deformata sunt in partibus illis, per industriam ejus, auctore Domino, reformentur. Tu igitur eidem, cum ad partes illas pervenerit, sic reverenter et obedienter intendas, sicque humiliter et efficaciter acquiescas ejus salutaribus monitis et mandatis, quod Dei et Apostolicæ Sedis gratiam valeas promereri. Prædictos autem nuncios tuos tibi in sollicita diligentia et diligenti sollicitudine reddimus commendatos. Datum Laterani, pridie kal. februarii, anno octavo.

CXVI

Ad abbatem et conventum S. Genovefæ Parisiensis.

31 januarii 1224.

[Regest., lib. VIII, epist. 244. Mss. La Porte du Theil.]

Inhibet ne quis eligentes apud eorum ecclesiam sepulturam, contra consuetudinem antiquam, in præjudicium eorum ad sepulturam admittat.

Honorius, etc., dilectis filiis..... abbati et conventui Genovefæ Parisien., salutem, etc.

Ecclesiam vestram eo amplius diligentes, quo ad nos specialius dignoscitur pertinere, intellecto ex relatione vestra, quod servientes regis Franciæ Parisius decedentes consueverunt apud eamdem ecclesiam sepulturam eligere, ac etiam sepelire, nos vestris devotis supplicationibus inclinati, auctoritate præsentium districte inhibemus, ne quis eligentes apud eamdem ecclesiam sepulturam, contra ejusdem ecclesiæ approbatam consuetudinem et antiquam, in vestrum præjudicium ad sepulturam admittat. Nulli ergo, etc., hanc paginam nostræ inhibitionis infringere, etc. Si quis autem, etc. Datum Laterani, II kalendas februarii, anno octavo.

CXVII

Ad episcopum Laudunen.

1 februarii 1224.

[Regest., lib. VIII, epist. 243. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat ut cum aliquot vicinis episcopis ecclesiam Præmonstratensem solemniter dedicare studeat.

Honorius, etc., venerabili fratri..... episcopo Laudunen., salutem, etc.

Quum dilecti filii..... abbas et conventus Præmonstraten. desiderent, sicut asserunt, suam ecclesiam dedicari, nos eorum pium desiderium favore benevolo prosequentes, fraternitatem tuam rogamus et monemus attente per Apostolica scripta mandantes, quatenus convocatis aliquot de vicinis episcopis, eam studeas solemniter dedicare. Ne autem tam celebris ecclesiæ dedicatio sine benedictionis nostræ manere transeat, de misericordia divina et beatorum Apostolorum Petri et Pauli auctoritate confisi, omnibus qui in die vel infra octavas, seu in anniversario dedicationis, illuc devote convenerint, quindecim dies de injuncta sibi

pœnitentia misericorditer relaxamus. Datum Laterani, kalendas februarii, anno octavo.

CXVIII

Ad magistrum et fratres militiæ Templi.

3 februarii 1224.

[Regest., lib. VIII, epist. 242. Mss. La Porte du Theil.]

Eis singulas præbendas, a Ph. rege Franciæ donatas, confirmat.

Honorius, etc., dilectis filiis.... magistro et fratribus militiæ Templi de Francia, salutem, etc.

Justis petentium, etc., *usque* complere. Quum igitur claræ memoriæ Ph. rex Franciæ in Peronen. et Sancti Quintini ecclesiis Noviomen. diœcesis, in quibus præbendarum donationem habebat, singulas præbendas, sicut pertinebat ad ipsum domui Templi pia liberalitate donavit, prout in ipsius litteris plenius continetur, nos vestris precibus inclinati, quod ab eo super hoc sine pravitate pie ac provide factum est, auctoritate Apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo, etc., hanc paginam nostræ confirmationis infringere, etc. Si quis autem, etc. Datum Laterani, III nonas februarii, anno octavo.

CXIX

Ad Thomam archiepisc. Strigoniensem.

3 februarii 1224.

[Theiner, Mon. Hungariæ, I, 39, n. 80.]

Ut judicibus in quadam lite sententiam finalem proferre injungat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri archiepiscopo Strigoniensi, salutem.

Dilecti filii abbas et conventus Sancti Martini in Pannonia nobis insinuare curarunt, quod quum super quæstionibus, quas super ecclesiis, decimis et rebus aliis, habeant adversus venerabilem fratrem nostrum... Abrigiensem (*sic*) episcopum et capitulum, nec non adversus Albensem et Vesprimiensem præpositos et capitula eorumdem, et quosdam alios a felicis memoriæ I... papa prædecessore nostro, ad diversos judices ab eis tibi propriis nominibus exprimendos, commissionis litteras impetrarint, et nos super his pluries eis direxerimus scripta nostra : ipsorum tamen judicum negligentia, et adversariorum versutia faciente, nondum suam potuerunt justitiam obtinere; quare humiliter petierunt, ut quæstiones hujusmodi ad nostrum revocaremus examen. Volentes igitur parcere ipsarum partium laboribus et expensis, fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus injungas judicibus, quibus sunt ipsæ commissæ causæ, ut infra festum Assumptionis beatæ Mariæ proximo venturum procedant finaliter in causis eisdem juxta traditas sibi formas. Quod si per negligentiam eorumdem, vel per adversariorum malitiam non fuerit adimpletum, injungas partibus, ut in proximo festo Omnium Sanctorum, quod eis terminum peremptorium assignamus, per procuratores sufficientes compareant coram nobis super jam dictis quæstionibus processuræ : nobis, quod inde feceris, rescripturus. Datum Laterani, III nonas februarii, pontificatus nostri anno octavo.

CXX

Ad rectorem et fratres S. Mariæ in Saxia.

4 februarii 1224.

[Regest., lib. VIII, epist. 252. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat ut super quadam præbenda abbas ac conventus S. Johannis eos molestare non possint.

Honorius, etc., dilectis filiis... rectori et fratribus Sanctæ Mariæ in Saxia, salutem, etc.

De radice procedere videtur cupiditatis extremæ, si viri religiosi, per quos aliorum est indigentia sublevanda, sibi usurpare contenderent quæ provisioni sunt infirmorum et pauperum deputata, quorum quidem ab aliis etiam inopiæ consulitur et necessitatibus subvenitur. Unde cum bonæ memoriæ Carnotensis episcopus de permissione Apostolica præbendam in ecclesia Carnotensi ad pauperum, et infirmorum usus hospitali vestro concesserit, ita ut duæ partes proventuum ejusdem hospitali integræ annis singulis assignentur, tertia vero alicui canonico, vel vicario, qui pro præbenda ipsa in eadem ecclesia deserviat præbeatur, et talis concessio per Sedem sit Apostolicam confirmata, de... abbate, ac conventu Sancti Johannis de Valleia Carnoten. diœcesis mirari compellimur, quod ipsi sicut audivi-

mus, contra tam pium factum temere venientes ex eo sumpta occasione quod per annum debent, ut dicitur, præbendam decedentis canonici Carnotenses habere, decedente canonico, vel vicario qui tertiam præbendæ vestræ consequuntur portionem, non solum eamdem tertiam, sed totam sibi contendunt hujusmodi vindicare præbendam, non considerantes quantæ sit avaritiæ mendicantibus subtrahere necessitatis subsidia mendicatæ, nec quod hospitale vestrum mortis jacturam non patitur, attendentes. Volentes itaque vobis in eadem præbenda jus vestrum integre conservari, auctoritate præsentium districtius inhibemus, ne præfati abbas et conventus super duabus partibus præbendæ prædictæ hac occasione aliquam vobis molestiam inferrant, vel faciant. Nulli ergo, etc., paginam nostræ inhibitionis infringere, etc. Si quis autem, etc.

Datum Laterani, nonis februarii, anno octavo.

CXXI

Ad Benedictum episcopum Scarensem et Petrum electum Lundensem.

10 februarii 1224.

[Liljegren, Swenskt diplom., I, 237, n. 225]

Ut Olaum Strangensem episcopum Upsalensi ecclesiæ præficiant, solventes ipsum a vinculo, quo Strangensi ecclesiæ teneatur.

Honorius, etc., episcopo Scarensi et electo Lundensi.

Intelleximus quod Upsalensi ecclesia dudum viduata pastore, clerus et populus Upsalensis, prædicta ecclesia capitulum non habente, sibi venerabilem fratrem nostrum... Strangensem episcopum in executione pontificalis officii, ut dicitur, approbatum, cui de vita et moribus laudabile testimonium perhibetur, in archiepiscopum unanimiter et concorditer postularunt. Supplicantibus ergo nobis carissimo in Christo filio nostro... illustri rege Seciæ, et universis ejusdem ecclesiæ suffraganeis, ac clero etiam Upsalensi ut, quum Upsalensis metropolis propter indomitæ consistentis in ea gentis induritiam, talis sollicitudine pastoris indigeat, qui vinum infundendo et oleum mederi noverit sauciatis, ad quod satis idoneum prædictum episcopum asseverant, postulationi hujusmodi assensum benevolum ex causa tam necessaria præberemus. Nos igitur juris super hoc rigorem providentia temperantes, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus si vobis constiterit de præmissis, eumdem episcopum præficiatis auctoritate nostra Upsalensi ecclesiæ in pastorem, absolventes ipsum a vinculo, quo Strangensi tenebatur ecclesiæ, transeundi ad prædictam ecclesiam Upsalensem tribuatis [licentiam]. Datum Laterani, IV idus februarii, anno octavo.

CXXII

Ad priorem et conventum S. Mariæ in Portu Ravennaten.

12 februarii 1224.

[Fantuzzi, Monumenti Ravennati, II, p. 198, n. 105.]

Compositionem super subjectione ecclesiæ Sanctæ Mariæ confirmat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio priori et conventui S. Mariæ in Portu Ravennati, salutem, etc.

Quum inter vos ex parte una et venerabilem fratrem nostrum archiepiscopum et capitulum Ravennate ex altera, quæstio super subjectione ecclesiæ vestræ fuisset diutius agitata et quibusdam processibus, qui super hoc habiti fuerunt, legitime revocatis, causa initianda quasi ex integro judicetur, tandem coram dilecto filio nostro J., tituli Sanctæ Sabinæ presbytero cardinali, quem dederamus ipsi archiepiscopo et C. Rav. vestræ ecclesiæ syndicis auditorem, talis, quum iidem syndici mandatum tam ad agendum quam ad componendum haberent, compositio intervenerit quod videlicet prior et fratres ecclesiæ Portuensis teneantur recipere ordines a Ravennatis archiepiscopo, et consecrationem ecclesiarum, et altarium in Ravennatensi diœcesi positorum, oleum quoque sanctum et alia ecclesiastica sacramenta, quæ ab aliquo essent episcopo recepturi, si tamen ipse archiepiscopus catholicus fuerit, et ea gratis et absque ulla pravitate voluerit exhibere, alioquin recipiendi ea a quocumque maluerint catholico episcopo habeant potestatem. Decedente vero priore ipsius ecclesiæ, vel quum alias eam vacare contigerit, capitulum sibi priorem eligant, quem secundum Deum, et canonicas et regulares observantias viderint eligendum, et electum repræsentent archiepiscopo confir-

mandum, ipse autem archiepiscopus repræsentatum sine dispendio ac dilatione precise confirmet, nisi forsan hæreticus, vel alias manifeste malus esset electus. Ita tamen quod nullum fidelitatis juramentum exigat ab eodem. Quod si vacante Ravennatensi ecclesia, vel ejus archiepiscopo extra suam provinciam existente, contigerit electionem de uno fieri canonice, ac concorditer in ecclesiæ sæpedictæ priorem, is, qui electus fuerit in temporalibus, ac spiritualibus libere administret usque ad confirmationem illius, qui electus fuerit in archiepiscopum vel absentis reversionem in civitate Ravennatensi; eo autem confirmato, vel ad ipsam civitatem regresso archiepiscopo, electus prior repræsentetur eidem, et ipse illum confirmet, sicut superius est expressum, nec ullum ipsi electo ex eo quod ante confirmationem administraverit præjudicium generetur. Correctio autem prioris, qui nunc est in ipsa ecclesia, vel pro tempore fuerit, per archiepiscopum fiat, juris solemnitate servata, sine dispendio, quoad ipsum archiepiscopum, ecclesiæ Portuensis. Correctio vero canonicorum, et fratrum fiat per priorem ipsius ecclesiæ secundum suæ regulæ instituta quæ super hoc capitulo ita dicit : postremo fraterni consortii communione privati jejuniis macerentur, et verberentur etiam, si qualitas patitur personarum; si vero, nec si etiam emendantur, retrudantur in carcerem longis jejuniis castigandi, vel majoris ecclesiæ sive episcopi judicio dimittantur. Si prior qui pro tempore fuerit voluerit resignare, resignet coram archiepiscopo, et si archiepiscopus noluerit resignationem ejus recipere, licitum sit ipsi priori coram fratribus suis in capitulo resignare. Ad hæc ipsius ecclesiæ prior, et fratres unam procurationem pro viginti quinque personis, et totidem equis archiepiscopo exhibeant annuatim, ita quod ea quæ ad ipsam procurationem fuerint necessaria per ministros, et officiales ipsius ecclesiæ decenter, et honeste archiepiscopi nuntiis assignentur et dentur. Præterea prior ejusdem ecclesiæ vel qui post eum major fuerit in eadem ad processionem S. Vitalis, et S. Appollinaris veniat annuatim, ita quod si ad unam venerit, non teneatur venire ad alteram illo anno. Ad capitulum vel synodum Ravennatensis ecclesiæ, cum eadem prælatos sibi subjectos convocat, dictus prior simili modo ire, vel mittere teneatur, et in causis sub examine ipsius archiepiscopi respondere.

Pro aliis autem procurationibus, sententiis, petitionibus, collectis, exactionibus vel quibuslibet aliis, quæ sive de jure scripto, sive positivo, vel consuetudinario ratione visitationis alterius procurationis, vel cujuscumque occasionis ab ipsa petiebant ecclesia archiepiscopus, et capitulum supradicti vel possunt petere in futurum, ut ipsius ecclesiæ prior, et fratres singulis annis, vindemiarum tempore, unam vegetem boni vini sine vase, apud Ravenam dare archiepiscopo teneantur; et prædictis ipse archiepiscopus sit ita contentus, quod nihil ultra petere valeat ab eis, vel ecclesiis eorumdem; si vero prædicta omnia vel eorum aliqua fuerint archiepiscopo denegata, idem possit in contradictores universos, et singulos, censuram ecclesiasticam, monitione præmissa canonica, exercere. Alias autem nullatenus in eos possit hujusmodi exercere censuram, nisi pro causis agendis coram ipso archiepiscopo, vel exactionibus eorumdem; quo casu nostræ servaremus providentiæ disponendum, quem modum debeat archiepiscopus executionis habere. Hæc nimirum compositio sponte fuit ab utraque parte recepta, salvis privilegiis et indulgentiis Ravennatis archiepiscopo et præfatæ Portuensi ecclesiæ ab Apostolica Sede concessis, et de cætero concedendis, nisi quatenus compositioni hujusmodi obviaverint contra quam nullum locum habeant sive robur. Nec per hanc compositionem pensionibus et renovationibus quas ecclesiæ ipsæ sibi alterutro tenentur dare, vel facere pro terris, et aliis possessionibus, quas una tenet ab altera, præjudicium aliquod generetur.

Nos ergo compositionem ipsam ratam habentes, et gratam, eamque auctoritate Apostolica confirmantes, propter prænotato coercitionis articulo, sic duximus providendam, ut videlicet, quum Portuensem ecclesiam coram archiepiscopo Ravennatis contigerit conveniri, si contumacia laboraverit, ubi sic agitur quod actor induci possit in possessionem rei petitæ, vel bonorum ipsius ecclesiæ secundum mensuram debiti declarati, archiepiscopus per missionem actoris in possessionem hujusmodi, contumaces juri stare compellat, ad interdicti suspensionis vel excommunicationis sententiam nullatenus processurus nisi per Por-

tuensem ecclesiam possessio sic abjudicatur, seu data turbetur, et tunc archiepiscopus turbatores duntaxat suspensione, vel excommunicatione prout eorum excessus exegerit a perturbatione compescat. Ubi vero in possessionem missio locum habere non potest archiepiscopus, priorem et syndicum Portuensem propter contumaciam excommunicet, vel suspendat, prout viderit expediri. Domum autem, et conventum, nec interdicto, nec suspensioni, nec excommunicationi supponat, nisi forsan eorum malitia prior, et syndicus in contumaciæ suæ rebellione persistant, et tunc in eos tantummodo, quos super hoc in culpa reperiet hujusmodi valeat exercere censuram. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis et provisionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani, II idus februarii, pontificatus nostri anno octavo.

CXXIII

Ad Andream quondam Lundensem archiepisc.

15 februarii 1224.

[Liljegren, Swenskt diplom., I, 238, n. 226.]

Concedit potestatem absolvendi eos, qui sunt de ejus speciali familia et qui fundos Lundensis ecclesiæ pro ejus provisione assignatos inhabitant si forte inciderint in canonem sententiæ promulgatæ.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri A., quondam Lundensi archiepiscopo, salutem, etc.

Merita tuæ probitatis et honestatis exposcunt, ut in quibus salva conscientia possumus favorem tibi Apostolicum impendamus. Hinc est quod precibus tuis benignum impertientes assensum, absolvendi eos qui sunt de tua speciali familia, et qui fundos Lundensis ecclesiæ pro tua provisione tibi assignatos inhabitant, si forte aliquando inciderint in canonem sententiæ promulgatæ, dummodo eorum excessus non sit difficilis et enormis; et conferendis personis idoneis beneficia in dictis fundis consistentia quum vacabunt, tibi auctoritate præsentium concedimus potestatem. Nulli ergo, etc. Si quis autem, etc. Datum Laterani, XV kalendas maii, anno octavo.

CXXIV

Ad priorem Camaldulensem.

16 februarii 1224.

[Mittarelli, Annal. Camaldul., IV, app. 430.]

Litteræ priori Camaldulensi pro Matthæo abbate Berardingorum.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio... priori Camaldulensi, salutem et Apostolicam benedictionem.

Quum nuper monasterio Albaren. quod ad Romanam Ecclesiam nullo pertinet mediante, pastoris solatio destituto, dilecti filii conventus ejusdem monasterii convenientes in unum, invocata Spiritus Sancti gratia, dilectum filium... abbatem monasterii de Berardingis, quod ad tuum cœnobium pertinere dignoscitur, in abbatem suum elegerint et pastorem, devotionem tuam monemus, per Apostolica tibi scripta mandantes, quatenus eidem a vinculo, quo monasterio de Berardingis tenetur, penitus absoluto ad Alberense monasterium transeundi tribuas liberam facultatem. Datum Laterani, XIV kalendas martii, anno octavo.

CXXV

Ad Ericum regem Svetiæ.

20 februarii 1224.

[Liljegren, Swenskt diplom., I, 238, n. 227.]

Ut quiescat presbyteros et clericos regni sui expeditionem angariis et alis sæcularibus exactionibus aggravare et molestare.

Honorius, etc., carissimo in Christo filio... illustri regni Svetiæ, salutem.

Remittere consueverunt reges Catholici ecclesiis, et clericis obtentu divinæ pietatis angarias, et eos a sæcularibus exactionibus liberare. Unde nec tuo conveniret honori, nec saluti etiam expediret, ut a catholicorum regum tramite, quorum te decet sequi vestigia, devians, clericos aggravares angariis, et contra ecclesiasticam deprimeres libertatem. Significantibus sane regni tui episcopis, presbyteris et aliis clericis intelleximus, quod tu eosdem presbyteros et

clericos expeditionum tuarum angariis, et aliis sæcularibus exactionibus aggravas, et molestas et contra divina et humana statuta in sæculari compellis judicio respondere. Quum autem hæc salutis tibi pariant detrimentum, et nos quo sincerius te diligimus, eo libentius revocare te ab hujusmodi cupiamus, serenitatem regiam rogamus, monemus et hortamur attente, quatenus ne contra te iram ejus qui transfert regna, et spiritum aufert principum provocari contingat, ab his taliter conquiescas, quod et divinam exinde vitare possis offensam, et nos contra personam tuam, tanquam velis in ecclesiasticarum personarum delectari gravamine non possimus, quod te gravare debeat cogitare. Datum Laterani, X kalendas martii, anno octavo.

CXXVI

Ad Ericum regem Svetiæ.

20 februarii 1224.

[Liljegren, Swenskt diplom., II, 239, n. 228.]

Ut quiescat, vacantibus episcoporum regni sui ecclesiis, bona earum violenter usurpare et diripere.

Qui paravit in cœlo sedem suam, et in regno hominum dominatur, dignatus est habitationis loca, ecclesias videlicet in quibus nomen invocetur ipsius, inter homines obtinere, quas utique ac personas consistentes in ipsis cuncti, qui christiana professione censentur, debent pro Christi reverentia revereri, et non solum ab ipsarum injuriis abstinere, verum etiam aliis suis injuriatoribus obviare, quum idem Christus in earum honorari honore se reputet, et in molestia molestari. Ad nostram sane audientiam regni tui episcopis insinuantibus est delatum, quod vacantibus eorum ecclesiis, quas alieno tunc indigentes auxilio deberes ne in bonis suis paterentur dispendium defensare, bona eadem violenter usurpas, et pro tua diripis voluntate, quod quidem tam enorme parit, ut prædicti episcopi asserunt, eisdem ecclesiis detrimentum quod sic bonis distractis eorum sui redditus, qui alias satis sunt exiles, et tenues annullentur. Quum autem hæc regiæ Celsitudini non conveniant per quæ dispendium salutis incurreres, et regalis munificentia notaretur, Serenitatem tuam monemus, rogamus et hortamur attente, quatenus, ne contra te iram ejus, qui transfert regna, et spiritum aufert principum provocari contingat, ab his taliter conquiescas quod et tu divinum possis qui ex hoc concitaretur declinare furorem, et nos contra te tanquam ecclesiasticorum invasorem bonorum cogitare, quod grave tibi existeret, non cogamur. Datum ut supra.

CXXVII

Ad abbatem Avemoren., Trecen. diœc., archidiaconum et decanum S. Stephani Trecen.

20 februarii 1224.

[Regest., lib. VIII, ep. 233. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat ut in causa inter archidiaconum Senonensem et abbatem ac conventum S. Petri Vivi Senonen. procedant.

Honorius, etc., dilectis filiis abbati Avemoren., Trecen. diœcesis, archidiacono et decano Sancti Stephani Trecen.

Dilectus filius... archidiaconus Senonen. sua nobis petitione monstravit, quod quum inter ipsum ex parte una, et abbatem ac conventum monasterii Sancti Petri Vivi Senonen. ex altera, super jure archidiaconatus sui coram vobis auctoritate nostra quæstio verteretur, tandem in vos fuit tamquam in arbitros juramento interposito compromissum; sed pars adversa postmodum, ab hujusmodi resiliens compromisso, vos ad arbitrium procedere non permittit. Abbatis vero et conventus petitio nobis exhibita de dicto compromisso mentionem non faciens continebat, quod quum in Apostolicis litteris, per quas vobis commissa est supradicta quæstio sit expressum, ut inquiratis veritatem per canonicos majoris ecclesiæ Senonen., et nisi vobis infra tres menses post primæ citationis edictum constiterit per eosdem præfatum archidiaconum, vel prædecessores ejus de pacifice obtenta consuetudine jurisdictionem aliquam in ipso monasterio, vel in aliis hujusmodi abbatiis, hactenus habuisse, præfatum monasterium ab ejus petitione penitus absolvatis; ipso archidiacono petente, ut reciperetis testes undecumque productos, et super abbatiis non Senonen. interrogatis eosdem. Vos occasione petitionis hujus-

modi in negotio ipso procedere hactenus distulistis in ejusdem monasterii præjudicium, et gravamen. Ideoque per Apostolica vobis scripta mandamus, quatenus si postquam hujusmodi quæstio vobis est ab Apostolica Sede commissa, in vos fuit tanquam in arbitrio sicut superius expressum est a partibus compromissum, ad æquum arbitrium procedere non tardetis. Alioquin quum petitio ipsius archidiaconi de recipiendis testibus undecumque productis, et interrogandis eisdem, tenori Apostolici rescripti obviet manifeste, ea nequaquam obstante, in negotio ipso juxta ejusdem rescripti tenorem sine moræ dispendio procedatis. Datum Laterani, X kalendas martii, anno octavo.

CXXVIII

Ad Valentin., Sedunen. episcopos et canonicum Lingonen.

20 februarii 1224.

[Regest., lib. VIII, ep. 238. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat ut in causa inter decanum et capitulum S. Johannis Bisuntin. ex una parte, et decanum et capitulum S. Stephani Bisuntin. ex altera procedant.

Honorius, etc., venerabilibus fratribus Valentin., Sedunen. episcopis et dilecto filio canonico Lingonen.

Dilecti filii decanus et capitulum S. Johannis Bisuntin. suam ad nos transmisere querelam, quod decanus et capitulum S. Stephani Bisuntin. super usu cœmeterii sui, et rebus aliis ipsos aggravant multipliciter et molestant. Procurator vero decani et capituli S. Stephani Bisuntin. litteris in audientia publica contradicens proposuit ex adverso, quod decanus et canonici S. Johannis jure proprio non contenti, ad aliorium jura inhiant usurpanda, dum non solum super capella Sancti Eugenii, processionibus, quibusdam decimis, et rebus aliis ecclesiæ Sancti Stephani sunt molesti, verum etiam contra privilegii tenorem eidem ecclesiæ ab Apostolica Sede concessi, et contra venerabilis fratris nostri C. Portuen. episcopi, tunc Apostolicæ Sedis legati, præceptum, in quodam loco profano usu cœmeterii, quod non habent, nec debent habere in ejusdem ecclesiæ Sancti Stephani præjudicium abutuntur, facientes alibi quam in dicta ecclesia S. Stephani canonicorum suorum corpora sepeliri, quæ in ea forent tantummodo tumulanda. Quare prædictus procurator petebat, ut eosdem decanum et canonicos S. Johannis ab injuriis ecclesiæ S. Stephani super præmissis penitus compescentes, eidem ecclesiæ ab illis de damnis illatis, et irrigatos injuriis, tam super usu cœmeterii, quam aliis satisfieri ac eis inhiberi firmiter faceremus, ne usum cœmeterii, quod non habent, de cætero in præjudicium ecclesiæ S. Stephani usurpare præsumant, et si qua contra consuetudinem, in qua usque ad adventum supradicti legati utraque ecclesia fuerat, reducantur, quum idem legatus viva voce ac litteris sub excommunicationis pœna præceperit, ut in eo statu, in quo fuerant priusquam ipse venerit Bisuntium remanerent. Nos itaque ad tranquillitatem et pacem ecclesiarum, ipsarum debita sollicitudine intendentes, discretioni vestræ, de utriusque partis procuratorum assensu, per Apostolica scripta mandamus, quatenus Bisuntium personaliter accedentes, de pristino statu, et antiquis et approbatis consuetudinibus inter ipsas ecclesias a longis retro temporibus observatis, inquiratis sollicite veritatem et revocatis ad eum statum, in quo erant quando supradictus legatus civitatem adiit Bisuntium, appellatione remota, si quæ super his inveneritis illicite attentata, postquam idem legatus ab eadem civitate discessit, cum ne quid novitatis præsumerent sub pœna excommunicationis fuerit inhibitum per eumdem, sicut in ipsius litteris perspeximus contineri, audiatis super præmissis quæ hinc inde duxerint proponenda, et causam, si de partium voluntate processerit, fine debito terminetis; alioquin ipsam ad nos remittatis sufficienter instructam, præfigentes partibus terminum competentem, quo propter hoc Apostolico se conspectui repræsentent, justam, dante Domino, sententiam recepturæ. Testes autem, etc. Quod si non omnes, etc., non obstante constitutione generalis Concilii, qua cavetur ne quis ultra duas diætas extra suam diœcesim nisi per litteras Apostolicas ad judicium trahi possit. Datum Laterani, X kalendas martii, anno octavo.

CXXIX

Ad Ludovicum Francorum regem.

20 februarii 1224.

[Bouquet, Recueil des Histor., XIX, p. 746. Regest., lib. VIII, ep. 282.]

Ne quid Frederici Romanorum imperatoris in Terram Sanctam profectio obesset quieti Occidentis, regem Ludovicum inducit Honorius ut pacem interim cum Angliæ rege conciliet, vel cum eodem proroget inducias, quod promiserat prope moriturus rex Philippus.

Honorius episcopus...., carissimo in Christo filio nostro Ludovico, regi Francorum illustri, salutem, etc.

Cum cogitamus apud nosmetipsos illum indesinentem puræ devotionis affectum quem inclytæ memoriæ progenitores tui semper ad Deum et Romanam Ecclesiam habuerunt, plenam spem fiduciamque concipimus, quod a te illorum successore non solum in honore regni, sed etiam in sinceritate fidei et aliarum decore virtutum, nihil frustra petemus quod nos petere deceat, et te facere; quinimmo semper apud Serenitatem tuam plenum petitionis nostræ consequimur effectum. Licet autem hanc de te fiduciam in omnibus geramus casibus et articulis, in illis tamen eam maxime gerimus, in quibus de divinis obsequiis et de causa honoris tui agitur et salutis. Sane tua sublimitas non ignorat quod carissimus in Christo filius noster Fredericus, illustris Romanorum imperator, semper augustus, et rex Siciliæ, in colloquio quod, anno præterito, nobiscum habuit in Campania, præstito corporaliter juramento, firmavit quod, a kalendis augusti proximo nunc venturis ad annum unum, transfretabit in Terræ Sanctæ subsidium. Unde nos, attendentes esse permaxime necessarium ut inter Christianos omnes, ac maxime inter excellentiores principes, pax vel treuga interim, prout etiam statuimus in colloquio antedicto, serventur, quatenus ipsi Terræ Sanctæ liberius veniat ex omni parte mundi succursus, claræ recordationis Philippum regem Franciæ, patrem tuum, qui nos specialiter caritate dilexit, intenta prece rogavimus ut cum carissimo filio nostro Henrico rege Anglorum illustri iniret fœdera firmæ pacis, vel saltem treugas quæ inter ipsos stabilitæ fuerant, prorogaret : qui secundum innatam sibi benignitatem pietatemque promisit, quod prorogaret treugas ipsas precum nostrarum obtentu et intuitu Terræ Sanctæ; sed promissionem suam, morte præventus, adimplere nequivit.

Preces igitur quas super hoc eidem patri tuo porreximus, ecce in auribus celsitudinis tuæ cum magna fiducia replicamus, sperantes te illas tanto efficacius impleturum, quanto amplius tuam decet clementiam pia ipsius patris tui adimplere promissa, quatenus eorum salubris impletio non solum tuæ, sed etiam ejusdem patris tui animæ proveniat ad salutem. Denique, si contra tam favorabiles, tam pias tamque necessarias preces nostras tuum [quod absit!] animum obfirmares, parvipendere videreris injuriam Jesu Christi, parvipendere videreris quod gentes in hæreditatem Domini venerunt et polluerunt sanctissimum templum ejus, ac ipsius Jesu Christi sepulcrum, quod propheta gloriosum fore tanto tempore ante prædixit, ingloriosum reddiderunt. Certe, si quis vassallorum tuorum a te rogatus pacem aut treugas inire cum alio exaudire renueret, et terra tua remaneret in potestate hostium hac de causa, id nequaquam æquanimiter sustineres, quinimmo in fidelitatis argueres, et feudi quod a te tenet, reputares indignum. Quanto igitur studio est tibi providendum ne, quod homo sustinere nolles ab homine, facias contra Dominium Deum tuum, a quo habes non solum omnia bona tua, sed etiam temetipsum!

Rogamus igitur excellentiam tuam omni attentione qua possumus, et obsecramus per aspersionem sanguinis Jesu Christi, qui pro te morti crucis tradidit semetipsum, ac tibi in remissione injungimus peccatorum, quatenus, specialiter ipsius intuitu Jesu Christi, et Terræ in qua generis humani salutem ineffabili pietate voluit operari, cum præfato Anglorum rege, si fieri potest, ineas firmam pacem, vel saltem usque ad quadriennium treugas proroges inter te ac ipsum hactenus observatas, ne, si aliter feceris, ipsius Terræ Sanctæ succursum, qui non magis, immo nec tantum consuevit per aliquos alios quam per reges et regnum Franciæ promoveri, contra impedire (quod avertat Dominus!) videaris, ac prosecutioni causæ propriæ insistendo, contemnere, immo confundere causam Domini Dei tui et totius populi christiani. Taliter ergo exaudias preces nostras, quod

cognoscamus in præsenti articulo, quantum de tua devotione sperare in posterum debeamus, eoque libentius tua tempore opportuno exaudiamus precamina, quo nostra meminerimus a te fuisse devotius exaudita. Ne autem occasione excessuum, si qui forsan ipsarum treugarum tempore in præjudicium alterutrius partium sunt commissi, disturbetur prorogatio earumdem, rogamus ut, nisi tu ac ipse rex Angliæ super his convenire poteritis per vos ipsos, eligatis communiter aliquos bonos viros, ad quorum arbitrium excessus hujusmodi emendentur (1). Datum Laterani, X kal. martii, anno octavo.

CXXX

Ad B. comitem Posoniensem.

21 februarii 1224.

[Fejer, Cod. diplom., III, I, 430.]

Monet eum ut in fide et devotione Belæ regis persistat immobilis.

Honorius, servus servorum Dei, dilecto filio comiti Posoniensi, salutem et Apostolicam benedictionem.

Eo fidei tuæ constantia magis splendere dignoscitur quo in majore carissimi in Christo fratris nostri B. regis, primogeniti carissimi in Christo fratris nostri regis Hungariæ illustris adversitate, in qua sola comprobatur dilectio, pro ipso intrepide et pecuniam et res tuas exposuisti periculis, ei adhærendo fideliter, et habendo ipsius, ut domini tui custodiam, et curam et sollicitudinem exercendo. Quia vero non incipientibus sed perseverantibus corona debetur, nobilitatem tuam monemus, per Apostolica scripta mandantes attentius, quatenus in fide et devotione ipsius persistens immobilis, magis ac magis ad ejus accendaris servitium et honorem; his enim Dominus finem dabit, et in serenum tandem nubilum convertetur. Datum Laterani, nono kalendas martii, anno octavo.

CXXXI

Ad Andream regem Hungariæ.

21 februarii 1224.

[Fejer, Cod. diplom., III, I, 430.]

Honorius Buzad comitem, aliosque Belæ, patria extorris, socios Andreæ regi, ne id propter damna patiantur, commendat.

Honorius, illustri regi Hungariæ.

Quum nobilis vir B. comes de Poson, et quidam alii cum carissimo in Christo filio nostro B. rege, primogenito tuo in terra nobilis viri, ducis Austriæ pro ejus honore et custodia commorentur, grave nimis et in-

(1) Quid ad Honorii mentem etiam egerit rex Henricus, discimus ex ejusdem litteris quas recitat F. Rymer, t. I, part. I, p. 90:

« Rex constabulario Dovrensi, salutem. Mandamus tibi quod denuncies baronibus nostris de quinque portibus et mercatoribus terræ nostræ, frequentibus inter ipsos, ut se ipsos certificent in quibus et in quantis et per quos de posse regis Franciæ damnificati fuerint contra hanc ultimam treugam quatuor annorum, captam inter nos et Philippum quondam regem Franciæ, quæ scilicet treuga duratura est usque ad instans Pascha ; et provideant ipsi barones et mercatores, ut de omnibus prædictis sciant certificare nuncios nostros, quos mittemus apud S. Ademar, in occursum nunciorum regis Franciæ ad dominicam proximam ante Pascha floridum, pro talibus interprisis communiter emendandis, et quod contra terminum illum probationes suas paratas habeant, et illi prompti sint ad prosequendum et respondendum aliis de regno Franciæ, si quos offenderint contra treugam prædictam. Teste E. Londoniensi episcopo, apud Westmonasterium, vicesimo quarto die februarii. »

Eodem modo scribitur majori et vicecomitibus London., etc., hoc mutato quod certificandi sunt nuncii domini regis, quos mittet in marchiis Pictaviæ et Andegaviæ, circa instans Pascha.

Item, ibidem. « Rex omnibus ad quos præsentes litteræ pervenerint, salutem. Noveritis nos concessisse et firmiter creantasse, quod ea omnia quæ quatuor attornati, duo videlicet ex parte domini regis Francorum, et duo ex parte nostra, vel tres eorum, per sacramentum suum dixerint persolvenda super debitis, damnis et deperditis mercatorum et aliorum hominum domini regis Francorum, factis infra hanc ultimam treugam, bona fide in integrum persolvemus; et si non potuerint concordari ipsi quatuor vel tres ex eis, per sacramentum suum eligent quintum dicti quatuor, et quod ille quintus cum duobus illorum quatuor de prædictis dixerint persolvendum, plenarie similiter persolvemus. In cujus fide, etc. Teste rege apud Westmonasterium, vicesimo quinto die martii, anno regni octavo, coram domino Cantuariensi archiepiscopo Huberto de Burgo justiciario, et Bathoniensi et Saresberiensi episcopis. »

Item, ibidem, p. 92. « Domino suo, quando ei placuerit, Ludovico, Dei gratia, illustri regi Francorum, Henricus eadem gratia rex Anglorum, salutem et dilectionem. Mittimus ad vos dilectos nobis in Christo, fratrem Alanum Martel, magistrum militiæ Templi in Anglia, et priorem de Lenton. et magistrum H. cancellarium Londoniensem, quibus fidem habere velitis super his quæ vobis dixerint ex parte nostra, de treugis inter vos et nos prorogandis usque ad quadriennium, a Pascha anno gratiæ MCCXXIV : scituri quod ratum et gratum habebimus quicquid ipsi

dignum esset a celsitudine tua ferendum, si prædicti occasione hujusmodi, unde gratia tua reddidere se dignos, aliquem in personis, vel rebus suis molestiam paterentur, sciturus quod si ex hoc illos contingeret molestari, merito possemus, quod idem primogenitus tuus circa receptionem uxoris suæ mandatis nostris contra tuam voluntatem paruerit, suspicari. Quare serenitatem tuam monemus, rogamus et hortamur attente, quatenus prædicto comiti, et aliis favorem tuum ostendens et gratiam per effectum, et tu in nullo eis molestus existas; et attente providens, ne quis ad eorum bona minuenda manus extendat; ita quod sincera erga filium tuum paternitatis affectio et in sua, et in illorum personis liquido possit agnosci. Datum *ut supra*.

CXXXII

Ad Andream regem Hungariæ.

21 februarii 1224.

[Fejer, Cod. diplom., III, I, 431.]

Eum hortatur ut Belam regem primogenitum suum commendatum habeat et ad ejus et suorum provisionem honestam de regno suo ei certos redditus assignet.

Honorius, etc., salutem, etc.

Ventris a nobis viscera commendantur, dum carissimum in Christo filium nostrum B. regem, primogenitum tuum, qui pro eo, quod uxorem suam ad mandatum nostrum recepit, coactus est in terram nobilis viri ducis Austriæ, se tranferre, tuæ celsitudini commendamus. Ne igitur regiæ displicuisse serenitati credatur, quod prædictus primogenitus tuus nostris humiliter paruit beneplacitis, et mandatis; tuam profecto decet prudentiam, ut de prædicto filio tuo, dum in terra moratur aliena, Patris affectu cogites assueto; ipsum sicut tanti regis filium, et partem tuorum viscerum, benigne ac honeste tractando, ac ei liberaliter, unde sibi et suis decenter providere valeat, providendo. Quare serenitatem tuam monemus, rogamus et hortamur attente, quatenus, ne quisquam suspicari valeat, quod filius tuus prædictus, nobis devote parendo, certe tuam fecerit voluntatem; sed potius tanquam princeps catholicus in devotione Sedis Apostolicæ radicatus factum hujusmodi habueris, sicut speramus, acceptum; paternam affectionem ad illum per effectum exhibeas, et ad suam, et suorum provisionem honestam de regno tuo redditus ei certos assignes; ita quod magnitudinem et devotionem tuam in Domino commendare possimus; nec quisquam de te aliud, quam de principe catholico et devoto suspicari cogatur. Sciturus satis ægre nos ferre, quod sæpedictus filius tuus de devotionis et obedientiæ suæ merito, unde debet sentire gratiam, sustinet detrimentum. Datum Laterani, IX kalendas martii, anno octavo.

CXXXIII

Ad Robertum episcopum Vesprimiensem.

22 februarii 1224.

[Fejer, Cod. diplom., III, I, 432.]

Honorius Roberto episcopo Vesprimiensi ut Belæ regi, ad avertendum divortium, ultro quoque opituletur, commendat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri, episcopo Vesprimiensi, salutem et Apostolicam benedictionem.

Fraternitatem tuam dignis in Domino laudibus commendamus, quod sicut ex parte carissimi in Christo filii nostri, B. regis primogeniti carissimi in Christo filii nostri Hungariæ regis illustris, fuit propositum coram nobis, tu eidem B. regi, et uxori suæ semper fideliter astitisti, pro ip-

inde fecerint ex parte nostra. In cujus fidem, etc. Teste meipso apud Novum Templum Londoniense, XXVIII die aprilis, anno regni nostri octavo, coram domino Cantuariensi archiepiscopo, Huberto de Burgo justiciario, et J. Bathoniensi et R. Sarum episcopis. »

Item, ibidem. « Rex venerabilibus viris et amicis in Christo carissimis, archiepiscopo Senonensi et episcopo Silvanectensi, salutem. Grates paternitati vestræ referimus de his quæ, de mandato domini Papæ, nobis duxistis per litteras vestras intimanda, de treugis inter dominum regem Franciæ et nos prorogandis. Et vobis significamus quod nuncios nostros, per Dei gratiam, ad concilium Parisiense ad tres septimanas Paschæ (dominica tertia post Pascha) mittemus ad audiendum inde per vos voluntatem et responsum ipsius regis Franciæ. Noveritis autem quod nos non interim intercipiemus erga ipsum regem vel suos in treugis, nisi ex parte sua prius fuerit interceptum. Nos autem ex parte domini Papæ mandatum accepimus per litteras suas, de treugis prorogandis usque ad quadriennium, sicut ipse recepit. Teste rege apud Westmonasterium, vicesimo octavo die aprilis. »

sorum stans matrimonio, et laborantibus ad eorum divortium, intrepide in faciem eorumdem, justitiæ amore resistens. Quia vero idem B. rex gravem pro matrimonio ipso persecutionem sustinet, coactus propter hoc in terram nobilis viri, ducis Austriæ, se transferre; fraternitatem tuam rogamus et hortamur attente, quatenus tuum adhuc sibi consilium, et auxilium tanquam in adversitate hujusmodi necessarium, liberaliter et libenter impendas ita quod ipsi consilii et auxilii tui ope suffulto post tempestatem tranquillum, et serenum post nubilum tandem fiat. Datum Laterani, VIII kalendas martii, pontificatus nostri anno octavo.

CXXXIV

Ad archiepiscopum Colocensem.

22 februarii 1224.

[Fejer, Cod. diplom., III, I. 433.]

Eadem causa Colocensem etiam A. episcopo cum suis suffraganeis cohortatur.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, archiepiscopo Colocensi, et suffraganeis ejus.

Quum carissimus in Christo filius noster, rex Bela, primogenitus carissimi in Christo filii nostri Andreæ, regis Ungariæ illustris, gravem pro eo, quod uxorem suam ad mandatum nostrum recepit, prosecutionem sustineat, coactus ex hoc in terram nobilis viri, ducis Austriæ, se transferre : fraternitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus prædicto nato regis ejusdem, cui merito tenemur adesse, vestrum ei exhibendo favorem, plenius assistatis, monitis apud patrem ipsius et exhortationibus insistentes, ac consulentes eidem, ut sibi malitiosum se non exhibeat, vel infestum, nec ad se redire compellat eumdem; sed in regno suo, ubi cum ejus uxore, ac suis, sicut regium decet hæredem, honeste valeat commorari, redditus ei certos assignet; ipsos etiam, qui cum ipso morantur, nequaquam in personis, vel rebus offendat; mandatum nostrum taliter impleturi, quod vestra cognoscatur diligentia per effectum, et a nobis possitis de circumspecta sollicitudine commendari. Datum Laterani, VIII kalendas martii, pontificatus nostri anno octavo.

CXXXV

Ad Leopoldum Austriæ ducem.

22 februarii 1224.

[Fejer, Cod. diplom., III, I, 434.]

Leopoldum Austriæ ducem, quod Belam profugum susceperit, laudat.

Honorius, etc.

Devotionem tuam in Domino commendamus, quod carissimum in Christo filium nostrum, B. regem, primogenitum carissimi in Christo filii nostri, regis Ungariæ illustris, qui gravem pro eo quod uxorem suam ad nostrum mandatum recepit, persecutionem patitur, et ad te propter hoc coactus est insuper se transferre, tam benigne et honeste pertractas, tuo eum consilio et auxilio refovendo. Licet igitur eum tibi commendare necesse non esset; quia tamen sibi ex hoc merito adesse tenemur, nobilitatem tuam rogamus et hortamur attente, quatenus in fovendo ipsum solita constantia perseverans, pro Ecclesiæ Romanæ reverentia eum habeas propensius commendatum; ita quod in hoc, sicut in aliis, tuæ bonitatis appareat magnitudo, et nos id etiam habeamus acceptum. Datum Laterani, VIII kalendas martii, pontificatus nostri anno octavo.

CXXXVI

Ad episcopum Vaciensem.

22 februarii 1224.

[Theiner, Monument. Hungariæ, I. 45, N° 95.]

Mandat, ut Belæ regi consilio auxilioque assistere pergat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri... episcopo Waciensi, salutem et Apostolicam benedictionem.

Fraternitatem tuam dignis in Domino laudibus commendamus, quod sicut ex parte carissimi in Christo filii nostri B. regis primogeniti carissimi in Christo filii nostri... Hungariæ regis illustris fuit propositum coram nobis, tu eidem B. regi et uxori suæ semper fideliter astitisti, pro ipsorum stans matrimonio, et laborantibus ad eorum divortium intrepide in faciem eorumdem justitiæ amore resistens. Quia vero idem B. rex gravem pro matrimonio ipso persecutionem sustinet, coactus propter hoc in

terram nobilis viri... ducis Austriæ, se transferre, fraternitatem tuam rogamus et hortamur attente, quatenus tuum adhuc sibi consilium et auxilium tanquam in adversitate hujusmodi necessarium liberaliter et libenter impendens, ita quod ipsi consilii et auxilii tui ope suffulto, post tempestatem tranquillum et serenum post nubilum tamdem flant. Datum Laterani, VIII Kal. martii, pontificatus nostri anno octavo.

CXXXVII

Ad episcopum Reginum.

23 feb. 1224.

[Theiner, Cod. dipl. dominii temp., I, 79.]

Ei concedit Bundenum de Buncillis et Bundenum de Arduino.

Cum Bundenum de Buncillis et Bundenum de Arduino, quæ ex donatione comitissæ Mathildis ad Romanam spectant Ecclesiam in tua sint diœcesi constituta; nos de communi fratrum nostrorum assensu, ea cum pertinentiis tibi, et successoribus tuis usque ad triginta annos tenenda concedimus, sub triginta librarum proveniensium censu Romano Pontifici, qui pro tempore fuerit, persolvendo pro investitura locorum ipsorum a te nobis, et eisdem fratribus nostris trecentis libris proveniensibus persolutis. Termino autem veniente prædicto quod inter Romanam Ecclesiam super hoc, et te et successores tuos convenerit, observetur quod si nihil convenerit, loca eadem, solutis primo ecclesiæ Reginensis expensis utilibus, et necessariis, libere ad Sedem Apostolicam revertantur. Nulli ergo, etc. Datum Laterani septimo kalendas martii pontificatus nostri anno octavo.

CXXXVIII

Ad priorem et conventum S. Johannis in monte Bononiensi.

24 februarii 1224.

[Regest., lib. VIII, epist. 288. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat ut quamdam pecuniæ summam, eis commissam, marchione Montisferrati assignent.

Honorius, etc., dilectis filiis... priori et conventui Sancti Johannis in monte Bononiensi, salutem, etc.

Vestræ devotionis habemus litteras continentes, quod venerabilis frater noster... Norvicensis episcopus, tunc electus et camerarius noster, quinta feria post festum Resurrectionis Dominicæ quingentas viginti et unam marcam septem salidos, et decem denarios sterlingorum novorum in quinque sacculis nomine nostro custodiæ vestræ commisit. Quocirca discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus per manus venerabilis fratris nostri... Munensis episcopi prædictam pecuniæ quantitatem nobili viro... marchioni Montisferrati assignare minime differatis. Datum Laterani, sexto kalendas martii, anno octavo.

CXXXIX

Ad abbatem de Columba.

24 februarii 1224.

[Regest., lib. VIII, epist. 290. Mss. La Porte du Theil.

Idem argumentum quam superioris epistolæ.

Honorius, etc., dilecto filio... abbati de Columba, salutem et Apostolicam benedictionem.

Tuæ devotionis habemus litteras continentes, quod solutione plene facta nuntiis nobilis viri... marchionis Montisferrati, secundum computationem ipsorum, octoginta marcæ auri de Palliola et dimidia penes monasterium tuum in deposito remanserunt. Quocirca præsentium tibi auctoritate mandamus, quatenus prædictas octoginta marcas per manus venerabilis fratris nostri.... Mutinensis episcopi eidem marchione non differas assignare. Datum Laterani, VI kalendas martii, anno octavo.

CXL

Ad abbatem et conventum de Leucedio.

24 februarii 1224.

[Regest., lib. VIII, epist. 289. Mss. La Porte du Theil.]

Idem argumentum quam superioris epistolæ.

Honorius, etc., dilectis filiis... abbati et conventui de Leucedio, salutem, etc.

Vestræ devotionis habemus litteras continentes, quod vos a dilecto filio Ægidio subdiacono et capellano nostro sub vestra et ecclesiæ vestræ custodia recepistis qua-

tuor [sacculos] sigillis... episcopi Bellicensis et dicti Ægidii consignatos, in quibus quatuor sacculis ducentæ marcæ auri de Pellosa, sicut ipse subdiaconus asseruit, continentur, et qui quatuor sacculi positi sunt in duobus bisaccis de corio, sigillis ejusdem capellani consignatis, et vestro. Quocirca discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus per manus venerabilis fratris nostri... Mutinensis episcopi depositum hujusmodi nobili viri... marchioni Montisferrati assignare curetis. Sane volumus, sicut petistis a nobis, ut pro abbatis, vel illius, qui abbatis locum tenebit, absentia, mandatum nostrum super hoc non debeat retardari. Datum ut supra.

CXLI

Ad archiepiscopum Senonensem.

27 februarii 1223.

[Regest., lib. VIII, epist. 309. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat ut, secundum facultates ecclesiarum, personarum numerus in eisdem instituatur.

Honorius, etc., venerabili fratri archiepiscopo Senonensi.

Ex parte tua tuit propositum coram nobis, quod in quibusdam religiosorum ecclesiis, tibi lege diœcesana subjectis, in quibus plures consueverunt monachi vel canonici commorari, ob aviditatem abbatum sive priorum Cluniacen., et aliorum ordinum ad quas eædem ecclesiæ temporaliter spectant, convertentium in utilitates proprias redditus earumdem, ita est imminutus consuetus numerus personarum, quod ecclesiæ ipsæ solitis defraudantur obsequiis, et apud eorum patronos ac nonnullos alios scandalum generatur. Ideoque fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus eos, ad quos ecclesiæ ipsæ spectant, moneas diligenter, ut, secundum facultates earum, personarum quoque numerum instituant in eisdem. Quod nisi primo, secundo, tertiove commoniti curaverint adimplere, tu in ecclesiis ipsis appellatione remota refirmes numerum consuetum, dummodo facultates earum non sint forsitan diminutæ, ita quod solitum numerum sustinere non possint. Datum Laterani, III kalendas martii, anno octavo.

CXLII

Ad P. subdiaconum, notarium nostrum et A. S. legatum.

27 februarii 1224.

[Theiner, Codex dipl. dom. temp., I, 79, n. 130.]

Ei mandat, ut episcopo Firmano comitatum Firmanum in feudum concessum restituat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio P. subdiacono et notario nostro, Apostolicæ Sedis legato, salutem et Apostolicam benedictionem.

Venerabilis fratrer noster Firmanus episcopus nobis humiliter supplicavit, ut quum nos de comitatu Firmano suæ a nobis restituto ecclesiæ ac concesso eum investierimus de fratrum nostrum consilio per vexillum, comitatum eumdem ei, qui de familia nostra extitit, quem nos creavimus in Firmanum episcopum, a te in pace dimitti, sicut præfata ecclesia plenius habuit, faceremus. Nos autem volentes, ut eo plenius sua sibi jura serventur, quo sperare benignitatem a nobis debet ex familiari nobiscum conversatione majorem, discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus comitatum eumdem cum suis juribus, sicut in pace prædecessores sui plenius habuerunt, et in nostris privilegiis continetur, libere sibi sine qualibet dilatione ac difficultate dimittas, et ipsum episcopum diligas et honores, eidem in his, quæ suæ respiciunt honorem ecclesiæ ac profectum, requisitum ab eo tuum auxilium et consilium efficaciter impensurus. Datum Laterani, IV kalendas martii, pontificatus nostri anno octavo.

CXLIII

Ad Nicolaum episcopum Roeskildensem.

28 februarii 1224.

[Skand, Litterat., XXI, 11.]

Ei prædicandæ crucis officium in provincia Lundensi committit.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri episcopo Roeskildensi, salutem et Apostolicam benedictionem.

Quum prædicandæ crucis officium in provincia Lundensi tibi duximus committendum, ut inoffense possit currere sermo tuus, et labor fructum uberiorem afferre,

præsentium tibi auctoritate committimus, ut, quum ad loca veneris interdicta, liceat tibi in eorum singulis unam semel ecclesiam aperire, et ibidem, excommunicatis et nominatim interdictis exclusis, celebrare divina, ut sic efficacius possis ibi proponere verbum crucis, nihilominus concedentes, ut eorum vota, qui voverunt beati Jacobi vel aliorum sanctorum limina visitare, in transmarinæ peregrinationis possis commutare laborem, et his, qui commiserunt incendia, quique pro violenta manuum injectione in canonem inciderunt, dummodo non sit enormis excessus, valeas juxta formam Ecclesiæ beneficium absolutionis impendere vice nostra, siquidem passis injuriam satisfecerint competenter, et devote susceperint signum crucis pro subsidio Terræ Sanctæ.. Concedimus etiam, ut aliquos viros honestos et ad hoc idoneos in partem commissæ tibi sollicitudinis valeas advocare, quum videris expedire; qui, dum in hujus modi prædicationis officio laborabunt, beneficiorum suorum redditus non amittant, sed integre illos percipiant, ac si in suis ecclesiis residerent, proviso tamen ne in numero affirmandorum excedas, neve affirmes de una ecclesia plus quam unum. Illos quoque, qui crucem assumpserint, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus cum omnibus bonis suis, statuentes, ut, postquam fuerint iter peregrinationis aggressi, ea omnia sub speciali ecclesiæ defensione consistant, donec de reditu ipsorum vel obitu certissime cognoscatur. Clericis nihilominus concedendo, ut propter hoc possint beneficiorum suorum proventus usque ad triennium pignori obligare vel percipere, quamdiu absentes fuerint hac de causa, illis, quibus eos pignori obligaverint vel colligendos commiserint, sine diminutione qualibet exhibendos, ita tamen quod parochialibus ecclesiis per honestum vicarium iterum serviatur, nec aliquis procedere præsumat ad obligationem hujusmodi, nisi quum iter arripiet transfretandi, totque annis quilibet in ipsius terræ subsidio commoretur, per quot suos redditus obligavit; quod si forsan ante redierit, serviatur diligenter ecclesiæ, cujus redditus obligati fuerint, ab eodem, ut sic quorumdam malitiæ obvietur, qui, beneficiorum suorum fructibus obligatis, solent salutare limina Terræ Sanctæ, ac continuo redeuntes tam ipsam Terram Sanctam quam ecclesias suas suo servitio defraudare. Quia vero nonnulli crucem assumptam temeritate propria deposuisse dicuntur, vel inceptæ peregrinationis itinere non expleto a portubus remeasse, volumus et mandamus, ut eos ad resumendam crucem et ad reddendum votum Domino quod voverunt canonica districtione compellas; ad hoc, ut fidelium devotio ad ipsius Terræ Sanctæ subsidium melius provocetur, ordine solemnes processiones fieri saltem singulis mensibus in omnibus locis, qui ad hoc idonei videbuntur, et psalmum illum: *Deus, venerunt gentes*, per ecclesias omnes diebus singulis more solito decantari. Proviso, quod si forte his, qui ad hujusmodi processiones seu ad alias convocationes tuas convenerint, aliquam peccatorum remissionem duxeris faciendam, decem dierum numerum indulta remissio non excedat; et si ab iis vel quibuslibet aliis, qui ad hujusmodi convocationes convenerint, aliqua oblata fuerint vel alias data pro subsidio Terræ Sanctæ, illa facias fideliter conservari, ut tempore passagii faciamus disponi de illis, pro ut ipsius Terræ Sanctæ subsidium videbitur expedire. Datum Laterani, III kal. martii, anno octavo.

CXLIV

Ad Gerardum archiepiscopum Bisuntinum.

1 martii 1224.

[Gallia Christiana, XV, instr. 64.]

Honorius III scholares S. Stephani Gerardo archiepiscopo protegendos commendat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri G. archiepiscopo Bisuntino, salutem et Apostolicam benedictionem.

Peccatis communicat alienis eorumque se participem constituit, qui, cum peccantes arguere atque compescere teneatur, is vel personarum acceptor, vel sui neglector officii, facere prætermittit. Sane non semel tantum, sed sæpe nostris est auribus intimatum, quod cum pauperes clerici, convenientes ad scholas S. Stephani Bisuntini, vadunt per civitatem competentibus horis, quærendo eleemosynas ostiatim, quidam filii Belial, in eos non absque conniventia canonicorum S. Johannis Bisuntini, temere insurgentes, in eos violentas manus injicere

ipsosque interdum spoliare præsumunt. Cum ergo sortitus speculatoris officium hæc non debeas sub silentio præterire, sed annuntiare suam iniquitatem iniquis, ne et ipsi moriantur in illa, et sanguis illorum de manibus tuis a Domino requiratur, fraternitatem tuam sollicitandam duximus et hortandam, per Apostolica tibi scripta mandantes, quatenus quum illos, qui committunt talia faciuntve committi, constet incidere in canonem sententiæ promulgatæ, circa eos debitum pontificalis officii taliter exsequaris, quod nec ipsi per dissimulationem tuam ad excessus hujusmodi facilius dilabantur, nec tu eorum culpam per eamdem dissimulationem facias esse tuam, cum posse et nolle perturbare perversos nihil sit aliud quam fovere. Datum Laterani, kalendas martii, pontificatus nostri anno octavo.

CXLV

Ad episcopum Lingonensem et abbatem Cisterciensem et priorem de Sine Muro Cabilonensis et Eduensis diœcesum.

1 martii 1224.

[Regest., lib. VIII, ep. 358. Mss. La Porte du Theil.]

Ordinationem a C. Portuensi episcopo de monasterio Besuensi factam confirmat.

Honorius, etc., venerabili fratri episcopo Lingonen., et dilectis filiis... abbati Cisterciem. et priori de Sine Muro Cabilonen. et Eduen. diœcesum.

Licet ordinationem a venerabili fratre nostro C., Portuen. episcopo, factam de monasterio Besuen. duxerimus confirmandam, sicut plenius continetur in nostræ confirmationis litteris, quas vobis sub bulla nostra destinamus inclusas, volentes tamen præcavere diligenti sollicitudine in futurum, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus ad Besuen. monasterium personaliter accedentes de omnibus possessionibus, redditibus, mobilibus, et debitis ejus tam capitis quam membrorum inventorium faciatis, et inventa faciatis conscribi pluribus authenticis monumentis, quorum quædam apud sacras ædes curetis deponere diligenter, alia vero ad Sedem Apostolicam destinare in archivis nostris cautius conservanda, proviso prudenter, quod possessiones, et alia ipsius monasterii bona per venditionem, seu aliud quodcumque alienationis genus alienari non possint, ut, si forsan propter urgentem necessitatem et evidentem utilitatem processu temporis fuerit de monasterio ipso aliter ordinandum, possessiones et alia jura sua eidem remaneant illibata. Ad hæc quum monachi sententialiter a monasterio ipso amoti ad illud præsumpserint propria temeritate redire, ac excommunicati excommunicatum elegerint in abbatem, infligatis eis congruam pœnam pro hujusmodi præsumptionis excessu et tam eos, quam alios ad loca sibi deputata, vel etiam deputanda migrare canonica districtione cogentes, denuntietis irritum et inane quicquid post amotionem eorum de præfata electione, ac aliis negotiis ipsius monasterii, vel membrorum ejus factum est per eosdem, seu per illum, quem taliter elegerunt, et in statum debitum reducatis tam clericos, quam laicos, qui eos præsumpserint in sua perversitate favere, vel alios impedire quominus mandatum nostrum sortiatur effectum, monitione præmissa, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo; invocato etiam, si opus fuerit, brachio sæculari ad eorum malitiam reprimendam. Cæterum si præfati monachi ad animum reducentes beneficium absolutionis cum debita humilitate petierint, illud eis juxta formam Ecclesiæ impendatis. Ad hæc cum monasterium ipsum diversis creditoribus tam judæis, quam christianis graves usuras exsolverit, et adhuc super aliorum solutione graviter infestetur, provideatis super his, prout, pensatis omnibus circumstantiis, videritis providendum, ita tamen quod possessionum, vel reddituum sæpedicti monasterii, vel membrorum nulla prorsus alienatio intercedat, concessa vobis auctoritate præsentium plenaria potestate cogendi usurarios ipsos ad restituendum extorta et ab extorquendis de cætero compescendi, secundum canonicas sanctiones. Quod si non omnes, etc. Datum Laterani, kalendis martii, anno octavo.

CXLVI

Ad episcopum Lingonensem.

1 martii 1224.

[Regest., lib. VIII, epist. 353. Mss. La Porte du Theil.]

Ordinationem de monasterio Besuensi, ab episcopo Portuensi factam, regulat.

Honorius, etc., venerabili fratri episcopo Lingonen.

Venerabilis frater noster C. Portuen. episcopus, dum in partibus tuis legationis officio fungeretur, suis nobis litteris intimavit, quod quum frequentibus et clamosis insinuationibus ejus fuisset auribus intimatum Besnen. monasterium nigrorum re ac nomine monachorum tam in capite, quam in membris a malitia in eodem habitantium esse adeo versum in salsilaginem, et in spiritualibus ac temporalibus sic collapsum, quod a planta pedis usque ad verticem non remanserat sanitas in eodem, ipse, quia circa pacis et fidei negotium occupatus, per se ipsum ad ejus reformationem intendere non valebat, primo... Clarevallen., et... Fontinent., ac.... de Bellevillæ abbatibus, ac deinde tibi, qui loci diœcesanus existis, hujusmodi curam sollicitudemque commisit. Sed quum nec per eorum, nec per tuam sollicitudinem posset status ipsius monasterii reformari, tum quia idem monasterium quantum ad temporali jam ad extremam fere desolationem devenerat, tum quia nihil spiritualitatis, seu religionis remanserat in eodem, tandem idem episcopus opportunitate accepta, cum clamor infamiæ ipsius monasterii jugiter invalesceret, curavit, te secum assumpto, descendere, ac videre utrum personæ ipsius loci clamorem, qui de ipsis ascenderat opere complevissent, et inquisitione habita diligenti, reperit, quod minor erat infamia. Vero quum, ut de personarum enormitatibus taceamus, monasterium ipsum, præter debita prioratuum, septem millium et septem viginti librarum debito teneretur, et insuper alienata esset medietas ejus possessionum et ultra, nonnullis aliis ejusdem possessionibus, et redditibus alias occupatis per laicos et clericos sæculares, recepto igitur ab abbate et monachis universis de stando mandatis suis corporaliter juramento, et pensatis omnibus quæ pro reparatione ipsius monasterii vel contra facere videbantur, cum non speraretur ullatenus monasterium ipsum posse resurgere, remanentibus præfatis abbate, ac monachis in eodem, ipsos de tuo et aliorum prudentum virorum consilio sententialiter ab eo tam a capite quam a membris amovit et absolvit a cura et exhibitione ipsorum, sæpedictum monasterium cum omnibus membris suis, ac ordinatione illorum suæ provisioni servata, ipsis monachis duxit in aliis monasteriis providendum. Quumque monasterium ipsum et membra ejus, ejectis inde monachis supradictis, nec reclamantibus per quatuor menses in suis manibus tenuisset et de ipsius reparatione sollicitus super hoc cum Cluniacen. et aliis vicinis abbatibus habuisset frequenter consilium, et tractatum, nec reparationis modus occurrerit opportunus, tandem menti ejus occurrit, quod fratres ordinis Prædicatorum utiliter poterant in ipso monasterio collocari. Sed quum cogitationi hujusmodi obviare quodammodo videretur, quod ipsi fratres non possunt secundum ordinis sui statuta possessiones habere, de modo providendi eis necessaria, si collocarentur ibidem, sollicite cogitaret, demum ejus inductus exhortationibus promisisti te, si hæc fierent, debitorum ipsius monasterii, ac membrorum ejus onera suscepturum, ac annuatim ministraturum sexaginta fratribus dicti ordinis usque ad sexcentas libras Stephanien. pro necessariis suis in eodem monasterio de ipsius possessionibus tibi, et suis successoribus applicandis, nec non de aliis bonis episcopalibus, si forte proventus non sufficerent earumdem; et ad hoc te, ne successores tuos de consensu et approbatione capituli tui solemniter obligasti, adjiciens quod institueres viginti canonicos sæculares in possessionibus membrorum monasterii sæpedicti. Quare idem episcopus hujusmodi viam reparationis monasterii sæpedicti præeligens, utpote qua nulla competentior vel utilior videbatur, secundum eam de ipso monasterio et membris ejus omnibus ordinavit. Nos igitur receptis precibus ejus ut ordinationem hujusmodi approbantes, eam Apostolico roborare munimine dignaremur, eidem dedimus in mandatis, ut, quum in talibus sit cum diligenti sollicitudine procedendum, adhibita omni diligentia et cautela, quæ debebat et poterat adhiberi, in primis monachos ejectos a sæpedicto monasterio in aliis sui ordinis monasteriis

collocaret, et eis sic faceret provideri, quod in religionis opprobrium et suarum periculum animarum, necnon ut scandalum populi non cogerentur in sæculo evagari; deinde de quantitate ac qualitate possessionum et reddituum dicti monasterii ac membrorum ejus et omnium ad illa spectantium inquireret diligenter, et inventa redigi faceret in authenticis monumentis, adhibita exquisita cautela, ne distrahi, commutari, vel minui seu aliquo modo alienari valerent, ut si forsan tu, vel successores tui, in observatione deficerent promissorum, seu tempora procedente necessitate, vel utilitate pensata, de ipso monasterio contingeret aliter ordinari possessiones, et alia jura sua eidem illibata manerent, hisque rite peractis in ordinatione præscripta de nostra permissione procederet et assensu. Nuper autem te ac ipso episcopo in nostra præsentia constitutis, intelleximus clausulam illam, per quam mandavimus de ipsius monasterii rebus inventorium fieri et inventa scribi authenticis munimentis, ut si de ipso monasterio fuerit aliter ordinandum, possessiones et alia jura sua sibi maneant illibata, tibi gravem dubitationis scrupulum ingessisse quasi visi fuerimus per hæc verba innuere, quod nostri esset propositi ordinationem prædictam aliquando revocare. Ad hujusmodi ergo dubitationis scrupulum de corde tuo penitus removendum, auctoritate præsentium declaramus, quod prænotatam clausulam posuimus in litteris supradictis ad cautelam propter incertitudinem videlicet eventuum futurorum, nec nostræ intentionis fuit per hoc ordinationem infirmare, vel aliquatenus debilitare prædictam, quam quidem gratam habemus et ratam, et volumus firmitatem perpetuam obtineri, nisi forsan aliud exigeret urgens necessitas, vel utilitas manifesta. Et ne metu revocationis ordinationis ejusdem in ejus observatione tepescas, et metuas pro ea servanda expensis te ac tuam ecclesiam onerare, statuimus, ut [si] forte per Romanam Ecclesiam sæpedictam ordinationem propter urgentem necessitatem, vel evidentem utilitatem in futurum contigerit revocari, tu et successores tui ac ecclesia Lingonen. conservemini prorsus indemnes, sitque vobis licitum tamdiu possessiones ejusdem monasterii retinere, donec de universis debitis, quæ occasione ipsius monasterii vos incurrisse constiterit, fuerit vobis plenarie satisfactum. Licet autem velimus ut secundum ordinationem prædictam usque ad valentiam sexcentarum librarum Stephanien. provideas Prædicatoribus in supradicto monasterio moraturis, nolumus tamen quod ipsi propter hoc relinquant sui ordinis instituta, quia scilicet vivant de eleemosynis sibi devotioni fidelium erogandis, quæ si eis forsitan non sufficerint, episcopus Lingonen., qui pro tempore fuerit, faciat de præfatis sexcentis libris necessaria dictis fratribus congrue ministrari per viros idoneos et fideles, qui semel vel his in anno coram priore ac provisore domus reddant de his, quæ in povisione dictorum fratrum expenderint, rationem, ut si de ipsis sexcentis libris aliquid superfuerit, fideliter reservetur in utilitatem ipsius monasterii convertendum. Nulli ergo, etc., nostræ constitutionis, etc. Si quis, etc. Datum Laterani, kalendis martii, anno octavo.

CXLVII

Ad episcopum Lingonensem et abbatem Cisterciensem ac priorem de sine Muro Cabilonensis et Eduensis diœcesum.

1 martii 1224.

[Regest., lib. VIII, epist. 359. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat ut investigent quomodo monasterium Besuensi reformari posset.

Ordinationem a venerabili fratre nostro C. Portuensi episcopo, tunc Apostolicæ Sedis legato, factam, etc., *ut supra, usque* inclusas. Quia vero incertum est utrum fratres ordinis Prædicatorum, qui secundum eamdem ordinationem in ipso debent monasterio commorari, ad illud velint, vel valeant convenire, et juxta ordinationem ipsam moram facere in eodem, præsentium vobis auctoritate mandamus, quatenus, si dicti fratres id facere forte noluerint, aut nequiverint, investigatis prudenter, ut cum ordo monachorum nigrorum utiliter instaurari valeat in monasterio antedicto, et si inveneritis id posse salubriter fieri, ordinem ipsum, monachis tamen, quos ipse legatus sententialiter amovit ab illo, inde prorsus ejectis, instauretis ibidem, nobis præfatas confirmationis litteras remissuri. Quod si nec dicti fratres ordinis Prædicatorum ad locum ipsum voluerint, aut valuerint convenire, nec videritis, quod monasterium

ipsum per nigros monachos valeat reformari, investigetis sollicite utrum monasterium ipsum reformari valeat per institutionem canonicorum sæcularium in eodem, et quod super his inveneritis nobis fideliter rescribatis, jam dictas confirmationis litteras diligenter apud vos interim servaturi. Porro si sæpedicti fratres ordinis Prædicatorum ad monasterium ipsum secundum ordinationem convenerint memoratam, tu, frater episcope, retineas confirmationis litteras sæpedictas. Quod si non omnes, etc. Datum Laterani, kalendis martii, pontificatus nostri anno octavo.

CXLVIII

Ad abbatem et conventum S. Rufini, ordinis S. Augustini.

1 martii 1224.

[Regest., lib. VIII, epist. 319. Mss. La Porte du Theil.]

Indulget ut quædam personæ prioratuum suorum in Viennensi, Arelatensi et Narbonensi provinciis ad terras excommunicatorum pro suis negotiis accedere possint.

Honorius, etc., dilectis filiis abbati et conventui Sancti Rufini, ordinis Sancti Augustini, salutem, etc.

Petitio vestra nobis exhibita continebat, quod cum habeatis quosdam prioratus in Viennensi, Aretatensi, et Narbonensi provinciis, et partibus convicinis personæ commorantes in illis plerumque necesse habent pro ipsorum negotiis prioratuum accedere ad terras excommunicatorum, ecclesiastico interdicto subjectas. Quare humiliter postulastis, ut ne prioratuum ipsorum bona depereant, eis id facere de nostra permissione liceret, ita quod ab hoc excommunicationis laqueum non incurrant, non obstantibus sententias super hoc a legatis Sedis Apostolicæ promulgatis. Nos igitur auctoritate præsentium indulgemus ut personæ commorantes in prioratibus antedictis possent ad hujusmodi loca sine periculo excommunicationis accedere, quum urgens prioratuum ipsorum necessitas et evidens utilitas id exposcit; ita tamen quod nec ibi celebrare divina nec diutius quam ipsa requirat necessitas commorari, nec excommunicatis communicare præsumant, nisi quatenus nequiverint evitare. Nulli ergo, etc., nostræ concessionis, etc. Si quis, etc. Datum Laterani, kalendis martii, anno octavo.

CXLIX

Ad Simonem, Bituricensem archiepiscopum.

2 martii 1224.

[Gallia christiana (edit. 1716), I, 95.]

Mandat ut, non obstante impedimento originis, electionem Stephani sacristæ Brivatensis in episcopum Mimatensem confirmet.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri archiepiscopo Bituricensi, salutem et Apostolicam benedictionem.

Cum optimum reparandi natales genus sit, originis vitium virtute redimere meritorum, felicis recordationis I. papa, prædecessor noster, dilecti filii magistri S. Mimatensis electi, tunc magistri scholarum..... considerans probitatem, cum ipso super defectu natalium dispensavit, ita tamen quod si eum ad honorem vocari contingeret præsulatus, nequaquam illum reciperet absque licentia Sedis Apostolicæ speciali. Unde cum nuper dilecti filii Mimatense capitulum de speciali mandato nostro, recepta episcopi sui cessione a venerabili fratre nostro Portuensi episcopo, tunc Apostolicæ Sedis legato, et ab eo ipsis injuncto, quod ecclesiæ suæ per electionem canonicam providerent de persona idonea in pastorem, in eumdem magistrum tunc sacristam Brivatensem canonice et concorditer direxerunt vota sua, electus ipse ac dilectus filius P. archidiaconus ejusdem ecclésiæ cum electionis decreto ad nostram propter hoc præsentiam accesserunt. Nos autem electionem reperientes de persona idonea canonice celebratam, impedimento originis, quod de gratia ejusdem prædecessoris nostri sublatum fuerat non obstante, ipsam de fratrum nostrorum consilio duximus confirmandam. Et licet clericus tuus proponeret eum ad te metropolitanum debere remitti, nec nuntiatam tibi cessionem eamdem, nec eligendi a te fuisse licentiam postulatam, ipsum tamen, cum prædictus legatus de mandato nostro cessionem receperit, et electionem mandaverit fieri, juxta consuetudinem Ecclesiæ Romanæ potuimus sine tuo præjudicio consecrare. Sed nos in hac parte tibi sicut et in multis aliis deferentes, eumdem

ad te cum gratia nostra remittimus et favore, fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandantes, quatenus difficultatem nullam ingerens, sed gratiam recognoscens absque moræ dispendio consecrationis sibi munus impendas, ita quod tua inde possit discretio commendari, alioquin ne gregi Dominico diu desit cura pastoris, venerabili fratri nostro archiepiscopo Viennensi nos noveris injunxisse, ut adjunctis sibi duobus episcopis eum auctoritate nostra suffultus non differat, nullo ex hoc tibi vel ecclesiæ tuæ in posterum præjudicio generato. Datum Laterani, VI nonas martii, pontificatus nostri anno octavo.

CL

Ad Conradum episcopum Ildesemensem et magistrum Salomonem, canonicum Herbipolensem.

7 martii 1223.

[Wurdtwein, Nova subsidia, IV, 120.]

Eis prædicandæ crucis officium in provincia Maguntina committit.

Honorius, etc., venerabili fratri, episcopo Ildesemensi et dilecto filio magistro Salomoni, canonico Herbipolensi, salutem et Apostolicam benedictionem.

Quum prædicandæ crucis officium in provincia Maguntina vobis duxerimus committendum, ut inoffense possent currere sermones vestri et labor fructum uberiorem afferre, præsentium vobis auctoritate committimus ut, quum ad loca veneritis interdicta, liceat vobis in eorum singulis unam semel ecclesiam aperire et ibidem excommunicatis et nominatim interdictis exclusis celebrare divina, ut sic efficacius possitis ibi proponere verbum crucis, nihilominus concedentes, ut eorum vota, quæ voverunt beati Jacobi vel aliorum sanctorum limina visitare, in transmarinæ peregrinationis possitis commutare laborem, et his qui commiserunt incendia, quique pro violenta manuum injectione in canonem inciderunt, dummodo non sit enormis excessus, valeatis juxta formam Ecclesiæ beneficium absolutionis impendere vice nostra, si quidem passis injuriam satisfecerint competenter et devote susceperint signum crucis pro subsidio Terræ Sanctæ; concedimus etiam ut aliquos viros honestos et ad hoc idoneos in partem commissæ vobis sollicitudinis valeatis advocare, quum videritis expedire, qui dum in hujusmodi prædicationis officio laborabunt beneficiorum suorum redditus non amittant, sed integre illos percipiant ac si in suis ecclesiis residerent, proviso tamen ne in numero assumendorum excedatis, neve assumatis de una ecclesia plus quam unum. Illos quoque qui crucem assumpserint sub beati Petri et nostra protectione suscipientes cum omnibus bonis suis, statuentes ut postquam fuerint iter peregrinationis aggressi, ea omnia sub speciali Ecclesiæ defensione consistant, donec de reditu ipsorum vel obitu certissime cognoscatur; clericis nihilominus concedendo, ut propter hoc possint beneficiorum suorum proventus usque ad triennium pignori obligare vel percipere quamdiu absentes fuerint hac de causa, illis quibus eos pignori obligaverint vel colligendos commiserint sine diminutione qualibet exhibendos, ita tamen, quod parochialibus ecclesiis per honestum vicarium interim serviatur, nec aliquis procedere præsumat ad obligationem hujusmodi, nisi quum iter arripiet transfretandi, totque annis quilibet in ipsius terræ subsidio commoretur, per quos suos redditus obligarit; quod si forsan ante redierit, serviet diligenter ecclesiæ cujus redditus obligati fuerint ab eodem ut sic quorumdam malitiæ obvietur, qui beneficiorum suorum fructibus obligatis solent salutare limina Terræ Sanctæ ac continuo redeuntes, tam ipsam Terram Sanctam quam ecclesias suas suo servitio defraudare. Quia vero nonnulli crucem assumptam temeritate propria deposuisse dicuntur vel incœptæ peregrinationis itinere non expleto a portubus remeasse, volumus et mandamus ut eos ad resumendam crucem et ad reddendum votum Domino quod voverunt canonica districtione compellatis; ad hoc ut fidelium devotio ad ipsius Terræ Sanctæ subsidium melius provocetur, ordinetis solemnes processiones fieri saltem singulis mensibus in omnibus locis qui ad hoc idonei videbuntur et psalmum illum *Omnes venerunt gentes* per ecclesias omnes diebus singulis more solito decantari, proviso quod si forte his qui ad hujusmodi processiones seu ad alias convocationes convenerint, aliquam peccatorum remissionem duxeritis faciendam, decem dierum nu-

merum indulta remissio non excedat, et si ab eis vel quibuslibet aliis, qui ad hujusmodi convocationes convenerint, aliqua oblata fuerint, vel alias data pro subsidio Terræ Sanctæ, illa faciatis fideliter conservari, ut tempore passagii faciamus disponi de illis, prout ipsius Terræ Sanctæ subsidio videbitur expedire. Datum Laterani, nonis martii, pontificatus nostri anno octavo.

CLI

Ad capitulum Hamburgensem.

9 martii 1224.

[Lappenberg, Hamburg. Ub., I, 414, 475.]

Eis postulata concedit.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis capitulo Hamburgensi, salutem et Apostolicam benedictionem.

Ex parte vestra fuit nobis humiliter supplicatum, ut juxta Ecclesiæ Romanæ consuetudinem, a Septuagesima usque ad Pascha et ab Adventu Domini usque ad Nativitatem in festivitatibus novem lectionum, *Te Deum* laudamus et *Gloria in excelsis Deo* in ecclesia vestra cantandi licentiam vobis concedere dignaremur. Nos igitur vestris supplicationibus inclinati, auctoritate præsentium vobis concedimus postulata. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani, VII idus martii, pontificatus nostri anno octavo.

CLII

Ad episcopum, præpositum et decanum Jaurinenses.

11 martii 1224.

[Fejer, Cod. diplom., III, I, n. 439.]

Injurias conventui S. Mariæ illatas, episcopo, præposito et decano Jaurinensi dijudicandas committit.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri episcopo, dilectis filiis præposito et decano Jaurinensibus, salutem et Apostolicam benedictionem.

Dilecti filii abbas et conventus de monte Sanctæ Mariæ, Cisterciensis ordinis, nobis conquerendo monstrarunt, quod nobilis vir Borsonensis (Bors) et quidam alii Jaurinensis diœcesis, super quadam pecuniæ summa, prædiis et rebus aliis ad eorum monasterium de jure spectantibus, injuriantur eisdem. Ideoque discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus partibus convocatis, audiatis causam, et appellatione remota, fine debito terminetis; facientes quod decreveritis per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Testes autem, si qui fuerint nominati, si se gratia, odio, vel timore subtraxerint, per censuram eamdem, appellatione cessante, cogatis veritati testimonium perhibere. Quod si non omnes his exsequendis potueritis interesse, tu frater, episcope, cum eorum altero ea nihilominus exsequaris. Datum Laterani, V idus martii, pontificatus nostri anno octavo.

CLIII

Ad archiepiscopum Lugdunensem, et abbatem Bellevillæ, Lugdunensis diœcesis.

10 februarii 1224.

[Regest., lib. VIII, ep. 320. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat ut, quod statuit de archidiacono majori Viennensi C. Portuensis episcopus, observari faciant.

Honorius, etc., venerabili fratri archiepiscopo Lugdunensi, et dilecto filio abbati Bellevillæ, Lugdunensis diœcesis.

Significavit nobis dilectus filius... major archidiaconus Viennensis, quod cum quidam negarent ipsum esse personam ecclesiæ Viennensis hic ipsum esse archidiaconum faterentur, venerabilis frater noster C. Portuensis episcopus, tunc Apostolicæ Sedis legatus, attendens id ipsum quasi ridiculum, et contrarium consuetudini generali, de consilio archiepiscoporum et episcoporum, aliorumque prælatorum, ac juris peritorum, qui cum eo ad ecclesiam ipsam convenerant, ordinavit, et statuit, ut major archidiaconus de cætero in eadem ecclesia post præpositum primum stallum in choro et capitulo habeat ut persona et in omnibus aliis post decanum, præpositum et cantorem præeminentiæ obtineat dignitatem; quare

petiit idem archidiaconus, et ordinationem hujusmodi Apostolico roborare munimine dignaremur. Ideoque discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus quod super hoc provide factum est ab episcopo memorato faciatis inviolabiliter observari, contradictores, si qui fuerint vel rebelles, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Datum Laterani, IV idus februarii, anno octavo.

CLIV

Ad episcopum quondam Mimatensem.

11 martii 1224.

[Regest., lib. VIII, epist. 234. Mss. La Porte du Theil.]

Ei concedit ut cum pontificalibus insigniis divina officia celebrare possit.

Honorius, etc., venerabili fratri W. episcopo quondam Mimatensi.

Quum episcopatui Mimatensi sponte cessaris, episcopali ordini cedere non intendens, fraternitatis tuæ precibus inclinati præsentium tibi auctoritate concedimus, ut cum episcopi diœcesani licentia cum pontificalibus possis insigniis divina officia celebrare. Nulli ergo, etc., nostræ concessionis, etc. Si quis autem, etc. Datum Laterani, IV idus martii, anno octavo.

CLV

Ad Andream regem Hungariæ.

12 martii 1224.

[Fejer, Cod. diplom., III, I, 435.]

Quo facilius Andream, regem Hungariæ, ad officium patris revocet, benignum illi dat responsum.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, carissimo in Christo filio, illustri regi Hungariæ, salutem et Apostolicam benedictionem.

Per dilectum filium D., archidiaconum de Sirmio, virum providum et discretum, serenitatis tuæ recepimus litteras, quarum continentiam, et quod idem archidiaconus nobilis ex parte tua proposuit, intelleximus diligenter. Imprimis itaque archidiaconum ipsum circumspectu, et diligentia cum super omnibus a te sibi commissis sollicite, fideliter ac prudenter institerit, nihil de contingentibus omittendo, tuæ reddimus celsitudini commendatum. Sane firmissime teneas, et nullatenus dubites, quod sic nos tui honoris et exaltationis augmentum, et regni tui tranquillitatem affectamus et pacem, ut neminem contra hoc supportare velimus, quum potius quibuscumque contra te, aut regnum tuum machinantibus, parati sumus, tanquam de nostro agerent dispendio, efficaciter obviare. Unde carissimo in Christo filio nostro Belæ regi, nato tuo, scripta nos dirigimus, ut se tibi filium devotum exhibeat, et in nullo a filiali se reverentia et devotione subducat, provisurus attente, ne occasione sua, vel eorum, qui cum ipso morantur, regnum contingat Hungariæ perturbari. Scribimus etiam morantibus cum eodem, ut ad devotionem tuam prædicti filii tui animum accendentes, nihil sibi suadeant, nihilque facere ipsi præsumant, unde moveri debeas, et regni tui tranquillitas perturbetur. Quocirca excellentiam regiam monemus et hortamur attente, quatenus eumdem natum tuum, qui ad tempus, non tamen tua dicitur cessisse culpa, sicut tanti regis decet filium, et hæredem, benigne ac honeste studeas pertractare; cum, si secus fieret, nonnulli putarent displicuisse tibi, quod idem filius tuus circa uxoris suæ receptionem mandatis Apostolicis obedivit. Datum Laterani, IV idus martii, pontificatus nostri anno octavo.

CLVI

Ad nobiles viros et alios cum Bela rege commorantes.

13 martii 1224.

[Fejer, Cod. diplomat., III, I, p. 436.]

Belæ regis in Austria comites a seminandis inter patrem, et filium discordiis dehortatur.

Honorius, etc., nobilibus viris, et aliis cum Bela rege, nato carissimi in Christo filii, regis Hungariæ illustris, commorantibus.

Nec carissimo in Christo filio nostro Belæ regi, nato carissimi in Christo filii nostri illustris regis Hungariæ, nec vobis etiam expediret, si dictus Bela patri suo indevotus existeret, et a reverentia et devotione se subduceret filiali. Nobis denique merito displiceret, si quid per eumdem Belam vel per vos fieret, unde regni Hungariæ tranquil-

litas turbaretur; pati præterea non possemus, quod vos, quos cum eodem B. credimus pro ejus honore morari, seminaretis discordiam, et in bonis debaccharemini alienis. Quare universitatem vestram monemus et hortamur attente, per Apostolica scripta mandantes, quatenus prædicto Belæ, quæ honestatem et tranquillatem sapiunt, ad patris devotionem et reverentiam animetis eumdem, vosque nihil, unde pater suus moveri, et regnum suum turbari valeat, facere præsumatis. Datum Laterani, III idus martii, anno octavo.

CLVII

Ad Belam regem.

13 martii 1224.

[Fejer, Cod. diplom. III, I, p. 437.]

Belam regem a ciendis turbis, ac irreverentia erga patrem dehortatur.

Honorius, etc., Belæ regi, nato illustris regis Hungariæ.

Licet devotioni tuæ pro eo, quod uxorem tuam ad mandatum Apostolicum recepisti, quantum cum Deo possumus, teneamur adesse, nobis tamen merito displiceret, si carissimo in Christo filio nostro regi Hungariæ, patri tuo, indevotus existeres, et a reverentia et devotione te subduceres filiali. Pati etiam non possemus, quod per te, vel eos, qui tecum ad præsens morari noscuntur, tranquillitas regni turbaretur. Quare serenitatem tuam monemus et hortamur attente, quatenus prædicto patri tuo filium exhibeas te devotum, nequaquam faciens vel permittens ab his, qui tecum morantur, fieri, unde regnum ipsum turbari, et idem pater tuus valeat commoveri. Datum Laterani, III idus martii, anno octavo.

CLVIII

Ad Thomam Strigoniensem archiepiscopum.

13 martii 1224.

[Fejer, Cod. diplom., III, I, 438.]

A. episcopum Strigoniensem, ut ad sopiendas inter patrem et filium regis discordias operam conferat, provocat.

Honorius, etc., Strigoniensi archiepiscopo.

Fraternitati tuæ, sicut credimus, displiceret, si inter carissimum in Christo filium nostrum Andream, regem Hungariæ, et carissimum in Christo filium nostrum Belam regem, natum ipsius, æmulationes existerent, et aliqui seminarent discordias inter ipsos, quum per hoc regni tranquillitas turbaretur, ex quo gravia inde pericula provenirent. Eapropter discretionem tuam per Apostolica scripta monemus, quatenus solerter vigiles, sisque diligens, sollicitus et attentus, ne seminatoribus discordiæ prævalentibus, sint inter patrem et filium simultates; quin potius ad amputandam dissensionis materiam, et tranquillitatem fovendam et pacem, interponas efficaciter partes tuas. Datum Laterani, III idus martii, anno octavo.

CLIX

Ad archidiaconum, decanum et cantorem Atrebatenses.

13 martii 1224.

[Regest., lib. VIII, epist. 343. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat, ut, quod de præposito ecclesiæ de Eversan invenerint, ad Sedem Apostolicam transmittant.

Honorius, etc., dilectis filiis archidiacono, decano et cantori Atrebatensibus.

Exposita nobis dilectorum filiorum S., R., et M., sacerdotum, et quorumdam aliorum canonicorum regularium ecclesiæ de Eversan, Morinensis diœcesis, insinuatio patefecit, quod quum eadem ecclesia in spiritualibus floruerit, et in temporalibus abundaverit ab antiquo, nunc propter negligentiam, quin malitiam potius J., qui pro præposito se gerit ipsius, defecit taliter in utrisque, quod nisi per providentiam Sedis Apostolicæ celeriter succurratur eidem, vix adjiciet ut resurgat. Idem enim præpositus suæ famæ prodigus et salutis præter alia enormia, quæ committit, redditus et alia bona ecclesiæ memoratæ alienans enormiter, et consumens, fratres ecclesiæ nominatæ, regularis ordinis observantia prætermissa, innoxios ab eadem ejecit sæpius per manum laicam violenter, quorum unus, quum ab ea dudum taliter ejectus fuisset, nec posset ad ecclesiam memoratam habere regressum, factus vagus et profugus

super terram, in eam devenit insaniam, quod tandem horrenda morte spiritum exhalavit. Adjecerunt insuper, quod præpositus antedictus ad damnationis suæ cumulum fratrum confessiones publice revelare præsumens, in illud detestabile vitium, propter quod ira Dei venit in filios diffidentiæ, tam miserabiliter est collapsus, quod non solum domus ipsa, verum etiam regio fere tota hujus nota infamiæ redditur diffamata. Cum igitur, secundum Apostolum, instantia nostra quotidiana sit omnium ecclesiarum sollicitudo continua, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus ad ecclesiam memoratam personaliter accedentes, et habentes præ oculis solum Deum, ei vice nostra visitationis officium impendatis, et quicquid inveneritis fideliter redigentes in scriptis, illud sub vestris sigillis ad nostram præsentiam transmittatis, ut per vestram relationem instructi securius in ipso negotio procedamus. Contradictores, etc. Quod si non omnes, etc. Datum Laterani, III idus martii, anno octavo.

CLX

Ad Leopoldum ducem Austriæ.

13 martii 1224.

[Fejer, Cod. diplom., III, I. 438.]

Eum rogat ut Belam regem ad Andreæ regis patris sui devotionem et reverentiam moneat.

Honorius episcopus, etc., dilecto filio nobili viro, duci Austriæ, salutem, etc.

Sic habere te credimus timorem divini nominis et amorem, ut quæ honesta sunt, diligas et inhonesta odio habeas et devites. Fiducialiter itaque nobilitatem tuam rogamus et hortamur attente, quatenus carissimum in Christo filium nostrum, Belam regem, natum carissimi in Christo filii nostri, Andreæ illustris regis Hungariæ, ad patris sui devotionem, et reverentiam moneas propensius et inducas; quem etiam sollicitius exhorteris, ut familiaritatem devitet eorum, qui inter ipsum et patrem suum seminare discordiam, et ad bona vellent aliena extendere manus suas; ita quod nos de bonitate indolis suæ certi, ad honoris et exaltationis ejus augmentum semper intendere valeamus. Datum Laterani, III idus martii, pontificatus nostri anno octavo.

CLXI

Ad Henricum regem Anglorum.

14 martii 1224.

[Rymer, Fœdera, I, I, 49.]

Ei suggerit et consulit bona fide ut prudenter se habeat erga suos vassallos.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, carissimo in Christo filio Henrico, regi Anglorum illustri, salutem, etc.

Gaudemus in Domino, et ei actiones exsolvimus gratiarum, quod sicut dilecti filii magister Stephanus de Lucis et nobilis vir G. de Cracumb. nuntii tui, viri utique providi et fideles, nobis et fratribus nostris voce consona retulerunt, te in omnibus laudabiliter geris, ita ut flos adolescentiæ tuæ gratos et acceptabiles fructus indubitanter promittere videatur, super quo tanto ampliori alacritate perfundimur, quanto personam tuam et regnum sincerioris caritatis brachiis amplexamur.

Quia vero, sicut facies ita et animi hominum sunt diversi, juxta illud poeticum,

Mille hominum species, et rerum discolor usus,
Velle suum cuique est, nec voto vivitur uno.

Expedit ut, sicut universorum hominum ipsius regni communis es Dominus, ita morem gerere studeas communiter universis, exhibendo te singulis favorabilem et benignum; et si quando incidit controversia inter eos, pro ut in tanta multitudine accidere consuevit, non declinare in partem alterutram, sed utramque pari affectu, pari diligentia, pari studio corrigere, regere, gubernare; ita ut eorum quilibet, in te rectitudinem regiæ dignitatis agnoscens, non metuat in sinu tuo ponere causam suam, sed de te, sicut fidelis vassalus de benigno Domino, et sicut humilis filius de pio patre, considat.

Rogamus igitur tuæ serenitatis industriam, quatenus hæc scribas in tabulis cordis tui, et reponens in tuæ mentis arcana, producas, cum opus fuerit, in effectum, non declinando in partem aliquam; sed te, sicut regem decet, communem omnibus exhibendo, et tuas etiam dissimulando injurias, cum expedire videbitur pro, scandalo evitando. Illud autem nominatim tuæ suggerimus celsitudini et consulimus bona fide, ut cum vassallis tuis non ponas hoc tempore

rationem, nec eos super restitutione tuorum reddituum scandalizes; sed hæc et alia, quæ possunt scandalum generare, prudenter in tempus differas opportunum : sciens quod præfati nuntii tui, quos tibi de multa fidelitate ac sollicitudine reddimus commendatos, nobis petitiones tuas, super articulis prænotatis et aliis, porrexerunt, et ad promotiorem illarum laboraverunt sollicite ac instanter. Ex quibus quasdam admisimus, quasdam vero, de fratrum nostrorum consilio, ad præsens duximus suspendendas, quia sic videmus expedire; illas et alias, quas nobis duxeris porrigendas, exaudituri tempore opportuno; cum te, tanquam Ecclesiæ Romanæ specialissimum filium, plenissimo diligamus affectu, et tranquillitatem tuam et regni tui, intus et extra, hactenus sollicite procuraverimus, etiam non rogati, et procuratione disponamus vigilanti studio in futurum; tibique Apostolicæ Sedis favorem et gratiam, consilium et auxilium, in quibuscumque decuerit, exhibere. Datum Laterani, II idus martii, pontificatus nostri anno octavo.

CLXII

Ad Conradum episcopum Hildesemensem.

16 martii 1224.

[Sudendorf, Registrum, III, 54, n. 36.]

Ei mandat ut provideat ne de cætero in diœcesi sua clerici ab aliis clericis vel laicis primam coronam indiscrete recipiant.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri episcopo Hildesemensi, salutem et Apostolicam benedictionem.

Mirari cogimur et moveri quod sicut nobis noviter est relatum, in diœcesi tua clerici non ab episcopo sed ab aliis clericis seu laicis primam coronam recipiunt indiscrete, quod est prorsus contra canonicas sanctiones. Quum igitur hoc nec ab illis præsumi nec a te debeat sustineri, fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus, ne id de cætero fiat, generaliter interdicens super taliter ordinatis provideas, prout secundum Deum videris expedire. Data Laterani, XVII kalend. aprilis, pontificatus nostri anno octavo.

CLXIII

Ad Bremensis provinciæ incolas.

18 martii 1224.

[Lappenberg, Hamburg. Urkundenbuch, I, 414, n. 476.]

Ut ad reparationem ecclesiæ Bremensis præ vetustate ruinam minantis subsidia caritatis erogent.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, universis Christi fidelibus per Bremensem provinciam constitutis, ad quos litteræ istæ pervenerint, salutem et Apostolicam benedictionem.

Quoniam, ut ait Apostolus, *omnes stabimus ante tribunal Christi, recepturi prout in corpore gessimus, sive bonum fuerit, sive malum* (1), oportet nos diem missionis extremæ misericordiæ operibus prævenire ac æternorum intuitu seminare in terris, quod reddente Domino cum multiplicato fructuum fructu recolligere debeamus in cœlis, firmam spem fiduciamque tenentes, quoniam qui parce seminat, parce et metet, et qui seminat in benedictionibus et metet vitam æternam. Quum igitur Bremensis ecclesia paupertate gravata et pressa onere debitorum minetur præ vetustate ruinam, et ad reparationem ejus propriæ non sufficiant facultates, universitatem vestram rogamus, monemus et hortamur attente quatenus, quum eorum nuntius ad vos accesserit, propter hoc beneficia petiturus, de bonis a Deo vobis collatis, pias eleemosynas et gratia ei caritatis subsidia erogetis, ut per subventionem vestram opus tam pium et sanctum valeat feliciter consummari et vos per hæc et alia bona, quæ Domino inspirante feceritis, ad æternæ possitis felicitatis gaudia pervenire. Nos enim de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli, apostolorum ejus, auctoritate confisi, omnibus qui ad prædicti operis consummationem manum porrexerint pietatis, viginti dies de injuncta sibi pœnitentia misericorditer relaxamus. Datum Laterani, XV kalendas aprilis, pontificatus nostri anno octavo.

(1) II Epist. ad Corinth., c. v, v. 10.

CLXIV

Ad C. rectorem hospitalis Misnensis.

19 martii 1224.

[Gesdorf, Cod. diplom. Saxon., II, IV, 3, n. 5.]

C. rectore postulante ejus personam et hospitale Misnense cum omnibus bonis sub beati Petri et sua protectione suscipit.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio C. rectori hospitalis Misnensis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Sacrosancta Ecclesia Romana devotos et humiles filios ex assuetæ pietatis officio propensius diligere consuevit, et ne pravorum hominum molestiis agitentur, eos tanquam pia mater suæ protectionis munimine confovere. Eapropter, dilecti in Domino filii, tuis justis postulationibus grato concurrentes assensu, personam tuam et hospitale Misnense cum omnibus bonis, quæ in præsentiarum rationabiliter possidet, aut in futurum præstante Domino poterit justis modis adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, specialiter autem terras, possessiones, domos, redditus, et alia bona, sicut ea omnia juste ac pacifice possidetis, tibi ac per te hospitali jam dicto auctoritate Apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani, XIV kalendas aprilis, anno octavo.

CLXV

Ad abbatissam et sorores S. Crucis, ord. Cisterciensis.

21 martii 1224.

[Gesdorf, Cod. diplom. Saxon., II, IV, 295, n. 392.]

Claustrum S. Crucis sanctimonialium ordinis Cisterciensis, prope Misnam supra ripam Albiæ, eis confirmat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis in Christo filiabus abbatissæ et sororibus monasterii Sanctæ Crucis apud Misne ordinis Cisterciensis, Misnensis diœcesis, salutem, etc.

Justis petentium desideriis dignum est nos facilem præbere consensum et vota, quæ a rationis tramite non discordant, effectu prosequente complere. Ex tenore siquidem vestræ petitionis accepimus quod dilectus filius nobilis vir Theodericus, marchio quondam Misnensis et Orientalis, locum quemdam prope Misnam supra ripam Albiæ in decursu ipsius fluminis situm ad honorem sanctæ et victoriosissimæ Crucis, [et] perpetuæ Virginis Dei Genitricis Mariæ, in quo claustrum Sanctimonialium ordinis Cisterciensis pro animæ suæ remedio pia et provida deliberatione construxerit pariter et de bonis suis dotaverit, vobis de consensu diœcesani loci concesserit, proinde ut in patentibus litteris desuper confectis plenius dicitur contineri; nos itaque vestris supplicationibus inclinati, quod super hoc ab eodem marchione pie ac provide factum est, ratum et firmum habentes, id auctoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani, XII kalendas aprilis, anno octavo.

CLXVI

Ad episcopum Atrebatensem.

23 martii 1224.

[Regest., lib. VIII, epist. 332. Mss. La Porte du Theil.]

Ei villam, quæ appellatur Vitriacum, confirmat.

Honorius, etc., venerabili fratri episcopo Atrebaten.

Cum a nobis petitur, etc., *usque* effectum. Eapropter, venerabilis in Christo frater, tuis justis postulationibus, etc., *usque* assensu, villam, quæ appellatur Vitriacum, bonæ memoriæ P. prædecessori tuo in concambium pro vico, qui strata dicitur, ab inclytæ recordationis Ph., rege Francorum, cum pertinentiis suis datam, sicut eam juste, canonice, ac pacifice possides, et in ipsis regis litteris dicitur contineri, tibi et per te ecclesiæ tuæ auctoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio com-

munimus. Nulli ergo, etc., confirmationis, etc. Si quis, etc. Datum Laterani, XII kalendas aprilis, anno octavo.

CLXVII

Ad Guillelmum, Catalaunensem episc.

26 martii 1224.

[Bouquet, Rec. des Hist., XIX, p. 747. Regest., lib. VIII, ep 374.]

Cum malitiosi quidam, occasione comitatus Perticensis ad Catalaunensem episcopum hæreditario jure devoluti, eum appellarent suppresso episcopi nomine, et sic ad loca remotiora in causam traherent, litteras, quas ab Apostolica Sede impetrarant, ut hoc modo eum appellare possent, Honorius abrogat.

Honorius episcopus..... venerabili fratri Catalaunensi episcopo, salutem, etc.

Tua nobis fraternitas supplicavit ut, cum nonnulli, occasione comitatus Perticensis qui est ad te jure hæreditario devolutus (1), in litteris quas contra te a Sede Apostolica impetrant, suppresso episcopi nomine, comitem te appellent, ut sic possint ad loca remotiora trahere te in causam, eorum malitiæ dignaremur obviare remedio competenti. Nos igitur tibi auctoritate præsentium indulgemus, ut auctoritate litterarum nostrarum conveniri [non possis] per litteras contra te, suppresso pontificalis nomine dignitatis, a Sede Apostolica impetratas. Nulli ergo liceat infringere nostræ concessionis paginam; si quis autem, etc. Datum Laterani, VII kalend. aprilis, anno octavo.

CLXVIII

Ad fratres militiæ Templi et Hospitalis Hierosolymitani in Atrebatensi diœcesi.

26 martii 1224.

[Regest., lib. VIII, epist. 335. Mss. La Porte du Theil.]

Inhibet ne quidam presbyteri excommunicati divina officia celebrare possint.

Honorius, etc., dilectis filiis militiæ Templi et Hierosolymitani Hospitalis fratribus in Atrebatensi diœcesi constitutis.

Insinuante venerabili fratre nostro... Atrebaten. episcopo intelleximus, quod vos nimis de indultis vobis a Sede Apostolica privilegiis præsumentes, cum privilegium mereatur amittere qui permissa sibi abutitur potestate, quosdam tam de sua, quam de alienis diœcesibus presbyteros, pro suis excessibus vinculo excommunicationis adstrictos, scienter permittitis in vestris capellis suæ diœcesis divina officia celebrare; propter quod iidem presbyteri excommunicationem despiciunt, et absolutionis beneficium non implorant. Unde providere super hoc idem episcopus postulavit. Ne autem, si est ita, ex hoc et vobis contingat detrahi, et episcopalis auctoritas contemnatur, nos super hoc providere volentes, vobis, ne id faciatis de cætero, auctoritate præsentium districte inhibemus. Datum Laterani, VII kalendas aprilis, anno octavo.

CLXIX

Ad abbatem et conventum S. Sulpitii Bituricensis.

28 martii 1224.

[Regest., lib. VIII, epist. 393. Mss. La Porte du Theil.]

Indulget ut, post obitum archiepiscopi Bituricensis, prioratum de Yves pacifice possideant.

Honorius, etc., dilectis filiis abbati et conventui Sancti Sulpitii Bituricensis.

Cum a nobis petitur, etc., *usque* effectum. Ex parte siquidem vestra fuit propositum coram nobis, quod prioratum vestrum de Yves venerabili fratri nostro Simoni Bituricensi archiepiscopo, antequam esset ad pontificalem dignitatem assumptus, liberaliter contulistis, ita videlicet quod cum ipsum abire contingeret, vel ad præsulatus apicem promoveri, prioratus ipse ad vos cum omni melioratione, si qua esset facta, libere et absolute rediret; post modicum vero temporis ipse ad regimen ecclesiæ Bituri-

(1) Enecato, anno 1219, in Anglia Thoma comite Perticensi, adeptus est hæreditario jure comitatum eumdem Guillelmus Catalaunensis episcopus, quem invidentium molitionibus impetitum Honorius Papa vindicavit, docente Guillelmo Armorico, lib. XII Philippidos, tomo nostro XVII, pag. 282, versu 706, his verbis :

Nec, Guillelme, tibi, Catalauni præsul, avaro
Copia præcipuos cornu diffudit honores :
Qui Thomæ lugenda tui post fata nepotis,
Invida quem rapuit primævo in flore tibi mors,
Angligenum fines aggressum cum Ludovico,
Dignus es inventus et episcopus et comes esse,
Sufficienter onus dispensaturus utrumque,
Subsit ut hæredi justo tibi Perticus axis :
Ut cui nobilitas gemina est a sanguine regum,
Nobilitatis apex gemino splendescat honore.

cen. assumpto, et dicto prioratu ad vos sine qualibet contradictione reverso, vos attendentes, quod idem prioratus per eum in requisitione decimarum aliorumque redditaum, ac reparatione domorum non modicum susceperat incrementum, et idem modicum fructum susceperat ex eodem, utpote quem tempore parvo tenuerat, ipsum cum omnibus pertinentiis suis eidem de voluntate liberali et libera contulistis, ab eo quamdiu vixerit pacifice possidendum, ita videlicet quod idem prioratus, et ejus pertinentiæ cum omnibus acquisitis, et omni alia melioratione ad vos, obeunte ipso archiepiscopo, libere sine contradictione aliqua revertatur, ita quod non obstante contradictione successorum ipsius archiepiscopi, vel propinquorum ejusdem, ipsius prioratus et pertinentiarum ejus possessionem auctoritate propria ingredi valeatis; quæ omnia idem archiepiscopus in nostra constitutus præsentia recognovit. Nos igitur ejus et vestris precibus inclinati, auctoritate præsentium districtius inhibemus, ne quis successorum, vel propinquorum ipsius archiepiscopi, occasione collationis prædictæ, manus ad jamdictum præsumat extendere prioratum, vel aliquatenus impedire, quominus illum cum omnibus pertinentiis et meliorationibus ejus, post obitum ejusdem archiepiscopi, possideatis libere, pacifice ac quiete. Nulli ergo, etc., nostræ inhibitionis, etc. Si quis autem, etc. Datum Laterani, V kalendas aprilis, anno octavo.

CLXX

Ad abbatem et conventum S. Genovefæ Parisiensis.

28 martii 1224.

[Regest., lib. VIII, epist. 394. Mss. La Porte du Theil.]

Inhibet ne quis a quibusdam eorum possessionibus decimas extorquere præsumat.

Honorius, etc., dilectis filiis abbati et conventui Sanctæ Genovefæ Parisiensis, salutem, etc.

Eo benigniori vos intueri oculo Apostolica Sedes debet, quod ad ipsam specialius noscimini nullo medio pertinere. Ea propter, dilecti in Domino filii, etc., *usque* inclinati, auctoritate præsentium districte inhibemus, ne quis a vobis de montibus, quæ propriis manibus, aut sumptibus colitis, decimas extorquere præsumat. Nulli ergo, etc., nostræ inhibitionis, etc. Datum Laterani, V kalendas aprilis, anno octavo.

CLXXI

Ad Ludovicum regem Franciæ.

29 martii 1224.

[Teulet, Layettes du trésor des Chartes, II, 26, 1638.]

Ei concedit ut in locis interdicto suppositis divina audire valeat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, carissimo in Christo filio, illustri regi Franciæ, salutem et Apostolicam benedictionem.

Quia serenitatis tuæ devotio promeretur ut inter alios reges sæculi quamdam prærogativam honoris obtineas et gratia gaudeas Sedis Apostolicæ speciali, nos, tuis supplicationibus inclinati, auctoritate tibi præsentium indulgemus, ut in locis interdicto suppositis, excommunicatis et interdictis exclusis, possis, clausis januis, non pulsatis campanis, [divina] audire, suppressa voce, si tamen interdicto causam aliquam non præstiteris et nisi hoc ipsum expresse tibi fuerit interdictum. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani, III kalendas aprilis, pontificatus nostri anno octavo.

CLXXII

Ad Henricum regem Angliæ.

Sine nota chronologica.

[Raynald, Ann. ad ann. 1224, § 45.]

Eum objurgat quod contra Fulchesium de Breante arma movit, castrum de Belfort obsidendo.

« Ecce, sicut dolentes audivimus, spretis monitionibus nostris, contra nobilem virum Fulchesium de Breante, qui pro patre tuo ac pro teipso se ac sua tempore necessitatis exposuit, arma inconsulte movisti, castrum de Belford, quod ipse pater tuus eidem fidelitatis suæ constantia et laboribus ac expensis, quas subierat pro eodem, inspectis,

sibi sicut dicitur liberalitate regia, imo merita retributione donavit, hostiliter obsidendo, non advertens, neque considerans, quam indiscreta, ne infida dicamus, sunt eorum consilia, qui tibi suggerunt et suadent, ut hoc tempore, quo tibi arma inferuntur externa, tu inferas arma tuis, qui etiamsi te graviter offendissent, deberes tuas ad præsens dissimulare injurias, et ipsos regiis beneficiis reddere in tua et regni tui defensione unanimes et concordes, et non incendere regnum ipsum intrinsecus, quod jam extrinsecus ardet. » De Gallis loquitur, qui, ut diximus, plures ipsius cismarinas provincias subegerant. « Monemus igitur serenitatem tuam, et hortamur attente, etc. » Inculcat ut fœdus cum illo ineat, ac Pontificia consilia præferat. « Datum Laterani. »

CLXXIII

Ad patriarcham Aquilegensem, Maguntinum, Treverensem, Coloniensem, Magdeburgensem, etc., archiepiscopos et ejus suffraganeos.

(Sine nota chronologica.)

[Wurdtwein, Nova subsidia, t. IV, p. 125.]

Rogat eos ut legatum Apostolicum bene recipiant ac eidem in omnibus obediant.

Quum is qui secundum suæ omnipotentiam majestatis nec loco potest nec tempore comprehendi, utpote incircumscriptibilis et immensus et stabilis manens dat cuncta moveri, faciat spiritus suos angelos et ministros, et cœlorum altitudine inclinata carnem humanam assumens pro eo quod deliciæ suæ sunt esse cum filiis hominum, discipulos quos elegerat in mundum destinavit universum, ut omni prædicarent Evangelium creaturæ, suo nos instruxit exemplo, ut ejus sequentes vestigia, quum assumpti in plenitudine potestatis nec per vos nec per nos ipsos possimus singulis negotiis imminere, inter eos quos in partem sollicitudinis evocavimus onera, quasi Jethro usi consilio, dividamus unicuique secundum virtutem propriam, quæ variis temporibus imminent committendo. Unde quum inter alias occupationes et sollicitudines innumeras et immensas quibus angimur ultra vires, hoc instantius cogitemus qualiter succurratur exercitui christiano feliciter in partibus transmarinis Domino militanti, qui etsi jugiter convalescat contra inimicos nominis christiani, tanto magis tamen succursu indiget pleniori quanto latius inimicorum occupans terras necesse habet occupatis probos deputare custodes, talem ad commonefaciendum super hoc Christi fideles oportuit nos eligere, qui zelum Dei habens secundum scientiam non minus merito sanctitatis et operum exemplari quam virtute vocis ad obsequendum Domino populum efficaciter excitaret; et ecce a dextris est vir dexteræ venerabilis frater noster... episcopus Hostiensis qui dextera divina tanquam cedrus Libani prælatus in Ecclesiæ paradiso, altitudine contemplationis erectus, virtutum odore suavis, famæ sinceritate penitus imputribilis, non solum sua fortitudine ad sustentationem domus Domini operatur, verum etiam honestatis candore ipsius superficiem convenustat. Sed licet ipsius præsentia cara nobis valde careremus inviti, utpote cujus consilio et auxilio plurimum indigemus, ne tamen tantum Christi negotium nostris postponere commodis videamur, eum ad hoc providimus deputandum, ut fungens plenæ legationis officio pro Christo evangelizet populis verbum crucis, et alias recta regere et indirecta dirigere satagens asperari convertat in plana, extirpando vitia et plantando virtutes; firmam spem fiduciamque tenentes quod Dominus qui ei linguam contulit eruditam, dans voci ejus vocem virtutis suæ, in beneplacito suo diriget vias ejus, ipsius facundia mentes audientium fœcundando. Cæterum etsi, ejus exemplo cujus immeriti vicem gerimus, quod uni ex minimis nostris fit nobis fieri reputemus, quia tamen sicut stella differt a stella in claritate, ita inter eos est distinctio meritorum, nos cupientes prædictum episcopum eo propensius honorari, quo per eum Sedes Apostolica sublimius honoratur, universitatem vestram rogamus, monemus et hortamur attente et per Apostolica vobis scripta firmiter præcipiendo mandamus, quatenus eumdem legatum vel potius nos in ipso recipientes hilariter et devote, ac debita veneratione tractantes, eidem in omnibus et per omnia studeatis efficaciter obedire; ita quod eum propitium et nos vobis exinde reddatis favorabiles et benignos. Alioquin sententiam

quam idem tulerit in rebelles ratam et firmam habebimus et faciamus auctore Domino inviolabiliter observari.

CLXXIV

Ad Fridericum Romanorum imperatorem.

(Sine nota chronologica.)

[Huillard-Bréholles, Hist. diplom., II, 427.]

Honorius papa Frederico Romanorum imperatori gratias agit quod ad interventum suum (Rogerium) comitem Fundanum dimiserit, rogatque ut superaddita gratia filium ejusdem quoque dimittat, quum pro eodem comite se obligaverit quod nihil contra ipsum attentabit.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, Frederico Romanorum imperatori, salutem et Apostolicam benedictionem.

Imperiali mansuetudini gratiarum dignas referimus actiones quod dilectum filium nobilem virum... comitem Fundanum pro quo specialiter et præcipue magistrum Roffridum familiarem nostrum ad te cum multa fiducia destinavimus, ad nostram præsentiam remisisti. Verum si tua rememinisset serenitas cum quanto affectu quantaque instantia te quampluries non solum litteris sed viva voce pro ipso rogavimus, et quanta pollicitatione te nostris precibus annuisse spem dederis, nequaquam forsan contra ipsum in aliquo processisses, sed eum specialiter nostro honorasses obtentu; et sic falsa esset quorumdam opinio asserentium quod ad hoc ipsum feceris detineri ut nobis donares eumdem. Cæterum ne liberalitatem tuam quæstionibus impugnare, sed potius commendare precibus deberemus, vellemus ut prudenter, sicut decet, attendens quod Christus non dimidium, sed totum hominem salvum fecit, et advertens quod propriæ liberalitatis est proprium plura concedere quam rogetur, eo quod semiplena est gratia cui aliquid non adjicitur, ad nos dictum comitem totum liberum remisisses; quia cum fictione juris pater et filius intelligantur una persona, nequaquam totum ipsum retento filio suo nobis reddidisse videris, præsertim quum nonnunquam nobiscum affectu naturali fallente, pater non minus in filio quam in seipso soleat cruciari. Ut igitur tot inculcatio precum nostrarum apud te plenum sortiatur effectum, nec minus tua solvat liberalitas quam promisit, imperialem mansuetudinem rogamus, monemus et hortamur attente omni affectione qua possumus, quatenus recogitans magnanimiter quod in donando et in parcendo immensitas tanto principi optima est mensura, dictum comitis filium liberaliter nobis donans, eum ad nos absolute remittas, quia pro dicto comite nos fidejussiorie obligamus quod contra te nihil penitus attentabit, sed pro posse tuis beneplacitis obsequetur, sperans apud te nostri maxime interventu propensiorem gratiam invenire. Preces autem nostras hac vice taliter adimpleas quod mendaces ostendas illos qui ex hoc contra te mendaciter murmurant, et nos sinceritatem tuam commendantes in Domino reddas merito lætiores.

CLXXV

Ad capitulum Bremense.

1 aprilis 1224.

[Lappenberg, Hamburg. Ub., I, 416, n. 478.]

Compromissum super jure eligendi pastorem in Bremensi ecclesia et aliis rebus confirmat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis, capitulo Bremensi, salutem et Apostolicam benedictionem.

Ea quæ pro ecclesiarum tranquillitate et pace provide statuuntur, Apostolico decet munimine roborari, ne processu temporis in oblivionis interitum vel dubitationis scrupulum dilabantur. Sane petitio vestra nobis exhibita continebat, quod quum causam quæ, inter vos ex parte una et capitulum ecclesiæ Hamburgensis ex altera, super jure eligendi pastorem in Bremensi ecclesia et aliis rebus vertebatur, ab audientia scolastici Ildesemensis et conjudicum ejus, qui ex delegatione nostra cognoscebant de ipsa, ad nos per appellationem devolutam, commisissemus præposito Sancti Pauli et suis conjudicibus terminandam, tandem mediantibus ipsis in venerabilem fratrem nostrum, Bremensem archiepiscopum, et collegas ejus fuit a partibus compromissum, quorum arbitrium partes ipsæ concorditer receperunt. Nos igitur vestris precibus inclinati, arbitrium ipsum, sicut est æquum, et sponte ab utraque parte receptum, et in ipsorum arbitrorum litteris ple-

nius continetur, auctoritate Apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus. Ad rei autem evidentiam pleniorem, tenorem litterarum ipsarum præsentibus de verbo ad verbum fecimus annotari, qui talis est :

« G., Dei gratia Bremensis archiepiscopus, Jo. præpositus Sancti Willehadis, et Jo. de Beverseten, canonici Bremenses, L. de Barmstede et A. canonici Hamburgenses arbitri constituti inter Bremensem et Hamburgensem ecclesias, omnibus hoc scriptum visuris, salutem in vero salutari. Noverint singuli et universi has litteras inspecturi, quod, quum Bremenses et Hamburgenses canonici causas ecclesiarum suarum, quas hinc inde habebant super jure eligendi pontificem, aliisque multis articulis, nostro arbitrio commisissent et arbitrium ipsum juramento vallassent, omnes lites et discordiæ nobis taliter arbitrantibus sunt sopitæ, quod videlicet ecclesia Hamburgensis recognovit titulum et archiepiscopalem dignitatem apud Bremensem ecclesiam remanere. Bremensis et Hamburgensis ecclesiæ renuntiaverunt actionibus in judiciis hinc inde propositis : servat cum Ildesemensibus. Acta sunt in Verda et publicata in ecclesia Bremensi hæc anno gratiæ MCCXXIII, nono kalendas januarii, præsentibus et consentientibus Bremensibus et Hamburgensibus canonicis, quorum nomina sunt hæc : Burchardus major præpositus, magister Bernardus, quondam decanus ; Henricus scholasticus, magister Godescalcus, Theodericus de Walle, Albertus cellerarius, Ghernandus custos, Sipodo de Repesholte, Joannes Sancti Wilhedi et Hermannus, Sancti Anscharii præpositi, Joannes de Beverseten, magister Arnoldus, Hermannus Magnus, Hermannus de Longeford, Daniel, Henricus et Albertus, canonici Bremenses, Hermannus præpositus, Wlfardus decanus, Eilardus scolasticus, Lambertus de Barmenstede, Alardus, Maneghaldus et Helpradus et magister Prisbzszlawe, canonici Hamburgenses. Et ut hæc perpetuo rata et inconcussa permaneant, sigilla nostra cum sigillis utriusque ecclesiæ apposuimus ad cautelam. »

Nulli ergo ommino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani, kalendis aprilis, pontificatus nostri anno octavo.

CLXXVI

Ad abbatem conventumque Clingenses.

1 aprilis 1224.

[Wurdtwein, Nova subsidia, IV, 123.]

Eos cum omnibus bonis tuendos suscipit.

Quum a nobis petitur quod justum est et honestum, tam vigor æquitatis quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus inclinati, personas vestras et locum, in quo divino estis obsequio mancipati cum omnibus bonis, quæ in præsentiarum rationabiliter possidetis, aut in futurum justis modis præstante Domino poteritis adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus. Specialiter autem de Glizencellen, Bliswilre et de Licgelingen ecclesias cum pertinentiis earumdem vobis a bonæ memoriæ A. archiepiscopo Maguntino et C. Spirensi episcopo, capitulorum suorum accedente consensu, pia liberalitate collatas, sicut eas juste, canonice ac pacifice possidetis, vobis auctoritate Apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri ac Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani, kalendas aprilis, anno octavo.

CLXXVII

Ad Robertum Vesprimiensem episcopum.

2 aprilis 1224.

[Fejer, Cod. diplom., III, I, 450.]

Benedictinis in monasterio Telkyensi Cistercienses e cœnobio S. Crucis substitui præcipit.

Honorius episcopus, etc., venerabili fratri, Vesprimiensi episcopo, salutem, etc.

Dilectus filius nobilis vir Micha comes,

fundator et patronus monasterii Thaliki, ordinis S. Benedicti, nobis humiliter supplicavit, ut, quum idem monasterium, propter dissolutionem, et malitiam habitantium hactenus in eodem, sit adeo immutatum, quod vix unus ibi remanserit, qui valeat in ipso celebrare divina, illud, antequam omnino depereat, monasterio S. Crucis, Cisterciensis ordinis, subjici faceremus, parato ipso suum ad id præstare consensum. Quum igitur loci diœcesanus existas, fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus quatenus hujusmodi rei circumstantiis provide circumspectis, id, si expedire videbitur, studeas adimplere, proviso, ut, si qui sunt ibi, vel recipiant Cisterciensis ordinis instituta, vel in aliis monasteriis recipiantur. Datum Laterani, IV nonas aprilis, pontificatus nostri anno octavo.

CLXXVIII

Ad Andream regem Hungariæ.

2 aprilis 1224.

[Fejer, Cod. diplom., III, I, 251.]

Bona et immunitates abbatiæ de Egres contra impugnatores tuendas, Andreæ regi commendat.

Honorius, etc., illustri regi Hungariæ.

Impii, sicut mare, ferventes adversus ecclesias et viros ecclesiasticos, intumescere non desistunt, persecutionis diabolicæ continuis flatibus agitati, et illuc turbulentius proruunt, ubi suæ malitiæ non invenientes objectum, eam valeant amplius dilatare. Sed quum aliena sint compescendi virtute, qui suo sint vitio inquieti, expedit, ut contra superbiam iniquorum zelus potentum obicem se opponat, qui correctis perversis, pusillanimes consoletur. Quum itaque, sicut dilecti filii abbas et conventus monasterii de Egres, Cisterciensis ordinis, nobis graviter sunt conquesti, multi de partibus illis, inter sanctum et profanum minime discernentes, nec contenti, quod in bonis eorum prodigaliter debacchantur, nisi ea diripiant, ut prædones, aliasque ipsorum libertates et immunitates tam a Sede Apostolica, quam a principibus sibi concessas, frequenter impugnent; serenitatem vestram rogando monemus, et hortamur attente, quatenus abbatem et conventum prædictos habens propensius commendatos, ipsos a perversorum molestiis, potentiæ tuæ dextera tenearis, ita quod propitiationem divinam inde merearis uberius, et nos mansuetudinem tuam debeamus merito commendare. Datum Laterani, IV non. aprilis, anno octavo.

CLXXIX

Ab abbatem et conventum de Egres.

2 aprilis 1224.

[Fejer, Cod. diplom., III, I, 252.]

Commutationem bonorum inter regem Andream et conventum de Egres ratam habet.

Honorius, abbati et conventui de Egres, Cisterciensis ordinis, etc.

Quum a nobis petitur, etc., *usque* assensu. Commutationem inter vos, ex parte una, et carissimum in Christo filium nostrum A. illustrem regem Hungariæ ex altera, super quibusdam possessionibus et rebus aliis ab eodem rege in eleemosynam vobis datis, prout in eisdem litteris dicitur plenius contineri, mediantibus nobilibus viris Kenag et Clemente contractam, sicut rite et provide facta est, auctoritate Apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare, etc. Datum Laterani, IV nonas aprilis, anno octavo.

CLXXX

Ad archipresbyterum terræ Bozæ.

2 aprilis 1224.

[Fejer, Cod. diplom., III, I, 453.]

Archipresbytero terræ Bozæ auctoritatem suam in clericos colonosque de Bozza defert.

Honorius, etc., archipresbytero terræ Bozæ, et ultra montes nivium, etc.

Gerentes de clero et populo terræ Bozæ, et ultra montes nivium, tanquam de spiritualibus Sedis Apostolicæ filiis, curam et sollicitudinem specialem, te ipsis præfici fecimus in archipresbyterum et rectorem, ut quum præter Romanum Pontificem alium prælatum non habeant, ad te possint habere recursum, pro quæstionibus emergentibus inter eos, aliisque articulis, qui

auctoritatem seu jurisdictionem ecclesiasticam exigere videbuntur, et tuo poterunt ministerio expediri. Ut autem commissam tibi sollicitudinem liberius et utilius valeas exercere, corrigendi eorum excessus, et maxime clericorum, ac rebelles districtione canonica compescendi, tibi auctoritate prædicta concedimus potestatem. Tu ergo ea modeste ac prudenter utaris, referendo ad nos, si quæ forsan emerserint, quæ majorem indaginem requirere videantur. Nulli ergo nostræ concessionis, etc. Si quis autem, etc. Datum Laterani, IV nonas aprilis, anno octavo.

CLXXXI

Ad Ludovicum, regem Francorum.

4 aprilis 1224.

[Huillard-Bréholles, II, 429.]

Ei transmittit litteras imperiales de succursu Terræ Sanctæ procurando et de treugis cum rege Angliæ innovandis.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, Ludovico regi Francorum, salutem et Apostolicam benedictionem.

« Petitionibus quas per venerabiles fratres nostros archiepiscopum Bituricensem et Lingonensem et Carnotensem episcopos tuæ serenitatis devotio destinavit, a nobis et fratribus nostris multa diligentia, sicut exposcebat negotii magnitudo, discussis, ita quod finali tractatu habito super illis, præfati episcopi jam iter arripuerant ad te cum litteris nostris revertendi, ipso archiepiscopo, qui pro quibusdam negotiis suis apud Apostolicam Sedem remanserat adhuc in nostra præsentia constituto, supervenerunt solemnes nuncii carissimi in Christo filii nostri F. illustris Romanorum imperatoris, semper augusti et regis Siciliæ, nobis per ipsos nuncios et imperiales litteras exponentis fervens desiderium, quod ei de Terræ Sanctæ succursu Dominus inspiravit, ac postulantis instanter ut, cum ipse reges et principes christianos ad id animare studeat imperialibus legationibus et promissis, sicut colligere poteris ex tenore litterarum ipsarum quem tibi per venerabilem fratrem nostrum C. Portuensem episcopum, Apostolicæ Sedis legatum, curavimus destinare, nos quoque universos Christi fideles exhortationibus et indulgentiis Apostolicis ad idem excitare negotium studeremus. » Unde hortatur ut pacem si fieri possit cum R., filio quondam R. comitis Tolosani, faciat et de treugis cum rege Angliæ innovandis legato suo plenam fidem adhibeat. « Datum Laterani, II nonas aprilis, pontificatus nostri anno octavo. »

CLXXXII

Ad Arnaldum, Narbonensem archiepisc.

4 aprilis 1224.

[Bouquet, Rec. des Hist., XIX, 748; Regest., lib. VIII, epist. 382.]

Cum infelici rerum successu perturbatus animum desponderet Amalricus de Monteforti, mandat Honorius, ut pactio fiat cum Raimundo Tolosano, dummodo Romanæ Ecclesiæ dignitas illæsa servetur.

Honorius episcopus..., venerabili fratri archiepiscopo Narbonæ, etc.

Etsi negotium pacis et fidei in Provinciæ partibus videatur graviter corruisse, nos tamen, de illius potentia confidentes, qui suos in tribulatione dilatat, et facit ut, cum videntur consumpti, velut Lucifer oriantur, nequaquam in hujusmodi tribulatione deficimus, sed sperantes quod divina miseratio faciat in ipsa tentatione proventum, venerabilem fratrem nostrum Conradum, Portuensem episcopum, A. S. legatum, ad carissimum in Christo filium nostrum Ludovicum, regem Francorum illustrem, qui claræ memoriæ progenitorum suorum vestigia imitando non deserens, sed sicut regni, sic et virtutis ac devotionis eorum se comprobans successorem, in hoc se totum beneplacito Apostolicæ Sedis exponit pro ipso negotio relevando, duximus destinandum. Cæterum, quia nobilis vir Raimundus quondam filius R. comitis Tolosani mandatis Apostolicis, et utinam vera devotione! se offert litteris super hoc nobis et nuncio destinatis, ipsi legato dedimus in mandatis, et scripsimus etiam dicto regi, ut si præfatus nobilis voluerit veraciter Apostolicis obedire mandatis, ita quod terra purgetur hæreticis, et satisfaciat ecclesiis et viris ecclesiasticis de damnis et injuriis hactenus irrogatis, et provideatur libertati ecclesiæ in futurum, ac honori dilecti filii Amalrici, comitis Tolosani, cui, cum pro divino et nostro servi-

tio exposuerit semetipsum, nec debemus deesse, nec volumus, congrue deferatur, id nobis non differas intimare, ut si cum Dei et Ecclesiæ honore id fieri posse viderimus, parcamus dispendiis rerum et personarum periculis quæ, nisi aliter fuerit a divina benignitate provisum, videmus ex hoc negotio imminere, ac ad Terræ Sanctæ subsidium liberius intendere valeamus.

Ideoque per Apostolica tibi scripta mandamus quatenus, cum prudentia tua excellenter in hujusmodi principio enituerit, experiens si forte divina providentia, quæ in sacrificiis præcipit caput et caudam offerri, in hujusmodi negotii fine velit ministerio tuæ sollicitudinis uti, super præmissis studiose tractes cum nobili memorato, adjunctis tibi aliquibus ex episcopis Provinciæ, si videris expedire; et si eum veraciter offerre conspexeris quæ ab Apostolica Sede sint merito acceptanda, ad ipsum legatum festinanter accedas, et quæ inveneris sibi ac præfato regi fideliter ac diligenter exponas, ac nobis etiam non differas intimare (1),

(1) Quæ ad conciliandam Amalrici de Monteforti pacem cum Raimundo Tolosano egerit, mandato summi Pontificis Narbonensis archiepiscopus luculentam et amplam ad regem Ludovicum misit narrationem, quam vulgavit D. Vaissetius, t. III, pag. 286 et seq. :

Serenissimo atque piissimo Lud., Dei gratia illustri Francorum regi, Arnaldus permissione divina Narbonensis archiepiscopus, et Nemausensis, Uticensis, Biterrensis et Agathensis episcopi, salutem et sponsam Christi in suo regno mœrentem suis auxiliis velociter consolari.

Cum nobilis vir comes Montisfortis ad succursum Carcassonæ obsessæ cum multis militibus ultra numerum quem adducere proposuerat, quoniam campale bellum invenire credebat, venisset hoc anno (1224), neque bellum, sicut sperabat, invenerit, ipse obsidionem posuerit viriliter et potenter in quadam villa forti, ubi multi convenerant pacis et fidei inimici, confidens de illius misericordia qui per suam potentiam humilium actus prosperat, et superborum colla propria virtute conculcat, et credens facere per quod Christi negotium convalesceret et susciperet incrementum; sed, invalescente aeris intemperie et pluviarum inundantia, et præcipue victualium inopia, immo fame validissima increscente, contra ipsum et suos nihil omnino facere potuit, quia omnia castra et villas contra ipsum munitas invenit, pro eo quod eisdem inimicis mandatum fuerat de Francia, ut fama erat, quod milites diu non poterat retinere; et cum de obsidione oporteret recedere, vellet nollet, Carcassonam intravit. Et cum nec ipse, nec milites qui cum eo venerant, propter expensarum defectum et nimiam victualium inopiam possent ipsam civitatem custodire ulterius contra hostes, vel remanere in terra, ad preces ipsius comitis ad treugam aliquam vel pacem, quia aliud facere non poterat, inter ipsum et comites R. juvenem et Fuxensem ego archiepiscopus et abbas Fontisfrigidi interposuimus partes nostras : propter quod supradicti episcopi a me archiepiscopo festinanter vocati fuerunt, ut cum ipsorum consilio de treuga, ut dictum est, tractaretur, vel pace.

Interim vero prædicti comites juvenis et Fuxensis cum nobili viro A[imerico] vicecomite Narbonensi, nobis nescientibus, in fraudem et dolum locuti fuerunt, in tantum quod comiti juveni fidelitatem juravit et hominium pro ducatu, promittens firmiter quod redderet ei Narbonam. Quod cum ad notitiam mei archiepiscopi pervenisset, civitatem ipsam sine mora intravi, factumque est per gratiam Jesu Christi, ministerio meo et diligentia proborum hominum de villa, quibus quod juraverat et promiserat A. vicecomes plurimum displicebat, quod sæpedicti comites et alii faiditi prædictam civitatem minime habebunt. Et cum memoratus comes Montisfortis, qui tunc erat [apud] Carcassonam cum suis, ad multos nuncios mei archiepiscopi, et litteras quas ei devote frequenter direxi, cum militibus suis eamdem Narbonam venisset, prohibente sæpedicto vicecomite, per biduum non fuit intra Narbonam receptus. Postmodum tamen ad instantiam mei archiepiscopi et dictorum episcoporum et proborum hominum, Narbonam cum suis hominibus introivit. Ex tunc cum ego et memorati episcopi et clerus ipsius villæ cœpimus inquirere diligenter utrum pecuniam aliquam invenire possemus, per quam civitas Carcassonensis custodiri valeret, et comes usque ad Pascha vel per aliquod tempus eum militibus remaneret. Licet igitur personas nostras vellemus in hostagio et possessiones pignori obligare, præstando etiam alias cautiones et securitates pro pecunia ipsa creditoribus quascumque posssemus, sic quærentes mutuum non potuimus reperire. Similiter et dictus comes Montisfortis exposuit terram suam de Francia, et personam pignori obligandam, ut ad retinendos milites quos jam per aliquot septimanas super impignoratione terræ suæ pro tribus millibus librarum retinuerat, ut dicebat, posset aliquod consilium adhibere; et insuper offerebat quod solus remaneret Narbonæ, quamvis alii recederent, dum tamen ipsum cives in sua fide reciperent, et dictus A. vicecomes, qui est capitalis inimicus ejus, civitatem non intraret cum ipso.

Et quia nimia ruina nimis paucis reliquiis ecclesiæ quæ in nostris partibus remanserant, imminebat, et sæpedictus comes Montisfortis sine magno discrimine exire non poterat de terra propter multitudinem mulierum et parvulorum qui comitabantur cum eo, et quia tunc temporis flumina non poterant transvadari, nec posset idem comes cum suis, prohibentibus hostibus qui totam fere terram occupaverant, victualia invenire, de consilio prædictorum episcoporum et capituli ecclesiæ Narbonensis, ego A. archiepiscopus unam de melioribus possessionibus meis, quam tempore administrationis meæ acquisieram pro viginti millibus solidorum, obligavi, et ex alia parte mutuo ducentas libras accepi, molendina mea et quasdam alias possessiones pro centum libris nihilominus aliis creditoribus obligando : quam pecuniam totam ipsi comiti et stipendiariis suis dedi, ut exinde, saltem per aliquot dies, possent in terra morari, et interim ad aliquam relevationem negotii posset aliquod remedium inveniri.

Præterea cum memorato A. comite Montisfortis et stipendiariis militibus ego archiepiscopus et memorati episcopi Carcassonam perreximus, daturi operam, si possemus aliqua ratione, ut posset usque ad Pascha saltem eadem civitas custodiri, ubi iterum dictus comes Montisfortis, de exterminatione negotii tristis et dolens, exposuit

circa hoc omnem curam, omnem sollicitudinem, omnem diligentiam impensurus: sciens quod caritatis affectus, quem prædicto A. comiti Tolosano in ègressu suo de terra illa exhibere curasti, sicut ipse nobis, non sine gratiarum actionibus, insinuare curavit, nobis et fratribus nostris gratus fuit non modicum et acceptus. Datum Laterani, pridie nonas aprilis, anno octavo.

Item ejusdem tenoris archiepiscopis et episcopis per Provinciam constitutis, ut diligenter et sollicite prædicto archiepiscopo Narbonensi assistant in prædicto negotio, illis præsertim qui ab eo fuerint requisiti. Datum ut supra.

CLXXXIII

Ad Ludovicum, Francorum regem.

4 aprilis 1224.

[Bouquet, Recueil des Hist., XIX, 750. Regest., lib. VIII, epist. 380.]

Cum Fredericus imperator et Honorius crucesignatorum profectionem in Terram Sanctam intenderent maturare, rogat Ludovicum Pontifex ut Raimundum Tolosanum, qui pacem quam ipse petierat, facere ratam cunctabatur, rex terrore comminationum, quo solo opus sit, ad promptius obsequendum adigat.

Honorius episcopus..., carissimo in Christo filio Ludovico, regi Francorum illustri, salutem, etc.

Petitionibus quas per venerabiles fratres nostros archiepiscopum Bituricensem et Lingonensem ac Carnotensem episcopos nobis tuæ serenitatis devotio destinavit, a nobis et fratribus nostris multa diligentia, sicut exposcebat negotii magnitudo, discussis, ita quod, finali tractatu habito super illis, præfati episcopi jam iter arripuerant ad te cum nostris litteris revertendi, ipso archiepiscopo, qui pro quibusdam negotiis suis apud Apostolicam Sedem remanserat, adhuc in nostra præsentia constituto, supervenerunt solemnes nuncii carissimi in Christo filii Frederici, illustris Romanorum imperatoris semper augusti et regis Siciliæ, nobis per ipsos nuncios et imperiales litteras exponentis fervens desiderium quod ei de Terræ Sanctæ succursu Dominus inspiravit, ac postulantis instanter ut, cum ipse reges et principes christianos ad id animare studeat imperialibus largitionibus et promissis, sicut plenius colligere poteris ex tenore litterarum ipsarum, quem tibi per venerabilem fratrem nostrum Conradum, Portuensem episcopum, Apostolicæ Sedis legatum, curavimus destinare, nos quoque universos Christi fideles exhortationibus et indulgentiis Apostolicis ad idem excitare negotium studeremus.

militibus suis personam suam, et terram de Francia pignori obligandam; et ego archiepiscopus in propria persona remanere volebam cum ipso, et interim possessiones meas pro mille libris persolvendis centum militibus, qui remanerent in custodia Carcassonæ, pignori obligare; ut saltem usque ad Pascha Dei et vestrum consilium exspectare possemus. Sed audivimus [quod] nullum militem privatum vel extraneum, excepto avunculo suo marescallo, Lamberto de Turrego, et quibusdam aliis usque ad viginti milites, invenire potuit dictus comes, qui in tanto discrimine vellet remanere cum ipso.

Cum igitur comes neque victualia neque pecuniam aliquam posset habere, nec nos similiter possemus aliquod subsidium vel remedium invenire ad custodiendam vel tenendam ulterius civitatem, cum prædictis inimicis pacis et fidei treugam fecit ipse comes, videlicet ut Narbonensis civitas et Agathensis usque ad duos menses, et paucæ reliquiæ ecclesiæ, ut dictum est, quæ usque huc remanserunt in terra, usque ad festum Pentecostes treugam et pacem generalem talem qualem haberent; adhibitis cura et diligentia et sollicitudine, tam a comite quam a nobis, quæcumque debebat adhiberi et poterat, ut servaretur et teneretur dicta civitas Carcassonensis, cum non posset ad hoc consilium aliquod inveniri, quamvis ego archiepiscopus et memorati episcopi et ipse comes personas nostras et possessiones vellemus militibus, ut dictum est, pro magna pecunia obligare, qui saltem usque ad Pascha Carcassonam servarent. Tandem civitatem ipse comes, valde invitus et violenter compulsus, tristis reliquit et dolens, et cum suis de terra exivit in Franciam remeando. Et sicut ex præmissis vestra serenitas potest intelligere evidenter, et nos secundum testimonium conscientiæ nostræ constanter dicimus, quod dictus comes, qui bella Jesu Christi pro juribus suis gessit, hucusque omnem diligentiam, omnem cautelam et omne posse suum adhibuit, ut non amitteretur Carcassona civitas vel alia terra, et Jesu Christi negotium non periret, et in tantum, sicut nobis videtur et credimus, ad promovendum negotium et regendum se habuerit prudenter et caute ac viriliter, quod, secundum opinionem hominum, amissio terræ sibi aliquatenus imputari non debet nec potest.

Quid plura? recedentibus catholicis et fugatis, in locum ipsorum hæretici successerunt, credentes, fautores, defensores et receptatores eorumdem; et, quod nimis tristes et dolentes dicimus, Pharaonis dracones draconem Moysi devorasse videntur, quia spiritus immundus qui de provincia Narbonensi et partibus adjacentibus, per Ecclesiæ Romanæ ministerium et vestrum et regni vestri potentiam quondam ejectus fuerat mirabiliter et potenter, nunc rediens cum aliis septem nequioribus domum olim scopis mundatam et ornatam ingressus inhabitat; et facta sunt novissima nostra

Prædictum ergo legatum ad te cum festinantia dirigentes, tuæ Serenitatis devotionem et magnificentiam rogamus, monemus et obsecramus per aspersionem sanguinis Jesu Christi, qui pro te morti crucis tradidit semetipsum, quatenus, cum pro certo credatur quod nobilis vir R., filius quondam R. comitis Tolosani, magnitudinis tuæ potentiam adeo reformidat, quod, si cognoverit te contra eum ex animo velle totis viribus uti, eas exspectare aliquatenus non audebit, sed mandatis Ecclesiæ [quibus et utinam vera devotione se offert (1)!] parebit juxta tuæ beneplacitum voluntatis, ipsum regiis commonitionibus et comminationibus efficaciter inducere studeas ad pacem cum Deo et ejus Ecclesia veraciter faciendam : ita quod et terra purgetur hæreticis, et ecclesiis ac viris ecclesiasticis congrue satisfiat de damnis et injuriis hactenus irrogatis, et provideatur libertati ecclesiasticæ in futurum, et honori dilecti filii nobilis viri Amalrici comitis Tolosani, qui, sicut et claræ memoriæ Simon pater ejus pro servitio Dei et Apostolicæ Sedis exposuit semetipsum, propter quod sibi non possumus aliqua ratione deesse, in ipsa pace, quantum fieri poterit, deferatur : quod super hoc inveneris, nobis celeriter rescripturus (2). Si enim hoc feceris (ut de rerum dispendio tacea-

multum pejora prioribus, dum arca Domini capta sit ab Allophylis [Philistinis], et non solum juxta Seth, sed etiam sub pedibus Dagon nimis contumeliose teneatur captiva. Proinde magnificentiam vestram, serenissime princeps, adjuramus per Jesum Christum, quantum possumus, voce singultosa et lacrymabili supplicantes, quatenus, secundum potentiam a Deo vobis traditam, excitari dignemini cum auxilio illius qui imperat ventis et mari, et ostendere per effectum operis evidenter, quantus dolor sit in pectore vestro de tanta contumelia J. C. non desperantes quin terra possit acquiri per vestrum ministerium et aliorum fidelium, et reduci ad ecclesiasticam unitatem. Datum Montispessulani, X kal. februarii.

(1) *Legendum* offerat.

(2) Regis rescriptum intelligimus ex litteris Honorio ex parte regis oblatis, quas vulgavit Vaissetius, t. III, probat., col. 292, cum hoc titulo :

Petitio ad Papam pro rege cum ibit in Albigesium contra hæreticos.

1. Petit dominus rex, quod ipse et omnes illi qui cum eo ibunt in Albigesium, habeant indulgentiam et remissionem peccatorum quam habent crucesignati de partibus transmarinis.

2. Item petit quod archiepiscopi Bituricensis, Remensis, Senonensis, et quilibet eorum, per se habeant potestatem excommunicandi personas et interdicendi terras omnium illorum qui res Franciæ inquietabunt vel turbabunt, seu personas vel terras eorum qui cum eo ibunt, sive sint de regno Franciæ, sive extra regnum, vel qui in regno Franciæ inter se moverint guerram, nisi ad mandatum domini regis pacem fecerint vel treugam.

3. Item petit dominus rex quod, si qui astrinxerint se ad eundum cum eo in terram Albigesii vel ad morandum ibidem, quod prædicti archiepiscopi habeant potestatem coercendi eos per excommunicationem et interdictum, ad solvendum id ad quod se astrinxerunt.

4. Item petit quod habeant potestatem excommunicandi personas et interdicendi terras baronum Franciæ, et aliorum hominum suorum qui in propriis personis cum ipso non perrexerint in Albigegium, vel, si ire non possint, qui competens subsidium non fecerint ad expurgandum hostes fidei et regni in Albigesium; maxime cum per homagium et juramentum teneantur domino regi ad expugnandum impugnatores regni, et nulla sit major impugnatio regni quam ista quæ est de hostibus fidei et in regno, et omnes supradictæ sententiæ relaxari non poterunt, donec prius satisfactum fuerit competenter.

5. Item de treuga quam dominus Papa et dominus rex Jerosolymitanus et rex Angliæ petunt prorogari, vult dominus rex et petit quod ab instanti in decem annos prorogetur inter se et hæredes suos ex una parte, et regem Angliæ ex altera, et firmetur utriusque juramento; ita quod dominus rex et hæredes sui, et imprisii remaneant in eadem teneura et saisina in qua sunt modo et fuerunt tempore alterius treugæ; et tantam vult habere prorogationem, pro eo quod nescit quantum durabit negotium, et in ipso negotio nudabit se et regnum suum pecunia et hominibus.

6. Item petit quod habeat litteras domini Papæ patentes de abjudicatione comitatus Tolosæ cum omnibus pertinentiis suis, ab utroque Raimundo, scilicet patre et filio, et eorum hæredibus in perpetuum, et totius terræ de qua dictus Raimundus pater et Raimundus filius fuerunt tenentes, quæ est in regno domini regis, et totius vicecomitatus Biterrensis et Carcassonensis cum omnibus pertinentiis in regno domini regis, et omnium terrarum in eodem regno existentium eorum qui guerraverunt aperte cum eis et pro eis; et similiter omnium eorum qui huic negotio se opponunt vel de cætero opponent, vel guerram faciunt seu de cætero facient, et per prædictos archiepiscopos fiat dictæ abjudicationis denunciatio. Et petit dominus rex quod omnes terræ prædictæ sibi et hæredibus suis in perpetuum confirmentur, et illis quibus eas dabit, si eas dare voluerit, retento sibi et hæredibus suis hominio, tamquam domino principali.

7. Item petit sibi dari archiepiscopum Bituricensem legatum, qui inter cætera habeat potestatem reconciliandi omnes illos qui ad debitam ecclesiæ satisfactionem venerint, et habeat legationem suam super omnes archiepiscopos et episcopos totius terræ quæ se opponit catholicæ fidei in partibus illis, et omnium terrarum adjacentium quæ possunt cedere in utilitatem istius negotii vel impedimentum; et habeat eamdem legationem quam habuit Conradus episcopus Portuensis legatus Albigesii, et fiat prædicatio per totum regnum Franciæ pro subsidio terræ Albigesii : omnia supradicta fiant, appellatione remota.

8. Item petit dominus rex quod, cum expensæ sint infinitæ et inæstimabiles, Ecclesia Romana provideat ei in sexaginta [LX] millibus librarum parisiensium singulis annis usque ad decem annos, quæ convertentur in usus illius terræ.

9. Item petit quod dominus Papa procuret erga

mus), multis eris causa salutis animarum et corporum, ac removendo impedimentum hujusmodi discordiæ, quod multum potest officere negotio Terræ Sanctæ, quasi inextimabiliter (1) ejusdem Terræ subsidio providebis; nec ex hoc majores potes assequi titulos laudis et gloriæ, quam si præfatum nobilem ad viam ab invio, et ad Apostolicæ Sedis mandatum solo potentiæ tuæ terrore, feceris sine bellico strepitu et sanguinis effusione redire. Deposcimus igitur serenitatem tuam precibus cumulatis, quatenus eumdem legatum tamquam personam nostram digna teipso devotione recipiens, sic eidem, immo verius nobis in ipso, super præmissis intendas, quod tibi proveniat ad incrementum gloriæ temporalis pariter et æternæ; iis autem quæ idem legatus ex parte nostra tibi dixerit super treugis inter te ac illustrem regem Angliæ innovandis, adhibeas plenam fidem. Datum Laterani, pridie nonas aprilis, pontificatus nostri anno octavo.

CLXXXIV

Ad archiepiscopos et episcopos in Francia constitutos.

4 aprilis 1223.

[Bouquet, Rec. des Hist., XIX, 751; Regest., lib. VIII, epist. 381.]

Regni Franciæ episcopos rogat et hortatur Honorius ut adjuvent Conradum A. S. legatum inducantque Ludovicum regem ad exsequenda A. S. præcepta.

Honorius episcopus..., venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis per regnum Franciæ constitutis, salutem, etc.

Etsi credamus firmiter, immo pro certo noverimus, quod venerabili fratri nostro Conrado, Portuensi episcopo, A. S. legato, in his quæ sibi agenda commisimus, fideliter assistetis etiam non rogati, ex abundantia tamen fraternitatem vestram rogamus attente et hortamur per Apostolica vobis scripta mandantes, quatenus, eidem legato diligenter et efficaciter assistentes, carissimum in Christo filium nostrum Ludovicum, regem Francorum illustrem, ad ea super quibus sibi scribimus, quæ tenor litterarum directarum ad ipsum vos plenius edocebit, studiose complenda cum ipso legato, secundum datam vobis a Deo prudentiam, diligenter et efficaciter inducere studeatis. Datum Laterani, secundo nonas aprilis, anno octavo.

CLXXXV

Ad decanum et capitulum S. Severini Burdegalensis.

4 aprilis 1224.

[Regest., lib. VIII, epist. 338. Mss. La Porte du Theil.]

Statum canonicorum sæcularium in ecclesia Sancti Severini Burdegalensis confirmat.

Honorius, etc., dilectis filiis... decano, et capitulo Sancti Severini Burdegalensis.

Speculatores super domum Israel disponente Domino constituti, ex officio instantiæ nostræ quotidianæ tenemur omnium et singularum ecclesiarum tranquillitatibus providere, et ne malignantium quatiantur calumniis, ipsis præsidium Apostolicum impertiri, malitiosis conatibus eorumdem circumspecta sollicitudine ac sollicita providentia obviando. Sane quum olim inter vestram et Sancti Andreæ Burdegalen. ecclesias, super institutione canonicorum regularium in vestra ecclesia facienda, coram bonæ memoriæ W. Burdegalen. archiepiscopo, et... Lemovicen. episcopo, auctoritate felicis recordationis Lucii papæ, prædecessoris nostri, causa fuisset diutius agitata, tandem fuit in arbitros compromissum, et ab eorum arbitrio ad Sedem Apostolicam appellatum. Et quum idem prædecessor noster, causa super ipso arbitrio coram eo

imperatorem quod terræ suæ vicinæ Albigesio non noceant regi in hoc negotio, nec aliquo modo negotium impediant, et si ei nocuerint, et negotium impedierint, quod de voluntate imperatoris possit dominus rex eos impugnare, sicut alias, salvo jure imperatoris.

10. Si hæc omnia supradicta facta fuerint domino regi assecurata et confirmata, dominus rex ibit in propria persona in Albigesio, et in prædicto negotio bona fide laborabit; et cum ipse in propria persona fuerit in terra Albigesii, et in negotio illo laboraverit bona fide, ipse vel hæredes sui a Romana curia non capientur ad occasionem ex tunc in antea moram faciendi vel remorandi in terra illa, vel denuo revertendi, nisi ad voluntatem suam. Ad dictas siquidem petitiones faciendas et impetrandas in curia Romana, mittit dominus rex dilectos et fideles suos archiepiscopum Bituricensem, Lingonensem et Carnotensem episcopos, ita quod, si petitiones istæ non fiant hac vice qua modo mittuntur, ex tunc in antea non tenebitur rex ire in Albigesium, nisi voluerit.

(1) *Legendum* inæstimabiliter.

ventilata diutius, et tandem per diffinitivam sententiam terminata, mandasset prædicta observari, sicut in ejus regesto plenius continetur, bonæ memoriæ Clemens papa, successor ipsius, intellecto quod plures de capitulo vestro, absentes, ex honesta causa, tempore compromissi, ne compromitteretur inhibuerant appellando, statuit irritandum quicquid factum fuerat in absentia eorumdem, mandavit bonæ memoriæ Heliæ Burdegalen. archiepiscopo, ut prædictam S. Severini ecclesiam ordinaret, secundum statum ibidem observatum; qui de personis idoneis ipsam ordinavit ecclesiam in statu canonicorum sæcularium, quem invenit a quadraginta annis retro observatum continue in eadem. Postmodum vero, quum procurator ecclesiæ Sancti Andreæ volens suscitare hujusmodi quæstionem, ad... abbatem Sancti Johannis Angeliacen. et suos collegas nostras super hoc litteras impetrasset, de litteris prædicti Clementis prædecessoris nostri, et processu præfati archiepiscopi illarum auctoritate habito, nulla facta penitus mentione, nos, ex litteris episcoporum, abbatum et aliorum quam plurium intellecto, quod a tempore, cujus non extat memoria in eadem ecclesia vestra, fuerant canonici sæculares..., cantori Petrogoricensi et collegis ejus dedimus in mandatis, ut si constaret eis rem taliter se habere, revocato in irritum, si quid ipsarum litterarum obtentu in præjudicium ecclesiæ vestræ fuerat attentatum, inhiberent ipsis judicibus, ne ulterius in negotio procederent memorato, et ab impetitione capituli Sancti Andreæ super hoc dictam ecclesiam absolventes, eamdem in eo statu servarent, in quo a sexaginta annis retro noscitur extitisse. Duo quorum, tertio excusato legitime, quum eis constitisset plenarie de prædictis, sæpedictam ecclesiam vestram super hoc ab impetitione præfati capituli sententialiter absolventes, statutum sæcularium canonicorum observandum in ea de cætero decreverunt, contradictores juxta tenorem mandati Apostolici excommunicationis sententiæ supponentes. Quumque fuisset ab eadem sententia provocatum, ac super hoc ad... abbatem Planæ Sylvæ suosque collegas litteræ a Sede Apostolica impetratæ, tandem de consensu utriusque partis et judicum prædictorum in venerabiles fratres nostros... Bigorriten., et... Convenarum episcopos sub certa pœna et juramenti religione fuit super hoc et quibusdam aliis articulis a partibus compromissum, qui ad arbitrium procedentes, inter cætera, quæ in ipso continentur arbitrio, capitulo Sancti Andreæ in virtute juramenti in compromisso exhibiti, et pœna quingentarum marcarum in eodem expresso arbitrando dixerunt, quod super statu canonicorum regularium in vestra reformando ecclesia, vel etiam faciendo, nullam vobis de cætero moveant vel moveri faciant dicto vel facto, consensu vel consilio, quæstionem. Quorum arbitrium fuit a partibus acceptatum, sicut apparet per exhibitas nobis litteras tam arbitrorum sigillis quam partium communitas, quod et nos postmodum, ad petitionem vestram, auctoritate Apostolica duximus confirmandum, prout in eisdem litteris arbitrorum ipsorum, et partium perspeximus plenius contineri. Verum quia super statu canonicorum regularium in prædicta vestra ecclesia statuendo diversæ commissiones, sententiæ ac confirmationes, sicut prædictum est, contra eamdem ecclesiam a Sede Apostolica emanarunt, a præfatis arbitris fuit vobis injunctum, ut infra biennium a tempore talis arbitrii super his Sedem Apostolicam consuleritis, et susciperetis humiliter quod ipsa circa hoc duxerit ordinandum; quod vos per dilectum filium G. de Burgo, nepotem venerabilis fratris nostri... Burdegalen. archiepiscopi, concanonicum et procuratorem vestrum, propter hoc ad nostram præsentiam destinatum, devote ac reverenter implentes, nobis humiliter supplicastis, ut vobis et ecclesiæ vestræ tranquillitati paterna sollicitudine in posterum providentes, statum canonicorum sæcularium decerneremus inibi de cætero observandum. Nolentes igitur eamdem ecclesiam vestram occasione hujusmodi de cætero fatigare laboribus, et expensis, vestris precibus inclinati, statum canonicorum sæcularium, quem a sexaginta retro annis ex litteris prædictorum cantoris Petrogoricensis, et collegæ ipsius super hoc delegatorum a nobis in ea intelleximus observatum, auctoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus, districtius inhibentes, ne quis sæpedictam ecclesiam vestram super hoc præsumat ulterius molestare. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirma-

tionis et inhibitionis, etc. Si quis autem, etc. Datum Laterani, II nonas aprilis, anno octavo.

CLXXXVI

Ad rectorem et fratres domus hospitalis in Vriberch.

5 aprilis 1224.

[Chronic. G. Wilisch. Kirchen., 1.]

Rectorem et fratres domus hospitalis in Vriberch cum omnibus bonis patrocinandos suscipit.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis rectori et fratribus domus hospitalis in Vriberch, salutem, etc.

Solet annuere Sedes Apostolica piis votis et honestis petentium precibus favorem benevolum impertiri. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis precibus inclinati, personas vestras et locum, in quo divino estis obsequio mancipati, cum omnibus bonis quæ in præsentiarum rationabiliter possidentur, aut in futurum justis modis, præstante Domino, poterunt adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus. Specialiter autem vestras possessiones et alia bona vestra, sicut ea omnia juste, canonice ac pacifice possidetis vobis et per vos eidem hospitali vestro auctoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti privilegio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ protectionis et confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani, nonis aprilis, pontificatus nostri anno octavo.

CLXXXVII

Ad abbatem et conventum de Camberon.

5 aprilis 1224.

[Monum. pour servir à l'hist. des provinces de Namur, tom. II, I, 25, n. 17.]

Eos cum omnibus bonis protegendos suscipit.

Quum a nobis petitur quod justum est et honestum, tam vigor æquitatis quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, personas vestras et locum in quo divino estis obsequio mancipati, cum omnibus bonis quæ in præsentiarum rationabiliter possidet, aut in futurum justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus. Specialiter autem terras de Hulste, possessiones et nemora, a claræ memoriæ Eustatio, domino de Rodio, monasterio vestro pia liberalitate collata, necnon alia bona vestra, sicut ea omnia juste, canonice ac pacifice possidetis, vobis et per vos monasterio vestro auctoritate Apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani, nonis aprilis, anno octavo.

CLXXXVIII

Ad personas et villam Montispessulani.

8 aprilis 1224.

[Teulet, Layettes du Trésor des Chartes, II, p. 647, n. 1643.]

Litteræ Honorii papæ III quibus, ad exemplar felicis memoriæ Innocentii prædecessoris sui, personas et villam Montispessulani, cum omnibus quæ inpræsentiarum juste possident aut in futurum sunt acquisituri, sub beati Petri et sua protectione suscipit, mediantibus duabus marchis auri (centum massamutinis pro marca computandis), ad perpetuum devotionis indicium, Sedi Apostolicæ, quolibet anno, in festo Resurrectionis Dominicæ persolvendis.

Datum Laterani, VI idus aprilis, pontificatus nostri anno octavo.

CLXXXIX

Ad universos Christi fideles per Magalonensem diœcesim constitutos.

9 aprilis 1224.

[Regest., lib. VIII, epist. 428. Mss. La Porte du Theil.]

Indulgentias his, qui ad ecclesiam beatæ Mariæ de Salutis accedent, concedit.

Honorius, etc., dilectis filiis universis Christifidelibus per Magalonensem diœcesim constitutis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Quoniam, ut ait Apostolus, etc., *usque* vitam æternam. Quum igitur, sicut ex relatione dilectorum filiorum consulum et populi Montispessulani nobis innotuit, ecclesia Beatæ Mariæ de Salutis, quæ in eorum villa consistit, in magna devotione ab omnibus habeatur, nos volentes ut erga eamdem ecclesiam Christifidelium crescat devotio, et per hoc etiam meritum augeatur, universitatem vestram monemus et hortamur in Domino, quatenus, ut interveniente beata Virgine, in cujus honore ipsa ecclesia est constructa, Deum propitium habere possitis, Virginis ipsius implorantes subsidium devote ad prædictam ecclesiam accedatis. Nos enim de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus devote pro ipsius reverentia Virginis annis singulis a die, qua eadem ecclesia consecrabitur usque ad octavam ipsius, ad dictam ecclesiam accedentibus viginti dies de injuncta sibi pœnitentia misericorditer relaxamus. Datum Laterani, V idus aprilis, anno octavo.

CXC

Ad episcopum Portuensem, A. S. legatum.

9 aprilis 1224.

[Regest., lib. VIII, epist. 427. Mss. La Porte du Theil.]

Ei consules et populum Montispessulani commendat.

Honorius, etc., venerabili fratri... episcopo Portuensi, Apostolicæ Sedis legato, salutem, etc.

Quum dilecti filii consules et populus Montispessulani sub nostra et Apostolicæ Sedis protectione consistant, ex quo ipsorum tenemur indemnitatibus salubriter providere, ac eo magis ad illos nostræ dilectionis affectus exuberat, quo specialius inter alios regionis illius esse noscuntur supra firmam petram catholicæ fidei stabiliti, fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus eos cum terra, et aliis bonis eorum, habeas propensius commendatos, quos tamen ipsorum fidelitas, et devotio satis tibi et aliis recommendant : ita vero recommendati sint tibi consules, et populus supradictus, quod iidem speratum sentiant de hujusmodi commendatione suffragium, et tu inde possis a nobis in Domino commendare. Datum Laterani, V idus aprilis, anno octavo.

CXCI

Ad Cathanensem episcopum et abbatem de Kinlos, Moraviensis diœcesis, et decanum Rosmarchinensem.

11 aprilis 1223.

[Theiner, Vetera Monum. Hibernorum et Scotor., p. 22.]

Mandat ut sedem Moraviensis episcopi ad locum habiliorem transferant.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri episcopo Cathanensi, et dilectis filiis... abbati de Kinlos, Moraviensis diœcesis, et... decano Rosmarchinensi, salutem et Apostolicam benedictionem.

Veniens ad præsentiam nostram venerabilis frater noster... Moraviensis episcopus sæpe nobis exposuit, et nostris frequenter auribus inculcavit, quod ipsius sedes præter id, quod est in loco guerris imminentibus minus tuto, in tam solitario loco consistit, ut nulla ibi contingant venalia reperiri, unde plerumque fit, ut clericis pro emendis sibi necessariis longius accedentibus, divinorum cultus officiorum non modicum impeditur : quare idem episcopus cum culta precum instantia postulavit a nobis, ut sedem eamdem ad locum transferri habiliorem, scilicet ecclesiam Sanctæ Trinitatis juxta Elgin, carissimo in Christo filio nostro... illustri rege Scotiæ, ac Moraviensi capitulo hoc ipsum, ut dictus episcopus asserit, affectantibus, mandaremus. Nos itaque de discretionis vestræ prudentia in Domino confidentes, per Apostolica vo-

bis scripta mandamus, quatenus vocatis, quos videritis evocandos, proviso etiam, quæ necessitas vel utilitas fieri hoc exposcat, pensatis insuper circumstantiis universis super translatione hujusmodi, auctoritate Apostolica faciatis, quod, secundum Deum et utilitatem et honestatem, Moraviensi ecclesiæ cognoveritis expedire. Quod si non omnes his exsequendis potueritis interesse, tu, frater episcope, cum eorum altero ea nihilominus exsequaris. Datum Laterani, III idus aprilis, pontificatus nostri anno octavo.

CXCII

Ad Johannem episcopum Eliensem, de Fontibus et de Rievalle abbates, Eboracensis diœcesis.

11 martii 1224.

[Raynald, Annal. ad ann. 1224, § 47.]

Mandat ut solemnem inquisitionem super miraculis B. Guillelmi faciant, atque Sedi Apostolicæ plane ac plenarie, quæ singuli testium deposuerint, rescribant.

Præsentatam nobis per dilectos filios S. archidiaconum et E. Bernardi canonicum Eboracensem, et L. et I. procuratores venerabilis fratris nostri archiepiscopi, et capituli Eboracen. relationem inquisitionis factæ a vobis de mandato nostro super miraculis B. Guillelmi, perspeximus diligenter. Sed licet apud vos multa et magna miracula sint forte probata, nequaquam tamen apud nos super iis plene potuit ex vestra relatione constare, quum in ea nequaquam dicta testium sint expressa, per quæ nobis veritatis posset fieri certitudo, quamvis in relatione contineatur eadem, quod per tales et tales, talia et talia miracula sint probata. Ut igitur, quod in hoc negligenter omissum est, per subsequentem diligentiam emendetur, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus vel dicta testium receptorum sub vestris sigillis per fideles nuntios ad nostram præsentiam destinetis, vel inquisitionem solemnem iterum facientes, nobis plane ac plenarie, quæ singuli testium deposuerint, rescribatis. Datum Laterani, III idus aprilis, pontificatus nostri anno octavo.

CXCIII

Ad abbates S. Germani et S. Petri et decanum Autissiodorensem.

19 martii 1224.

[Regest., lib. VIII, epist. 489. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat ut quædam statuta, a Portuensi episcopo facta, observari faciant.

Honorius, etc., dilectis filiis... Sancti Germani, et.... Sancti Petri abbatibus, et.... decano Autissiodorensi, salutem, etc.

Dilecti filii... prior et fratres monasterii Flannuacen. nobis humililiter supplicarunt, ut cum venerabilis frater noster C., Portuen. episcopus, monasterii statu in spiritualibus et temporalibus reformando, ibidem quædam statuta fecerit utilia et honesta, ea faceremus obtinere debitam firmitatem. Ideoque discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus statuta ipsa, sicut provide facta sunt, et in litteris ipsius episcopi plenius continentur, faciatis inviolabiliter observari, contradictores, etc. Quod si non omnes, etc. Datum Laterani, XIII kalendas maii, anno octavo.

CXCIV

Ad Ludovicum, Francorum regem.

22 aprilis 1224.

[Bouquet, Recueil des Hist., XIX, 752. Regest., lib. VIII, ep. 403.]

Honorius, qui apud Philippum regem egerat, ut Ferrandum, Flandriæ comitem, in carcere diu detentum, liberaret, instantius Ludovicum ad mansuetudinem et misericordiam erga comitem flectere conatur.

Honorius episcopus..., carissimo in Christo filio Ludovico, regi Francorum illustri, salutem, etc.

Pro captivis et afflictis quasi jugiter generalis orat Ecclesia; et nos, qui ei, licet immeriti, præsidemus, captivitatis incommoda patientibus non compati nequeuntes, tanto ad liberationem ipsorum libentius interponimus partes nostras, quanto captivantibus et captivis, vel potius liberatis et liberantibus, nos consulere salubrius arbitramur. Quare, licet alieno intuitu serenitati tuæ preces dirigamus ad præsens, ex eo tamen quod personam tuam speciali præro-

gativa dilectionis et gratiæ amplexantes, te secundum utrumque hominem proficere affectamus, ea quæ ad salutem animæ tuæ ac gloriam regiæ dignitatis perveniunt, studiose intendimus suadere, te ad mansuetudinem precibus et monitis invitando, scientes quod exaltat mansuetos Dominus in salutem et sapiens filium admonens ait: *In mansuetudine, fili, opera tua perfice, et super hominum gloriam dirigeris* (1).

Sane, intellecto quondam, quod inter claræ memoriæ Philippum patrem tuum et nobilem virum comitem Flandrensem convenerat, ut idem comes pro certa se redimeret pecuniæ quantitate præstanda sibi nihilominus de terra Flandriæ, quæ ad dominum regem spectat, ea quam posset impendere cautione, nos alterius compassi miseriæ, ac miseratione alterius delectati, eumdem regem nostris litteris rogavimus et monuimus, ut dictum comitem divinæ pietatis intuitu liberaret (2); volentes quoque indemnitati regiæ præcavere, ad postulationem ipsius comitis, venerabilibus fratribus nostris Remensi archiepiscopo et Silvanectensi episcopo nostris dedimus litteris in mandatis ut, si prænominatus comes in regem vel prolem vel terram suam (quod absit!) insurgeret, nisi infra quadraginta dies, postquam esset monitus, in curia regia satisfactionem super hoc juxta parium suorum judicium exhiberet, eumdem comitem excommunicationi ac terram suam interdicto supponerent, donec ipse modo satisfaceret supradicto. Verum, nequitia diaboli bonis actibus invidente, prædicto Philippo sublato de medio, conventio incompleta remansit, et dicti comitis liberatio est hactenus præpedita.

Quia vero nimis inhumanum videtur dictum comitem ulterius captivitatis squaloribus macerari, celsitudinem tuam rogamus, monemus et hortamur attente, ut, prudenter attendens quod misericordibus misericordiam Dominus pollicetur, et agnoscens quod optimum vindictæ genus est nolle punire, cum possis, eo quod magnanimitatis est magnifice parcere, ad liberationem ipsius comitis cor tuum clementer inflectas, et ipsum redimi patiaris (3). Nos enim archiepiscopo et episcopo supradictis nostris litteris damus in præceptis, quæ volumus etiam ad eorum successores extendi, ut, si forte comes vel comitissa Flandriæ contra conventiones quæ tuo et ipsius comitis et comitissæ sigillis apparuerint sigillatæ, venire præsumpserint, ipse in comitis et comitissæ ae adjutorum suorum personas excommunicationis et in terras eorum interdicti sententias, appellatione postposita, promulgent et faciant eas-

(1) Eccli., III, 19.

(2) Honorii ad Philippum regem litteras vide supra lib. VII, epist. 134.

(3) Scripsit in eumdem fere modum regi Ludovico cardinalium collegium, ut apud Baluzium, ibid., p. 257:

« Excellentissimo domino Ludovico, Dei gratia, regi Franciæ illustri, Hugo eadem Hostiensis, Pelagius Albanensis, Nicolaus Tusculanensis, Guido Prænestinus, episcopi; Leo tituli S. Crucis in Jerusalem, Galo S. Martini in Monte, Stephanus basilicæ duodecim apostolorum, Gregorius S. Anastasiæ, Th. S. Sabinæ, Johannes S. Praxedis, presbyteri; Octavianus SS. Sergii et Bacchi, Gregorius S. Theodori, Romanus S. Angeli, Stephanus S. Adriani, Petrus S. Georgii ad velum aureum, diaconi cardinales, salutem, et precibus misericordiæ aures misericorditer inclinare.

Cum ad opera pietatis regiam celsitudinem invitamus, tanto promptius exaudiri speramus, quanto per eas indeficiens meritum, quod est præstantius, apud Deum vobis acquiritur, et apud homines laudis et gloriæ præconium comparatur; quia, etsi gloriosum et temporaliter affectandum est de hostibus optatum obtinere triumphum, multo tamen gloriosius et amplius amplectendum offensam remittere misericorditer et parcere jam prostratis. Beati enim misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Sane cum nobilis viri comitis Flandriæ [Fernandi], qui non spontaneus, sed seductus in novitate sua regiam majestatem offendit, peccatum et infortunium sibi necessitatem ingesserit misericordiam postulandi, et vobis paraverit opportunam materiam misero misericorditer miserendi, regiam celsitudinem quanta possumus affectione rogamus et obsecramus in Domino Jesu Christo, qui, cum esset Altissimi filius, Rex regum et Dominus dominantium, non solum pro nobis captivari voluit, manibus traditus et potestati nocentium, sed etiam opprobriosum crucis subire tormentum, quatenus ipsius intuitu principaliter, necnon et summi Pontificis, qui de consilio ac consensu nostro pro ejusdem comitis liberatione regiæ majestati dirigit scripta sua, nostris etiam coadjuvantibus precibus, ipsum de compedibus et captivitate liberare dignemini, servatis vobis ab ipso conditionibus quas cum inclytæ memoriæ patre vestro rege Philippo dicitur iniisse, et quæ vestro et ipsius comitis et comitissæ sigillis fuerint sigillatæ, ut, dum in vos peccanti offensam et peccata remittitis, securius ac confidentius vobis a Domino debita vestra postuletis remitti. Quia vero non est de consuetudine quod omnium nostrum sigilla eidem imprimantur scripturæ, nec aliquibus litteris, nisi privilegiis duntaxat Apostolicis, subscribantur, sigillis priorum nostrorum Hugonis Ostiensis episcopi, Leonis tituli S. Crucis in Jerusalem presbyteri, Octaviani SS. Sergii et Bacchi diaconi cardinalis, præsentem cartam facimus communiri. Datum Laterani, V kalend. maii, pontificatus domini Honorii papæ III anno octavo. »

dem inviolabiliter observari, donec id per judicium curiæ regiæ fuerit emendatum; et si non ambo his exsequendis potuerint interesse, alter ipsorum ea nihilominus exsequatur. Placeat ergo tibi, rex, consilium nostrum, et sciens quod clementia et veritas custodiunt regem, et roboratur clementia thronus ejus, erga prædictum comitem exhibe te clementem, ita quod propitiationem divinam exinde uberius merearis, et nos et alii qui te diligimus, mansuetudinem tuam debeamus in Domino merito commendare. Datum Laterani, X kal. maii, pontificatus nostri anno octavo.

In eumdem fere modum scriptum est archiepiscopo Remensi et episcopo Silvanectensi, verbis competenter mutatis. « Nos enim vobis damus nostris litteris in præceptis quæ volumus etiam ad vestros successores extendi. » Datum ut supra.

CXCV

Ad præpositum capitulumque Honaugienses.

23 aprilis 1224.

[Wurdtwein, Nova subsidia, XIII, 269.]

Compositionem inter præpositum capitulumque Honaugienses ex una parte, et W. marescalcum Argentinensis episcopi ex altera confirmat.

Honorius, etc.

Ea quæ judicio vel concordia terminantur firma debent et illibata persistere, et, ne in recidivæ contentionis scrupulum relabantur, Apostolico convenit præsidio communiri. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis precibus inclinati, compositionem quæ inter vos ex parte una, et W. marescalcum venerabilis fratris nostri Argentinensis episcopi, advocatum ecclesiæ Honaugiensis ex altera, super damnis illatis de cætero non inferendis eidem ab ipso bonæ memoriæ H. Argentinensi episcopo et quibusdam aliis mediantibus facta est et ab utraque parte sponte recepta, et hactenus pacifice observata, nec non in litteris exinde confectis dicitur plenius contineri, auctoritate Apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem, etc. Datum Laterani, IX kal. maii, anno octavo.

CXCVI

Ad Aretinum, Florentinum, Fesulanum, et Castellanum episcopos.

26 aprilis 1224.

[Mittarelli, Annal. Camaldul., app. CLVI.]

Mandat ut fratres Camaldulenses Aretinæ diœcesis a molestatoribus per excommunicationem defendant.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus Aretino, Florentino, Fesulano, Castellano, episcopis et dilectis filiis abbatibus, prioribus, archipresbyteris, plebanis, et aliis ecclesiarum prælatis per Aretinam, Florentinam, Fesulanam, et Castellanam diœceses constitutis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Non absque dolore cordis et plurima turbatione didicimus, quod ita in plerisque partibus ecclesiastica censura dissolvitur, et canonicæ sententiæ severitas enervatur, ut viri religiosi et hi maxime, qui per Sedis Apostolicæ privilegia majori donati fuerunt libertate, passim a malefactoribus suis injurias sustineant et rapinas, dum vix invenitur, qui congrua illis protectione subveniat, et pro fovenda pauperum innocentia se murum defensionis opponat. Specialiter autem dilecti filii... prior et fratres Camaldulenses Aretinæ diœcesis tam de frequentibus injuriis, quam de ipso quotidiano defectu justitiæ conquerentes, universitatem vestram litteris petierunt Apostolicis excitari, ut ita videlicet eis in tribulationibus suis contra malefactores eorum prompta debeatis magnanimitate consurgere, quod ab angustiis, quas sustinent et pressuris vestro possint præsidio respirare. Ideoque universitati vestræ per Apostolica scripta mandamus atque præcipimus, quatenus qui tam illos quam possessiones suas, vel res seu domos prædictorum fratrum vel hominum suorum irreverenter invaserint, aut ea injuste detinuerint, quæ prædictis fratribus ex testamento decedentium relinquuntur; seu in ipsos fratres contra Apostolicæ Sedis indulta sententiam excommunicationis aut interdicti præsumpserint promulgare, vel decimas laborum de possessionibus habitis ante Concilium generale, quas propriis manibus aut sumptibus excoluntur, seu nutrimentis ipsorum, spretis Apostolicæ Sedis privilegiis extorquere, monitione præmissa,

si laici sunt, publice candelis accensis excommunicationis sententia procedatis. Si vero clerici vel canonici regulares seu monachi fuerint, eos, appellatione remota, ab officio et beneficio suspendatis, neutram relaxaturi sententiam, donec prædictis fratribus plenarie satisfaciant, et tam laici, quam clerici sæculares, qui per violentam manuum injectionem anathematis vinculo fuerint interdicti, cum diœcesani episcopi litteris ad Sedem Apostolicam venientes ab eodem vinculo mereantur absolvi. Villas autem prædictorum fratrum, in quibus bona vel hominum suorum per violentiam fuerint detenta, quamdiu ibi sunt, interdicti sententiæ supponatis. Datum Laterani, VI kal. maii, pontificatus nostri anno octavo.

CXCVII

Ad clerum Hiberniensem.

26 aprilis 1224.

[Theiner, Vetera Monum. Hibernorum, 23.]

Aboletur denuo iniquum quorumdam Anglorum statutum de non admittendis Hibernis ad dignitates ecclesiasticas.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis clero Hiberniensi, salutem et Apostolicam benedictionem.

Sicut ea, quæ rite ac laudabiliter fiunt, decet per Sedem Apostolicam roborari, ut solidius in sui roboris firmitate consistant, sic ea, quæ temere ac illicite præsumuntur, infirmari convenit per eamdem, ne processu temporis robur indignæ firmitatis assumant. Sane nostris est jam frequenter auribus intimatum, quosdam Anglicos inauditæ temeritatis audacia statuisse, ut nullus clericus de Hibernia, quantumcumque honestus et litteratus existat, ad aliquam dignitatem ecclesiasticam assumatur. Nolentes igitur tantæ præsumptionis et iniquitatis abusum sub dissimulatione transire, statutum hujusmodi, omni juris et honestatis, auxilio destitutum, præsentium auctoritate decernimus irritum et inane, districtius inhibentes, ne quis vel inhærere illi vel de cætero simile attentare præsumat. Nulli, etc., nostræ constitutionis et inhibitionis, etc. Si quis, etc. Datum Laterani, VI kalendas maii, pontificatus nostri anno octavo.

CXCVIII

Ad abbatem et conventum de Mulenbrunne.

27 aprilis 1224.

[Wirtembergisches Urkundenbuch, III, 149, n. 673.]

Eos tuendos, et sub beati Petri et sua protectione suscipit.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati et conventui de Mulenbrunne, salutem et Apostolicam benedictionem.

Solet annuere Sedes Apostolica piis votis et honestis petentium desideriis favorem benivolum impertiri. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, personas vestras et locum in quo divino estis obsequio mancipati, cum omnibus bonis quæ in præsentiarum rationabiliter possidet aut in futurum justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus. Specialiter autem ecclesiam de Winresheim cum pertinentiis suis, a venerabili fratre nostro... Spirensi episcopo, loci diœcesano, capituli sui accedente consensu, monasterio vestro pleno jure concessam, ac alia bona vestra, sicut ea omnia juste, canonice ac pacifice possidetis, vobis et monasterio vestro per vos auctoritate Apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo, etc. Si quis autem, etc. Datum Laterani, V kalendas maii, pontificatus nostri anno octavo.

CXCIX

Ad clerum et populum terræ Bozæ.

27 aprilis 1224.

[Fejer, Codex diplom., III, I, 453.]

Ad obedientiam A. presbytero, vices suas gerenti exhibendam, clerum incolasque terræ Bozæ hortatur.

Honorius, etc., archipresbytero et clero, ac populo terræ Bozæ, et ultra Montes Nivium.

Quantam de vobis geramus sollicitudinem, et quanto affectu ad incrementum vestrum, ac tranquillitatem et commodum intendamus, ex eo potestis colligere manifeste, quod vos et terram vestram in jus et

proprietatem Ecclesiæ Romanæ suscepimus, et nonnullis libertatibus curavimus communiri, sicut Apostolicæ litteræ quas super his dilectis filiis magistro et fratribus Hospitalis Sanctæ Mariæ Theutonicorum Hierosolymitani, dominis dictæ terræ, concessimus, vos potuerunt plenius edocere. Monemus igitur universitatem vestram, et hortamur in Domino, per Apostolica vobis scripta mandantes, quatenus, sicut Ecclesiæ Romanæ filii, speciales de gratia nostra et favore securi, his quæ ad divini nominis cultum et dilatationem pertinent populi Christiani, tota sollicitudine, toto studio intendentes, inter vos servetis vinculum mutuæ caritatis et pacis, per quam et parvæ res crescunt, et magnæ in sua magnitudine conservantur. Quum autem aliquæ inter vos quæstiones emerserint, quæ auctoritatem ecclesiasticam judiciumve requirunt, ad archipresbyterum vestrum, quem ad hoc ipsum præfici fecimus, recurratis, ut quæstionibus istis per sollicitudinem ejus concordia, judiciove sopitis pax et tranquillitas vestra inconcusssa servetur. Unde volumus, et vobis injungimus auctoritate præscripta, ut eidem archipresbytero, cui corrigendi excessus omnium vestrum, et specialiter clericorum concessimus potestatem, tanquam pastori vestro reverentiam congruam exhibentes, salubribus monitis, et mandatis ipsius intendatis et obediatis humiliter et devote. Datum Laterani, V kal. maii, anno octavo.

CC

Ad episcopos Cameracensem, Tornacensem, et Leodiensem episcopos.

28 aprilis 1224.

[Fonds Moreau, Mss. latins, t. CXXXV, p. 123, Biblioth. Nation.]

Mandat ut abbatissam et sorores de Fonte beatæ Mariæ, Cisterciensis ordinis, a molestatoribus per excommunicationem defendant.

Honorius, etc., venerabilibus fratribus Cameracen., Tornacen., et... Leodien. episcopis, et dilectis filiis abbatibus, prioribus, decanis, archidiaconis et aliis ecclesiarum prælatis, per eorum diœceses constitutis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Non absque dolore cordis et plurima turbatione didicimus, quod ita in plerisque partibus ecclesiastica censura dissolvitur et canonicæ sententiæ severitas enervatur, ut viri religiosi et hi maxime qui per Sedis Apostolicæ majori donati sunt libertate passim a malefactoribus suis injurias sustineant et rapinas, dum vix invenitur qui congrua illis protectione subveniat, et pro fovenda pauperum innocentia se murum defensionis opponat. Specialiter autem dilectæ in Christo filiæ... abbatissa et sorores monasterii de Fonte beatæ Mariæ Cisterciensis ordinis, tam de frequentibus injuriis quam de ipso quotidiano defectu justitiæ conquerentes, universitatem vestram litteris petierunt Apostolicis excitari, ut ita videlicet eis in tribulationibus suis contra malefactores ipsarum prompta debeatis magnanimitate consurgere quod ab angustiis, quas sustinent, et pressuris, vestro possint præsidio respirare. Ideoque universitati vestræ per Apostolica scripta mandamus atque præcipimus quatenus illos, qui possessiones, vel res, seu domos prædictarum sororum vel hominum suorum irreverenter invaserint, aut ea injuste detineant quæ prædictis sororibus ex testamento decedentium relinquuntur, seu in sorores ipsas, contra Apostolicæ Sedis indulta, sententiam excommunicationis, aut interdicti præsumpserint promulgare, vel decimas laborum de terris habitis ante Concilium generale quos propriis manibus aut sumptibus excolunt, seu nutrimentis ipsarum spretis Apostolicæ Sedis privilegiis extorquere, monitione præmissa, si laici fuerint, publice candelis accensis, excommunicationis sententia percellatis, si vero clerici vel canonici regulares aut monachi fuerint, eorum appellatione remota ab officio et beneficio suspendatis, neutram relaxaturi sententiam donec præfatis sororibus plenarie satisfaciant et tam laici quam clerici sæculares qui pro violenta manuum injectione anathematis vinculo fuerint innodati, cum diœcesani episcopi litteris ad Sedem Apostolicam venientes, ab eodem vinculo mereantur absolvi. Villas autem in quibus bona sororum prædictarum vel hominum ipsorum per violentiam detenta fuerint quamdiu ibi sunt interdicti sententiæ supponatis. Datum Laterani, III kal. martii (*forte* : maii), pontificat. nostri anno nono.

CCI

Ad Dublinensem archiepiscopum, abbates et conventum monasterii Sancti Thomæ Dublinensis.

30 aprilis 1224.

[Theiner, Vetera Mon. Hibernorum, p. 22.]

Archiepiscopo Dublinensi, ut in causa inter monasterium S. Thomæ Dublinensis et hæredes R. de Felda, vertente, canonice procedat sine præjudicio pupillarum.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri... archiepiscopo Dublinensi, salutem, etc.

Ex parte dilectorum filiorum.., abbatis et conventus monasterii Sancti Thomæ Dublinensis fuit propositum coram nobis, quod cum inter ipsos ex parte una, et Nicolaum de Felda laicum ex altera, super quadam terra, quæ fuit quondam R. patris dicti N(icolai), in laicali curia quæstio verteretur, et ipsi præfato N., qui se defuncti hæredem asserens eamdem terram sibi jure vindicabat hæreditario, objecissent, quod non esset legitimo matrimonio procreatus, demum super legitimatis articulo coram te quæstione suborta et pene discussa, ita quod jam aliud non restaret, nisi ut sententia proferretur; pupillæ quædam, que in causam nunquam alias apparuerant, per tutorem proprium asserentes sibi posse præjudicium generari, si prædicto N., quem et ipse non esse legitimum proponebant, sententiam proferri contingeret, quum easdem præfatus defunctus de uxore legitima suscepisset, ac contra hujusmodi sententiam eis, secundum regni consuetudinem, restitutio non daretur, ne ultra procederes, ad nostram audientiam appellarunt; propter quod supersedisti sententiam promulgare : sicque causa ipsa in dictorum abbatis et conventus dispendium remansit hactenus indecisa; unde super hoc sibi petierunt a nobis misericorditer provideri. Ne igitur ex dilatione hujusmodi dictum monasterium sui juris sustineat detrimentum, fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus ad justam super his sententiam proferendam prævia ratione procedas sine præjudicio pupillarum, quarum indemnitati præcaveas modis omnibus, quibus videris expedire. Datum Laterani, II kal. maii, pontificatus nostri anno octavo.

CCII

Ad archiepiscopos et episcopos per Hungariam constitutos.

30 aprilis 1224.

[Theiner, Monum. Poloniæ, I, 51, n. 106.]

Prælatis Hungariæ, ut ordinem hospitalis S. Mariæ Theutonicorum exemptum et incolas in terra Bozæ nullo modo molestent.

Honorius, etc., venerabilibus fratribus nostris archiepiscopis et episcopis per Hungariam constiutis, salutem, etc.

Dilectorum filiorum magistri et fratrum S. Mariæ Theutonicorum Hierosolymitani Deo et hominibus grata religio promeretur ut suis favorabilibus desideriis, etc. Petierunt siquidem iidem magister et fratres, ut terra Bozæ, etc., *usque* feliciter augeatur. Ipsorum ergo magistri et fratrum piis precibus benignius annuentes, etc., *usque* sancimus. Ad hæc quum eadem terra secundum indulgentias ipsis fratribus ab Apostolica Sede concessas, etc., *usque* prælatum : districtius duximus inhibendum, etc., *usque* ei episcoporum provideri. Ideoque fraternitatem vestram sollicitandam duximus et monendam per Apostolica vobis scripta mandantes, quatenus dictos fratres vel ipsius terræ incolas contra nostræ constitutionis et inhibitionis tenorem nullatenus molestetis; quin immo ipsos habentes specialiter pro Sedis Apostolicæ reverentia propensius commendatos, cum pro clericorum ordinationibus et aliis, quæ ad pontificale spectant officium, ab eis requisiti fueritis, benigne ipsorum justis postulationibus annuatis, ut et ipsi possint de bono in melius favore vestro adjuti proficere, nosque caritatem vestram debeamus in Domino commendare. Datum Laterani, II kalendas maii, anno octavo.

CCIII

Ad capitulum Cassellense.

2 maii 1224.

[Theiner, Vetera Mon. Hibern., 22.]

Capitulo Cassellensi confirmatur statutum de duodenario canonicorum numero conditum.

Honorius, etc., dilectis filiis capitulo Cassellensi, salutem, etc.

Ecclesiarum utilitati ac tranquillitati consulitur, cum numerus personarum Domino famulantium in eisdem earum facul-

tatibus provide coaptatur. Cum ergo duodenarium canonicorum numerum in ecclesia vestra, pensatis ejus facultatibus, duxeritis statuendum : nos vestris precibus inclinati, statutum hujusmodi, sicut provide factum est, auctoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus, inhibentes, ne quis ad majorem numerum vos compellat invitos, nisi forsan adeo excrescerent ipsius ecclesiæ facultates, quod etiam numerus personarum videretur merito ampliandus, salvo in omnibus Apostolicæ Sedis mandato. Nulli ergo, etc., confirmationis et inhibitionis infringere, etc. Si quis autem, etc. Datum Laterani, VI nonas maii, pontificatus nostri anno octavo.

CCIII

Ad Conradum, Portuensem episcopum.

4 maii 1224.

[Bouquet, Rec. des Hist., XIX, 753; Regest., lib. VIII, epist. 417.]

Ut Almaricus de Monteforti et patruus ejus Guido, alieno ære pro fidei negotio gravati, subleventur, jubet Honorius iisdem adjuvandis provideri ex ecclesiarum vicesima triennio superiore nondum collecta.

Honorius episcopus..., venerabili fratri episcopo Portuensi, A. S. legato, salutem, etc.

Ex parte dilecti filii nobilis Amalrici, comitis Tolosani fuit propositum coram nobis, quod Robertus de Bova et quidam alii milites, qui sibi pro certo pretio in negotio Christi servire juramento præstito tenebantur, quasi filii Effrem in die belli conversi, posito in arcto eodem comite, contra juramentum suum hoc efficere noluerunt, donec unicuique dictus comes in quinque solidis per diem promissum stipendium augmentavit. Unde a nobis cum instantia petebatur, ut eosdem milites ab illorum quinque solidorum exactione cessare, ac jam perceptos restituere, mandaremus. Pro prædicto quoque comite a nobis fuit instanter petitum ut, qualiter ipse possit solvere debita pro negotio præfato contracta, et redimere maxime nobilem virum comitem Guidonem avunculum suum, qui pro eo in quatuor millibus librarum apud Ambianensem civitatem obses dicitur cum quibusdam aliis detineri, providere misericorditer dignaremur. Cum autem plenius quam nos noveris dicti negotii circumstantias universas, tuque in nostra et fratrum nostrorum præsentia proposueris, quod in Senonensi et quibusdam aliis provinciis trium præteritorum annorum vicesima pro parte remanserat colligenda, fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus de vicesima ipsa necessitati ejusdem comitis Tolosani consulas, et super tali provideas augmentatione stipendii, prout illius indemnitati secundum Deum videris expedire. Datum Laterani, IV nonas maii, anno octavo.

CCIV

Ad abbatem et priorem Pigavienses et præpositum de Brandeburg.

6 maii 1224.

[Chronicon Montis Sereni, p. 183.]

Mandat ut in negotio monasterii de Ilseneburg juxta tenorem mandati Apostolici procedant.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati et priori Pigaviensi, Mersenburgensis diœcesis et præposito de Brandeburg, salutem, etc.

Dilectus filius Rochmannus monachus monasterii de Ilseneburg sua nobis petitione monstravit, quum post commissiones varias bonæ memoriæ prædecessori tuo, fili abbas, et vobis, fili prior et præposite, dederimus in virtute obedientiæ in præceptis, ut monachos præfati monasterii, qui per venerabilem fratrem nostrum Magdeburgensem archiepiscopum, dum in partibus illis legationis officio fungeretur, propter suos pravos excessus excommunicati fuerint, ac demum crescente ipsorum contumacia degradati, tamdiu pulsatis campanis et candelis accensis excommunicatos ac degradatos nuntiare publice curaretis, et faceretis arctius evitari, donec dimisso monasterio præfato cum litteris vestris ad Apostolicam Sedem accederent, misericordiam petituri, et defendentes præfatum Rochmannum a molestationibus eorumdem, faceretis eidem de bonis ipsius monasterii congrue provideri, et præfata excommunicationis sententia innovata fuerit postmodum et publicata in partibus convicinis, præpositus novi operis in Halle Magdeburgensis diœcesis qui a nobis acceperat in mandatis, ut præfatas sententias faceret in partibus suis firmiter observari, deferens

homines contra Deum, non solum noluit easdem sententias publicare, verum etiam ipsis excommunicatis impudenter communicare præsumit, propter quod tulistis excommunicationis sententiam in eumdem, qua contempta, divina officia celebrare non veretur, in famæ ac salutis suæ dispendium, et ecclesiasticæ disciplinæ contemptum. Quum ergo tu, fili abbas, prædecessori tuo succedere debes in hujusmodi onere, quum litteræ prædictæ commissionis non expressis personarum sed locorum nominibus fuerunt impetratæ, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus firmiter præcipiendo, quatenus juxta prædicti mandati tenorem sic diligenter in negotio procedatis eodem, quod vestræ rectitudinis zelus inde possit merito commendari, nullis litteris obstantibus, harum tenore tacito, a Sede Apostolica impetratis. Datum Laterani, II non. maii, pontificatus nostri anno octavo.

CCV

Ad abbatem et conventum monasterii S. Georgii de Venetiis.

6 maii 1224.

[Cornelius, Ecclesiæ Venetæ, VIII, 234.]

Decernit ut monasterium ipsum ab omni sit jurisdictione exemptum et Sedi Apostolicæ immediate subjectum.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati et conventui monasterii S. Georgii de Venetiis, salutem, etc.

In causa quæ inter vos ex parte una et venerabiles fratres nostros patriarcham Gradensem et... episcopum Castellanum super subjectione monasterii ex altera vertebatur, invenimus pro patriarcha probatum quod in ipso monasterio recipiebatur processionaliter cum incenso, aqua benedicta et icona, et quando revertebatur a Gradu pulsabantur ibi campanæ sicut in aliis ecclesiis civitatis : et quod abbas quandoque ivit ad synodum patriarchæ quinquaginta solidorum venetorum minorum ei per plures annos exsolvens. Probatum vero pro episcopo invenitur qui ejusdem monasterii confirmavit abbates, qui ei obedientiam et reverentiam impenderunt, abbates etiam ejusdem monasterii ad synodos veniebant episcopi et idem ad exsequias invitatus recipiebatur processionaliter cum solemnitate prædicta ac similiter invitatus in festo beati Georgii procurationes recipiebat ibidemque in barcha sua in festo Purificationis beatæ Virginis conducebant. Cum autem primo in his possessorio egerint patriarcha et episcopus memorati, nos eos ad possessionem, vel quasi restituimus prædictorum. Verum quia hinc petitorio nihilominus actum fuit et utraque pars totum jus suum videtur in judicium deduxisse, Nos, visis prædecessorum nostrorum privilegiis, monasterium ipsum, de fratrum nostrorum consilio, liberum esse decernimus, et immediate ad Romanam Ecclesiam pertinere ; illud in præmissis et aliis quæ jurisdictionem et subjectionem respiciunt ab impetitione dictorum patriarchæ et episcopi absolventes, non obstante possessione circa prædicta probata, cum non docuerint se tanto tempore talia percepisse, quod per hoc libertatis fuerit privilegiis derogatum. Reservantes tamen episcopo supradicto quæ circa chrisma, oleum sanctum, ordinationes clericorum et quædam alia in eisdem privilegiis specialiter reservantur. Ad hæc cum de præmissis quinquaginta solidis ad subjectionis indicium a patriarcha sit actum, per sententiam hujusmodi ei non adimimus, si alio jure de ipsis experiri voluerit potestatem. Nulli ergo, etc., diffinitionis infringere, etc. Si quis autem, etc.

Datum Laterani, II nonas maii, pontificatus nostri anno octavo.

CCVI

Ad abbatem S. Cypriani Torcellanæ diœcesis, etc.

7 maii 1224.

[Ughelli, Italia sacra, V, 1207.]

Eis mandat ut quum monasterium S. Georgii de Venetiis ab omni patriarchæ Gradensis et episcopi Castellani jurisdictione exemit, hanc exemptionem firmiter observari faciant.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati S. Cypriani Torcellanæ diœcesis, et Sanctæ Mariæ Novæ de Venetiis, et Sanctæ Mariæ de Avariæ Paduanis prioribus, salutem et Apostolicam benedictionem.

In causa, quæ inter venerabiles fratres nostros patriarcham Gradensem et episcopum Castellanum ex parte una, et abbatem et conventum monasterii S. Georgii de Venetiis, super subjectione ipsius monas-

terii ex altera vertebatur, invenimus pro patriarcha probatum, quod recipiebatur in ipso monasterio processionaliter cum incenso, aqua benedicta, et icona, et quando revertebatur a Gradu pulsabantur ibi campanæ, sicut in aliis ecclesiis civitatis, et quod abbas quandoque ivit ad synodum patriarchæ quinquaginta solidos Venetorum minorum, et per plures annos exsolvens. Probatum vero pro episcopo invenitur, quod ejusdem monasterii confirmavit abbates qui ei obedientiam et reverentiam impenderunt; abbates etiam ejusdem monasterii ad synodos veniebant episcopi, et idem, ad exsequias invitatus, recipiebatur processionaliter cum solemnitate prædicta, ac similiter invitatus in festo beati Georgii procurationes ibidem, quem in barcha sua in festo purificationis beatæ Virginis conducebant. Cum autem in his primo possessorio egerint patriarcha, et episcopus memorati, nos eos ad possessionem, vel quasi restituimus prædictorum. Verum quia hinc inde petitorio nihilominus actum fuit, et utraque pars totum suum jus videtur in judicium deduxisse, nos visis prædecessorum nostrorum privilegiis, monasterium ipsum de fratrum nostrorum consilio liberum esse decernimus, et immediate ad Romanam Ecclesiam pertinere : illud in præmissis, et aliis, quæ jurisdictionem, et subjectionem respiciunt, ab impetitione dictorum patriarchæ ac episcopi absolventes, non obstante possessione circa prædicta probata : cum non docuerint se tanto tempore talia percepisse, quod per hoc libertatis fuerit privilegiis derogatum. Reservamus autem episcopo prædicto, quæ sibi circa chrisma, oleum sanctum, ordinationes clericorum, et quædam alia in eisdem privilegiis specialiter reservantur. Ad hæc cum de præmissis quinquaginta solidis ad subjectionis indicium a patriarcha sit actum, per sententiam hujusmodi non adimimus, si alio jure de episcopis experiri voluerit, potestatem. Ideoque discretioni vestræ per scripta Apostolica mandamus, quatenus, quod a nobis super hoc est sententialiter diffinitum, faciatis, appellatione postposita, per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Quod si non omnes his exsequendis potueritis interesse, duo vestrum nihilominus exsequantur. Datum Laterani, nonas maii, pontificatus nostri anno octavo.

CCVII

Ad abbatem et priorem Sancti Auberti et cantorem Cameracensem.

7 maii 1224.

[Miræus, Opera diplomat., III, 387.]

Sororibus S. Nicolai regularem habitum licentiam concedit.

Honorius, etc., dilectis filiis abbati et priori S. Auberti et cantori Cameracensi, salutem...

Dilectæ in Christo filiæ priorissa et sorores S. Nicolai de Ditiaco Atrebatensis diœcesis suis nobis litteris intimarunt, quod cum hospitale pauperum in eodem loco fuerit ab antiquo, sororesque quæ pauperibus serviebant ibidem, tandem ut se arctius divinis obsequiis obligarent, habitum regularem ac institutiones ordinis beati Victoris assumere satagentes, super hoc consensum venerabilis fratris nostri Atrebatensis episcopi humiliter petierunt. Sed eum non potuerunt aliquatenus obtinere, nisi promissione primitus sibi facta, quod absque suo consensu, et licentia speciali, nullam sibi in abbatissam seu priorissam eligerent, nec sororem nec conversam reciperent, nisi suo consensu petito primitus et obtento. Quare nobis humiliter supplicarunt, ut cum etsi de dicti episcopi benignitate non dubitent, suorum tamen temporibus successorum videant ex hoc grave sibi posse dispendium evenire, et augmentum ipsius loci spiritualiter et temporaliter plurimum impediri, ad remittendam eis necessitatem hujusmodi, cum in omnibus aliis sibi velint lege diœcesana subesse, ipsum Apostolicis precibus inducere dignaremur. Cum ergo earum petitio rationi consona videatur, eumdem episcopum rogandum duximus et monendum, nobis sibi dantes litteris in mandatis, ut episcopali jure in domo ipsa per omnia sibi salvo, eligendi sibi priorissam seu abbatissam, prout loci ratio postulabit, ac recipiendi libere sorores, conversos, atque conversas, eis liberam tribuat potestatem, ne si libertas aliis religiosis concessa, denegetur eisdem, locus non proficiat, sed deficiat, id quod ei debeat imputari. Quod si forte contra petitionem ipsarum, et preces nostras causa rationabilis dictum tuetur episcopum, aut eam nobis per suas curet litteras intimare, aut quod potius est, eis petitam libertatem, causa ipsa non obstante, con-

cedat, speciali jure, si quod forsan ibi habet, remisso, intuitu pietatis, ut ipsius ordinis ibidem novella plantatio suo favore suscipiat incrementum. Ideoque discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus episcopum ipsum ad id monere prudenter et efficaciter inducere procuretis. Quod si forte ad id induci nequiverit; rationes quas assignabit e contra, nobis per litteras vestras fideliter intimetis. Quod si non omnes, etc. Datum Laterani, nonis maii, pontificatus nostri anno octavo.

CCVIII

Ad abbates Sanctæ Mariæ de Voto, Cisterciensis ordinis, et de Aggo, et de Vilemont, Rothomagensis diœcesis.

9 maii 1224.

[Regest., lib. VIII, epist. 434. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat ut electionem P. monachi Fiscanensis in abbatem Birnacensem confirmari faciant.

Honorius, etc., dilectis filiis Sanctæ Mariæ de Voto, Cisterciensis ordinis, et de..... Aggo, et... de Vilemont abbatibus, Rothomagensis diœcesis.

Dilecti filii monachi Birnacenses nostris auribus intimarunt, quodbonæ memoriæ... abbate ipsorum viam universæ carnis ingresso, ipsi die ad eligendum statuta convenientes in unum, dilectum filium P. monachum Fiscanen., virum, ut asserunt providum et honestum, in abbatem suum concorditer elegerunt. Quumque a venerabili fratre nostro Lexovien. episcopo loci diœcesano electionem suam peterent confirmari, et super hoc pluries institissent, idem asserens ipsos electionis tempore auctoritate sua fuisse vinculo excommunicationis adstrictos, id efficere non curavit, quamquam monachi constanter assererent antedictam sententiam se ad Sedem Apostolicam legitime provocasse. Unde nobis humiliter supplicarunt, ut electionem eumdem faceremus auctoritate Apostolica confirmari. Quocirca discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus si constiterit vobis dictam excommunicationis sententiam post appellationem ad nos legitime interpositam promulgatam, et sic monachos ea non fuisse ligatos, examinetis electionem pariter, et electum, et si eam inveneritis de persona idonea canonice celebratam, moneatis episcopum, ut eam sine dificultate confirmet. Alioquin cum rectis dispositionibus nihil debeat moræ vel difficultatis afferri, vos ipsius auctoritate nostra, sublato cujuslibet contradictionis et appellationis obstaculo, confirmetis et faciatis electo munus benedictionis impendi, contradictores, etc. Testes, etc., nullis litteris, etc. Quod si non omnes, etc. Datum Laterani, VII idus maii, anno octavo.

CCIX

Ad abbatissam et moniales de Villenna.

10 maii 1224.

[Manrique, Ann. Cisterc., IV, 233.]

Eas cum omnibus bonis protegendas suscipit.

Honorius, etc., dilectis in Christo filiabus abbatissæ, et monialibus de Villenna, Burgensis diœcesis, salutem, etc.

Solet annuere Sedes Apostolica piis votis et honestis petentium precibus favorem benevolum impertiri. Intellecto itaque, quod carissima in Christo filia nostra, quondam regina V. Legionensis, de bonis propriis monasterium vestrum construxerit, et in eo tandem Christo se dicaverit monialem, nos favore continuo devotionem prosequentes ipsius, et suis supplicationibus annuentes, personas vestras et locum, in quo divino estis obsequio mancipatæ, cum omnibus bonis, quæ in præsentiarum rationabiliter possidet, aut in futurum justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus; specialiter autem villas, quæ Lavid et Provedo vocantur, cum pertinentiis suis, homines, domos, vineas, terras, possessiones, et alia bona vestra, sicut ea omnia juste, canonice ac pacifice possidetis, vobis et per vos eidem monasterio auctoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripturæ patrocinio communimus. Nulli ergo, etc. Si quis autem, etc. Datis Laterani, VI idus maii, pontificatus nostri anno octavo.

CCX

Ad abbatem S. Richarii in Pontivo.

11 maii 1224.

[Regest., lib. VIII, epist. 446. Mss. La Porte du Theil.]

Monasterium S. Richarii in Pontivo ab impetitione episcopi Ambianensis liberum et ad solum Romanum Pontificem pertinens decernit.

Honorius, etc., dilectis filiis abbati et

conventui Sancti Richarii in Pontivo, salutem et Apostolicam benedictionem.

Inter cætera divinis plena mysteriis, et humanorum actuum integumentis non vacua, quæ Johannis in Apocalypsi se vidisse commemorat, refert, quod ex ore sedentis in throno acutus ex utraque parte gladius procedebat; per quod etsi supremi judicis extremique judicii tremenda sententia possit intelligi, non incongrue tamen, sententiæ quoque Summi Pontificis potest ejusdem revelationis visio adaptari. De ore namque ipsius exit gladius bis acutus, quia in nodosis quæstionum difficultatibus amputandis, gladium linguæ non habet hinc hebetem, hinc acutum, sed utrobique similiter incidentem, sic absque personarum acceptione libram dirigendo judicii, ut statera et statera pondus et pondus, quorum utrumque est abominabile apud Deum, penes eum nequeat inveniri. Et quidem ex ore felicis memoriæ Innocentii papæ, prædecessoris nostri gladius hic exivit cum in sententia, quam tulit inter vos, et bonæ memoriæ Ambianen. episcopum neutri parti parcens, sed incidens hinc inde, prout ratio exigebat, utramque secundum quid tam acuto, quam justo judicio condemnavit. Quum enim causam motam inter vos et præfatum episcopum super subjectione, quam in vestro monasterio exigebat, idem prædecessor noster, post commissiones alias bonæ memoriæ... Suessionensi episcopo et ejus conjudicibus commisisset, et ipsi, receptis partium testibus, et eorum depositionibus de consensu mutuo publicatis, privilegiis quoque productis hinc inde diligenter inspectis, causam ipsam de voluntate partium ad examen Apostolicum remisissent, et coram venerab. fratre nostro P(elagio) Albanensi episcopo eisdem auditore concesso, præfatus Ambianensis episcopus possessorium intendendo professionem ab Ursone ac Richero, aliisque abbatibus dicti monasterii Ambianensi episcopo factam, ipsi Richero, et aliis dicti loci abbatibus ab eodem episcopo benedictionem impensam procurationem ei tamquam loci diœcesano exhibitam, sessionem in synodo cum capa serica et baculo pastorali, consecrationem altarium, et ordinationem monachorum dicti monasterii, tonsurationem clericorum in ipso ac prædicationem in paraviso factam legitime probavisset, ac ex parte vestra fuisset ex adverso responsum, quod si aliquando Ambianensi episcopo prædicta in eodem monasterio per incuriam quorumdam abbatum indebite usurpaverat, id dicto nocere monasterio non debebat, quum omnino esset exemptum et contra exactiones hujusmodi vallatum privilegiis et indulgentiis Pontificum Romanorum. Idem prædecessor noster, his et aliis quæ fuerunt coram ipso auditore proposita, per ejus relationem plenius intellectis, possessionem probatorum adjudicavit episcopo memorato, ita tamen quod, nisi usque ad duos annos proximo tum futuros super petitorio suam intentionem fundaret, monasterium ipsum ex tunc esset a prædictorum præstatione penitus absolutum, perpetuo silentio super his imposito episcopo sæpedicto, quum ex privilegiis et indulgentiis Apostolicæ Sedis exhibitis in judicio liquido appareret illud esse liberum, et exemptum.

Abbati quoque Sancti Auberti, et Johanni archidiacono, ac... thesaurario Cameracensi Apostolicis dedit litteris in mandatis, ut quod ab eo fuerat sententialiter diffinitum executioni mandantes, partibus convocatis, reciperent super petitorio probationes ipsius episcopi, ac defensiones monasterii supradicti, et, si de partium procederet voluntate, causam ipsam judicio vel concordia terminarent; alioquin eamdem ad Apostolicam Sedem remitterent sufficienter instructam. Quumque auctoritate litterarum ipsarum morte interveniente interim mandatoris, processum in negotio non fecisset, nos eisdem judicibus dedimus in mandatis, ut in eodem negotio auctoritate nostra procederent juxta earumdem continentiam litterarum; episcopo vero incumbente possessioni adjudicatorum eidem et in petitorii causa, prætendendo quasdam occasiones frivolas procedere non curante, vos, attendentes ex hoc grave vobis præjudicium generari, petistis, ut quum non solum biennium, verum etiam fere quadriennium jam tunc effluxisset a tempore sententiæ supradictæ, juxta ejusdem tenorem monasterium vestrum pronunciaremus liberum et exemptum. Licet autem de rigore juris potuerimus severius procedere contra eumdem episcopum, cui ex culpa sua tempus videbatur inutiliter effluxisse, spatium tamen sex mensium ei ad probandam intentionem suam super petitorio duximus indulgendum, nos-

tras super hoc... abbati de Claromarisco et conjudicibus ejus litteras destinantes. Cæterum ex parte episcopi more suo exceptionibus insistente, et ad Sedem Apostolicam appellante, demum procuratoribus partium, in nostra præsentia constitutis, dilectum filium nostrum Ægidium, Sanctorum Cosmæ et Damiani diaconum cardinalem dedimus auditorem, et his, quæ coram ipso fuerunt proposita, diligenter auditis, iterum indulsimus eidem episcopo septem menses, negotium... abbati... priori, et... subpriori Sancti Victoris Parisien. committendo. Eodemque rursum relato ad audientiam nostram, et eodem cardinali partium procuratoribus iterum auditore concesso, ad omnem occasionem murmuris ipsi episcopo amputandam, eidem ad finalem instructionem ipsius causa indulsimus duos menses, negotium ad eosdem judices remittendo, qui cum demum causam ad nos remisisset instructam, et partium procuratores de die in diem sententiam expectarent, ipso episcopo interim rebus hominis exempto, et ejus procuratore ad propria, judicio sic pendente, regresso, successori ejusdem episcopi per abbatem Sancti Martini Ambianensis et collegas ejus terminum peremptorium, quo per se, vel per procuratorem idoneum nostro se conspectui præsentaret, sententiam recepturus, fecimus assignari : procuratoribus igitur partium cum causa instructa pro audienda sententia in nostra præsentia constitutis, dilectum filium nostrum G., Sancti Theodori diaconum cardinalem, ipsis dedimus auditorem, qui cum inspexisset acta judicii diligenter et audisset quæ procuratores ipsi curaverunt proponere coram eo, nos, eis per ejus fidelem relationem auditis et plenius intellectis, privilegiis quoque ac indulgentiis Apostolicæ Sedis exhibitis pro monasterio ipso diligenter inspectis, de fratrum nostrorum consilio dictum monasterium decrevimus liberum, et ad solum Romanum Pontificem pertinere, illud ab impetitione partis adversæ tam super his, quæ olim a dicto prædecessore nostro ipsi Ambianensi episcopo quoad possessorium adjudicata fuerunt, quam super aliis, quæ ad jurisdictionem seu subjectionem pertinere noscuntur, sententialiter absolventes. Nulli ergo, etc. Si quis autem, etc. Datum Laterani, IV idus maii, anno octavo.

CCXI

Ad Russutanam reginam de Anegnia.

12 maii 1224.

[Raynald, Annal. ad ann. 1224, § 21.]

Russutanam reginam de Anegnia laudat propter fidem ac studium erga Romanam Ecclesiam.

Honorius, etc.

Multum gavisi sumus in Domino super devotione, quam habes ad nos, et ad Romanam Ecclesiam, matrem Christianorum omnium et magistram : et super pio desiderio, quod habes de liberatione Terræ Sanctæ, in qua Dominus Jesus Christus dignatus est humani generis operari salutem, tradens morti crucis ineffabili pietate seipsum, ut genus humanum a morte perpetua liberaret. Super morte autem claræ memoriæ... fratris tui regis Georgianorum tibi paterno compassi sumus affectu, ac in eo subsequenter gavisi, quod pacifice obtines regnum ejus, sicut nobis per ipsas litteras intimasti, optantes ut Deus in cujus manu sunt jura regum et regna, te ac tuum regnum in sua fide ac devotione, atque in bonis omnibus amplificet et conservet. Etsi enim absentes simus corpore, præsentes tamen spiritu, te ac alios christianos regni tui cordis oculis intuemur, et delectamur in fide, quam habetis in Domino Jesu Christo, cui eo ipso est acceptior fides vestra, quod eam servatis in medio infidelium nationum, inter quas lucetis quasi lucernæ in tenebris, et redoletis quasi lilia inter spinas, reportaturi fidei vestræ desiderabilem finem, salutem vestrarum videlicet animarum. Propter quod tuam exhortamur in Domino celsitudinem, ut certa de promissione Christi dicentis : Qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo, qui est in cœlis; in confessione, ac laude sancti nominis ejus firma stabilisque persistas, et ad persistendum in ea subditos tuos exemplo sanctæ conversationis inducas, ut post hujus transitoriæ vitæ inevitabilem exitum, una cum ipsis regnum merearis consequi sempiternum.

Sane super eo quod de passagio carissimi in Christo filii nostri Frederici illustris Romanorum imperatoris semper augusti et regis Siciliæ certificari desideras, te ac exfortium tuum ad ipsius Terræ Sanctæ succursum magnifice offerendo; fidei tuæ zelum

in Domino commendantes, tibi auctoritate præsentium declaramus, quod idem imperator ad ipsius terræ liberationem magnanimiter ac magnifice se accingit, a festo S. Johannis Baptistæ proximo ad annum unum, pro liberanda de manibus infidelium terra ipsa, cum innumera fidelium multitudine, et alio apparatu, imperiali magnificentia digno, Christo ductore feliciter transiturus. Monemus igitur serenitatem tuam et hortamur in Domino, quatenus juxta laudabilem promissionem tuam, tuum studeas exfortium taliter præparare, quod tunc possis Domino Jesu Christo dignum magnitudine tua servitium exhibere. Ut autem tu et subditi tui ad tam sanctum opus vos tanto libentius et devotius præparetis, quanto ex hoc majora vobis apud Deum præmia comparatis, notificamus devotioni tuæ, quod omnes, qui laborem istum in propriis personis subierint et expensis; et illi etiam, qui non in personis propriis illuc accesserint sed in suis expensis juxta facultates suas viros idoneos destinaverint; et illi similiter, qui licet in alienis expensis, in propriis tamen personis accesserint, plenam peccatorum suorum, de quibus vere contriti fuerint et confessi, veniam dono Apostolicæ indulgentiæ consequuntur... Tu ergo præsentes litteras facias tuis subditis Christi fidelibus recitari, quibus juxta postulationem tuam, benedictionem Apostolicam elargimur, promittentes tibi et eis in quibuscumque oportuerit et decuerit, Apostolicæ Sedis gratiam et favorem. Datum Laterani, IV idus maii, pontificatus nostri anno octavo.

CCXII

Ad priorem S. Genovefæ, et decanum S. Marcelli Parisiensis.

13 maii 1224.

[Regest., lib. VIII, epist. 443. Mss. La Porte du Theil.]

Idem argumentum quod epistolæ CCXI.

Honorius, etc., dilectis filiis abbati et priori Sanctæ Genovefæ, et decano Sancti Marcelli Parisien., salutem et Apostolicam benedictionem.

Inter cætera divinis plena mysteriis, etc., *ut in alia usque* gladius hic exivit, quum in sententia, quam tulit inter abbatem et conventum Sancti Richarii in Pontivo, et bonæ memoriæ Ambianen. episcopum, etc., *ut supra usque* procedere non curante, prædicti abbas et conventus attendentes ex hoc grave sibi præjudicium generari, petierunt, ut quum non solum biennium, verum etiam fere quadriennuim jam tunc effluxisset, a tempore sententiæ supradictæ, ejusdem tenore dictum monasterium pronuntiaremus liberum et exemptum. Licet autem, etc., *ut supra usque* absolventes. Quocirca discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus qnod super his est a nobis sententialiter diffinitum, faciatis inviolabiliter observari, contradictores, etc. Quod si non omnes, etc. Datum Laterani, III idus maii, anno octavo.

CCXIII

Ad Heremum fontis Avellanæ.

13 maii 1224.

[Mittarelli, Annal. Camaldul., IV, app. 433.]

Heremi Fontis Avellanæ tutelam suscipit omnesque ejus possessiones, jura ac privilegia confirmat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis priori, et fratribus Heremi Fontis Avellanæ, eorumque successoribus regulariter substituendis in perpetuum.

Supernæ miserationis respectu ad hoc universalis Ecclesiæ suscepimus curam, et Apostolici moderaminis sollicitudinem gerimus, ut justis petentium votis benignitate faveamus, attente ac æquitatis libramine debeamus omnibus, quantum cum Deo possumus, subvenire. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, et præfatum Heremum Fontis Avellanæ, quæ beati Petri juris existit, ad exemplar felicis recordationis Gregorii Papæ septimi, prædecessoris nostri, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti patrocinio communimus, statuentes, ut quascumque possessiones, quæcumque bona domus vestra in præsentiarum juste et canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis : locum ipsum, in quo præ-

fata domus sita est cum omnibus pertinentiis suis, possessiones, quas habetis in civitate ac diœcesi Eugubina; possessiones, quas habetis in civitatibus ac diœcesibus Perusin., Castellan., Callen., Forosempronien., Urbinat., Arimen., Faventin., Bononien., Esculan., Firman., Camerinen.. Auximan., Anconitan., Esin., Senogalien., et Spoletan., cum pratis, vineis, terris, nemoribus, usuagiis et pascuis, in bosco et plano, iu aquis et molendinis, in viis et semitis, et omnibus aliis libertatibus, et immunitatibus suis. Quum autem generale interdictum terræ fuerit liceat vobis nihilominus, in ecclesia vestra, exclusis excommunicatis et interdictis, divina officia celebrare. Chrisma vero, oleum sanctum, consecrationes altarium seu basilicarum, ordinationes clericorum vestrorum, qui ad sacros ordines fuerint promovendi, a diœcesano suscipietis episcopo, siquidem catholicus fuerit, et communionem sacrosanctæ Romanæ Sedis habuerit, et vobis voluerit sine pravitate aliqua exhibere. Alioquin liceat vobis quemcumque malueritis catholicum adire antistitem, qui nostra fretus auctoritate vobis, quod postulatur, impendat. Ad hæc novas et indebitas exactiones ab archiepiscopis, episcopis, et aliis omnibus ecclesiis, sæcularibusve personis in domo vestra omnino fieri prohibemus. Obeunte vero te, nunc ejusdem loci priore, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet subreptionis astutia seu violentia præponatur, nisi quem fratres communi consensu, vel fratrum pars consilii sanioris secundum Deum providerint eligendum; illud districtius inhibentes, ne terras, seu quodlibet beneficium ecclesiæ vestræ collatum liceat alicui personaliter dari, sive alio modo alienari absque consensu omnium fratrum, vel majoris et sanioris partis eorum. Insuper auctoritate vobis Apostolica duximus concedendum, ut quandocumque in judicio vos gravari senseritis, liceat vobis ad Sedem Apostolicam appellare. Præterea omnes libertates et immunitates a prædecessoribus nostris Romanis pontificibus vobis concessas, necnon et libertates et exemptiones sæcularium exactionum a regibus, et principibus vel aliis fidelibus rationabiliter vobis indultas auctoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Decernimus ergo, etc.

Honorius, catholicæ Ecclesiæ episcopus ss.

Ego Ugo, Hostien. et Velletren. episcopus ss.

Ego Pelagius, Albanen. episcopus ss.

Ego Nicolaus, Tusculanus episcopus ss.

Ego Guido, Prænestin. episcopus ss.

Ego Leo, tituli Sanctæ Crucis in Hierusalem presbyter cardinalis ss.

Ego Stephanus, basilicæ duodecim apostolorum presbyter cardinalis ss.

Ego Thomas, tituli Sanctæ Praxedis presbyter cardinalis ss.

Ego Octavianus, Sanctorum Sergii et Bacchi diaconus cardinalis ss.

Ego Gregorius, Sancti Theodori diaconus cardinalis ss.

Ego Stephanus, Sancti Adriani diaconus cardinalis ss.

Ego Petrus, Sancti Georgii ad Velum Aureum diaconus cardinalis ss.

Datum Laterani, per manum magistri Guidonis, domini papæ notarii, III idus maii, indictione XII, Incarnationis Dominicæ anno MCCXXIV, pontificatus vero anno octavo.

CCXIV

Ad abbatem et conventum monasterii Novientensis.

13 maii 1224.

[Wurdtwein, Nova subsidia, XIII, 270.]

Quasdam possessiones eis confirmat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati et conventui monasterii Novientensis, salutem, etc.

Quum a nobis petitur quod justum est et honestum, tam vigor æquitatis quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum.

Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris justis precibus inclinati, de Sulza, de Samerzo et de Sigoltezheim et in Baldenheim capellas cum allodiis et pertinentiis earumdem, quas ab inclytæ recordationis Henrico secundo Romanorum imperatore, diœcesanorum episcoporum et capitulorum ipsorum deliberato consensu, pro liberalitate proponitis monasterio vestro concessas, sicut eas juste, canonice et pacifice possidet, et in privilegio imperatoris ejusdem plenius

dicitur contineri, vobis et per vos eidem monasterio auctoritate Apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus, etc. Datum Laterani, III idus maii, anno octavo.

CCXV

Ad priores Sanctæ Mariæ foris portam Lucanam et Sancti Jacobi de Certaldo, diœcesis Florentinæ.

13 maii 1224.

[Mittarelli, Annal. Camaldul., IV, app. 432.]

Mandat ut causam inter abbatem conventumque S. Savini ordinis Camaldulensis et quosdam cives Lucanos super possessionibus et rebus aliis agitatam terminent.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis... Sanctæ Mariæ foris portam Lucanam et... Sancti Jacobi de Certaldo Florentinæ diœcesis prioribus, salutem et Apostolicam benedictionem.

Dilecti filii... abbas et conventus Sancti Savini ordinis Camaldulensis nobis conquerendo monstrarunt, quod... potestas et quidam alii cives Lucani super possessionibus et rebus aliis injuriantur eisdem. quocirca discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus partibus convocatis audiatis causam, et appellatione remota fine debito terminetis, facientes, quod decreveritis, per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Testes, etc. Datum Laterani, III idus maii, pontificat. nostri anno octavo.

CCXVI

Ad Simeonem archiepiscopum Ravennatensem.

14 maii 1224.

[Bullarium Romanum, III, 401, n. 70.]

Confirmatio privilegiorum, bonorum, et jurium ecclesiæ Ravennatensis.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Simeoni Ravennati archiepiscopo, ejusque successoribus canonice substituendis in perpetuum, salutem et Apostolicam benedictionem.

Etsi universis Sanctæ Ecclesiæ filiis debitores ex collato nobis a Deo Apostolatus officio existamus, illis tamen personis et locis providere nos convenit diligentiori sollicitudine, ac propensiori studio caritatis, quæ ad Sedem Apostolicam noscuntur specialius pertinere. Quocirca, venerabilis in Christo frater archiepiscope, tuis justis postulationibus clementer annuimus, et nobilem ac famosam Ravennatensem ecclesiam, cui auctore Deo præesse dignosceris, ad exemplar felicis recordationis Calixti, Gregorii, Honorii, Gelasii, Romanorum pontificum, prædecessorum nostrorum, sub beati Petri, et nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti privilegio communimus; statuentes, ut quascumque possessiones, quæcumque bona eadem ecclesia in præsentiarum juste et canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione imperatorum, regum aut principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, favente Domino, poterit adipisci, firma tibi tuisque successoribus et illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis: Locum ipsum in quo præfata ecclesia sita est cum omnibus pertinentiis suis; Parmen., Regien., Mutinen., Bononien., Imolen., Faventin., Forolivien., Foropopulien., Cæsenaten., Bobien., Cervien., Comaclen., et Adrien. episcopatus, monasterium Galiaten., monasterium Sancti Apollinaris in Classe, monasterium Sancti Severi, monasterium Sancti Laurentii foris murum, monasterium Sanctæ Mariæ Rotundæ, monasterium Sanctæ Mamæ, monasterium Sancti Apollinaris novi, monasterium Sancti Joannis Evangelistæ, monasterium Sanctæ Mariæ in Cosmedin, monasterium Sancti Mercurialis, monasterium Sancti Vitalis, et monasterium Sancti Andreæ, et canonicam Sanctæ Mariæ in Portu, salva compositione, quæ in præsentia nostra inter se ac ipsam ecclesiam intercessit, et jus, quod habes in monasterio Sanctæ Mariæ de Urano, et in canonica Sancti Clementis, canonicam Sancti Georgii in Tabula, non longe a muris urbis Ravennæ sitam, ecclesiam Sancti Bartholomæi de Mauriano, plebem Sanctæ Mariæ, quæ vocatur in Portu, plebem Materii, plebem Sancti Viti, plebem Sancti Venantii de Capite Cannetti, plebem Sancti Apollinaris de comitatu Rodigii cum capellis suis, monasterium Sancti Petri in Maon. In comitatu Pensaurien. castrum Gazolæ, castrum Ligabizzi et castrum Granarolæ cum curtibus, jurisdictione et pertinentiis suis. In

comitatu Arimen., castrum montis Columbi cum jurisdictione temporali, et aliis pertinentiis suis, castrum montis Crucis cum curtibus, jurisdictione temporali et pertinentiis suis; districtum Ravennatis urbis, ripam integram, monetam, teloneum, muros, et omnes portas civitatis; Comaclensem comitatum cum honoribus, et pertinentiis suis. In civitate Ariminensi, monasterium Sancti Thomæ Apostoli et Sanctæ Euphemiæ Virginis, montem castri Ubaldi, montem Cerni, castrum Ossaniæ et castrum montis Boddi, et alias possessiones, quas ecclesia tua habet in Marchia per diversos comitatus. In comitatu Arimen., montem Genianum, Marazanum, villam Corlianam, castrum Savignani, castrum Montiliani, castrum Montis Novi. In episcopatu Cæsenatensi, castrum Subrivolæ, castrum Montiscucchi, castrum Salliani, castrum montis Gerardi, castrum Serzani et Flarbani, castrum Deuleguardi et castrum Casalecchi et Rudiliani, et castrum Stagnani, villam Rotæ et castrum Rivarsani, castrum de Monte, et castrum Ronchi cum curtibus, jurisdictione et pertinentiis suis. In episcopatu Populiensi, castrum novum, castrum Tuderani, castrum Quiliani, castrum Bagnoli, castrum Molini veteris et castrum montis Bovarii cum curtibus, jurisdictione et pertinentiis suis.

In episcopatu Faventino, castrum Aurioli, castrum Tribani et villam Sancti Pontii. In comitatu Imolen., villam Lucii cum curtibus, jurisdictione et pertinentiis suis. In territorio Ravennæ Rovendulam, villam Sancti Pancratii, et villam S. Archangeli, villam Ruffi, et Caboy, et castrum Casemurate cum curtibus, jurisdictione et pertinentiis suis, et comitatum Argentæ, idest ipsam Argentam cum Pado, ripis, paludibus, et piscariis suis, stratis, viis, pascuis, sylvis, et publicariis universis, et cum integro comitatu Argentæ, videlicet villam Portus, et totum plebenatum ejus; scilicet caput Sandalis, Grasalum, Ripam perfici, Vergundinum, portum Veterariæ, Sandalum, Materium, Cavallum, et curtem de Podio cum placito, districtu et omni jurisdictione a principio comitatus Argentæ usque Ravennam. Usum quoque pallii, plenitudinem videlicet pontificalis officii, tuæ fraternitati Apostolicæ Sedis liberalitate largimur, quo infra ecclesiam tuam utaris diebus inferius annotatis, videlicet in Nativitate Domini, festivitate protomartyris Stephani, Circumcisione Domini, Epiphania, Ypapanti, Dominica in ramis Palmarum, Cœna Domini, sabbato sancto, feria secunda post Pascha, Ascensione, Pentecosten, tribus festivitatibus beatæ Mariæ, natali beati Joannis Baptistæ, solemnitatibus omnium Apostolorum, commemoratione omnium sanctorum, dedicationibus ecclesiarum, anniversario tuæ consecrationis die, ecclesiæ tuæ principalibus festivitatibus, consecrationibus episcoporum, et ordinationibus clericorum. Ad hæc adjicientes arctius inhibemus, ne quis cœmeteria ecclesiarum et ecclesiastica beneficia hæreditario jure possideat, quod si quis facere forte præsumpserit, censura canonica compescatur. Præterea quod communi assensu capituli tui, vel partis consilii sanioris in tua diœcesi per te, vel successores tuos fuerit canonice institutum, ratum et firmum volumus permanere. Prohibemus insuper, ne excommunicatos, vel interdictos tuos ad officium vel communionem ecclesiasticam sine conscientia et consensu tuo quisquam admittat, aut contra sententiam tuam canonice promulgatam aliquis venire præsumat, nisi forte periculum mortis immineat, aut dum præsentiam tuam habere nequiverint, per alium secundum formam Ecclesiæ satisfactione præmissa, oporteat ligatum absolvi. Sacrorum quoque canonum auctoritatem sequentes, statuimus, ut nullus archiepiscopus, vel episcopus absque tuo, vel successorum tuorum assensu conventus celebrare, causas etiam vel ecclesiastica negotia in Ravennatensi diœcesi, nisi per Romanum pontificem, vel ejus legatum fuerit eidem injunctum, tractrare præsumat. Illam quoque abusivam consuetudinem, vel potius abominabilem corruptelam, qua cives Ravennates, archiepiscopo decedente, bona mobilia archiepiscopatus tamquam ad eos jure successionis pertineant, rapiunt, et asportant, inhibentes electo, ne ingrediatur archiepiscopale palatium, nisi prius juret se illorum consuetudines servaturum, penitus abolemus sub interminatione anathematis prohibentes ne talia de cætero attententur. Porro consuetudinem, quam in portanda cruce, et tintinnabulo cum prædecessoribus tuis usque ad hæc tempora servavisti, videlicet ut quocumque iveritis excepta urbe, et tribus milliariis prope, et

tribus milliariis a loco ubi fuerit Romanus pontifex, crucem et tintinnabulum sine contradictione qualibet de Sedis Apostolicæ licentia deferatis, et signare, ac signando benedicere, ubicumqae cum prædictis insignibus fueritis, sine præsumptionis nota, possitis, auctoritate Apostolica confirmamus, salva tamen moderatione Concilii generalis. Libertates quoque, et rationabiles ac approbatas consuetudines ecclesiæ tuæ in civitate, diœcesi vel metropoli ejus tam circa spiritualia, quam temporalia, sicut eas juste ac pacifice obtinet, confirmamus. Ad hæc districtius inhibemus, ne quis terras, aut homines ipsius ecclesiæ ubicumque consistant, indebitis et insolitis servitiis, vel exactionibus aggravare præsumat.

Præterea quia ecclesia tua gravia frequenter dicitur incurrisse dispendia, ex eo quod prædecessores tui non adhibitis testibus consueverunt suos celebrare contractus : volentes indemnitati ejus in posterum præcavere, districtius inhibemus, ne contractus ipsius ecclesiæ sine adhibitione testium de cætero celebrentur, et si qui amodo facti fuerint viribus careant, tamquam contra inhibitionem Apostolicam attentati. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat præfatam ecclesiam temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare; sed omnia integra conserventur eorum, pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura, salva Sedis Apostolicæ auctoritate. Si qua igitur in futurum ecclesiastica, sæcularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit; potestatis honorisque sui careat dignitate, reamque se divino judicio existere, de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore et sanguine Dei, ac Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ subjaceat ultioni, Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus et hic fructum bonæ actionis percipiant, et apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Datum Laterani, per manum magistri Guidonis domini papæ notarii, secundo idus maii, indictione XII, Incarnationis Dominicæ anno MCCXXIV, pontificatus vero domini Honorii papæ III anno octavo.

CCXVII

Ad episcopum et archidiaconum Aretinos.

14 maii 1224.

[Mittarelli, Annal. Camaldul., IV, app. 435.]

Mandat ut causam inter fratres Heremi Camaldulensis et vicecomitem de Campilio, laicos clericosque Senensis et Clusinæ diœcesum super reformatione monasterii de Vivo existentem decidant.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri episcopo et dilecto filio archidiacono Aretinis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Dilecti filii prior et fratres Heremi Camaldulensis suam ad nos quærimoniam destinarunt, quod... vicecomes de Campilio et quidam alii clerici et laici Senensis et Clusinæ diœcesum super reformatione ipsorum monasterii de Vivo graves eis existunt plurimum et molesti. Ideoque fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus partibus convocatis audiatis causam, et appellatione remota, fine debito terminetis, facientes quod decreveritis per censuram ecclesiasticam firmiter observari Testes autem, etc. Datum Laterani, II idus maii, pontificatus nostri anno octavo.

CCXVIII

Ad præpositum et capitulum de Bergerdorpe.

14 maii 1224.

[Lappenberg, Hamburg. Urkundenbuch, I, 417, 479.]

Eos cum omnibus bonis sub beati Petri et sua protectione suscipit.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis præposito et capitulo de Bergerdorpe, salutem et Apostolicam benedictionem.

Justis petentium desideriis dignum est nos facilem præbere assensum et vota quæ a rationis tramite non discordant, effectu prosequente complere. Eapropter, dilecti in Christo filii, vestris justis precibus inclinati, personas vestris justis precibus inclinati, estis obsequio mancipati, cum omnibus bo-

nis, quæ in præsentiarum rationabiliter possidet, aut in futurum justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus. Specialiter autem possessiones, terras et alia bona vestra, sicut ea omnia juste, canonice ac pacifice possidetis, vobis et per vos ecclesiæ vestræ auctoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ protectionis et confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli, apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Laterani, II idus maii, pontificatus nostri anno octavo.

CCXIX

Ad priorissam ac sorores hospitalis S. Nicolai de Ditiaco.

14 maii **1224**.

[Gallia Christiana, III, inst. 91.]

Eis statutum P. Atrebatensis episcopi, loci diœcesani, confirmat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis in Christo filiabus priorissæ, ac sororibus hospitalis S. Nicolai de Ditiaco, salutem et Apostolicam benedictionem.

Solet annuere Sedes Apostolica piis votis, et honestis petentium precibus favorem benivolum impertiri. Ex parte siquidem vestra fuit nobis humiliter supplicatum, ut, quum olim venerabilis frater noster P. Atrebatensis episcopus, loci diœcesanus, ad supplicationem vestram provida deliberatione statuerit, ut hospitalis vestri sorores, nullum ordinem tunc professæ, secundum beati Augustini regulam et institutionem, ac observationem ecclesiæ S. Victoris Parisiensis, in eodem loco Domino deservirent, statutum hujusmodi Apostolico dignaremur munimine roborare. Nos igitur vestris supplicationibus inclinati, quod ab episcopo ipso super hoc pie ac provide factum est, et in ipsius episcopi litteris plenius dicitur contineri, auctoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti privilegio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli, apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Laterani, II idus maii, pontificatus nostri anno octavo.

CCXX

Ad S. Savini Pisani et S. Hippolyti Faventini abbates et priorem S. Michaelis Aretii.

15 maii **1223**.

[Manrique, Annales Camaldul., IV, app. 437.]

Mandat ut Heremo Camaldulensi auxilium liberaliter feratur.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis.., Sancti Savini Pisani et Sancti Hippolyti Faventini abbatibus et priori... Sancti Michaelis Aretii, salutem et Apostolicam benedictionem.

Exhibita nobis prioris et fratrum Camaldulensis Heremi petitio continebat, quod dicta heremus in Alpibus et loco arido constituta gravi gravata est onere debitorum, a quibus nisi congruum remedium apponatur, vix unquam poterit, cum magnam partem suorum reddituum fenus absorbeat, liberari. Quare iidem prior et fratres cum instantia petierunt ut cum secundum statuta sit Lateranensis concilii sustinendum, quod pro multis necessitatibus, quæ aliquoties superveniunt ex manifesta et rationabili causa, moderatum cum caritate possit a subditis auxilium postulari, providere super hoc misericorditer dignaremur. Cum autem prælatos et subditos ecclesiarum ipsi Heremo subjectos tanta ejus necessitas non minus quam propria augere debeat, dum gravius matris, quam suam filius ferre ignominiam consuevit, eos attente monendos duximus et hortandos, nostris sibi dantes litteris in mandatis, ut eidem Heremo matri suæ super suis necessitatibus filiali compatientes affectu, auxilium, quod ad hoc dicti prior et fratres ab ipsis cum caritate petierunt moderatum, liberaliter largiantur, ne, quod absit, idem Heremus in eam difficultatem deveniat, de qua se non possit postmodum expedire. Post hæc et enim dicti prælati et subditi communicantes, sicut devoti filii, matris suæ necessitatibus, eique aperientes viscera pietatis, benedictione dignos se

reddent et gratia, Heremoque prædicto universis contribuentibus consuletur, nec eis erit subsidium hujusmodi partitum per singulos ad gravamen. Quod si iidem vobis non acquieverint in hac parte, cum membra, quæ capitis dolorem non sentiunt, stupida sint censenda vel a corpore peregrina, dum non est membrum, quod non debeat compati capiti, ejusque affici angustiis, et passionibus condolere contra eos, qui poterant facere de necessitate virtutem et meritum sibi ex debito comparare, aliud super hoc disponere compellemur. Quocirca discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus prælatos et subditos sæpedictos ad id moneatis attentius et efficaciter inducatis. Quod si non omnes his exsequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nihilominus exsequantur. Datum Laterani, idibus maii, pontificatus nostri anno octavo.

CCXXI

Ad priorem et conventum Camaldulenses.

5 maii 1223.

[Mittarelli, Annal. Camaldul., IV, app. 262.]

Inhibet ne contra eos a regulari correctione abbates vel priores ordini eorum subjecti appellationis obstaculum temere interponant.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis... priori et conventui Camaldul., salutem et Apostolicam benedictionem.

Ex parte vestra fuit propositum coram nobis, quod frequenter accidit, quod cum aliquos vultis abbates seu priores ordini vestro subjectos amovere a monasteriorum regimine, vel de suis excessibus castigare, sicut ejusdem exigunt ordinis instituta, iidem, ut canonicam correctionem eludant, in vocem appellationis frivolæ mox prorumpunt, occasione hujusmodi vos et monasteria vestra, quæ a vobis tenentur, multis expensis et laboribus fatigantes. Quare humiliter supplicastis, ut cum illi ad defensionem iniquitatis usurpent, quod ad præsidium innocentium dignoscitur institutum, eis appellandi taliter aditum præcludere dignaremur. Quia ergo sicut nec prælati valent sine causa gravare subjectos, sic nec subditi pro sola voluntate sub appellationis obtentu correctionem possunt eludere prælatorum, vestris supplicationibus inclinati, auctoritate præsentium districtius inhibemus, ne contra vos a regulari correctione prædicti abbates et priores appellationis obstaculum temere interponant. Nulli ergo, etc., nostræ inhibitionis, etc. Datum Laterani, idibus maii, pontificatus nostri anno octavo.

CCXXII

Ad monasterium Sancti Georgii.

17 maii 1224.

[Cornelius, Ecclesiæ Venetæ, VIII, 236.]

Monasterium S. Georgii, quod est situm juxta Venetias, tuendum suscipit, atque ejus bona confirmat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Paulo abbati monasterii Sancti Georgii, quod est situm juxta Venetias, ejusque fratribus tam præsentibus quam futuris, regularem vitam professis in perpetuum.

Piæ postulatio voluntatis effectu debet prosequente compleri, quatenus et devotionis sinceritas laudabiliter enitescat, et utilitas postulata vires indubitanter assumat. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, et præfatum monasterium S. Georgii, in quo divino estis obsequio mancipati, ad exemplar felicis recordationis Calixti papæ, prædecessoris nostri, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et præsentis scripti patrocimio communimus, in primis siquidem statuentes, ut ordo monasticus, qui secundum Deum et beati Benedicti regulam in eodem monasterio institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea quascumque possessiones, quæcumque bona idem monasterium in præsentiarum juste et canonice possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant; in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis : Locum ipsum, in quo præfatum monasterium situm est, cum pertinentiis suis, possessiones, terras, domos et redditus, quos habetis in Venetiis, vineam muratam cum pertinentiis suis, possessionibus; terras, vineas, salinas, domos, et redditus, quos habetis in Cluia majori vel minori Palestrina; quic-

quid habetis apud Torcellum; possessiones, terras, vineas, nemora, paludes, et domos et redditus quos habetis tam in civitate quam diœcesi Paduana; quicquid habetis apud Tarvisium, Bononiam, Terigestum et apud Ariminum: per præsentis enim privilegii paginam Apostolica auctoritate statuimus, ut locus idem sub beati Petri tutela et protectione liber in perpetuum conservetur. Nec patriarcha, nec episcopus, neque persona quælibet ecclesiastica sæcularisve vos præsumat ad concilium cogere, aut vos excommunicationis, seu etiam interdicti sententiam promulgare in monasterio ipso, quicquam præter vestram voluntatem statuere, aut monachos vestros excommunicatos, sive electos vel fugitivos absolvere vel suscipere, aut sine vestro consensu ad ordines promovere. Chrisma vero et oleum sanctum, consecrationes altarium sive basilicarum, ordinationes monachorum, qui ad sacros fuerint ordines promovendi, a diœcesano accipietis episcopo, siquidem gratiam et communionem Apostolicæ Sedis habuerit, et si ea gratis ac sine pravitate voluerit exhibere; alioquin pro eorumdem sacramentorum susceptione catholicum [quem] malueritis antistitem adeatis, qui Apostolicæ Sedis fultus auctoritate, quod postulatur, indulgeat. Obeunte vero te, nunc ejusdem loci abbate, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet subreptionis astutia vel violentia præponatur, nisi quem fratres communi consensu vel fratrum pars consilii sanioris secundum Dei timorem et beati Benedicti providerint eligendum. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat præfatum monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur eorum pro quorum gubernatione aut sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura, salva Sedis Apostolicæ auctoritate. Ad indicium autem perceptæ hujus a Romana Ecclesia libertatis aureos duos singulis annis nobis nostrisque successoribus persolvetis. Si quis igitur in futurum patriarcha, archiepiscopus, episcopus, aut ecclesiastica persona quælibet, sæcularisve persona, hanc nostram constitutionis paginam sciens contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore et sanguine Dei et Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus et hic fructum bonæ actionis percipiant, et apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen.

Ego Honorius, catholicæ Ecclesiæ episc.

Ego Leo, tit. sanctæ Crucis in Hierusalem presb. card.

Ego Guala, Sancti Martini presb. card. tit. Equitii.

Ego Stephanus, basilicæ duodecim Apostolorum presb. card.

Ego Thomas, tit. Sanctæ Sabinæ presb. card.

Ego Johannes, tit. Sanctæ Praxedis presb. card.

Ego Hugo, Hostiensis et Velletrensis episcopus.

Ego Pelagius, Alban. episcopus.

Ego Nicolaus, Tusculanus episcopus.

Ego Guido, Prenestinus episcopus.

Ego Octavianus, SS. Sergii et Bachi diac. card.

Ego Gergorius, S. Theod. diac. card.

Ego Romanus, S. Angeli diac. card.

Ego Stephanus, S. Adriani. diac. card.

Datum Laterani, per manum Guidonis domini papæ notarii, XVI kal. junii, pontificatus vero domini Honorii III anno octavo.

CCXXIII

Ad episcopum Silvanectensem, decanum Belvacensem et priorem Sancti Victoris Parisiensis.

17 maii 1224.

[Regest., lib. VIII, epist. 498. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat ut causam, inter præpositum, decanum et capitulum Suessionensem ex una parte et majorem, juratos et communiam Suessionensem ex altera vertentem, audiant.

Honorius, etc., venerabili fratri episcopo Silvanectensi, dilectis filiis decano Belvacensi, et... priori Sancti Victoris Parisiensi, salutem, etc.

Dilecti filii.... præpositus.... decanus, et

capitulum Suessionenses nostris auribus intimarunt, quod quum dudum contra... majorem, juratos et communiam Suessionenses super eo quod jurisdictionem consuetam, et debitam, eosdem in terra sua exercere libere non permittant, et quibusdam aliis articulis ad... decanum Cameracensem et conjudices suos nostras litteras impetrassent, demum ipsi, propter contumaciam suam, in expensis sibi legitimis condemnati ab eis, nostram audientiam appellarunt; quorum appellatione iidem frivola reputata, excommunicationis et interdicti tulerunt sententias in eosdem. Postmodum vero de utriusque partis procuratorum assensu causam ipsam, quoad expensarum et appellationis articulum tantum, vobis duximus committendam; sed cum super principali et aliis, quæ causam contingunt eamdem, quorum cognitione subterfugit pars adversa, velint coram vobis etiam experiri, nobis humiliter supplicarunt, ut hæc vobis committere dignaremur. Volentes igitur, ut finis litibus imponatur, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus tum super principali, quum super his, quæ vobis commisimus, et aliis articulis negotium contingentibus, audiatis causam et, si de partium fuerit voluntate, ipsam fine debito terminetis; alioquin eamdem sufficienter instructam ad nostrum remittatis examen, præfixo partibus termino competenti, quo per procuratores idoneos nostro se conspectiu repræsentent, justam, auctorante Domino, sententiam recepturæ. Testes autem, etc. Quod si non omnes, etc. Datum Laterani, XVI kalendas junii, anno octavo.

CCXXIV

Ad episcopum, priorem Sancti Petri, et archidiaconum Belliori, Matisconensis.

18 maii 1224.

[Regest., lib. VIII, epist. 490. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat ut archiepiscopus Lugdunensis R. diacono ecclesiæ Eduensis in beneficio præbendali provideat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri episcopo et dilectis filiis priori Sancti Petri, et... archidiacono Belliori Matisconensis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Ad nostram audientiam dilecto filio R. diacono referente pervenit, quod quum olim bonæ memoriæ Eduensi episcopo, qui eum in diaconum ordinavit, pro eo de Eduen. diœcesi oriundo, direxerimus scripta nostra ut sibi, nullum ecclesiasticum beneficium assecuto, si foret idoneus, et in ecclesia Sanctæ Mariæ de Monteregali non fuisset per eum alicui de mandato nostro provisum, provideret ibidem in beneficio præbendali...priore, ac... cantore Cluniacensibus sibi super hoc monitoribus deputatis, idem episcopus, tam mandatum nostrum quam monitiones ipsorum pertransiens aure surda, quod mandavimus efficere non curavit; licet autem nostras eidem diacono præceptorias litteras postmodum ad episcopum concessissemus præfatum, eodem tamen interim viam universæ carnis ingresso, dictus diaconus præscriptis præceptoriis non est usus, propter quod jam tertio, non sine magnis laboribus et expensis, Apostolicæ Sedis est idem diaconus coactus beneficium implorare. Quare a nobis humiliter postulabat, ut venerabili fratri nostro... Lugdunensi archiepiscopo, cui procuratio episcopatus imminet Eduensis, pro eo super hoc scripta nostra dirigere dignaremur. Nos igitur laboribus et expensis diaconi memorati paterno compatientes affectu, eidem archiepiscopo nostris dedimus litteris in mandatis, ut ei pietatis intuitu precumque nostrarum obtentu, juxta primi mandati nostri tenorem ad episcopum supradictum directi, in ecclesia nominata provideat in beneficio præbendali. Quocirca discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus dictum archiepiscopum ad id moneatis attente, et efficaciter inducere procuretis. Quod si non omnes his exsequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nihilominus exsequantur. Datum Laterani, XV kalendas junii, anno octavo.

CCXXV

Ad Monaldum, Forosempronlensem episcopum.

19 maii 1224.

[Ughelli, Italia sacra, II, 828.]

Ecclesiam Forosemproniensem sub sua et beati Petri protectione suscipit, omniaque ejus bona, quorum plurima recenset, confirmat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Monaldo, Forosemproniensi episcopo, ejusdem successoribus canonice substituendis in perpetuum.

In eminenti Apostolicæ Sedis specula, disponente Domino, constituti, fratres nostros episcopos, tam propinquos quam longe positos, fraterna debemus caritate diligere, et commissas eorum gubernationi ecclesias patrocinio Sedis communire, quo ex suscepti executione officii tanto vigilantiores possint semper existere, quanto a pravorum incursibus securiores se viderint permanere. Eapropter, venerabilis in Christo episcope, tuis justis postulationibus clementer annuimus, et Forosemproniensem ecclesiam, cui, auctore Deo, præesse dignosceris, ad exemplar prædecessorum nostrorum felicis memoriæ Victoris, Alexandri secundi, Gregorii septimi, Pascalis, Innocentii, Eugenii, Anastasii, Adriani, Alexandri III, Lucii et Innocentii, Romanorum pontificum sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et præsentis scripti privilegio communimus, statuentes ut quascumque possessiones, quæcumque bona eadem ecclesia in præsentiarum juste et canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma tibi tuisque successoribus et illibata permaneant, in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis; civitatem ipsam Forosemproniensem cum aliis et omnibus suis pertinentiis; plebem S. Martini cum capellis, et aliis pertinentiis suis; plebem Sancti Hippolyti cum ipso castro. quod dicitur castrum S. Hippolyti cum capellis et aliis pertinentiis suis; plebem Sancti Floriani cum castro ipsius plebis, et capellis, et aliis pertinentiis suis; plebem Sancti Petri in Caruco, cum capellis et aliis pertinentiis suis; castrum quod dicitur Sancti Andreæ cum omnibus pertinentiis suis; castrum montis Blondi cum pertinentiis suis; castrum montis Cerasoli cum pertinentiis suis; castrum Parasacchi cum pertinentiis suis; castrum Scarleni cum curte et aliis pertinentiis suis; montem Felcinum cum pertinentiis suis; montem Orasi, cum castro montis conversorum, et omnibus aliis suis pertinentiis; montem, qui olim dicebatur castrum Salvatoris, cum pertinentiis suis; castrum Vallis cum omnibus pertinentiis; castrum Carpineti cum pertinentiis suis; castrum Levissi Torquati cum curte et omnibus suis pertinentiis; castrum Sarbilungi, cum omnibus pertinentiis suis; castrum Caspissæ, cum curte, et aliis suis pertinentiis; castellarium, quod dicitur Roffundum, cum omnibus suis pertinentiis; mansum unum, quem tenet hæres Raynerii de Girardo in curte de Nubilaria, cum omnibus pertinentiis; monasterium Sancti Christophori de Castellaro, cum castro et omnibus suis pertinentiis; monasterium Sanctæ Faustinæ, cum omnibus suis pertinentiis; monasterium Sancti Maurentis; monasterium de Astreto; monasterium Sancti Terentii, cum omnibus pertinentiis. Insuper in comitatu Fani, montem qui dicitur mons Calvus, cum suis pertinentiis, et montem, qui dicitur mons Fani, cum pertinentiis suis: capellam Sancti Petri, cum toto ipso castro de Plano, cum tota ipsa massa de Plano, cum vivorum ac defunctorum redditibus universis et aliis pertinentiis suis. In comitatu Forosemproniensi, terram in integrum, quanta juris nostri palatii fuit, nec non et totum publicum qui sacræ Ecclesiæ Romanæ pertinuit. In comitatu Calliensi, castrum quod dicitur mons Catulus, cum aquis, molendinis suisque aliis pertinentiis; plebem Sancti Johannis in Sorbitulo, cum capellis, et castellis omnibus, quæ sunt in tota massa de Sorbitulo, cum decimis, et oblationibus vivorum ac defunctorum redditibus, et consecrationibus universis, cum sylvis, aquis, molendinis, pratis, vineis, terris cultis et incultis, et aliis omnibus eorum pertinentiis, capellam Sanctæ Andreæ de Loreto, cum castro et aliis suis pertinentiis; monasterium Sanctæ Mariæ in Portuno, cum omnibus suis pertinentiis; castrum montis Aldani, cum omnibus ad se pertinentibus, de quibus supradictis annis singulis sacro-

sanctæ Romanæ Ecclesiæ bisantium unum census nomine Semproniensis ecclesia teneatur exsolvere.

Ut autem majori parte gaudere possis, in posterum fines episcopatus Forosemproniensis tibi tuisque successoribus confirmamus; sicut finibus ipsis idem episcopatus distinguitur, et prædecessores tui eos usque ad hæc tempora rationabiliter possedisse noscuntur, utique fines tales sunt, incipiunt ex parte Fani a rivo majori, ubi intrat in Metaurum sub ponte Sancti Cypriani et ascendit per ipsum rivum usque ad Trivium Suffanariæ, et descendit in rivum putridum, ascenditque per eumdem rivum usque ad alium rivum, qui vocatur Dulce, et per ipsum rivum usque ad montem Aldi, et sic ascendit per Thesanum usque ad terram Urbinatam, descendentes per pontem Maurum veterem, ascenduntque usque ad rivum Caudiliani, et sic durant per ipsum rivum usque in focem Petræ pertusæ, et transilientes per montem Ferri transeunt usque ad Spongiam, et vadunt usque ad rivum montis Casuli, et transeunt per castrum Noricle ad Sanctum Blasium et hinc ascendunt ad Sanctum Petrum, et campum, et descendunt ad apicem Albelli, ascenduntque per fossam sancti Marci, usque ad crucem sancti Martini, inde descendunt per fossam Dulionis, et Farasti, ascendunt ad fossam Varangulæ, ad Senum ad terram Salatam, emergunt et sic durant usque Censuæ, et ascendunt in Neulam Brungalensem, et hinc usque ad Susannum fluvium, transeuntes per Camajorem ascendunt in terram Boccabelli, et sic durant usque in montem Bilii, et transeunt per Rovetum in Forratum Longi usque ad trivium Peossi, et ascendunt ad crucem sancti Bartoli, et sic per terram Morellam descendunt in rivum Callii, sic usque in Metaurum, qui primus finis est.

Jus autem episcopale in eeclesiis, et capellis, sive in monasteriis, castris, et villis, quæ infra hos fines continentur, tibi, et successoribus tuis duximus confirmandum, sicut jus ipsum antecessores tui juste percipere consueverunt. Præterea sententiam quam piæ recordationis prædecessor noster Alexander II de plebe Sancti Johannis, quæ dicitur de Sorbitulo, cum cæteris ecclesiis de massa Sorbitulo inter bonæ memoriæ Benedictum prædecessorem tuum Forosemproniensem et Guillelmum Senogalliensem episcopos protulit, et eam privilegii munimine roboravit, ratam habentes, eamdem plebem cum præfatis ecclesiis, decimis, oblationibus vivorum, ac defunctorum et consecrationibus universis, tibi et ecclesiæ tuæ Apostolica auctoritate confirmamus, et præsentis scripti privilegio communimus; Ad majorem autem ecclesiæ tuæ cautelam, ipsius sententiæ formam sicut in ejus authentico continetur, cujus tenor talis est:

Quum in Dei omnipotentis nomine, et reverentia in sacrosancto Lateranensi palatio dominus papa Alexander cum quamplurimis resideret episcopis, quorum hic sunt nomina, quæ sequuntur: In primis dominus Ildebrandus, sanctæ Romanæ Ecclesiæ archidiaconus, nec non et dominus Petrus Damianus Ostiensis ecclesiæ episcopus, et D. Bonifacius Albanensis episcopus, et dominus Mainardus Sutriensis, et D. Hugo Eugubinensis ecclesiæ episcopus, et dominus Mainardus Urbinatensis, et dominus Arduinus Fanensis episcopus, et D. Guillelmus Humanensis episcopus, et dominus Hugo Calliensis episcopus, et dominus Dominicus Pisaurensis episcopus, et D. Lotharius Auximanensis ecclesiæ episcopus, et alii quamplures, in quorum omnium præsentia surgens Guillelmus Senogalliensis episcopus, inquit; Domine pater reverende, vestræ sanctissimæ conqueror pietati super fratre nostro Benedicto Forosemproniensi episcopo, qui quamdam ecclesiam nostræ diœcesis, cujus vocabulum est Johannis, quæ dicitur in Sorbitulo, cum suis ecclesiis eidem massæ, quam nobis, et nostræ ecclesiæ sacra contendit, et sibi temere usurpare præsumpserit, unde vestram deprecor pietatem, ut nostræ ecclesiæ justitiam facere dignemini. Tunc dominus Petrus Damianus cœpit exponere, quatenus dominus Victor sanctæ Romanæ Ecclesiæ antistes, Forosemproniensi ecclesiæ, motus pietate paupertatis ejusdem, cum decimis, et oblationibus universis miserando concesserit, suoque dominio mancipaverit ejusdem massæ Ecclesias universas, iisdem redditibus prælibatis. Quo referente, idem cæteri protestati sunt, quod hæc vera esset assertio. Quod audiens dominus papa Alexander cunctis audientibus, placido ore inquit: Quod a prædecessore nostro bonæ memoriæ do-

mino Victore, vobis referentibus, statutum agnovimus, firmum et ratum esse censemus, et præcipimus, ut deinceps D. Guillelmus Senogalliensis episcopus, nec illius successores inquietare audeant Benedictum Forosemproniensem episcopum, vel ejus successores in perpetuum. Quod si amplius inquietare tentaverit, sit in pœna ducentorum solidorum aureorum medietatem ecclesiæ supradictæ. Actum est hoc mense maii, die vero decima, indictione decima tertia.

« Ego Sergius sanctæ Romanæ Ecclesiæ scriniarius, hæc acta scripsi. »

Decernimus ergo, etc. Si qua igitur, etc. Cunctis autem, etc. Amen.

Ego Honorius, catholicæ Ecclesiæ episc.

Ego Hugo, Hostiensis et Velitren. episc.

Ego Pelagius, Albanensis episcopus.

Ego Nicolaus, Tusculanensis episcopus.

Ego Leo, tit. S. Crucis in Hierusalem presbyter card.

Ego Guala, S. Martini presbyter card.

Ego Gregorius, tituli Sanctæ Anastasiæ presbyter card.

Ego Joannes, S. Praxedis presbyter card.

Ego Octavianus, SS. Sergii et Bacchi diac.

Ego Gregorius, S. Theodori diac. card.

Ego Romanus, S. Angeli diac. card.

Ego Stephanus, S. Adriani diac. card.

Ego Petrus, S. Georgii ad Velum Aureum presb. card.

Datum Laterani, per manum magistri Guidonis, domini papæ notarii, XIV kal. junii, indict. XII, Incarnationis Dominicæ anno MCCXXIV, pontificatus vero domini Honorii papæ III anno octavo.

CCXXVI

Ad Henricum, Autissiodorensem episc.

20 maii 1224.

[Bouquet, Rec. des Histor., XIX, 754; Regest., lib. VIII, epist. 441.]

Cum Philippus de Curtiniaco, Namurcensis comes, jure suo Autissiodorensem et Tornodorensem terras, injuste a Nivernensi comite ac comitissa occupatas, reposceret, mandat Honorius ut Comitissa ad easdem restituendas terras, nondum comperto Petri, Græcorum imperatoris, obitu, compellatur.

Honorius episcopus..., venerabili fratri episcopo Autissiodorensi (1), salutem, etc.

Si non debet afflicto addi afflictio, nec duplici conteri contritione contritus, hoc, in his qui ab hostibus maxime captivi tenentur, est multo fortius observandum, quibus usque adeo præcipitur misereri, ut ecclesiastica substantia, cujus tam districte alienatio interdicitur, eorum redemptioni obnoxia teneatur. Ex gravi sane querela nobilis viri Philippi comitis Namurcensis accepimus, quod carissimus in Christo filius noster P. (2), imperator Constantinopolitanus illustris, quondam comes Nivernensis, pater ipsius, signo crucis accepto, se devovens ad subsidium Terræ Sanctæ cum terris et liberis suis, donec de reditu ejus vel morte constaret, sub Apostolica recipi protectione meruerit, sicut in nostris et bonæ memoriæ I. Papæ prædecessoris nostri litteris continetur; et imperator ipse in recessu suo, cum ad Constantinopolitanum imperium properaret, Altisiodorum et Tornodorum cum eorum pertinentiis quæ ad eum de jure spectabant, quoad viveret Imperator prædictus, sibi concesserit, imposita ei necessitate satisfaciendi de debitis in quibus pater suus creditoribus tenebatur, claræ memoriæ H(erveus) comes Nivernensis, falsis de obitu ipsius Imperatoris confictis rumoribus, præfatum Ph. terris illis quas diu post patris sui discessum in pace possederat, per violentiam spoliavit, et eas etiam relicta ejus nobilis mulier comitissa Nivernensis (Mathildis) indebite retinet et restituere contradicit. Quare de hujusmodi debitis, quæ de proventibus dictarum terrarum fuerunt exsolvenda, satisfieri non potuit, et memoratus Ph. jure in eis concesso remanet destitutus.

Illud a nobis cum instantia petebatur, ut, cum prænominatus Imperator in captivitate sit hostium adhuc vivens, et cum terris et liberis suis sub beati Petri et nostra protectione consistat, providere super hoc misericorditer dignaremur. Credentes igitur te tamquam devotum Christi ministrum moveri super præmissis compassionis affectu, fraternitatem tuam rogamus et hortamur attente, quatenus comitissam eamdem ad restitutionem terrarum ipsarum sollicite ac diligenter inducas, ita quod in hoc tuus per effectum appareat interventus. Alioquin di-

(1) Henrico de Villanova.

(2) Petrus de Curtiniaco.

lectis filiis Ferrariarum et Sancti Severini Castrinantonis abbatibus et camerario Ferrariarum Senonensis diœcesis, nostris damus in mandatis, ut dictam comitissam ad restituendum terras ipsas cum perceptis inde medio tempore fructibus, monitione præmissa, per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, justitia mediante, compellas (1). Datum Laterani, XIII kal. junii, anno octavo.

CCXXVII

Ad Blancham, Franciæ reginam.

20 maii 1224.

[Bouquet, Rec. des Hist., XIX, p. 754. Regest., lib. VIII, ep. 442.]

Roberto de Curtiniaco, qui Constantinopoli Francis et Latinis imperabat, a Græcis redacto ad angustias, Blanchæ excitat pietatem Honorius, ut instanter regem Ludovicum inducat ad ferendum eidem festinum et opportunum auxilium.

Honorius episcopus...., carissimæ in Christo filiæ nostræ illustri reginæ Franciæ, salutem, etc.

Novit regia celsitudo qualiter Dominus, in cujus manu sunt omnium potestates et omnium jura regnorum, in Gallicorum manibus tradidit imperium Romaniæ, quod per eosdem est quasi principaliter hactenus gubernatum, ibique noviter quasi nova Francia est creata; nec ignorat, ut credimus, qualiter nunc, carissimo in Christo filio nostro illustri Constantinopolitano imperatori, consobrino carissimi in Christo filii nostri Ludovici illustris regis Francorum, viri tui, eidem imperio præsidente, diminuta est et diminuitur potentia Gallicorum, adversariis invalescentibus graviter contra eos, ita quod, nisi eidem imperatori celeriter succurratur, timetur ne irreparabile Latinis personarum et rerum detrimentum immineat, et generaliter genti Gallicæ damnum inextimabile (2), sicut plenius intelligi potest quam deceat nos referre (3). Quia igitur nimis esset non solum impium, sed etiam inhumanum, si dictum imperatorem et gentem Gallicam ab inimicis Dei, et Latinorum omnium dictus rex, perire, dum ei potest succurrere, pateretur; magnificentiam suam atten'ius rogandam duximus et hortandam, in remissionem sibi peccaminum injungentes, ut, prudenter advertens quod dictum imperium vix, sine gravi negligentiæ suæ nota, potest amitti, quod tempore patris sui cum grandi virtutis gloria exstitit acquisitum, eidem imperatori, dum adhuc satis commode potest, festinum et opportunum studeat destinare succursum, ita quod gentis Gallicæ, immo Dei et suum zelari probetur honorem, et apud Deum et homines dignis exinde mereatur laudibus commendari. Quocirca magnificentiam tuam rogamus, monemus et hortamur attentius, quatenus dictum regem virum tuum ad id sollicite animes et inducas. Datum Laterani, XIII kal. junii, anno octavo.

CCXXVIII

Ad abbatem et priorem de Camberone.

21 maii 1224.

[Monuments pour servir à l'hist. des prov. de Namur, II, I, 26, n. 18.]

Ut de cætero per litteras Apostolicæ Sedis de causis cognoscere minime teneantur, nisi forte de hujusmodi facerent indulgentia mentionem.

Honorius, etc.

Ut observantiæ ordinis vestri commodius intendere valeatis, præsentium vobis auctoritate concedimus, ut de cætero per aliquas litteras ad vos, impetrandas a nobis, de causis cognoscere non teneamini, nisi forte de hujusmodi facerent indulgentia mentionem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, etc. Datum Laterani, XII kalend. junii, anno octavo.

(1) *Lege* compellant.

(2) *Lege* inæstimabile.

(3) « Cum Robertus Constantinopolis imperator (inquit anonymus Turonensis chronographus, tomo nostro XVIII, pag. 310) juvenili admodum animo et ætate, uxores Græcorum et filias sæpius violasset, terramque necnon et ecclesias innumeris thesaurorum copiis denudasset, eisque male dispersis, fluxui et luxui deditus, mendicasset; Græci, ut credimus, divina suffulti potentia, in imperatoris stolidi detrimentum magnam partem imperii, expulsis et occisis Latinis, suo dominio subjugarunt; et nisi pius et misericors Dominus assueto pietatis oculo post flagella suum populum respexisset, et religio christianæ fidei in illis partibus deperisset, et ipsa Constantinopolis civitas in Græcorum manibus devenisset. Quia dum idem imperator ita dissimulate viveret, in tantum quamdam Græculam adamavit, etc. » Quæ quidem longa est historia, satisque spurcitiis plena. (Bouquet.)

CCXXIX

Ad Conradum episcopum Hildesemensem.

23 maii 1224.

[Sudendorf, Regist., II, 164, n. 76.]

Ut diligenter examinet an ad absolutionem vel condemnationem Henrici Minnike, præpositi S. Mariæ in Goslaria, processurus sit.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri episcopo Hildesemensi, salutem et Apostolicam benedictionem.

Ex parte præpositi S. Mariæ in Goslaria fuit propositum coram nobis, quod tu, notantibus eum quibusdam æmulis suis de hæretica pravitate, non examinatum, nec convictum, nec confessum, capi fecisti eumdem et carcerali detines custodia mancipatum. Unde humiliter postulavit ut examinari ipsum super articulis fidei mandaremus, et, si inventus fuerit sapere contra fidem et juxta mandatum Ecclesiæ ad ejus non redierit unitatem, perpetuo faceremus eum carceri deputari. Quia vero indignum existeret, ut et innocens damnaretur et pœna non sequeretur debita fidei perversorem, fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus præfatum præpositum ad venerabilis fratris nostri Portuensis episcopi, Apostolicæ Sedis legati, cui super hoc dirigimus scripta nostra adducas præsentiam, et coram eo, prælatis instructis in sacra pagina ad hoc specialiter convocatis, examines diligenter ad absolutionem vel condemnationem ipsius, prout secundum Deum et orthodoxæ fidei puritatem expedire videbitur, processurus. Datum Laterani, X kalendas junii, pontificatus nostri anno octavo.

CCXXX

Ad Henricum abbatem monasterii Sanctorum Petri et Pauli atque Mauritii de Ebersheim.

23 maii 1224.

[Wurdtwein, Nova subsidia, XIII, 273.]

Monasterium SS. Petri et Pauli atque Mauritii sociorumque ejus de Ebersheim, situm in pago Alsatiensi super fluvium, qui dicitur Ylla, tuendum suscipit omnesque ejus possessiones ac bona confirmat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Henrico abbati monasterii Sanctorum Petri et Pauli atque Mauritii de Ebersheim, ejusque fratribus tam præsentibus quam futuris regularem vitam professis in perpetuam memoriam.

Quoties a nobis petitur, quod religioni et honestati convenire dignoscitur, animo nos decet libenti concedere, et petentium desideriis congruum suffragium impertiri. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, et præfatum monasterium Sanctorum Petri et Pauli atque Mauritii, sociorumque ejus de Ebersheim, situm in pago Alsatiensi, super fluvium qui dicitur Ylla, in quo divino mancipati estis obsequio, ad exemplar felicis recordationis Lucii papæ prædecessoris nostri, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti privilegio communimus, in primis siquidem statuentes, ut ordo monasticus, qui secundum Dei et beati Benedicti regulam in eodem monasterio institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea quascumque possessiones, quæcumque bona idem monasterium in præsentiarum juste et canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum et principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis : Locum ipsum, in quo præfatum monasterium situm est cum omnibus pertinentiis suis. In Sulza, curtem portæ cum decimis suis, et cum decimis curtis in agris, pratis et vineis. In Regenesheim, decimas duorum mansorum. In Gundolvesheim, decimam quinque mansorum. In Bercholz, decimam unius vineæ. In Balderesheim, in Battenheim, in Rolischesheim, in Bollenwilre decimas, quas in eis habetis; capellam Cellæ cum decimis allodii sui. Capellam Sarmenzhe, cum decimis allodii sui. In Egenesheim, decimas unius Dominicæ curtis. In Sigoltesheim, curtem Dominicam cum omnibus appendiciis suis, vineis, agris et pratis, et banno, et capellam ipsius curtis cum omnibus decimis prædii sui et cum decimis duodecim mansorum, et aliorum duorum mansorum Argentinensis ecclesiæ. In Oleswilre, curtem Dominicam cum decimis ipsius prædii

et banno. In Cunegesheim, curtem cum allodio vinearum et agrorum cum omni decima sua, quod Ringardis regina vobis dedit; insuper allodium in ipsa villa, quod Odalricus vobis dedit. In Scerwilre, curtem Dominicam cum vineis, agris, pratis, et cum decimis et banno ipsius prædii. In Tamwilre, allodium cum agris et pratis, et aquarum decursibus, et capellam cum decimis. In Ebersheim, curtem Dominicam cum forestis et quarta parte banni ipsius villæ. In Cagenheim, curtem Dominicam cum omnibus appendiciis suis et banno. In Sermesheim, curtem Dominicam cum decima salice terræ, et ecclesiam cum decimis ipsius villæ. In Hittenheim, decimas unius Dominicæ curtis. In Mazenheim, decimas sexaginta octo jugerum. In Outenheim, curtem Dominicam et ecclesiam cum decimis ipsius villæ. In Northus, decimas unius Dominicæ curtis. In Hundenesheim et in Lumersheim, similiter. In Valva, curtem Dominicam cum quarta parte banni ipsius villæ. In Birenheim, curtem Dominicam cum medietate banni. In Hiltesheim, curtem Dominicam cum decima ipsius villæ et banno cum omni Mundeburde sua ac libertate. Item in ipsa villa, curtem Dominicam ad sacrarium pertinens cum decimis et omnibus appenditiis suis, scilicet Cellesheim, Conenheim, et Lagenheim. In Azolveswilre, curtem Dominicam cum ecclesia et banno et omni dominio. In Muterholtz, curtem Dominicam cum ecclesia et decimis ipsius villæ, et medietate banni. In Baldenheim, capellam cum medietate decimarum ipsius villæ. In Wittensheim, curtem Dominicam cum tribus partibus banni et ecclesiam ipsius loci cum decimis. In Niveratesheim, allodium et ecclesiam cum decimis ipsius villæ. In Swavesheim, curtem Dominicam cum medietate banni. In Artolvesheim, curtem Dominicam cum ecclesia et decimis ipsius villæ et banno. Capellam in Birnheim cum decimis suis. In Gruzenheim, curtem Dominicam cum tribus partibus banni et omni dominio ipsius villæ et ecclesiam cum decimis suis. In Arzenheim, curtem Dominicam cum omni jure suo. In Burcheim, decimas Dominicæ curtis. In Castineto, prædium unum. In Tambaco, prædium unum. In Illichirchem, tres mansos. In Offenheim, duos mansos. In pago Brisaugiensi, curtem Dominicam in villa Wiswilre, cum omnibus appenditiis suis et ecclesiam cum decimis ipsius villæ, banno et omni dominio, salva in omnibus moderatione Concilii generalis. In Baldolvesheim, novem mansos. In Ibensheim, mansum unum. In Widensolen, mansum et dimidium. In Uresheim, mansum unum. In Atratesheim, tres mansos. In Ostheim, mansum unum. In Onheim, duos mansos. In Veltchirhen, vineam unam et dimidium mansum. In Roleswilre, duos mansos, insuper vineam trium jugerum cum curtibus suis; item aliam vineam. In Bateresheim, duos mansos. In Burcheim, dimidium mansum. In Berolvesheim, novem mansos. In Bliemaresheim, quartam partem mansi. In Hocesheim, duos mansos et dimidium. In Hessenheim, dimidium mansum. In Amrichwilre, vineam unam. In Pfaffenheim, vineam unam. In Dubelsheim, duos mansos. In Hedolvesheim, mansum et dimidium. Et in Mochenheim, dimidium mansum et capellam in Ebersheim sitam, cum omnibus pertinentiis suis.

Sane novalium vestrorum quæ propriis manibus aut sumptibus colitis, sive de nutrimentis animalium vestrorum, nullus a vobis decimas exigere aut extorquere præsumat. Liceat quoque vobis clericos, vel laicos e sæculo fugientes et absolutos ad conversionem recipere, et eos absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper, ut nulli fratrum vestrorum, post factam in eodem loco professionem, fas sit absque abbatis sui licentia, nisi arctioris religionis obtentu de eodem loco discedere; discedentem vero absque communium litterarum vestrarum cautione, nullus audeat retinere. Quum autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis clausis janυis, exclusis excommunicatis et interdictis, non pulsatis campanis, suppressa voce, divina officia celebrare. Sepulturam præterea ipsius loci liberam esse decernimus, ut eorum devotioni et extremæ voluntati, qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi forte excommunicati vel interdicti sint, nullus obsistat, salva tamen justitia illarum ecclesiarum, a quibus mortuorum corpora assumuntur. Obeunte vero te, nunc ejusdem loci abbate, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet subreptionis astutia, seu violentia præponatur, nisi quem fratres communi consensu, vel fratrum pars consilii

sanioris secundum Dei timorem et beati Benedicti regulam, providerint eligendum. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum fas sit præfatum monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur eorum, pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva Sedis Apostolicæ auctoritate, atque ejusdem canonica justitia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica sæcularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum digna satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui careat dignitate, reamque se divino judicio existere, de perpetrata iniquitate cognoscat et a sacratissimo corpore ac sanguine Dei et Domini Redemptoris Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ subjaceat ultioni. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus et hic fructum bonæ actionis percipiant, et apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen.

Ego Honorius, catholicæ Ecclesiæ episcopus.

Ego Pelagius, Albanensis episcopus.

Ego Nicolaus, Tusculanus episcopus.

Ego Leo, tituli S. Crucis in Jerusalem presbyter cardinalis.

Ego Guala, S. Martini presbyter cardinalis tituli Equitii.

Ego Stephanus, basilicæ Duodecim Apostolorum presbyter cardinalis.

Ego Gregorius, tituli Sanctæ Anastasiæ presbyter cardinalis.

Ego Thomas, tituli Sanctæ Sabinæ presbyter cardinalis.

Ego Octavianus, Sanctorum Sergii et Bachi diaconus cardinalis.

Ego Gregorius, Sancti Theodori diaconus cardinalis.

Ego Romanus, Sancti Angeli diaconus cardinalis.

Ego Stephanus, Sancti Adriani diaconus cardinalis.

Ego Petrus, Sancti Georgii ad Velum Aureum diaconus cardinalis.

Datum Laterani, per manum magistri Guidonis, domini papæ notarii, X kalendas junii, indict. XII, Incarnationis Dominicæ anno MCCXXIV, pontificatus vero domini Honorii papæ III anno octavo.

CCXXXI

Ad episcopum et præpositum Ariminenses.

24 maii 1224.

[Fantuzzi, Monum. Ravennati, I, p. 350.]

Ut archiepiscopo Ravennati tribuant licentiam vendendi castrum Savignani.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri.... episcopo et dilecto filio præposito Ariminen., salutem et Apostolicam benedictionem.

Venerabilis frater noster... archiepiscopus Ravennas postulavit a nobis, ut quum vendendo castrum Savignani et de pretio ejus alias possessiones emendo conditionem ecclesiæ suæ possit facere meliorem, id faciendi licentiam sibi concedere dignaremur. Ideoque discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus castro ipso, et pertinentiis ejus, ac possessionibus, quas de pretio ejus disponit eidem archiepiscopus emere, diligenter inspectis, si hoc ipsi ecclesiæ videritis expedire, id agendi cum capituli sui consilio et consensu, eidem archiepiscopo auctoritate nostra licentiam tribuatis, proviso sollicite, quod ejusdem castri pretium in emptionem possessionum sine diminutione qualibet convertatur. Datum Laterani, IX kalendas junii, pontificatus nostri anno octavo.

CCXXXII

Ad abbatem S. Richarii ejusque fratres.

25 maii 1224.

[Regest., lib. VIII, epist. 448. Mss. La Porte du Theil.]

Monasterium S. Richarii sub sua et beati Petri protectione suscipit ac bona, quorum plurima recenset, confirmat.

Honorius, etc., dilectis filiis Hugoni abbati Sancti Richarii ejusque fratribus tam præsentibus, quam futuris regularem vitam professis in perpetuum, salutem et Apostolicam benedictionem.

Ideo sumus, licet immeriti, ad universalis Ecclesiæ regimen providentia supernæ dispositionis assumpti, ut pro universarum ecclesiarum statu vigili debeamus cura sa-

tagere et earum maxime, quæ specialiter ad Apostolicæ Sedis et nostram dispositionem respiciunt et tutelam. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, et monasterium vestrum, in quo divino mancipati estis obsequio, ad exemplar felicis recordationis Alexandri III papæ, prædecessoris nostri, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et ipsum, quod specialiter Apostolicæ Sedis et nostri juris existit, confirmamus et præsentis scripti privilegio communimus, statuentes, ut quascumque possessiones, quæcumque bona idem monasterium in præsentiarum juste et canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis: Villam Sancti Richarii, in qua idem monasterium situm est cum tota ecclesiastica justitia, et quadam parte forensis cum parochiali ecclesiæ Sanctæ Mariæ et capellis ejusdem villæ; Forestense monasterium, villam Bogarii cum duabus partibus decimarum frugum; novam villam; Busejum, Bugniacum, Drusiacum, Majoch, Nocrias, Riverias, Argovium, Cujencurch cum altari, terris et vineis, et nemora in Jansiaco; altare Jullian cum curte et pertinentiis suis; altare Brachi, altare Astiaci, Bredunense cœnobium cum appendiciis suis et parochiali ecclesia. In episcopatu Tornacensi villam, quæ dicitur Capella. In Leodiensi episcopatu, villam, quæ dicitur Mater mortua cum curte et appendiciis, molendina de Griencourt, Villenas, Baispergas, Ahii montis, Wiverentii, Colomintii, Grambusii, Laspanarum, Mitiencurt, nebulosi montis, et de vallibus. Indictum autem, sicut hactenus ecclesia vestra secunda feria post diem Pentecostes celebrare consuevit, vobis confirmamus, et ne quis eos, qui ad ipsum indictum convenerint in bonis, vel personis offendere, vel molestare præsumat, auctoritate Apostolica prohibemus. Obeunte vero te, nunc ejusdem loci abbate, vel tuorum quolibet successorum, nullus tibi qualibet subreptionis astutia, seu violentia præponatur, nisi quem fratres communi consensu vel fratrum pars consilii sanioris secundum Dei timorem, et beati Benedicti regulam de eodem, vel de collegio alterius cœnobii, si ibi aliquis ad hoc regimen dignus repertus non fuerit, providerint eligendum, qui juxta antiquam ecclesiæ vestræ consuetudinem a quocumque malueritis episcopo absque professione et promissione cujuslibet obedientiæ consecretur.

Chrisma vero, oleum sanctum, consecrationes altarium seu basilicarum, ordinationes monachorum, seu clericorum, qui ad sacros ordines fuerint promovendi a diœcesano suscipietis episcopo, si quidem catholicus fuerit et gratiam atque communionem Apostolicæ Sedis habuerit, et ea gratis et absque ulla pravitate voluerit exhibere. Alioquin liceat vobis quem malueritis adire antistitem, qui nostra fultus auctoritate quod postulatur indulgeat. Præterea præsenti scripto sancimus ut nullus archiepiscopus, vel episcopus, seu archidiaconus, vel decanus in præscripto monasterio vel presbyteris, seu burgensibus ejusdem villæ contra antiquam libertatem, potestatem, vel jurisdictionem quamlibet audeat exercere, aut in eadem villa contra eamdem libertatem jus parochiale requirere. Sane novalium vestrorum, quæ propriis manibus aut sumptibus colitis, sive de nutrimentis vestrorum animalium, nullus a vobis decimas præsumat exigere. Præterea auctoritate Apostolica prohibemus, ne alicui liceat possessiones, quas a vestro monasterio tenet, sine licentia abbatis et capituli cuique in vita, vel in morte alienando concedere. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat præfatum monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed illibata omnia et integra conserventur eorum, pro quorum gubernatione, ac sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva Sedis Apostolicæ auctoritate. Ad indicium autem, quod vestrum monasterium specialiter ad jus, et perceptæ a Romana Ecclesia libertatis nobis nostrisque successoribus unciam auri annis singulis persolvetis. Si igitur in futurum ecclesiastica sæcularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, nisi præsumptionem suam digna satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata ini-

quitate cognoscat, et a sacratissimo corpore ac sanguine Dei et Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus et hic fructum bonæ actionis percipiat et apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniat. Amen. Datum Laterani, per manum magistri Guidonis, domini papæ notarii, octavo kalendas junii, indictione XII, Incarnationis Dominicæ anno MCCXXIV, pontificatus vero domini Honorii papæ III anno octavo.

CCXXXIII

Ad decanum et capitulum Legionenses.

25 maii 1224.

[Espana Sagrada, XXXV, 424.]

Honorius III auctoritate Apostolica confirmat Ecclesiæ Legionensis reformationem per Pelagium, episcopum Albanensem, ex ejusdem pontificis commissione factam.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis decano et capitulo Legionensi, salutem et Apostolicam benedictionem.

Cum dilectis filiis Thesaurario, magistro scholarum, et Ægidio canonico Zamorensi nostras dedimus litteras in mandatis, ut [ad] Legionensem ecclesiam accedentes inquirerent super statum ipsius ecclesiæ, et quibusdam quæ commissa a venerabili fratre nostro Legionensi episcopo dicebantur, iidem, veritate super ea diligentius inquisita, nobis sub sigillis suis, quæ invenerant, transmiserunt. Prædicto igitur episcopo, et quibusdam aliis contra quos per inquisitionem principaliter actum erat in nostra præsentia constitutis, nos processum inquisitionis venerabili fratri nostro Albanensi episcopo committentes, ei concessimus plenariam potestatem, ut tam de personatibus et beneficiis conferendis, quam circa ordinationem ecclesiæ faceret, quod sua videret discretio faciendum. Qui ordinationem ab eo factam in nostra, et fratrum nostrorum exposuit præsentia, quæ est talis :

« Pelagius, miseratione divina Albanensis episcopus, dilectis sociis suis decano, et capitulo Legionensi salutem, et sinceræ dilectionis affectum. Quoniam propter effrenatam portionariorum multitudinem, neque episcopus in beneficiis potest universis commode, prout expedit, providere, nec ad victum quotidianum ea sufficiunt, quæ quotidie distribuuntur communiter de communi pauca inter plurimos distributa, ut in posterum detractionis adversus episcopum subtrahatur materia, et his qui recipiuntur de novo de æquali beneficio certiores existant, concessa nobis a sanctissimo patre nostro Honorio papa III [potestate] ordinandi statum Legionensis ecclesiæ, et reformandi quæ in ipsa correctionis lima viderimus indigere : statuimus, ut majores canonici quinquagesimum, minores vero, qui portionarii nuncupantur, vicesimum quintum numerum non excedant. Quia vero plures portionarii residentes in eadem ecclesia reperiuntur ad præsens, irrefragabiliter duximus statuendum, ut nullus de cætero in socium et fratrem recipiatur de novo, quousque portionarii nunc residentes ad prædictum numerum redigantur, non computatis forensibus in hoc numero, qui nunquam, vel raro percipiunt de communi, sed ipsis sublatis de medio, nullus in locum substituatur eorum. Cum autem ad prædictum numerum redacti fuerint, aliquo decedente sive canonico, sive portionario, alius substituatur eidem, ita quod numerus prætaxatus nullatenus excedatur. Ad hæc quotiescumque alicui utilitate ecclesiæ, vel meritis illius qui recipitur exigentibus, portio conferetur, cum ipsa portione in loco, vel beneficio plus valenti, viginti aurei assignentur eidem. Cæterum ut episcopo de prædicto numero aliquid minuendi, et his, qui recipiuntur, auferatur materia murmurandi, statuendo præcipimus, ut beneficium viginti aureos valens ad minus sit cuilibet portioni adnexum, et ipso jure cum portione ad portionarium transferatur. Per hoc autem statutum nolumus episcopi potestatem arctari, quin in beneficio ampliori valeat portionario qui recipitur, ipsius pensatis meritis providere, ita quod argumentum ex liberalitate collatum portioni nullatenus sit annexum. De præstimoniis vero majoribus canonicis assignandis hoc discretioni, et liberalitati episcopi duximus relinquendum, qui, pensatis cujusque meritis, pro meritorum exigentia honeste cuilibet providebit, prudenter attendens, ne tot et tanta in unam personam congerat beneficia, unde alii scrupuloso

corde merito moveantur. Quia vero per hanc constitutionem numerus clericorum minuitur, et beneficia augmentantur, ut ecclesia obsequio debito non privetur, statuimus, ut si quis tam canonicorum quam portionariorum, absque rationabili et legitimo impedimento, decani vel prioris licentia non obtenta, in profestis diebus ad matutinum non venerit, illa portione denariorum, pro missa vino, pro vesperis vero pane privetur. In diebus vero dominicis et festivis, si ad matutinum forte venire neglexerit, integra illius diei portione privetur, pro missa et vesperis alias decani vel prioris arbitrio puniendus. Quia vero in Legionensi ecclesia consuetudo detestabilis inolevit, quod quidam de clericis debitæ devotionis immemores, cantato evangelio, statim recedunt a choro, non spectantes quod prius Redemptoris nostri hostia sacerdotis ministerio Domino offeratur; statuimus, quod si quis, antequam dicatur *Ite Missa*, vel *Benedicamus Domino*, absque causa necessaria choro exierit, tanquam ad missam non venerit, ut prædiximus, puniatur. Ad hæc statuimus, ut non alibi quam in loco ad hoc facto, et specialiter deputato capitulum celebretur, in camera vel domo episcopi, ubi nec ordo, nec dignitas in sessione servatur, ubi etiam quidam, quod satis est inhonestum, sedent in terra, nisi propter debilitatem episcopi, necessitate instante, in ejus camera raro celebrari contingat.

Portiones siquidem, non nisi de communi consensu canonicorum, canonicæ vero nunquam ab episcopo nisi in capitulo conferantur. Nullus canonicorum intret capitulum cum cappa manicata, vel pallio, sed cum cappa clausa in hieme, cum superpellicio in æstate. Canonici, qui servientes episcopo in domo ejus manent, et comedunt, nec panem, nec vinum percipiunt de communi; denariorum vero, qui quotidie distribuuntur inter canonicos, et anniversariorum suam percipiant portionem. Si vero persona fuerit, nec panem, nec vinum, nec denarium percipiat de communi. Episcopus cum absens fuerit, pro domus suæ custodia unam tantum de communi percipiat portionem. Illam omnino consuetudinem abolemus, qua a festo Sancti Michaelis usque ad festum Omnium Sanctorum quidam canonicorum cum cappis, alii cum superpelliciis chorum intrant, statuentes, ut omnes a festo Resurrectionis Dominicæ usque ad festum Sancti Lucæ superpelliciis, exinde vero usque ad festum Resurrectionis cappis, et superpelliciis sub cappis utantur. Ille, cui sollicitudo committatur tam de receptis, quam de expensis, singulis annis reddat in capitulo rationem. Decanatus, cantoria, magisterium scholarum, thesauraria, quæ talia sunt officia quæ specialiter tangunt canonicos universos, nonnisi de consensu totius vel sanioris partis capituli conferantur. Ad hæc duodecim clericis de choro ejusdem ecclesiæ eorum cuilibet decem aureos in redditibus assignamus, qui sollicite ac sedulo in officiis ejusdem ecclesiæ studeant deservire, ita quod eorum aliquo decedente, vel recedente, vel ad majora promota, alius conditionis ejusdem substituatur eidem: et hoc statutum perpetuo volumus in eadem ecclesia observari. Quia vero magister scholarum et cancellarius ecclesiæ, idem sigillum capituli teneat et conservet, ita tamen quod nullus eodem præsumat litteram sigillare, nisi prius publice in capitulo littera fuerit approbata. Non obstante super hoc facta ab aliquo prohibitione, licentiam damus canonicis posse legitimum concedere testamentum, ita tamem, quod ecclesiam non prætereant sine parte, si voluntatem suam ultimam robur desiderant firmitatis habere. Bona vero ab intestato decedentium, sive mobilia, sive immobilia, quæ de bonis ecclesiæ constiterint acquisita, inter episcopum, et capitulum dividantur, salvis tam episcopo quam capitulo quibusdam, quæ præcipua consueverunt habere. Si vero patrimonialia fuerint, vel alio justo titulo ad eos pervenire constiterit, ab eorum successione nolumus legitimos hæredes excludi. Talliam, quæ pecta vulgariter nuncupatur, quilibet canonicus ab hominibus percipiat qui in concesso sibi beneficio commorantur, episcopi super hoc molestatione cessante. In communibus canonicorum domibus, quæ non sunt parochiales ecclesiæ, procurationes vel prandia episcopus non recipiat, nisi forte ibidem aliquando hospitari necessitas perurgeret. »

Nos ergo statutum hujusmodi, et alia quæ super reformationem et statum ipsius ecclesiæ, quæ per Albanensem eumdem facta esse noscuntur, auctoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum

liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani, VIII kalendas junii, pontificatus nostri anno octavo.

CCXXXIV

Ad abbatem et conventum de Camberone.

27 maii 1224.

[Monuments pour servir à l'histoire des provinces de Namur, II, I, 26, n. 19.]

Quamdam concessionem eis confirmat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati et conventui de Camberone, salutem, etc.

Solet annuere Sedes Apostolica piis votis et honestis petentium precibus favorem benivolum impertiri. Quum igitur venerabilis frater noster episcopus et capitulum Mornienses vobis duxerunt indulgendum, ut ratione grangiarum, domorum seu aliorum bonorum, quæ in eorum diœcesi obtinetis, non teneamini suæ synodo interesse, sicut in litteris eorum dicitur contineri, cathedratico tamen per aliquem presbyterum destinato : nos vestris precibus inclinati, Concessionem hujusmodi, sicut sine pravitate pie ac provide facta est, auctoritate Apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani, VI kalendas junii, anno octavo.

CCXXXV

Ad comites et barones, ac communitates per marchiam Anconitanam constitutos.

28 maii 1224.

[Fantuzzi, Monumenti Ravennatis, t. VI, p. 69, n. 39.]

Ut ecclesiæ Ravennatis possessiones et jura nullatenus usurpent.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis nobilibus viris, comitibus et baronibus, communitatibus civitatum, et castrorum per marchiam Anconitanam constitutis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Quum injurias ecclesiæ Ravennatensis non debeamus sustinere in patientia, nec velimus, per Apostolica vobis scripta firmiter præcipiendo mandamus, quatenus ipsius ecclesiæ possessiones, et jura nullatenus usurpetis, nec a vestris patiamini subditis usurpari, et ea, quæ a vobis vel subditis vestris sunt temere usurpata, sine difficultate restituatis eidem, scientes nos dilecto filio N. Falcon. subdiacono et capellano nostro rectori... Apostolicæ Sedis nuntio per litteras mandavisse, ut si quis vestrum, vel subditorum vestrorum ea contra præceptum nostrum præsumpserint usurpare vel restituere contempserint, usurpatores illos per censuram ecclesiasticam ab hujusmodi usurpatione compescens, super jam usurpatis, audiat quæ partes hinc inde duxerint proponenda, et causam si partes consenserint debito fine decidat, alioquin eamdem ad nos remittat sufficienter instructam, præfigens partibus terminum competentem, quo nostro se conspectui repræsentent, justam dante Domino, sententiam recepturæ. Datum Laterani, IV kalendas junii, pontificatus nostri anno octavo.

CCXXXVI

Ad præpositum et capitulum Avinionenses.

31 maii 1224.

[Regest., lib. VIII, epist. 496. Mss. La Porte du Theil.]

Indulget ut præpositum eligere possint.

Honorius, etc., dilectis filiis præposito et capitulo Avinionensibus, salutem et Apostolicam benedictionem.

Cum venerabilis frater noster... Portuensis episcopus tunc Apostolicæ Sedis legatus ad quem mortuo... electo vestro petituri super electione consilium veneratis, vobis inhibuerit, ne absque licentia nostra, quamdiu terra vestra esset supposita interdicto, ad electionem procedere deberetis, cum multa instantia transmissis ad nos nuntiis vestris petivistis a nobis, ut ne grave incurratis periculum, si diutius ecclesiæ vestræ desit cura pastoris, misericorditer vobis con-

cedere dignaremur licentiam eligendi. Nos igitur attendentes, quod in partibus vestris magis quam alibi periculosum existit oves non habere pastorem, de fratrum nostrorum consilio, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus invocata Spiritu Sancti gratia et deliberatione præhabita diligenti, cum venerabilis fratris nostri... Arelatensis archiepiscopi metropolitani vestri et... episcopi Valentini consilio personam idoneam, quæ tanto congruat oneri et honori, canonice vobis in episcopum eligatis. Datum Laterani, IV kalendas junii, anno octavo.

Arelatensi archiepiscopo et... episcopo Valentino *in eumdem fere modum* scriptum est, verbis competenter mutatis, *usque* in fidem. Ideoque fraternitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus consilium vestrum, quod veluti opportunum providimus adhibendum super [electione] efficaciter impendatis capitulo supradicto. Datum Laterani, II kalendas junii, anno octavo.

CCXXXVII

Ad abbatem conventumque Flabonis montis, Præmonstratensis ordinis.

5 junii 1224.

[Hugo, Annal. Præmonst., I, prob. 557.]

Confirmatio jurium et bonorum monasterii Flabonis montis.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbatis et conventui Flabonis montis, Præmonstratensis ordinis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Quum a nobis petitur quod justum est et honestum, tam vigor æquitatis quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis precibus inclinati, personas vestras et monasterium in quo divino estis obsequio mancipati, cum omnibus bonis quæ in præsentiarum rationabiliter possidetis aut in futurum justis modis, præstante Domino, poteritis adipisci, sub beati Petri et nostra protectione spiscipimus. Specialiter autem ecclesiam de Fresnis, de Sandicort, de Hadonisvilla, de Boenes, de Avifer, de Bellodono grangias cum pertinentiis suis; nec non possessiones et alia bona vestra, sicut ea omnia quæ juste et canonice possidetis, vobis et per vos monasterio vestro, auctoritate Apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo hanc paginam nostræ confirmationis liceat infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani, nonas junii, anno octavo.

CCXXXVIII

Ad episcopum Lamesensem et moniales S. Petri de Aronca.

5 junii 1224.

[Manrique, Annales Cistercienses, IV, 231.]

Concedit ut moniales S. Petri de Aronca nigri ordinis vivant mutato habitu sub observatione et districtione Cisterciensis ordinis.

Litteræ vestræ nobis exhibitæ continebant, quod cum monasterium S. Petri de Aronca, Lamecensis diœcesis, adeo esset collapsum in temporalibus, et spiritualibus ut non esset spes ordinis nigri habitus monialium, ab antiquo ibidem institutum, posse in eo facile reformari; ad instantiam nobilis mulieris Masaldæ, filiæ claræ memoriæ regis Sanctii, quæ in eo jus obtinet patronatus, et abbatissæ ac monialium ejusdem loci instantiam concessistis, ut tam abbatissa et moniales ipsæ quam de cætero in eodem monasterio reciperentur, susciperent Cisterciensis ordinis instituta : eam libertatem, quantum per vos fieri potuit, eidem monasterio concedentes, quam habent monasteria ordinis supradicti in aliis diœcesibus : et quoniam annuum censum sex aureorum in eodem monasterio habebatis, proventus trium cassalium in termino Paynæ (duorum scilicet in loco, quod dicitur Penela, et unius in loco, quod dicitur Carava) prædicti census recompensatione recipitis : censum ipsum perpetuo remittentes supradicto monasterio. Unde vos, et dilecti filii abbas Cisterciensis, et abbates ordinis sui in generali capitulo congregati, nobis humiliter supplicastis, ut quod super factum est, Apostolico roborare munimine dignaremur. Nos igitur vestris et eorumdem abbatum precibus inclinati, ordinationem seu com-

mutationem hujusmodi, sicut pie ac provide facta est, auctoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli, etc. Datum Laterani, nonis junii, pontificatus nostri anno octavo.

CCXXXIX

Ad episcopum Faventinum, abbatem nonantulæ Mutinensis et magistrum Tancredum canonicum Bononiensem.

8 junii 1224.

[Ughelli, Italia sacra, III, 249.]

Mandat, ut potestatem, consiliarios et populum Florentinæ civitatis inducant ad satisfaciendum de notoriis damnis et injuriis irrogatis Ildeprandino episcopo et ecclesiis Fesulanis.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri episcopo Faventino, et dilectis filiis abbati Nonantulæ Mutinensis, seu nullius diœcesis, et magistro Tancredo canonico Bononiensi, salutem et Apostolicam benedictionem.

Scribentibus nobis olim venerabili fratri nostro episcopo Mutinensi, ut personaliter accedens Florentiam, potestatem, consiliarios et populum civitatis ejusdem moneret efficaciter, et induceret ad satisfaciendum de damnis, et injuriis irrogatis venerabili fratri nostro et ecclesiis Fesulanis, et, si necesse foret, censura ecclesiastica coarctaret; idem Mutinensis mandatum nostrum ad monitionem diligenter exsecutus, datis induciis, testes, lite non contestata, processerat, revocato communi Florentino, quia banniverat prædictum episcopum Fesulanum contra Deum, et ecclesiasticam libertatem propter injuriam; banni expensas, et damna tali occasione, sicut a taxatione, juramento præmisso, in mille libras usualis monetæ, eidem Fesulano episcopo sententialiter duximus condemnandum : cæterum causam super aliis damnis, et injuriis ab eodem communi præfatis episcopo et ecclesiis irrogatis, sic vestræ discretioni duximus committendam per Apostolica vobis scripta mandantes, ut de notoriis satisfieri faciatis eisdem, et de dubiis, habentes Deum præ oculis, cognoscentes, quod justum fuerit, appellatione postposita, decernatis, facientes quod decreveritis per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Testes autem, qui fuerint nominati, si se gratia, odio, vel timore subtraxerint, per censuram eamdem, cessante appellatione, cogatis veritati testimonium perhibere. Quod si non omnes his exsequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nihilominus exsequantur. Datum Laterani, VI idus junii, pontificatus nostri anno octavo.

CCXL

Ad priorem et canonicos S. Mariæ Novæ de Urbe.

10 junii 1224.

[Georgius, Hist. Setiæ, 239.]

Honorius III donationem quorumdam bonorum, per Robertum, et Deodatum Frangipanos factam, canonicis Sanctæ Mariæ de Urbe confirmat.

Honorius, servus servorum Dei, priori et canonicis Sanctæ Mariæ Novæ de Urbe, salutem et Apostolicam benedictionem.

Vestræ religionis honestas, quæ multa præeminet gratia meritorum, laudabiliter promeretur, ut gratiam sentiatis Sedis Apostolicæ specialem, et suavi vestræ conversationis odore vobis merito comparatis, ut vestræ contemplationis quietem dignis favoribus attollentes, vos caritativis subventionis auxiliis prosequamur. Nuper ergo vobis vestro et ecclesiæ vestræ nomine conquerentibus coram nobis, quod magister Maximus subdiaconus, et notarius noster, cui custodiam castri nostri Aqueputridæ duximus committendam, vos ejusdem castri nomine super aquæ molino, cujus medietatem de claræ memoriæ Roberti Frajapani, reliquam vero Deodati ejusdem filii, ac uno tenimento terræ, quæ Altura vulgariter appellatur, quod de ipsius Roberti concessione infra tenimentum Aqueputridæ cum omnibus utilitatibus suis proponitis vos adeptos, contra justitiam molestabat, negotium ipsum dilecto filio nostro F., tituli Sanctæ Crucis presbytero cardinali, commisimus audiendum, ut ipse partibus in sua præsentia convocatis, citra judiciorum strepitum inquireret super præmissis diligentius veritatem. Quo ea, quæ super præmissis in ipsius præsentia fuere proposita, nobis fideliter referente, nos, licet dicti Roberti ac ejus filii donatio debito non subsisteret robore firmitatis, volentes tamen ob reverentiam gloriosæ Virginis, cui nunquam sine retributione condigna debitus impen-

detur famulatus, domum vestram in ipsius Virginis honore constructam, debiti favoris prærogativa fovere, ac de nostro vobis adjicere gratiam specialem, aquæ molinum, et tenimentum præfata cum omnibus utilitatibus suis vobis, et eidem ecclesiæ vestræ pia liberalitate concedimus, et donamus in perpetuum possidenda. Nulli ergo, etc., concessionis, etc. Si quis, etc. Datum Laterani, IV idus junii, anno octavo.

CCXLI

Ad abbatem et conventum monasterii Sancti Petri de superiori Alta.

10 junii 1224.

[Monumenta Boica, t. XII, p. 120.]

Monasterium S. Petri de superiori Alta sub sua et beati Petri protectione suscipit.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis, abbati et conventui monasterii S. Petri de superiori Alta, salutem et Apostolicam benedictionem.

Cum a nobis petitur quod justum est et honestum tam vigor æquitatis quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, personas et monasterium vestrum cum omnibus bonis quæ in præsentiarum rationabiliter possidetis, aut in futurum, præstante Domino, justis modis poterit adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus. Specialiter autem de Aiterhouen, de monte Sanctæ Mariæ de Chrizzenchirchen, et de Mittervels ecclesias cum pertinentiis suis, nec non possessiones et alia bona vestra, sicut ea omnia juste, canonice ac pacifice possidetis, vobis et per vos eidem monasterio vestro auctoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis et protectionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani, IV idus junii, pontificatus nostri anno octavo.

CCXLII

Ad archiepiscopum, archidiaconum et officialem Turonenses.

17 junii 1224.

[Regest., lib. VIII, epist. 465. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat ut causam inter abbatem et monachos Dolenses ex parte una, et capellanos, qui de patronatu monasterii Dolensis existunt, ex altera, amicabiliter terminent.

Honorius, etc., venerabili fratri archiepiscopo, dilectis [filiis]... archidiacono et officiali Turonensibus.

Attendentes qualis pacis qualisve discordiæ fructus existat, cum ex uno spiritualis et temporalis utilitas, ex reliquo vero animarum et rerum proveniat detrimentum, controversiam, cujus est longa retro series, agitatam dudum inter... abbatem et monachos Dolen. ex parte una, et capellanos, qui de patronatu monasterii Dolen. existunt, super provisione ipsum ex altera, non sine gravibus utriusque partis laboribus, et expensis amicabiliter cupimus terminari. Quocirca discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus ad formandum inter prædictos concordiam interponatis sollicite partes vestras; venerabilem quoque fratrem nostrum Bituric. archiepiscopum moneatis attente, ut laborare debeat ad hoc ipsum. Et cum inter ipsum archiepiscopum et capellanos, et eosdem abbates, et monachos diversæ jam querelæ sint motæ, amicabiliter eas sopire curetis, relaxantes ad cautelam sententias auctoritate Apostolica hinc inde prolatas, eumdemque archiepiscopum inducatis, ut sententias quas qualibet occasione contra ipsos monachos auctoritate propria promulgavit, sine suo et partium præjudicio debeat relaxare. Partibus etiam injungatis, ut a mutuis injuriis, et molestiis conquiescant. Quod si archiepiscopus ipse prolatas auctoritate sua sententias non relaxaverit, et vos ad relaxationem aliarum sententiarum nullatenus procedatis. Si vero concordia provenire non poterit, ad quam tamen, sicut poteritis, laboretis, vos proximo venturum festum Nativitatis Dominicæ tam archiepiscopo et cappellanis, quam abbati et monachis, terminum præfigatis, quo per se, vel procuratores idoneos nostro se conspectui repræsentent, compositionem, si desuper datum fuerit, vel judicium super præmissis omnibus, recepturi. Cæterum super-

sedendum providimus litteris omnibus a prædictis hinc inde obtentis, decernentes invalidas et inanes esse litteras, quas usque ad prædictum terminum ab Apostolica Sede contigerit per quamcumque partium obtineri. Quod si non omnes, etc., tu ea, frater archiepiscope, etc. Datum Laterani, XV kalendas julii, anno octavo.

CCXLIII

Ad Corcagiensem episcopum.

20 junii 1224.

[Theiner, Vetera Mon. Hibernorum, 23, n. 56.]

Episcopus Corcagiensis ecclesiæ Cassellensi in archiepiscopum præficitur.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri episcopo quondam Corcagiensi in archiepiscopum Cassellensem electo, salutem, etc.

Cum olim fuisses ad Cassellensem ecclesiam postulatus, nos postulatione hujusmodi non admissa, non personæ tuæ vitio, sed processus, dilectum filium magistrum M. Scotum ad regimen assumpsimus ecclesiæ memoratæ, qui cum idem regimen, dum linguam terræ illius ignorare se diceret, spontaneus resignasset, de alio nobis fuit ad eamdem ecclesiam postulatio præsentata, quæ cum antequam ad partes illas hæc pervenire potuerint, præsumpta fuisset, merito eam sprevimus et duximus penitus repellendam. Quia vero periculosum erat eidem ecclesiæ, si pastoris maneret solatio diutius destituta, te, quem ipsi utilem et idoneum reputavimus, de consilio fratrum nostrorum, præficiendum ei ex officio nostro providimus ad ejus curam et sollicitudinem assumendum. Quocirca fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus ad carissimum in Christo filium nostrum H., illustrem regem Angliæ, pro ejus assensu cum litteris nostris accedas, venturus ad nostram præsentiam pallium, quod est plenitudinis officii pontificalis insigne, cum illud ea, quæ decuerit, instantia postulaveris, recepturus. Datum Laterani, XII kalendas julii, pontificatus nostri anno octavo.

In eumdem modum archiepiscopo Cantuariensi et regi Angliæ, ut eumdem electum Cassellensem accipiant.

CCXLIV

Ad abbatem et conventum Aquicinctenses.

25 junii 1224.

[Fonds Moreau, Mss. latins, t. CXXXIV, p. 5. Bibl. nat.]

Inhibet ne quisquam decimas, ad monasterium Aquicinctense pertinentes, sine assensu abbatis recipere vel redimere præsumat.

Honorius, etc., dilectis filiis... abbati et conventui Aquicinctensis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Solet annuere Sedes Apostolica piis votis et honestis petentium precibus favorem benevolum impertiri. Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus annuentes, auctoritate præsentium inhibemus, ut decimas ad vestrum monasterium pertinentes, quæ a laicis detinentur, quisquam ab eisdem laicis sine assensu vestro recipere vel redimere non præsumat. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ inhibitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani, VII kal. julii, anno octavo.

CCXLV

Ad abbatem et conventum Aquicinctenses.

26 junii 1224.

[Fonds Moreau, Mss. latins, t. CXXXIV, p. 6. Bibl. nat.]

Eos sub sua et beati Petri protectione suscipit.

Honorius, etc., dilectis filiis abbati et conventui monasterii Aquicinctensis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Quum a nobis petitur quod justum est et honestum, tam vigor æquitatis, quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, personas vestras et locum, in quo divino vacatis obsequio, cum omnibus bonis, quæ in præsentiarum rationabiliter possidetis, aut in futurum justis modis, præstante Domino, poteritis adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus. Specialiter autem terras, redditus et possessiones, quæ nobilis vir Hugo, castellanus

de Bello Manso, Villanus miles et... uxor ejus, monasterio vestro pia liberalitate donaverunt, necnon decimas de Mensandiscultura et de Berlaimonte cum libertatibus, immunitatibus ac aliis bonis vestris, sicut ea omnia juste, canonice ac pacifice possidetis, et in authenticis confectis exinde dicitur contineri, vobis et per vos eidem monasterio auctoritate Apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus, salvo super decimis moderamine Concilii generalis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ protectionis et confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani, VII kalendas julii, pontificatus nostri anno octavo.

CCXLVI

Ad patriarchas, archiepiscopos, episcopos, etc., ad quos litteræ istæ pervenerint.

22 junii 1224.

[Strehlke, Tab. ord. Theutonici, p. 330, n. 393.]

Vetat ab ordinis Theutonici novalibus vel aliis terris post Concilium acquisitis, quas fratres propriis aut manibus aut sumptibus colant, decimas exigi.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis et episcopis et dilectis filiis abbatibus, prioribus, archidiaconis, decanis et aliis ecclesiarum prælatis, ad quos litteræ istæ pervenerint, salutem et Apostolicam benedictionem.

Quia plerumque veritatis integritas per minorem intelligentiam aut malitiam hominum depravatur, non videtur incongruum, si ea, quæ non manifesta dicta videntur, ad omnem ambiguitatis scrupulum amovendum evidentius exponantur et turbatoribus veritatis omnis auferatur contradictionis occasio, quatenus ea, quæ dicta sunt, nulla valeant obumbratione fuscari. Accepimus autem, quod, cum dilectis filiis magistro et fratribus domus Hospitalis S. Mariæ Theutonicorum Hierosolymitani duxerimus concedendum, ut de laboribus, quos propriis manibus vel sumptibus excolunt, nemini decimas solvere teneantur, quidam ab eis nihilominus post celebrationem Concilii Lateranensis, contra indulgentiam Sedis Apostolicæ, decimas exigere et extorquere præsumunt ac prava et sinistra interpretatione Apostolici privilegii capitulum pervertentes asserunt de novalibus debere intelligi, ubi noscitur de laboribus esse scriptum. Quoniam igitur manifestum est omnibus, qui recte sapiunt, interpretationem hujusmodi perversam esse et intellectui sano contrariam, cum secundum capitulum illud a solutione decimarum tam de terris illis, quas deduxerunt vel deducunt ad cultum, quam de terris etiam cultis, quas propriis manibus vel sumptibus excolunt, liberi sint penitus et immunes, ne ullus contra eos materiam habeat malignandi vel quomodolibet ipsos contra justitiam molestandi, vobis per Apostolica scripta mandamus et districte præcipimus, quatenus omnibus parochianis vestris auctoritate Apostolica prohibere curetis, ne a memoratis fratribus de novalibus vel aliis terris, quas propriis manibus vel sumptibus excolunt, seu de nutrimentis animalium suorum ullatenus decimas exigere vel extorquere præsumant. Nam si de novalibus tantum vellemus intelligi, ubi ponimus de laboribus, de novalibus poneremus. Quia vero non est conveniens vel honestum, ut contra statuta Sedis Apostolicæ veniatur, quæ obtinere debent immobilem firmitatem, mandamus vobis firmiterque præcipimus, ut, si qui canonici, clerici, vel laici contra privilegia Sedis Apostolicæ prædictos fratres decimarum exactione gravaverint, canonicos, clericos sive monachos, contradictione et appellatione cessante, sicut justum fuerit, monitione præmissa, ab officio suspendatis, laicos excommunicationis sententia percellatis, et tam excommunicationis quam suspensionis sententiam faciatis usque ad dignam satisfactionem inviolabiliter observari, salva moderatione Concilii generalis. Ad hæc vobis præsentium auctoritate mandamus atque præcipimus, quatenus, si quis in prædictos fratres manus violentas injecerit, eum accensis candelis tamdiu sicut excommunicatum publice nuncietis et faciatis ab omnibus cautius evitari, donec congrue satisfaciat prædictis fratribus et cum litteris diœcesani episcopi rei veritatem continentibus Apostolico se

conspectui repræsentet. Datum Laterani, X kalendas julii, pontificatus nostri anno octavo.

CCXLVII

Ad Norandinum, Veronensem archiepisc.

27 junii 1224.

[Federici, Istoria de Caval. Gaudentii, II, docum. 221.]

Monet eum ut quoddam statutum potestatis et populi Paduani de capitularibus eorum penitus abradi faciat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri N., Veronensi episcopo, salutem et Apostolicam benedictionem.

Recolentibus nobis quod... potestas, et populus Paduanus præ cæteris civibus Lombardiæ consueverunt de fidei puritate laudari, et audientibus quod nuper contra ecclesiasticam libertatem statuisse dicuntur, occurrit illud Apostoli Galatis de ipsorum subversione dicentis : currebatis bene, qui vos impedivit ne obediatis more solito veritati? Sicut enim nostris est auribus intimatum, primo reverentia divinarum et humanarum constitutionem posthabita statuerunt, ne quis super decimis respondeat coram judicibus a Sede Apostolica delegatis; et deinde, quia super plumbo sedens iniquitas semper de malo in deterius corruit, adjecerunt, ut, nisi episcopus et clericus civitatis eorum infra quindecim dies, postquam is, quem contigerit in illorum rectorem assumi, regimen ipsius civitatis juraverit, se eorum obligaverint constitutis, ex tunc eis ipsa statuta non prosint, nec eos banna publica tueantur excogitata malitia id agere satagentes, ut si se statutis hujusmodi obligaverint, ecclesiasticæ libertatis expertes publicis oneribus mancipentur ut laici; si vero se illis noluerint obligare, pateant periculo personarum et rerum, utpote a beneficio publicæ defensionis exclusi. Certe vix possumus credere diabolicas adinventiones hujusmodi ab eis, quos de fidei puritate toties commendari audivimus, processisse; et nisi nos fallit opinio, aliquis extraneus his temporibus regimen eorum civitatis obtinuit, qui secum afferens fermentum hæreticæ pravitatis, illo ipsorum sinceritatis azyma fermentavit. Monemus igitur fraternitatem tuam, rogamus et obsecramus in Domino Jesu Christo, et per Apostolica tibi scripta mandamus, quatenus hujusmodi morbo, dum novus est, salubriter occurrens, nec patiens maculam tuam grandem, tamque saluti illorum contrarium in gloria sua poni, prænominatum statutum, quod divino et humano juri obviare cognoscitur, infra quindecim dies post susceptionem præsentium de capitularibus suis penitus abradere facias, illo, vel simili de cætero non usuri, et personas ecclesiasticas, earumque bona more solito defendentes, permittant eos gaudere, sicut debent, ecclesiastica libertate, ne matrem eorum ecclesiam ancillando, jam non sint liberæ filii, sed ancillæ. Denique, cum nec nos deceat, nec nobis expediat ut perversitatem hujusmodi toleremus, fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, nisi dicti potestas et populus Paduanus mandatum nostrum non curaverint adimplere, tu eos ad id per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, compellas. Datum Laterani, quinto kalendas julii, pontificatus anno octavo.

CCXLVIII

Ad abbatem et conventum Cluniacenses.

29 junii 1224.

[Regest., lib. VIII, epist. 506. Mss. La Porte du Theil.]

Indulget ne pro quibusdam grangiis procurationes insolitas solvere compellantur.

Honorius, etc., dilectis filiis abbati et conventui Cluniacensibus, salutem, etc.

Cum a nobis petitur, etc., *usque* effectum. Eapropter, etc., *usque* assensu. Ne pro grangiis unde vos, vel fratres vestri percipitis victualia, in quibus nec clerici, nec monachi commorantur, quæ visitari non solent, alicui ordinario procurationes insolitas solvere compellamini, auctoritate vobis præsentium indulgemus. Nulli ergo, etc., nostræ concessionis, etc. Si quis autem, etc. Datum Laterani, III kalendas julii, anno octavo.

CCXLIX

Ad capitulum Anconitanum.

1 julii 1224.

[Saracini, Notitie d'Ancona 193.]

Ei duodenarium canonicorum numerum, quem Anconitanus episcopus in eorum ecclesia statuit, confirmat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis capitulo Anconitano, salutem et Apostolicam benedictionem.

Ecclesiarum utilitati, tranquillitati consulitur, cum numerus personarum Domino famulantium cum eisdem facultatibus provide coaptatur. Quum ergo venerabilis frater noster Anconitanus episcopus, ecclesiæ vestræ facultatibus provida consideratione pensatis, duodenarium canonicorum numerum statuerit in eadem ecclesia, nos precibus vestris benignum impendentes assensum, statutum, quod super hoc idem episcopus fecit, provide factum esse, auctoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus, statuentes, ut salvo Apostolicæ Sedis mandato, nullus ad minorem numerum compellere vos possit invitos, nisi ut excrescerent ipsius ecclesiæ facultates, quod in ea personarum numerus videretur merito ampliandus. Nulli ergo hanc paginam nostræ confirmationis et constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani, kalendis julii, pontificatus anno octavo.

CCL

Ad universos abbates et conventus ordinis Cisterciensis.

4 julii 1224.

[Merlet, Cartul. de l'abb. des Vaux de Cernay, I, 237, n. 246.]

Honorius papa conventibus Cisterciensis ordinis indulget, ne Apostolicæ Sedis legati pecuniarias procurationes ab illis exigant.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis universis abbatibus et conventibus ordinis Cisterciensis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Cum præter pauperem victum vestrum omnia bona vestra hospitalitati et aliis piis operibus officiosissime sint exposita, satis inhumane aliis auferri videtur egenis quicquid a vobis violentia vel ingenio extorquetur. Nec quia Dominus manuum vestrarum operibus benedicens, viaticum peregrinationis vestræ quanto magis illud fraterna caritate in usus pauperum distribuitis, tanto magis cœlestis alluvione multiplicat, estis deterioris conditionis habendi sed potius melioris, cum non nisi vasis paratis cœlestis gratiæ oleum infundatur quod pauperis mulieris deficientibus vasis stetit; licet igitur, largiente Domino, monasteria vestra plus solito temporalium floreant ubertate, quia tamen exinde pauperibus uberius subvenitur, nos volentes eo vos de speciali gratia favorabilius confovere, quo exinde illi propensius complacere vos credimus, qui quod uni ex minimis suis fit sibi reputat esse factum, devotionis vestræ precibus inclinati, auctoritate vobis præsentium indulgemus, ne Apostolicæ Sedis legati procurationes pecuniarias a monasteriis vestris exigere vel extorquere præsumant, sed cum ad domos vestras accesserint sine carnium esu, cibis regularibus sint contenti. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam, etc. Datum Laterani, III nonas julii, pontificatus nostri anno octavo.

CCLI

Ad abbatem Cisterciensem et universos coabbates.

4 julii 1224.

[Merlet, Cartul. de l'abb. des Vaux de Cernay, I, 238, n. 248.]

De decimis super novalibus post Concilium Lateranense a fratribus Cisterciensis ordinis acquisitis.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati Cisterciensi et universis coabbatibus ejus et fratribus sub eodem ordine Deo servientibus, salutem et Apostolicam benedictionem.

Contingit interdum quod nonnulli, propriis incumbentes affectibus, dum sanctionum sensum legitimum ad vota non habent accommodum, superinducunt adulterum intellectum in temporali compendio, æternum dispendium non timentes. Sane quia, sicut audivimus, quidam, nimis suo inhærentes ingenio, nimiumque voluntarii Concilii ge-

neralis interpretes, de novalibus post idem Concilium acquisitis a vobis intendunt decimas extorquere, ne super his vos contingat indebita molestatione vexari, nos interpretationem illorum intellectui constitutionis prædicti Concilii super Cisterciensibus decimis editæ asserimus peregrinam. In ipsa quidem expresse cavetur ut de alienis terris et amodo acquirendis, si eas propriis manibus aut sumptibus colueritis, decimas persolvatis ecclesiis quibus ratione prædiorum antea solvebantur : unde, si ad præpositum aciem discretionis extenderent, advertentes nihilominus de quibus novalibus Apostolicæ Sedis intelligat indulgentiam super talibus piis locis concessam, non sic circa novalia novæ interpretationis ludibrio ingenia fatigarent. Inhibemus igitur auctoritate præsentium, ut nullus a vobis, de novalibus a tempore Concilii excultis vel in posterum propriis manibus aut sumptibus excolendis, decimas exigere vel extorquere præsumat. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam, etc. Datum Laterani, III nonas julii, pontificatus nostri anno octavo.

CCLII

Ad abbatem Cisterciensem et universos coabbates.

4 julii 1224.

[Merlet, Cartulaire de l'abbaye des Vaux de Cernay, t. I, p. 239, n. 249.]

De consuetudine capellanorum qui mortuarium a personis monasteria ordinis Cisterciensis intrantibus exigunt.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis... abbati Cisterciensi et universis coabbatibus ejus et fratribus sub eodem ordine Deo servientibus, salutem et Apostolicam benedictionem.

Constituti juxta verbum prophetæ, licet insufficientibus meritis, super gentes et regna officii nostri debitum decenter exsequimur, cum evellimus evellenda et plantanda plantamus, recta regimus et dirigimus indirecta; significastis siquidem nobis quod in quibusdam partibus consuetudo detestabilis inolevit, videlicet quod cum aliqui, æmulantes charismata meliora, monasteria vestri ordinis volunt causa religionis intrare, ut ibi Domino famulentur, capellani eorum, donec ab ipsis pecuniam quæ mortuarium nuncupatur, extorqueant, prout a parochianis suis decedentibus consueverunt accipere, illis temere se opponunt. Volentes igitur abusum corruptelæ hujusmodi aboleri, auctoritate vobis præsentium indulgemus ut, capellanorum contradictione hujusmodi non obstante, liberas personas ad vos sæculo fugientes libere recipere valeatis. Nulli ergo, etc. Datum Laterani, IV nonas julii, pontificatus nostri anno octavo.

CCLIII

Ad Arnaldum, Narbonensem archiepisc.

11 julii 1224.

[Bouquet, Rec. des Hist., XIX, p. 753; Regest., lib. VIII, epist. 518.]

Raimundum VII, filium Tolosani quondam comitis, archiepiscopus instanter inducat ad restituendum, jubente Honorio, Magalonensi ecclesiæ castrum Melgorii, quod ille inique occupaverat.

Honorius episcopus..., venerabili fratri archiepiscopo Narbonensi, salutem, etc.

Angit nos communiter omnium ecclesiarum Provinciæ communis afflictio; sed inter eas Magalonensis ecclesia curam non indigne sibi vindicat specialem, castro Melgorii, quod ab Apostolica Sede tenet in feudum, indigne spoliata. Monemus igitur fraternitatem tuam attente, et per Apostolica tibi scripta, firmiter injungendo, mandamus, quatenus nobili viro R(aimundo) filio quondam comitis Tolosani, qui castro ipso ecclesiam spoliavit eamdem, diligenter ostendens quam specialiter ista nos tangat injuria, eumdem, ut castrum cum pertinentiis suis ecclesiæ restituat antedictæ, ac de damnis irrogatis eidem condignam satisfactionem impendat, moneas efficaciter, et inducas, ita quod diligentia tua clareat in effectu, et nos gratum habere merito debeamus. Datum Laterani, V idus julii, anno octavo.

CCLIV

Ad Bernardum, Magalonensem episcopum.

12 julii 1224.

[Bouquet, Rec. des Hist., XIX, 778. Regest., lib. VIII, epist. 520.]

Cum de concilianda Raimundi VII Tolosani cum ecclesia pace tractatus esset habendus, scribit Honorius eumdem neutiquam absolutionis beneficium assecuturum, nisi prius de illatis Magalonensi ecclesiæ damnis fecerit satis.

Honorius episcopus..., venerabili fratri episcopo Magalonensi, salutem, etc.

Quia metuis ne ad absolutionem nobilis viri R., filii quondam R. comitis Tolosani, satisfactione non impensa Magalonensi ecclesiæ, procedamus, præsenti pagina certum te reddimus quod non sit nostri propositi eum vel ejus sequaces absolvere, nisi debita satisfactione impensa ecclesiæ tuæ, ac aliis quarum bona noscitur illicite detinere. Datum Laterani, IV idus julii, anno octavo.

CCLV

Ad fideles marchiæ Anconitanæ.

19 julii 1224.

[Theiner, Cod. dipl. dominii temporal., I, 79, 131.]

Fidelibus marchiæ Anconitanæ, ut legato Sedis Apostolicæ obediant, et compositionem inter episcopum Firmanum et marchionem Estensem initam observent.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Esculanis, Camerinensibus, Firmanis, Humanatibus, Anconitanis, Auximanis, Esinis, Senogaliensibus, Fanensibus, Pesauriensibus, Forosemproniensibus, et Callensibus nobilibus et communitatibus universis per Anconitanam marchiam constitutis, fidelibus nostris, salutem et Apostolicam benedictionem.

Cum dilectum filium magistrum Pandulfum, subdiaconum et notarium nostrum, Apostolicæ Sedis legatum, pro quibusdam negotiis, et ut de statu marchiæ nobis plenius liqueret per ipsum, ad nos duxerimus evocandum, idem a nobis humiliter et cum instantia postulavit, ut ratione recepta de his, quæ gessit, ab onere ac sollicitudine marchiæ ipsum absolvere dignaremur : Nos ergo, cum idem more solito Ecclesiæ Romanæ zelatus honorem injunctum sibi legationis officium sit hactenus laudabiliter exsecutus, et in cunctis se gesserit circumspectum, sicut vir magnanimus et discretus, petitionem ipsius non duximus admittendam, sed commisso ei plene tam in spiritualibus quam in temporalibus legationis officio, eum ad partes vestras, licet satis renuerit, providimus cum plena Sedis Apostolicæ gratia remittendum. Quocirca universitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus eidem legato, cui marchiam ipsam concessimus, tanquam personæ nostræ per omnia efficaciter intendentes, ipsius mandatis et monitis pareatis fideliter et devote, ita quod nos fidelitatem vestram dignis debeamus prosequi retributionibus gratiarum ; alioquin, ut nos in ejus persona honorari et sperni plenius cognoscatis, sententiam sive spiritualem sive temporalem, quam idem legatus rite tulerit in rebelles, ratam habebimus, et faciemus auctore Domino firmiter observari. Datum Laterani, XIV kalendas augusti, pontificatus nostri anno octavo.

In eumdem modum Esculano, ... Camerinensi, ... Firmano, ... Humanati, ... Anconitano, ... Auximano, ... Esino, ... Senogaliensi, ... Fanensi, ... Pesauriensi, ... Forosemproniensi et..., Callensi episcopis, et capitulis et clericis ipsorum.

In eumdem modum potestati et populo Firmano *usque* legationis officio, eum ad prædictam marchiam providimus remittendum. Volentes igitur sic ecclesiæ Firmanæ jura servare, ut jura curiæ nullatenus minuantur, ac super his inter venerabilem fratrem nostrum episcopum Firmanum et eumdem legatum contentionis materiam amputare, necnon certos vos reddere, cui vel quibus intendere debeatis, compositionem initam inter bonæ memoriæ P. prædecessorem ejusdem episcopi, et dilectum filium nobilem virum A. Estensem, tunc Anconitanum marchionem, eodem mediante legato tunc Apostolicæ Sedis nuntio existente, volumus et præcipimus observari, donec de utriusque nobis jure plenius innotescat, cum utrique parti terminum, quem in festo beati Sancti Michaelis præfixum usque ad festum beati Martini proximo futurum duximus prorogandum, quo nostro se conspectui repræsentent ad jus suum quodlibet prosequendum. Quocirca

universitati vestræ per Apostolica scripta districte præcipiendo mandamus, quatenus tam episcopo quam legato præfatis secundum tenorem compositiouis ipsius interim sine difficultate qualibet intendatis. Et ecce venerabili fratri nostro Camerinensi episcopo damus nostris litteris in mandatis, ut quicquid est ab alia partium contra compositionem hujusmodi a tempore, quo obtentæ fuerunt litteræ, quibus utramque partem primo citavimus, attentatum, auctoritate nostra studeat in statum pristinum revocare. Datum Laterani, XIV kalendas augusti, pontificatus nostri anno octavo.

In eumdem modum universis fidelibus per Firmanum comitatum constitutis.

CCLVI

Ad episcopum Firmanum.

19 julii 1224.

[Theiner, Cod. dipl. dominii temporal., I, 80, 132.]

Idem argumentum quam superioris epistolæ.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri... episcopo Firmano, salutem et Apostolicam benedictionem.

Cum ecclesiæ Firmanæ jura sic servare velimus, ut jura curiæ nullatenus minuantur, ac super his inter te et dilectum filium nostrum P. (1) subdiaconum et notarium nostrum, Apostolicæ Sedis legatum, contentionis materiam amputare terminum, quem in festo B. Michaelis super his tibi et ipsi concessimus, ad festum beati Martini proximo futurum duximus prorogandum, quo volumus, ut ad prosequendum jus tuum nostro te conspectui repræsentes. Nos enim venerabili fratri nostro...... Camerinensi episcopo damus nostris litteris in mandatis, ut si contra compositionem initam inter bonæ memoriæ P. prædecessorem tuum et nobilem virum A. Estensem, tunc Anconitanum, marchionem super juribus curiæ ac ecclesiæ tuæ, ipso mediante legato tunc Sedis Apostolicæ nuntio existente, invenerit, a tempore, quo litteræ, quibus utramque partem primo citavimus, recitatæ fuerunt, etc., *ut supra usque in finem.*

In eumdem modum... episcopo Camerinensi.

CCLVII

Ad præpositum et fratres S. Andreæ.

1224 (sine die et mense).

[Duellius, Miscellan., II, 430, n. 2.]

Eos sub beati Petri et sua protectione suscipit.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis præposito ecclesiæ Sancti Andreæ, ejusdem fratribus tam præsentibus quam futuris, regularem vitam professis in perpetuum.

Quoties a nobis petitur, quod honestati et religioni convenire dignoscitur, animo nos decet libenti concedere, et petentium desideriis congruum suffragium impertiri. Quapropter, etc. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus, sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus et hic fructum bonæ actionis percipiant, et apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Datum Laterani, indictione XII, Incarnationis Dominicæ anno MCCXXIV, pontificatus vero domini Honorii papæ tertii anno octavo.

Ego Honorius, catholicæ Ecclesiæ episcopus.

(1) Pandulfum.

LIBER NONUS

I

Ad Gerardum archiepiscopum Bremensem.

31 julii 1224.

[Meklenburg. Urkund., I, 293, n. 406.]

Ei opprobrat invasionem per Waldemarum nefandum apostatam in regnum Waldemari, regis Daciæ, factam.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, archiepiscopo Bremensi, salutem et Apostolicam benedictionem.

Grave gerimus et indignum, quod, cum tibi dederimus in mandatis, ne liberationem carissimi in Christo filii nostri Valdemari, Daciæ regis illustris, et filii ejus impedire aut regnum ejus infestare præsumeres, tu, sicut accepimus, mandato nostro contempto, quosdam vassallos tuos et alios tuæ diœcesis Waldemaro, nefando apostatæ, sociasti, cum quibus hostiliter regnum ipsum invadens, destructo in eo quodam castro quosdam homines ipsius regni occidit et quosdam carceri mancipavit. Et quia nobilis vir comes Albertus, cui est tutela dicti regni commissa, punivit quosdam, per quorum proditionem castrum ipsum extitit occupatum, tu occasione hujusmodi dicto comiti gravis et molestus existis, comminando te laturum sententiam excommunicationis in ipsum. Monemus igitur fraternitatem tuam et per Apostolica tibi scripta firmiter præcipiendo mandamus, quatenus ab indebita ipsius regni, et specialiter dicti comitis molestatione desistas, nec sub velamento hujusmodi ipsum regnum aut regem, seu præfatum comitem, persequaris, sed si habes adversus eos aliquid quæstionis, cures non violentiis, sed actionibus experiri, quum, sicut alias scripsisse tibi recolimus, parati simus facere tibi exhibere justitiæ complementum. Nos enim damus... abbati S. Johannis de Lubech et... præposito de Pores, Lubiensis diœcesis, in mandatis, ut, si contempto præcepto nostro indebite gravaveris regnum aut comitem sæpedictum, ipsi partibus convocatis audiant, quæ fuerint hinc inde proposita et quod justum fuerit, appellatione remota, decernant, facientes, quod decreverint, auctoritate nostra firmiter observari. Datum Laterani, II kal. augusti, anno nono.

II

Ad Arnaldum, Narbonensem archiepiscopum.

Anno 1224, circa augustum.

[Bouquet, Rec. des Hist., XIX, 755.]

Mandat Honorius Arnaldo, ut omni ope atque opera enitatur, ut maxime proficiat ecclesiæ colloquium quod ad Montempessulanum Raimundi VII Tolosani cum ecclesia conciliandi causa habebitur.

Honorius episcopus..., venerabili fratri archiepiscopo Narbonensi, salutem, etc.

Recepimus litteras quas tua nobis fraternitas destinavit, super responsione quam tibi fecit nobilis vir R. (1) filius quondam R. comitis Tolosani, necnon quamdam scripturam sigilli ejus et quorumdam aliorum appensione munitam, in qua ea expressius continentur quæ coram te obtulit se facturum; cui nihil duximus hujusmodi scripturæ occasione scribendum. Cum autem in octavis Assumptionis B. Mariæ sit super hiis colloquium ordinatum, post quod solemnes nuncii ad nostram debent destinari præsentiam, sicut nobis tuis litteris intimasti, tibi apostolica auctoritate mandamus, quatenus des operam efficacem, ut dictis nobilis, et ea quæ obtulit, et alia quæ facienda fuerint, sic studeat adimplere, quod adventus nunciorum ejus possit existere fructuosus : veri-

(1) Raimundus VII.

tatem omnium quæ gesta fuerint in ipso colloquio nobis fideliter rescribatis (1). (Absque ulla temporis nota.)

III

Ad Xantonensem ac Lemovicensem episcopos, etc.

2 august. 1224.

[Bouquet, Recueil des Histor., XIX, p. 757. Regest., lib. IX, ep. 5.]

Dissidentibus Henrico Angliæ rege et Hugone de Leziniaco, quia regis sororem sibi olim sponsam neque postea ductam uxorem Hugo cum dote tamen detinebat, mandat episcopis Honorius ut Hugonem iterata sententia compellant ad dotem restituendam.

Honorius episcopus..., venerabilibus fratribus Xanctonensi (2) et Lemovicensi (3) episcopis, et dilecto filio decano Burdegalensi, salutem, etc.

Carissimus in Christo filius noster H., rex Anglorum illustris, olim nobis querimoniam destinavit quod, cum nobilis vir Hugo de Leziniaco, comes Marchiæ, quondam jurasset J. (4) sororem suam, quam cito nubilis esset, ducere in uxorem, ac interim civitatem Xanctonensem et insulam Oleronis, cum aliis terris et redditibus, quos claræ memoriæ J. (5) rex Angliæ pater ejus cum ea sibi tradiderat fideliter custodire, nec unquam aliquid facere per quod posset hujusmodi matrimonium disturbari, idem, contra suum et aliorum qui super hoc juraverant veniens juramentum, I. (6) matrem prædictæ J. (7) quondam reginam Angliæ, quæ sponsalibus contractus (8) inter eos consenserat, sibi, sicut fieri potuit, matrimonialiter copulavit, nihilominus præfatam filiam ejus detinens cum civitate et aliis supradictis. Adjecit etiam idem rex hujusmodi quæstioni quod præfatus comes et supra nominata regina quædam castra ipsius occupaverant violenter, quibusdam de supradictis terris atque redditibus alienatis in ipsius regis non modicam læsionem. Unde nos ipsi comiti dedimus (9) in præceptis, ut, restituens ipsi regi sororem suam cum civitate et aliis supradictis, nec non cum fructibus quos perceperat ex eisdem, non molestaret ipsum regem vel homines suos, nec subditis suis vel complicibus molestari sineret, dantes vobis per nostras litteras in mandatis ut, si dictus comes nostrum negligeret adimplere præceptum, vos ipsum et ejus complices ac fautores ad restituendum ipsi regi omnia supradicta, et ad desistendum a vexatione ipsius hominumque suorum, per excommunicationem in personas et interdicti in terras (10), appellatione postposita, cogeretis.

Nuper autem idem rex nobis insinuare curavit quod, licet ad tempus supersederitis nostri executioni mandati de beneplacito ejus, sperantes quod sæpedictus comes, qui, restituta sibi præfata sorore sua, promittebat se in aliis ejus voluntati humiliter pariturum, esset, quod ore dicebat, opere completurus : nunc tamen contrarium videns certissimis argumentis, vult ut sæpedictum mandatum nostrum executioni mandetur. Quare ad exsequendum illud vos apostolicis petiit litteris excitari. Ideoque dicretioni vestræ per iterata scripta firmiter præcipiendo mandamus quatenus, humano amore ac mundano timore postpositis, in negotio ipso juxta priorum litterarum continentiam, appellatione remota, ratione prævia procedere non tardetis, præceptum nostrum ita sollicite impleturi, quod idem rex, cujus causam propriam reputamus, ad nos pro defectu vestro remittere non cogatur. Datum Laterani, IV nonas augusti, anno nono.

Burdegalensi archiepiscopo et episcopo Vasatensi *sic scriptum est*, ut si præfati episcopi in hoc negligentes fuerint aut remissi, ipsi cum ipso decano Burdegalensi juxta earumdem litterarum tenorem in negotio ipso procedere non postponant.

(1) Ex iis quæ apud episcopos in Montepessulano congregatos a contendentibus de asserendo in terram Tolosanam jure acta fuerunt, nulla scriptione servata manent, præter juramenta quibus jam concessa Raimundus Tolosanus confirmavit, et litteras quibus Amalricus Raimundo jura sua vindicanti refragabatur : quæ publici juris fecerunt Steph. Baluzius in collectione *Conciliorum Narbonensis provinciæ*, in-8°, pag. 59, et Labbeus, tom. XI *Concil.*, pag. 2333, in appendice, nosque repræsentavimus tomo nostro XVII, pag. 306 et seq.; sed alia ejusdem concilii acta utrobique desideramus. (Bouquet.)

(2) Michaeli vel Heliæ.

(3) Bernardo.

(4) Joannam. (5) Joannes.

(6) Isabellam.

(7) Joannæ.

(8) *Legendum* contractibus.

(9) Vide Honorii litteras ad Hugonem de Leziniaco supra, lib. VI. ad ann. 1222, 25 julii.

(10) *Addendum* sententiam.

IV

Ad Ludovicum, Francorum regem.

3 augusti 1224.

[Bouquet, Rec. des Hist., XIX, 757. Regest., lib. IX, epist. 1.]

Instantissime precatur regem Ludovicum ut inducias belli prorogare velit cum Anglorum rege.

Honorius episcopus..., carissimo in Christo filio nostro Ludovico regi Francorum illustri, salutem, etc.

Longæ prosperitatis qua regnum Franciæ, concussis fere omnibus aliis regnis, noscitur floruisse, prima et præcipua, sicut communis habet opinio, causa fuit quod semper reges habuit fide ac pietate conspicuos, et sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, quam providentia Dei matrem omnium christianorum esse voluit et magistram, quasi quadam specialitate devotos. Cui enim alii causæ tam dignæ adscribi potest dicti regni continuata felicitas quam abundantiæ pietatis et misericordiæ Dei, in cujus manu sunt omnium potestates atque jura regnorum, a quo est omne datum optimum et omne bonum perfectum, cujus gratia omnes bene agentes prævenit et subsequitur largiens ineffabili bonitate virtutes, ut et ipsarum præmia largiatur? Divinæ procul dubio gratiæ donum fuit, quod recolendæ memoriæ pater et alii progenitores tui Francorum reges fuerunt fide ac devotione præcipui, et hujus doni præmium, præter felicitatem æternam quam illos divino munere credimus consecutos, fuit etiam temporalis prosperitas qua, sicut jam prænotavimns, antecesserunt omnes fere alios reges mundi. Et quidem sæpe te, fili carissime, affectu paterno monuimus ut in his studeres eorum vestigia imitari, et quibus es digne successor in regnum, studeres succedere etiam in decore virtutum, idque te facturum spe certa confidimus, et generoso stipiti a quo ducis originem, futurum etiam fructibus similem credimus et speramus.

Cæterum, si preces, immo quasi primitias precum, quas tibi porreximus pro treugis inter te ac illustrem regem Angliæ prorogandis, melius exaudisses, tribuisses huic nostræ spei certitudinem pleniorem, et ad porrigendum alias (1), cum res exposcere videretur, ampliorem nobis fiduciam præstitisses. Ad prorogandum autem treugas ipsas etsi te nostra reverentia non induxit, induxisse saltem debuit consideratio negotii Terræ Sanctæ, propter qnod, sicut et tunc tibi notificare curavimus, ordinavimus in colloquio inter nos et carissimum in Christo filium Fredericum illustrem Romanorum imperatorem, semper augustum et regem Siciliæ celebrato, ut pax inter omnes christianos, et maxime inter excellentiores principes, interim servaretur, quatenus sic ipsi Terræ liberius veniret ab omni parte succursus.

Sed esto quod de ipsis treugis prorogandis ob certas causas inter te ac præfatum Angliæ regem convenire non potuit; ad movendum arma continuo contra eum, spreto præfato statuto nostro et cura Terræ Sanctæ posthabita, quæ necessitas te coegit? Audivimus enim quod ad invadendum terram quam idem rex adhuc citra mare obtinet, te accingis et per vassallos et confœderatos tuos fecisti jam illam invadi, et qui in treugarum prorogatione dictarum non curasti obsequium nobis impendere, jam prorumpis etiam ad offensam, dum statuto quod de pace servanda edidimus incipis contraire. Certe ipsius Terræ Sanctæ negotium nunquam magis per aliam quam per regni Franciæ potentiam est promotum. Vide igitur quantum tu ipse officis famæ tuæ, si prædictæ Terræ Sanctæ succursu, qui per regnum tuum consuevit præcipue promoveri, per illud, te regnante, contigerit impediri. Vide etiam in quantam nos difficultatem inducas, qui et tuæ cupimus sublimitati deferre, et præfato imperatori promisimus eos qui violarent sæpedictum statutum districtione canonica coercere.

Rogamus igitur serenitatem tuam et obsecramus in Domino Jesu Christo, quatenus, hæc omnia prudenter attendens, ab impugnatione terræ dicti regis ob reverentiam divinam et nostram abstineas, et tuos subditos facias abstinere, nosque interim resumi faciemus treugarum tractatum et ad bonum finem, Deo donante, perduci. Taliter autem cures exaudire preces nostras hac vice quod adversus precamina nostra non videaris aures et animum obfirmasse, quod non adimas nobis fiduciam de cætero te rogandi,

(1) Vide supra. lib. VIII, epist. 66 et 129.

quod denique non videaris parvipendere Christi causam, quæ in hujusmodi guerra, si processerit, periclitari videtur : sciens nos propter hoc dilectum filium abbatem de Columba, Cisterciensis ordinis, virum religiosum et hominibus ac Deo, sicut speramus, acceptum, ad tuam præsentiam destinasse, petentes pro numere speciali et grandi, ut nos quasi coram te personaliter positos audias et exaudias in eodem. Datum Laterani, III nonas augusti, pontificatus nostri anno nono.

V

Ad Henricum III, Angliæ regem.

3 augusti 1224.

[Bouquet, Rec. des Hist., XIX, 759; Reg., lib. IX, ep. 4.]

Durante inter regem Ludovicum et Angliæ regem dissidio de Pictaviensi terra, Henrico suadet Honorius ut omni modo atque opera cum rege Ludovico pacem reconciliare conetur.

Honorius episcopus....., carissimo in Christo filio Henrico, regi Anglorum illustri, salutem, etc.

Venientes ad præsentiam nostram dilectos filios de Boxelio et de Ponte Roberti abbates Cisterciensis ordinis, nuncios tuos, consueta benignate recepimus, et tam his quæ litteræ tuæ ab eisdem nobis exhibitæ continebant, quam his quæ ipsi, tamquam viri providi et fideles, viva voce proponere curaverunt, cum diligentia intellectis super negotio terræ Pictaviæ, scripsimus illustri regi Francorum prout vidimus expedire; nihilominus super negotio comitis Marchiæ litteras eidem negotio congruas destinantes. Nollemus autem quod, occasione eligendi arbitros inter te ac prædictum regem super emendandis damnis hinc inde treugarum tempore irrogatis, ipsarum treugarum prorogatio remansisset (1). Unde et adhuc tuæ serenitati suggerimus, quatenus, si videris quod ipse rex possit ad treugas innovandas induci, non consideres difficultatem emendandi damna hujusmodi, cum guerra difficultatem habeat sine comparatione majorem; sed ad treugas ipsas habendas omni studio elabores (2). Datum Laterani, III nonas augusti, anno nono.

VI

Ad abbatem de Altacumba.

3 augusti 1224.

[Bouquet, Recueil des Hist., XIX, 759.]

Ludovicum regem adeat cum Senonensi archiepiscopo et episcopo Silvanectensi, ita ut rex ab impugnanda regis Angliæ terra Pictaviensi deterreatur.

Honorius episcopus...., dilecto filio abbati de Altacumba, Cisterciensis ordinis, salutem, etc.

Gerentes de tua religione fiduciam specialem, devotioni tuæ præsentium auctoritate mandamus, quatenus una cum venerabili fratre nostro Senonensi archiepiscopo, et episcopo Silvanectensi, quibus super hoc scribimus, ad carissimum in Christo filium nostrum Ludovicum, regem Francorum accedas, eique litteras Apostolicas repræsentes, quibus rogamus eumdem, ut ab impugnatione terræ Pictaviæ (3), precum nostrarum intuitu et specialiter consideratione negotii Terræ Sanctæ, abstineat et sibi subditos faciat abstinere, ac eum ad exaudiendum nostra precamina in hac parte, secundum datam tibi a Deo prudentiam, inducere studeas sollicite et prudenter : quod inde feceris et inveneris, nobis fideliter rescripturus. Datum Laterani, III nonas augusti, anno nono.

VII

Ad Senonensem archiepiscopum, et episcopum Silvanectensem.

3 augusti 1224.

[Bouquet, Rec. des Hist., XIX, 759.]

In eumdem fere modum, ut in epistola proxime superiori.

Honorius episcopus..., venerabilibus fra-

(1) *Supplendum* infecta *vel quid simile.*

(2) Quid in ea legatione pro rege Anglorum egerint abbates ab eo Romam deputati, nullum ex instrumentis a Th. Rymer editis elicere documentum potuimus. Intelligimus autem ex subjecta epistola regem Ludovicum illuc quoque circa negotium idem misisse Stephanum, clericum suum, pro se acturum. (Bouquet.)

(3) Suscepta in Pictaviæ terram adversus Angliæ regem expeditione, mense julio Niortium castrum expugnavit Ludovicus; inde oppidanos Sancti Johannis de Angelo se ultro dedentes recepit, et IV nonas augusti victor Rupellam, suæ ditionis factam, intravit, ut refert Turonensis chronographus tomo nostro XVIII, p. 305, qui subjungit : « Sicque Anglici, qui in illa cauda Aquitanicæ regionis diu latuerant inclusi, amissa cauda illa, a toto regno Franciæ sunt exclusi. (Bouquet.)

tribus Senonensi (1) archiepiscopo, et episcopo Silvanectensi (2), salutem, etc.

Gerentes de vestra caritate fiduciam specialem, fraternitatem vestram rogamus attentius ac per Apostolica vobis scripta firmiter injungendo mandamus quatenus, ascito vobis dilecto abbate de Altacumba, Cisterciensis ordinis, viro religioso et fido, cui super hoc scripsimus litteras quibus rogamus carissimum in Christo filium nostrum regem Francorum illustrem, etc., (*ut supra, usque* abstinere) præsentetis eidem, et ipsum ad exaudiendum nostra precamina in hac parte prudenter et efficaciter inducere studeatis ad treugas cum illustri rege Angliæ innovandas, ipsum ad hoc, secundum datam a Deo vobis prudentiam, omni cura omnique studio inducere satagentes; certi quod nihil facere possetis hoc tempore, quod vos Apostolicæ Sedi redderet gratiores. Porro, si dictus abbas huic forte negotio nequiverit interesse, vos nihilominus in eodem studiosissime ob nostram et divinam reverentiam procedatis : quod inde feceritis et inveneritis, nobis fideliter rescripturi. Datum ut supra.

VIII

Ad decanum et cantorem Valentinensis ecclesiæ.

25 augusti 1224.

[Bouquet, Rec. des Hist., XIX, p. 756.]

Cum Raimundus VII Tolosanus, quo tempore Romanæ Ecclesiæ reconciliari cuperet aut cupere crederetur, interim Vivariensis ecclesiæ villam Argentariam velut propriam occupasset, mandat Honorius ut ille nova censura fortius ligetur, nisi pontificis monitis acquiescat.

Honorius episcopus..., dilectis filiis decano et cantori Valentinensi, et sacristæ Romanensi, Vivariensis diœcesis, salutem, etc.

Ex parte nobilis Raimundi filii quondam R. comitis Tolosani fuit nobis propositum tam frequenter, quod desiderat Deo et Ecclesiæ satisfacere de commissis, et redire ad ecclesiasticam unitatem, a qua, suis culpis exigentibus, fuit præcisus; sed certe ipsius opera verbis hujusmodi penitus contradicunt. Cum enim Deum et Ecclesiam sic vehementer offenderit, quod dignam satisfactionem exhibere non posset, si totum in hoc suum constaret, adhuc offensis offensas, injuriis injurias aggerat, incessanter in ecclesiarum reliquiis debacchando, ut ad præsens de aliis taceamus, Vivariensem ecclesiam, sicut intelleximus, usque adeo nititur conculcare, ut villam Argentariæ, quæ est præcipuum bonorum ipsius, auferre moliatur eidem, occasione cujusdam partis ac quorumdam aliorum quæ olim in ea tenuisse proponitur pater ejus, et quæ, eodem patre ipsius pro vitio pravitatis hæreticæ, quasi pro læsæ crimine majestatis, totaliter sua terra privato, Sedes Apostolica ipsi ecclesiæ, in cujus dominium de jure deciderat, specialiter contulisse dicitur, et privilegii sui munimine confirmasse.

Ideoque discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus quatenus diligenter moneatis nobilem memoratum ut, attendens quod sibi cogitandum esset, non de ingerendis novis offensis, sed de veteribus emendandis, a persecutione ecclesiæ supradictæ, tum in aliis, tum specialiter super villa memorata, desistat; eique, nisi monitis acquieverit, manifeste denuncietis quod, quamdiu super villa ipsa et aliis prædictam ecclesiam molestaverit, frustra sibi de reconciliationis gratia blandietur et frustra de assequendi eam fiducia se jactabit. Denique, si dictus nobilis nequiverit monitis vestris induci, ut super villa ipsa et aliis cesset a molestatione indebita ecclesiæ memoratæ, vos ipsum et complices ejus a molestatione hujusmodi per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, sicut justum fuerit, compescatis, cum fortius ligari valeat jam ligatus. Quod si non omnes, etc. Datum Laterani, VIII kalendas septembris, pontificatus nostri anno nono.

IX

Ad episcopum Atrebatensem.

9 septemb. 1224.

[Regest., lib. IX, epist. 19. Mss. La Porte du Theil.]

Litteras imperatoris, a Joanne quodam, tacita veritate, obtentas irritas esse declarat.

Honorius, etc., venerabili fratri... episcopo Atrebatensi, salutem et Apostolicam benedictionem.

(1) Galtero Cornuto.

(2) Guarino.

Qui nostras per suppressionem veri litteras impetrantes, illarum commodo carent cum veritas reseratur, id sibi debent imputare non nobis, qui omnium habere memoriam non valemus, cum id divinum sit potius quam humanum. In litteris siquidem, per quas olim tibi mandavimus, ut dilecto filio Clementi, qui in spe provisionis nostræ frustra diutius laborarat in Atrebatensi ecclesia provideres, hujusmodi clausula continetur : Securus quod pro nullius provisione tibi gravamen de cætero inferemus. Nuper autem nobis insinuare curasti, quod Johannes dictus audax postmodum ad te nostras super provisione sua in eadem ecclesia litteras monitorias, et præceptorias impetravit, de clausula supradicta non habita mentione. Quare nobis humiliter supplicasti, ut te super hoc fatigari ab eo contra tenorem supradictæ clausulæ non sinamus. Nolentes igitur ea irrita facere, quæ sicut solemniter de nostris labiis processerunt, ut etiam munimine Apostolica bulla appareant roborata, te a monitione et præcepto hujusmodi tanquam per veri suppressionem obtentis reddimus absolutum, ita quod ab eodem J. contra tenorem prædictæ clausulæ ulterius non vexeris, tibi præsentes litteras in hujus rei testimonium concedentes. Datum Laterani, V idus septembris, pontificatus nostri anno nono.

X

Ad universos Christi fideles per Campaniam et Maritimam constitutos.

20 septemb. 1224.

[Theiner, cod. dipl. dominii temp., I, 80, n. 133.]

Eis mandat ut Ecclesiæ et rectoribus sibi datis stricte obediant.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis universis fidelibus nostris per Campaniam et Maritimam constitutis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Quantum publicæ utilitatis intersit, ut terrarum domini et rectores ab his, super quos habent dominium et regimen, timeantur, ipsa, si reminisci libet, rerum experientia didicistis. Qui enim vestrum non viderunt sub rectore contempto exuberare perversorum excessus, turbari omnia, et fas nefasque confundi, sub formidato autem conquiescere, malorum audaciam cohibitam, ipso metu omnia fieri ordine et felici tranquillitate lætari. Hinc sane sunt inter vos frequentes dissensiones et scandala, hinc cædes et incendia perpetrantur, quod abutentes benignitate ac patientia nostra, Romanam Ecclesiam matrem et dominam vestram nec sicut matrem reveremini, nec timetis ut dominam, sed de impunitate securi eam audaciter offenditis et præceptis ac inhibitionibus ejus factis vobis pro vestra tranquillitate ac pace non magis in ejus injuriam, quam in vestrum detrimentum proprium contractis. Volentes igitur his occurrere remedio competenti, pro vestra specialiter pace ac tranquillitate duximus statuendum, ut quæcumque civitas sive castrum, aut baro præceptis seu inhibitionibus Romani pontificis, seu ejus, quem vobis providerit in rectorem, temere contraire præsumens, tamdiu in suæ temeritatis audacia et rebellione præstiterit, quod in pœnam incidat, sub qua quid inhibitum sibi fuerit vel mandatum, quodve circa ipsam contingat exercitum congregari, in Apostolicæ Sedis gratiam nullatenus admittatur, donec pœnam exsolverit, quam incurrisse probabitur, et expensas resarcierit universas, quas ipse Romanus pontifex, vel is qui vestrum regimen obtinebit, fecisse pro castiganda ejus audacia ostendetur. Monemus ergo discretionem vestram et sollicitamus attentius, ac per Apostolica vobis scripta præcipiendo mandamus, quatenus statutum hujusmodi memoriter retinentes curetis studiose cavere, ne illud temere incidatis. Datum Laterani, XII kal. octobris, pontificatus nostri anno nono.

XI

Ad episcopum et capitulum Massilienses.

22 septemb. 1224.

[Regest., lib. IX, ep. 29. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat ut, juxta requisitionem civium Massiliensium, eis concedatur medietas civitatis Massiliensis, subjecta episcopatui, habita recompensa et præterea ut se favorabiles salvo jure Ecclesiæ exhibeant dictis civibus.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri... episcopo et dilectis filiis capitulo Massiliensi, salutem et Apostolicam benedictionem.

Dilecti filii cives Massilienses nobis insi-

nuare curarunt, quod eorum civitas multiplex detrimentum incurrit ex eo quod una pars ejus est vestræ jurisdictioni subjecta. Unde nobis humiliter supplicarunt, ut cum utilitas publica graviter ex hujusmodi divisione lædatur, et ipsi pro jurisdictione, quam obtinetis in parte prædicta vobis et Ecclesiæ vestræ velint recompensationem congruam exhibere, nos ad ejus receptionem inducere dignaremur. Ideoque discretionem vestram monendam induximus, et hortandam per Apostolica vobis scripta mandantes, quatenus eisdem civibus vos in his et aliis quantum salvo jure, ac honore ecclesiæ vestræ poteritis, exhibeatis favorabiles et benignos. Datum Laterani, XII kalendas octobris, anno nono.

XII

Ad Mauritium episcopum, decanum et magistrum scholarum Cenomanensium.

2 octob. 1224.

[Gallia christiana, XIV, inst. 216.]

Eis mandat ut Rotonensi monasterio visitationis officium impendant.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri episcopo et dilectis filiis decano et magistro scholarum Cenomanensium, salutem et Apostolicam benedictionem.

Auditos subditorum graves et enormes excessus non possumus salva conscientia relinquere indiscussos, præsertim cum per graves honestasque personas ad nostram audientiam perferuntur. Sane venerabiles fratres nostri Redonensis, Dolensis, Macloviensis, Briocensis et Tricoriensis episcopi jam secundo suis nobis litteris intimarunt quod monasterium Rotonense adeo est dissolutum in capite ac in membris, ut nulla ibi vel modica servetur regularis ordinis disciplina, quin imo personis commorantibus in eodem deditis incontinentiæ vitio, ac negotiationes et alia monasticæ professioni prorsus contraria exercentibus, odor vitæ in vitam, qui de loco ipso antiquitus procedebat, in odorem mortis, in mortem mutatione damnabili est conversus. Cum igitur instantia nostra quotidiana sit ecclesiarum omnium sollicitudo continua, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus ad monasterium ipsum personaliter accedentes, impendatis ei visitationis officium vice nostra, et habentes præ oculis solum Deum, corrigatis et reformetis ibidem tam in capite quam in membris quæ correctionis et reformationis officio videritis indigere, ac ea quæ pro ipsius loci reformatione duxeritis statuenda faciatis firmiter observari. Contradictores, etc. Quod si non omnes... Datum Laterani, VI nonas octobris, anno nono.

XIII

Ad abbates de Nepomuch ordinis Cisterciensis, et de Ostrov, Pragensis diœcesis et præpositum Olomucensem.

4 octob. 1224.

[Boczek, Cod. dipl. Moraviæ, II, 158.]

Nepomucensem et Ostrowensem abbates et præpositum Olomucensem ad eligendum novum episcopum Pragensem consiliarios providet.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis de... Nepomuch, Cisterciensis ordinis et... de Ostrov abbatibus, Pragensis diœcesis, et.... præpositum Olomucensem, salutem et Apostolicam benedictionem.

Attendentes multum expedire Pragensi ecclesiæ, ut bonæ memoriæ... Pragensis episcopus, qui usque ad mortem pro ejus libertate certavit, virum expertæ probibatis habeat successorem, Pragensi capitulo in celebranda electione pontificis vos, de quorum providentia gerimus fiduciam specialem, consiliarios duximus providendos, eisque per scripta nostra mandavimus, ut cum consilio vestro personam, quæ tanto congruat oneri et honori, sibi eligant in episcopum et pastorem, ac eum cum aliquot ex electoribus ejus examinandum et confirmandum ad nostram curent præsentiam destinare. Ideoque discretioni vestræ præsentium auctoritate mandamus, quatenus ad ipsam ecclesiam accedentes, studeatis solum Deum habere præ oculis, ut talis in ejus eligatur episcopum, quod eum Apostolica Sedes debeat merito approbare. Quod si non omnes his exsequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nihilominus exsequantur. Datum Laterani, III nonas octobris, pontificatus nostri anno nono.

XIV

Ad Sigfridum, archiepisc. Maguntinum.

4 octob. 1224.

[Wurdtwein, Nova subsidia, IV, 130.]

Scribit se capitulo Pragensi mandasse ut personam scientia, vita et fama præclaram, in episcopum et pastorem eligant.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri.... archiepiscopo Maguntino, salutem et Apostolicam benedictionem.

Novit fraternitas tua illius zeli fervorem, illamque mentis constantiam quam in prosecutione libertatis ecclesiasticæ habuit et exhibuit bonæ memoriæ A[ndreas] Pragensis episcopus, qui secutus illud sapientis consilium pro justitia agonizare usque ad mortem, laboribus, inedia, et proprie abjectione personæ contemptis pro ipsa ecclesiastica libertate usque ad ultimum vitæ diem indefesso animo decertavit; quia igitur sollicita est diligentia providendum, ne vir tantæ virtutis indignum accipiat successorem, dilectis filiis capitulo Pragensi nostris dedimus litteris in mandatis, ut cum consilio dilectorum filiorum de Nepomuch, Cisterciensis ordinis, et de Ostrov abbatum Pragensis diœcesis et... præpositi Olomucensis, quos illis consiliarios providimus in hac parte, personam scientia, vita et fama præclaram tantoque honori et oneri congruentem, in eorum episcopum et pastorem destinare procurent. Quum ergo id, pensato statu Pragensis ecclesiæ, faciamus, sine tui juris præjudicio vel honoris, fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus factum hujusmodi tua sustineat caritas patienter. Datum Laterani, IV nonas octobris, pontificatus nostri anno nono.

XV

Ad abbatem et conventum monasterii Aquicinctensis, Atrebatensis diœcesis.

20 octob. 1224.

[Regest., lib. IX, epist. 60. Mss. La Porte du Theil.]

Indulget eis ut in capellis, infra parochiales ecclesias, quarum collatio libera ad eos spectabat, jus idem ac in ipsas parochiales ecclesias, salvo tamen aliorum jure, habeant.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis... abbati et conventui monasterii Aquicinctensis, Atrebatensis diœcesis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Cum a nobis petitur etc.... Sane petitio vestra nobis exhibita continebat, quod cum habeatis quasdam parochiales ecclesias, quarum collatio libera ad vos spectat, quædam capellæ infra parochiarum ipsarum terminos sunt constructæ, in quibus earum constructores seu successores ipsorum nobis irrequisitis præsumunt instituere capellanos; quare petistis, ut super his paterna nobis providere sollicitudine dignaremur. Nos igitur vobis auctoritate præsentium indulgemus, ut illud jus habeatis in capellis hujusmodi, quod in parochialibus habetis ecclesiis, infra quarum parochias sunt constructæ, dummodo per hoc nulli præjudicium generatur. Ad hæc districtius inhibemus, ne possessiones, aut redditus, quæ in feudum, aut alio modo tenentur a monasterio vestro alieni sine conscientia vestra, et consensu in feudum, seu alio modo quolibet concedantur, nihilominus inhibentes, ne quis in ecclesiarum vestrarum presbyteros sine rationabili causa et canonica monitione prævia excommunicationis, vel suspensionis sententiam audeat promulgare. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis, et inhibitionis infringere, etc. Si quis autem, etc. Datum Laterani, XII kalendas novembris, pontificatus nostri anno nono.

XVI

Ad archiepiscopum Narbonensem.

24 octob. 1224.

[Regest., lib. IX, epist. 58. Mss. La Porte du Theil.]

Injungit ei ut juvenem quemdam, cui falso objiciebatur eum a patre subdiacono procreatum esse, ad diaconatum promovere non diutius recuset.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri..., archiepiscopo Narbonensi, salutem et Apostolicam benedictionem.

Occultis susurrationibus in alieni juris, vel honoris præjudicium credere non oportet, præsertim quibus publica fama, et ipsa quasi rei evidentia contradicit. Sane dilecti filii capitulum Narbonense suis nobis litteris intimarunt, quod cum quemdam bonæ indo-

lis juvenem oriundum de civitate Narbonæ receperint ad quoddam officium tunc vacans in ecclesia Narbonensi ac nuper vellent ipsum, prout onus ejusdem officii exigit in subdiaconum promoverit, quidam occulte tuis auribus instillarunt eum subdiaconi filium extitisse : propter quod ad ejus ordinationem procedere hactenus distulisti, licet constet ipsi capitulo, sicut dicunt, quod pater et mater dicti juvenis in facie Ecclesiæ absque contradictione qualiter inter se matrimonium contraxerunt, ac per viginti annos, et ultra insimul permanserunt sicuti vir et uxor, nemine in vita, seu, post mortem ipsam, contractum inter hos matrimonium accusante. Quare nobis humiliter supplicarunt, ut super hoc debita providere sollicitudine dignaremur. Ideoque fraternitati tuæ præsentium auctoritate mandamus, quatenus, si præmissis veritas suffragatur, et dicto juveni aliud canonicum non obsistit, ipsum propter susurrationes hujusmodi non differas ordinare, cum natus de matrimonio sic contracto, a susceptione ordinum non sit occasione hujusmodi repellendus. Dotum Laterani, IX kalendas novembris, anno nono.

XVII

Ad ducem Venetiarum.

24 octob. 1224.

[Ughelli, Ital. sacra, V, 373.]

Eum hortatur ut per suam sollicitudinem faciat ut Philippus, Feltrensis et Bellunensis episcopus, et populus Tarvisinus ad pacis redeant unitatem.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, nobili viro duci Venetiarum, salutem et Apostolicam benedictionem.

Quod vir sis fidelis, ac probus, tua merita, quæ sunt nota, testantur, et cicumpositi populi, qui viciniores existunt, eo id amplius didicerunt. Ex hoc ergo noscitur accidisse, quod venerabilis frater noster Feltrensis et Bellunensis episcopus pro Feltrensi et Bellunensi civitatibus et eorum districtu ex parte una, et populus Tarvisinus pro eorum civitate ac districtu ex altera, qui quum sicut vicini certius noverunt tuam probitatem et fidem de te per hoc plenius confidentes, sicut nuper relatum est nobis compromiserunt in te super guerra, discordia, et omnibus quæstionibus temporalibus, quas ad invicem habere dicuntur, ratum et firmum quicquid cum majori parte consilii tu super hoc judicio concordia, vel arbitrio, seu alio quocumque modo feceris, habituri. Sperantes igitur, quod illi per sollicitudinem tuam ad pacis redire debeant unitatem, prudentiam tuam hortamur attente per Apostolica scripta mandantes quatenus, Deum habens præ oculis, studeas hujusmodi commissum tibi negotium terminare, partes ad unitatem et pacem reducere procurando, ita quod diligentia tua per effectum appareat, et inde possis merito commendari, nos enim quidquid provide super hoc statueris ratum habebimus et observari firmiter auctore Domino faciemus. Datum Laterani, IX kalendas novembris, anno nono.

XVIII

Ad abbatem S. Pauli et P. Amelii archidiaconum et præcentorem Narbonensem.

25 octob. 1224.

[Vaissète, Hist. du Languedoc, t. III, p. 275.]

Mandat ut sententia excommunicationis, in homines Capitis Stagni et quorumdam aliorum locorum Narbonensis et Biterrensis diœcesum prolata, inviolabiliter asque ad satisfactionem condignam observetur.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati Sancti Pauli, P. Amelii archidiacono et præcentori Narbonensi, salutem et Apostolicam benedictionem.

Dilecti filii cives Narbonenses nobis humiliter supplicarunt, ut excommunicationis sententiam quam venerabilis frater noster C[onradus] Portuensis episcopus, tunc in partibus illis officium legationis exercens, in homines Capitis Stagni, et quorumdam aliorum locorum tam Narbonensis quam Biterrensis diœcesum, pro damnis illatis eisdem civibus promulgavit, Apostolico dignaremur munimine roborare; ideoque discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus sententiam ipsam, sicut rationabiliter est prolata, faciatis auctoritate nostra usque ad satisfactionem condignam, appellatione remota, inviolabiliter observari, nullis litteris veritati et justitiæ præjudicantibus a Sede Apostolica impetratis; quod si non omnes exsequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nihilomi-

nus exsequantur. Datum Laterani, VIII kalendas novembris, pontificatus nostri anno nono.

XIX

Ad archidaconum cancellarium et magistrum Henricum de Gres, canonicum Carnotensem.

25 octob. 1224.

[Regest., lib. IX, epist. 37. Mss. La Porte du Theil.]

Dat eis provinciam audiendi causam quæ inter archiepiscopum Rothomagensem et conventum Sancti Martini vertebatur. Mandat et bona conventui ab archiepiscopo ablata restitui faciant, et de cæteris, quod canonicum visum fuerit, pronuncient.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis... archidiacono... cancellario, et magistro Henrico de Gres canonico Carnotensi, salutem, etc.

Venerabilis frater noster... Rothomagensis archiepiscopus sua nobis petitione monstravit, quod de... abbate ac monachis Sancti Martini suæ diœcesis multa sinistra ejus auribus essent sæpius inculcata, ita ut sine conscientiæ tuæ scrupulo ea transire sub dissimulatione non posset, ipse volens, et suæ, et illorum providere saluti, dilectos filios... thesaurarium, et magistrum J. de Sarcon, canonicum Rothomagensem, ad eorum monasterium cum suis litteris destinavit, injuncto eisdem ut super his diligenter inquirerent veritatem, ea quæ invenirent sibi fideliter relaturi. Quibus volentibus exsequi quod ipsis erat injunctum, prior et conventus eos humiliter rogaverunt, ne in ipsa inquisitione procederent, sed expectarent quousque ipse archiepiscopus visitaret personaliter locum ipsum, firmiter promittentes quod actus suos interim in melius reformarent. Cumque dicti thesaurarius et canonicus eorum precibus annuissent, et fumus infamiæ, qui de ipsis ascenderat, et infecerat jam vicina, nequaquam, ut speraverat, evanesceret, sed de die in die magis ac magis ascendere videretur, idem archiepiscopus personaliter ad locum ipsum accessit, visurus utrum prædicti abbas et monachi clamorem, qui de ipsis ascenderat, opere complevissent. Cum ergo in ramentis abbatis et prioris, ac quorumdam monachorum de dicenda veritate receptis et redactis dictis eorum in inquirendo processu, ipse prior, pro abbate et conventu ne in negotio ipso procederet, appellavit, nullam aliam causam suæ appellationi assignans, nisi quod non debebat ad inquisitionem procedere, eo quod abbas admonitus antea fuerat, et quod correcta erant secundum statuta ordinis quæ fuerant corrigenda; archiepiscopus vero considerans quod in denuntiatione locum habet hujusmodi admonitio, et non in inquisitione, quam clamosa debet insinuatio prævenire, attendens etiam quod non est a correctione excessuum appellandum, post debitam monitionem, abbatem ab administratione temporalium, et tam ipsum quam conventum a celebratione divinorum, et campanarum pulsatione suspendisset, ipsi nihilominus et pulsare, ipso etiam adhuc præsente, campanas et digna celebrare officia præsumpserunt, propter quod idem archiepiscopus in eos præmonitos diligenter, ac in suæ rebellionis contumacia induratos excommunicationis sententiam promulgavit. Postmodum vero quid monachi ejusdem loci ei ex parte abbatis resignationis litteras obtulerunt, quibus inspectis ipsum abbatem ab administrationis cura nequaquam absolvere voluit, quinimo monachis ipsis expresse inhibuit ne procederent ad electionem alterius, cum dictus abbas nequaquam esset ab abbatiæ regimine absolutus, et ipsi etiam ligati excommunicationis vinculo tenerentur, et ne secus facere attentarent per suum certum nuntium nostram audientiam appellavit. Sed iidem ejus inhibitione ac appellatione contemptis, ad electionem suspensi, et excommunicati de facto cum de jure non possent procedere præsumpserunt. Quare idem archiepiscopus petebat processum suum auctoritate Apostolica confirmari, et processu monachorum penitus irrito nuntiato ipsos monachos ad eumdem absolvendos remitti, et canonice puniendos, pro eo quod suspensionis, et excommunicationis sententias minime servaverunt.

Ex parte vero J. monachi, qui dicitur electus, et conventus ipsius monasterii fuit propositum ex adverso, quod cum præfatus archiepiscopus ad monasterium ipsum causa visitationis, ut dicebat, accedens vellet solemnem inquisitionem facere in eodem, ipsi, licet B. tunc ejusdem loci abbas gravi esset infirmitate confectus, et fama

eorum satis esset secundum fragilitatem nostri temporis integra, et illæsa, reverenter tamen acquiescentes ipsius archiepiscopi voluntati, requisiverunt ab eo, ut exprimeret, et declararet articulos, super quibus erat inquisitio facienda. Cumque quibusdam expressis qui per abbatem, et conventum ipsius loci nuper erant plene correcti secundum regularia instituta circa illos inquisiturus, ut dixerat, crederetur idem super quibusdam, quos non expresserat, et qui per abbatem et conventum similiter corrigi poterant, imo propter infirmitatem ipsius abbatis, qui corrigere illos inceperat pro parte remanserant incorrecti, faceret inquisitionem archiepiscopus sæpedictus, ipsi, quia idem archiepiscopus eis noluit terminum indulgere, infra quem promittebant se hujusmodi plenarie correcturos, et quia nitebatur punire quosdam excessus congrue jam punitos, et etiam quia inquirebat super quibusdam articulis non expressis, nostram audientiam appellarunt, quorum appellatione contempta, idem archiepiscopus in eos suspensionis et excommunicationis sententias promulgavit. Et cum relaxare vellet hujusmodi sententias humiliter requisitus, præfatus abbas se ad ferendum imminentes labores propter infirmitatem suam considerans impotentem, ne jus monasterii suæ debilitatis occasione periret, in capitulo regimini renuntiavit ejusdem, et quoniam archiepiscopus adire non poterat, resignationem suam ei fecit per suas litteras præsentari. Cumque nuntii monasterii notificassent, sicut moris est, ipsi archiepiscopo se procedere velle ad electionem abbatis, et ipse id nullatenus inhibuisset eisdem, sed in hæc verba *Deus det vobis benefacere* respondisset, ipsi præfatum J. virum, ut asserunt, religione ac prudentia commendabilem, invocata Spiritus Sancti gratia, in ipsius loci abbatem canonice, ac unanimiter elegerunt, et electionem suam archiepiscopo præsentantes, petierunt humiliter ut electionem ipsam tanquam concordem et canonicam confirmaret, quo id facere recusante, nostram audientiam appellarunt. Sed ipse archiepiscopus quædam bona consistentia ipsius monasterii in diœcesi tua per se ac per laicalem potentiam occupavit, et detinet occupata. Quare nobis humiliter supplicarunt, ut super his paterna providere sollicitudine dignaremur. Ideoque discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus facientes monasterio ipsi plene restitui omnia, quibus taliter extitit spoliatum, audiatis deinde super aliis, quæ partes duxerint proponenda, et quod canonicum fuerit appellatione postposita, statuatis, facientes, etc. Quod si non omnes, etc.

Datum Laterani, VIII kalend. novembris, anno nono.

XX

Ad Hellinum archidiaconum et magistros G. de Chambli et Gotfridum S. Petri Laudunensis.

30 octob. 1224.

[Hemeræus, Augusta Viromand., 210.]

Mandat ut sententia, pro capitulo S. Quintini contra Gerardum episcopum Novionensem super quibusdam ecclesiis lata, observetur.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis archidiacono Hellino et magistris G. de Chambli et Gotfrido canonicis S. Petri Laudunensis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Postularunt a nobis dilecti filii capitulum S. Quintini ut definitivam sententiam quam pro eis officialis Rhemensis contra venerabilem fratrem nostrum episcopum Noviomensem, super quibusdam ecclesiis et eorum fructibus, non ex delegatione Apostolica, cognitis causæ meritis promulgarunt, Apostolico dignaremur munimine roborare. Ideoque discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus quatenus sententiam ipsam, sicut est justa, faciatis per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, inviolabiliter observari. Quod si non omnes his potueritis interesse, duo vestrum nihilominus exsequantur. Datum Laterani, III kalendas novembris, anno nono.

XXI

Ad Eberhardum archiepiscopum Salzburgensem, (Geroldum) episcopum Frisingensem et præpositum Salzburgensem.

4 novemb. 1224.

[Hueber, Austria, 16.]

Eis mandat ut, possessiones et bona, monasterio Mellicensi illicite alienata, ad jus et proprietatem ejusdem legitime revocent.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiscopo Salzburgensi, episcopo Kimensi [Frisingensi], et dilecto filio præposito Salzburgensi, salutem et Apostolicam benedictionem.

Dilecti filii abbatis monasterii Mellicensis precibus inclinati, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus ea, quæ de bonis ipsius monasterii alienata illicite inveneritis, ac distracta, ad jus et proprietatem ipsius legitime revocetis, contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Testes autem, qui fuerint nominati, si se gratia, odio vel timore subtraxerint, censura simili, appellatione cessante, cogatis veritati testimonium perhibere. Quod si non omnes his exsequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nihilominus exsequantur. Datum Laterani, II non. novembris, pontificatus nostri anno nono.

XXII

Ad archiepiscopos, episcopos, abbates, priores, decanos, officiales et alios prælatos ad quos litteræ istæ pervenerint.

9 novemb. 1224.

[Bullarium Romanum, III, 238.]

Exemptio ordinis Cisterciensis monachorum S. Benedicti a solutione decimarum.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis, ac dilectis filiis abbatibus, prioribus, decanis, archidiaconis, officialibus et aliis ecclesiarum prælatis, ad quos istæ litteræ pervenerint, salutem et Apostolicam benedictionem.

Cum abbates Cisterciensis ordinis tempore Concilii generalis, ad commonitionem felicis memoriæ Innocentii papæ, prædecessoris nostri, statuerint, ut de cætero fratres ipsius ordinis, ne occasione privilegiorum suorum, ecclesiæ ulterius gravarentur, de alienis terris, et ab eo tempore acquirendis, si eas propriis manibus, aut sumptibus colerent, decimas persolverent ecclesiis, quibus ratione prædiorum antea solvebantur, nisi cum eisdem ecclesiis, aliter ducerent componendum, idem prædecessor noster, quia sperabat, ut ecclesiarum prælati proniores, et efficaciores existerent ad exhibendum eis de suis malefactoribus justitiæ complementum hujusmodi, ratum habens, et gratum, hoc ipsum ad alios regulares, qui gaudent similibus privilegiis extendi voluit et mandavit.

Sed quod dolentes referimus, in contrarium res est versa, quia, sicut ex allata querela abbatum ipsius ordinis frequenter audivimus, nonnulli ecclesiarum prælati, et alii clerici, eorum privilegia temere contemnentes et contendentes malitiose ipsorum pervertere intellectum, eos multipliciter inquietant. Nam cum sit ipsis indultum, ut de novalibus, quæ propriis manibus, aut sumptibus excolunt, sive de hortis, virgultis, et piscationibus suis, vel de suorum animalium nutrimentis, nullus ab eis decimas exigere, vel extorquere præsumat; quidam perverso intellectu conficto dicentes quod non possunt intelligi, nisi de his, quæ sunt ante dictum Concilium acquisita, ipsos super his multiplici exactione fatigant.

Nos igitur eorum quieti paterna sollicitudine providere volentes, universitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus abbates et fratres ejusdem ordinis, a præstatione decimarum, tam de possessionibus habitis ante Concilium memoratum, et de novalibus, sive ante, sive post idem Concilium acquisitis, quæ propriis manibus, aut sumptibus excolunt, quam de hortis, virgultis, piscationibus suis, ac de suorum animalium nutrimentis, singuli vestrum omnino serventur immunes. Datum Laterani, V idus novembris, pontificatus nostri anno nono.

XXIII

Ad abbatem et fratres ordinis Cisterciensis.

6 novemb. 1224.

[Liber Sanctæ Mariæ de Neubotle, 218, n. 259.]

Idem argumentum quod superioris epistolæ.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbatibus et fratribus ordinis Cisterciensis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Cum aliquando cogente necessitate vel utilitate propria requirente, vestras terras ante generale Concilium acquisitas concesseritis aliis excolendas, ne pro eo quod de possessionibus post idem Concilium acquisitis decimas solvitis, si ad manus vestras taliter concessæ redierunt, a quoque vexari possitis, ut nullus a vobis de hujusmodi terris, quæ ad vos taliter redierint, si eas propris manibus aut sumptibus colitis, occasione Concilii memorati decimas exigere vel extorquere præsumat, auctoritate præsentium inhibemus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ inhibitionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani, V idus novemb., pontificatus nostri anno nono.

XXIV

Ad Cunonem præpositum majoris ecclesiæ, priorem S. Marii et magistrum Joseph, canonicum Lausanenses.

13 novemb. 1224.

[Zeerleder, Urk. d. stadt Bern, I, 223, n. 141.]

Mandat ut litem inter præpositum conventumque ecclesiæ Interlacensis et Ulricum presbyterum Lausannensis diœcesis super ecclesia de Steiga ortam componant.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis præposito majoris Ecclesiæ, priori Sancti Marii et magistro Joseph, canonico Lausannensi, salutem, etc.

Præpositus et conventus ecclesiæ Interlacensis insinuatione monstrarunt, quod cum Ulricus presbyter Lausannensis diœcesis eos super ecclesia de Steiga coram abbate Heremitarum et suis conjudicibus auctoritate nostra traxisset in causam, et ipsi rescripti Apostolici copiam postularent, præfatus presbyter eidem præposito notam excommunicationis objecit, sed cum iidem judices non attendentes quod reo non esset legitimæ defensionis copia deneganda, jam dicti rescripti copiam contra justitiam denegarent eisdem, ipsi nostram audientiam appellarunt. Ideoque discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus, si est ita, revocato in statum debitum quidquid post appellationem hujusmodi temere inveneritis attentatum, in causa ipsa juxta priorum continentiam litterarum ratione prævia procedatis. Alioquin partes ad priorum judicum remittatis examen, appellantes in expensis legitimis condemnantes. Testes autem qui fuerint nominati, si se gratia, odio vel timore subtraxerint, per censuram ecclesiasticam, appellatione cessante, cogatis veritati testimonium perhibere. Quod si non omnes his exsequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nihilominus exsequantur. Datum Laterani, idibus novembris, pontificatus nostri anno nono.

XXV

Ad Lambertinum episcopum Seloviensem.

14 novemb. 1224.

[Dogiel, Cod. dipl. Moraviæ, V, 10.]

Honorius III papa designationem finium diœcesis Seloviensis confirmat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri episcopo Seloviensi, salutem et Apostolicam benedictionem.

Justis petentium desideriis dignum est nos facilem præbere consensum, et vota, quæ a rationis tramite non discordant, effectu prosequente complere. Cum itaque, sicut affers, venerabilis frater noster Livoniensis episcopus, cui ordinandi cathedrales ecclesias et distinguendi diœceses in illis partibus plenariam concessimus facultatem, diœcesim tuam certis distinxerit terminis et terras infra terminos ipsos contentas tibi, et Seloviensi ecclesiæ diœcesano jure subjecerit, prout in ipsius litteris perspeximus plenius contineri, nos tuis precibus inclinati, quod per eumdem episcopum super

his rite ac provide actum est, auctoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti privilegio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani, kalendas decembris, pontificatus nostri anno nono.

XXVI

Ad universos Christi fideles per Russiam constitutos.

16 novemb. 1224.

[Turgenevius, Russiæ Monim., I, 14, n. 14.]

Eos monet et hortatur ut (Alberto) Livoniensi, (Lamberto) Seloniensi et (Hermanno) Lealensi episcopis et aliis, qui in partibus Livoniæ, evangelizant, de bonis suis pias eleemosynas erogent.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, universis Christi fidelibus per Russiam constitutis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Legistis, ut credimus, et memoriæ commendastis qualiter Apostolus fieri mandabat in ecclesia primitiva collectas, per quas posset sanctorum multitudinis, qui erant in Jerusalem, necessitatibus subveniri; suo secuturos post se docens exemplo, ut in similibus simili consilio uterentur. Cum igitur venerabiles fratres nostri Livoniensis, Seloniensis, et Lealensis episcopi, et alii qui in partibus Livoniæ evangelizant Dominum Jesum Christum et eos qui jam per baptismum induerunt eumdem defendere satagunt, ab incursibus paganorum, qui velut alii Amalecitæ impugnant multipliciter Israelem, ut eum vel in deserto perimant, vel revocent in Ægyptum, non sufficiant ad onera expensorum, nisi eis ex liberali subveniantur fidelium pietate, Universitatem vestram monendam duximus et hortandam in remissionem vobis peccaminum injungendo, quatenus de bonis vobis a Deo collatis, pro tam laudabili opere pias eisdem eleemosynas erogetis, obligaturi vobis exinde bonorum omnium largitorem. Datum Laterani, XVI kal. decembris, anno nono.

XXVII

Ad Yolem reginam Hungariæ.

20 novemb. 1224.

[Fejer, Cod. diplom. Hungariæ, III, I, 261.]

Eam rogat et hortatur ut dotem capituli Orodiensis ecclesiæ conferat et assignet.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, carissimæ in Christo filiæ, illustri reginæ Hungariæ, salutem et Apostolicam benedictionem.

Cum, sicut ex relatione dilectorum filiorum capituli Orodiensis nobis innotuit, devotionis zelo incensa, eorum feceris ecclesiam consecrari; profecto speramus, quod zelus ille, qui te ad ejusdem ecclesiæ consecrationem induxit, te quoque, ut et dotem ei conferas, debeat animare. Et quidem cum non sit ecclesia, nisi dote eidem provisum fuerit, consecranda; eo liberalius ad dotandam prædictam ecclesiam aperire manus munificentiæ tuæ debes, quo et facilius potes id facere, et ad hoc fortius, tanquam ex debito jam teneris. Proinde magnificentiam tuam rogamus et hortamur attente, quatenus dotem, quæ te deceat, eidem ecclesiæ conferas et assignes ita, quod in utraque fervor tuæ devotionis appareat, et ecclesia ipsa per te aucta, beneficiis circa divinum cultum, sicut propositi tui credimus esse, proficiat, et alias etiam spiritualiter et temporaliter augeatur. Datum Laterani, XII kalend. decembris, anno octavo [nono].

XXVIII

Ad magistrum et fratres Hospitalis in novo suburbio Metensi.

22 novemb. 1224.

[Regest., lib. IX, epist. 62. Mss. La Porte du Theil.]

Ipsorum fundationem confirmat, et inhibet ne bona ipsis assignata in alium usum divertantur.

Honorius, etc., dilectis filiis... magistro et fratribus Hospitalis in novo suburbio Metensi, salutem, etc.

Cum a nobis petitur, etc., *usque* effectum. Ex litteris sane Metensium civium intelleximus, quod cum nullus esset hospitalitatis in civitate Metensi locus, ipsi, divina inspirante gratia, hospitale vestrum, et do-

mos ipsius in fundis suis, et de bonis propriis ad usus pauperum construxerunt, ubi quum, sicut asserunt, ex bonis sibi collatis ab ipsis temporalium floreat ubertate, recipiuntur tam indigenæ quam extranei pauperes, et eis satis honeste in necessariis providetur. Unde provideri a nobis humiliter postularunt, ut ipsum hospitale, et ejus bona pauperibus deputata in usus converti alios non contingat. Nos ergo eorum piis precibus inclinati auctoritate præsentium districtius inhibemus, ne prædicta contra id, quod observatum est hactenus, aliorum quam pauperibus usibus deputentur. Latum Laterani, X kalendas decembris, anno nono.

XXIX

Ad abbatem Sancti Martini de Monte Viterbiensi.

25 novemb. 1224.

[Bullar. Vatic., III, 111.]

Abbatem monasterii S. Martini in montibus, a nonnullis, quæ ab Apostolica Sede demandari possent, curis eximit, ut quieti atque contemplationi vacet liberius.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio abbati Sancti Martini de Monte Viterbiensi, salutem et Apostolicam benedictionem.

A nobis humiliter postulasti, ut cum propter judiciorum strepitum contingat sanctæ contemplationis in te, otium impediri, eximere te a commissionum nostrarum sollicitudine dignaremur. Nos ergo tuis supplicationibus annuentes, devotioni tuæ auctoritate præsentium indulgemus, ut per commissiones nostras, quas de cætero ad te contigerit impetrari, non nisi de indulgentia hujusmodi mentionem fecerint, procedere tenearis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani, III kal. decembris, pontificatus nostri anno nono.

XXX

Ad abbatem et conventum S. Nicolai de Pratis Laudunensis.

25 novemb. 1224.

[Regest., lib. IX, epist. 64. Mss. La Porte du Theil.]

Indulget eis ut decimas novalium infra terminos in quibus veteres decimas percipiebant percipere valeant.

Honorius, etc., dilectis filiis... abbati et conventui Sancti Nicolai de Pratis, Laudunensis diœcesis, salutem, etc.

Justis petentium, etc., *usque* complere. Ex parte siquidem devotionis vestræ fuit nobis humiliter supplicatum, ut cum vobis de laboribus parochiarum ecclesiarum quarumdam vestrarum veteres decimas percipere sit concessum, vobis vellemus misericorditer indulgere, ut de terris quæ infra parochias memoratas rediguntur, noviter ad culturam de indulgentia nostra facultatem exigendi decimas habeatis. Nos igitur vestris devotis precibus inclinati, ut in parochiis ecclesiarum vestrarum in quibus, prout superius est expressum veteres vobis decimæ sunt concessæ de novalibus eas percipere valeatis auctoritate vobis præsentium indulgemus. Nulli ergo, etc., hanc paginam nostræ concessionis infringere, etc. Si quis autem, etc. Datum Laterani, VII kalendas decembris, anno nono.

XXXI

Ad episcopum Belvacensem, G. Peurel archidiaconum et magistrum Lauvernatz canonicum Parisiensem.

25 novemb. 1224.

[Regest., lib. IX, epist. 67. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat eis ut durante processu inquisitionis de abbate Sancti Symphoriani Belvacensis nunciis conventus faciant in expensis congrue provideri.

Honorius, etc., venerabilibus fratri..... episcopo Belvacensi et G. Peurel archidiacono et magistro Lauvernatz canonico Parisiensi, salutem, etc.

Cum ad petitionem dilectorum filiorum conventus monasterii S. Symphoriani Belvacensis vobis dederimus in mandatis, ut de vita et actibus... abbatis eorum veritatem sollicite inquirentes, quod inveneritis

fideliter nobis intimetis, ac injungatis ipsi conventui ut nuntios suos ad præsentiam nostram cum vestra relatione transmittant, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus durante processu inquisitionis hujusmodi nuntiis ipsis faciatis in expensis ad hoc necessariis congrue provideri. Contradictores, etc. Quod si non omnes, etc. Datum Laterani, VII kalendas decembris, anno nono.

XXXII

Ad archiepiscopum Rothomagensem et ad episcopos in Normannia constitutos.

26 novemb. 1224.

[Regest., lib. IX, epist. 71. Mss. La Porte du Theil.]

Facit eis potestatem, clericos diœcesis ipsorum olim a G., Sancti Martini cardinali, A. S. legato, propter concubinatum excommunicatos, cum certis conditionibus absolvendi.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus... Rothomagensi archiepiscopo, et... Bajocensi... Ambrincensi... Ebroicensi... Lexoviensi... Constantiensi..., et Lagiensi... episcopis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Exhibitæ nobis ex parte vestra litteræ continebant, quod nonnulli vestrarum diœcesum clerici in sacris ordinibus constituti excommunicationis sententiam a dilecto filio nostro G., tituli Sancti Martini presbytero cardinali, tunc Apostolicæ Sedis legato, latam in concubinarios clericos incurrerunt, et absolutionis beneficio non obtento in suis præsumpserunt ordinibus ministrare. Unde cum sicut asseritis perplexitatem non modicam incurreritis, cum prædicti non possint in suis ecclesiis sine animarum periculo deservire, et si amoveretis eosdem alii idonei de facili reperiri non possent, et multi ex eis propter viarum pericula, suorum debilitatem corporum, et expensarum defectum ad nos venire nequeant absolutionis beneficium petituri, nobis humiliter supplicastis, ut cum eis agere misericorditer dignaremur. Nos autem qui absolutionem non vinculum quærimus animarum et ad misericordiam potius quam ad judicium proni esse debemus, fraternitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus singuli vestri hujusmodi diœcesis suæ clericis secundum formam Ecclesiæ beneficium absolutionis impendant et cum eis faciant super aliis, prout animarum suarum saluti viderint expedire. Datum Laterani, VI kalendas decembris, anno nono.

XXXIII

Ad episcopos Agathensem et Vicensem, et archidiaconum Agathensem.

27 novemb. 1224.

[Regest., lib. IX, epist. 66. Mss. La Porte du Theil.]

Eo quod abbas Sancti Willelmi de Desertis cesserat abbatiam et exinde facta fuerat electio alterius absque licentia papæ, utraque cessio et electio irritatur.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus... Agathensi, et... Vicensi... episcopis, et dilecto filio... archidiacono Agathensi, salutem et Apostolicam benedictionem.

Dilecti filii conventus monasterii Sancti Willelmi de Desertis immediate ad Romanam Ecclesiam pertinentis suis nobis litteris intimarunt, quod... abbas eorum sentiens se insufficientem oneri regiminis abbatiæ cessit in manibus eorumdem, ipsique dilectum filium G., monachum Sancti Victoris Massiliensis, elegerunt canonice in abbatem, supplicantes, ut eorum parcentes laboribus, et expensis electionem ipsorum faceremus in illis partibus confirmari. Cum igitur dictus abbas cedere sine licentia nostra nequiverit, nos tam cessionem quam electionem prædictas decernentes irritas et inanes, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus abbatem ipsum loco suo restitui faciatis, quo integre restituto, vice nostra recipiatis cessionem ipsius, siquidem cedere sponte voluerit, et hoc ipsi monasterio videritis expedire, et tribuatis conventui prædicto licentiam alium eligendi, et electionem, si de persona idonea fuerit celebrata canonice, confirmetis. Electum ad Apostolicam Sedem pro recipiendo benedictionis munere transmissuri. Quod si non omnes, etc. Datum Laterani, V kalendas decembris, pontificatus nostri anno nono.

XXXIV

Ad archiepiscopos, episcopos, abbates et universos in imperio Romaniæ, citra Macram constitutos.

28 novemb. 1224.

[Regest., lib. IX, ep. 83. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat eis ut de bonis ipsorum marchioni Montisferrati subsidium conferant.

Honorius, etc., venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis, abbatibus, et prioribus, ac clericis universis, tam Græcis quam Latinis, tam prælatis quam subditis, tam religiosis quam sæcularibus, Templariis quoque, et Hospitalariis in imperio Romaniæ citra Macram constitutis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Juxta vulgare proverbium non est legi subjecta necessitas, et acerbioribus morbis necesse est acerbiores opponere medicinas. Sane in quanto discrimine sint universi Latini consistentes in imperio Romaniæ, non oportet nos vobis exponere verbis, cum id jugiter experiamini factis. Nos igitur de vobis, et pro vobis paterno anxiantes affectu, et simul pensantes quam necessarium sit negotio Terræ Sanctæ, ut status Latinorum in ipso imperio consistentium roboretur, dilectum filium nobilem virum Willelmum, marchionem Montisferrati, ad succursum ipsius imperii tum generositate magnanimitatis innatæ, tum desiderio prosequendi suam et carissimi in Christo filii nostri Demetrii illustris regis Thessalonicensis fratris sui justitiam, ferventissime aspirantem, in hujusmodi proposito et desiderio studiosissime corroborare curavimus, non solum sibi ministrando in multa quantitate pecuniam, sed et viros strenuos de provinciis circumstantibus ad eumdem cum ipso Apostolicis indulgentiis excitando. Idemque marchio tum per suam sollicitudinem, tum per nostram tantum ac talem ab æstate præterita congregavit exercitum, quod nisi eum repentina infirmitas tempore, quo debebat iter arripere, invasisset, nunc sicut verisimile est et firmiter creditur, esset in Romania cum tanto exfortio, quod ea, quæ nunc difficilia videntur et aspera, plana et facilia viderentur. Distulit autem hoc infirmitas ipsa, non abstulit, quia idem marchio sanitate recepta, collegit militum et peditum magnam et strenuam multitudinem, et sicut magnanimiter, ita magnifice propositum iter arripiens, moram quam acerbitas infirmitatis ingesserat, redimere celeritate satagit : quod quia non potuit tum propter instantem hiemem et tempus jam contrarium navigationi, quando pervenit Brundusium, tum propter defectum sumptuum necessariorum tanto negotio, delectam multitudinem ibi retinuit cum ea instanti martio feliciter, divina favente gratia, transiturus, atque ad id sibi exercitum, et se invicem exercitui juramento constrinxit.

Cæterum quia onus interim ministrandi tantæ multitudini necessaria, et deinde tractandi eamdem cum stipendiis, et apparatibus opportunis quasi quamdam infinitatem impensarum exposcit, missis ad nos nuntiis suis postulavit instanter, ut super hoc aperire Apostolicæ provisionis oculos dignaremur. Tractatu ergo super his habito diligenti, pensantes quantum dejicerentur animi Latinorum, et quantum elevaretur adversariorum audacia, si tantus dicti marchionis conatus propter expensarum defectum, quod absit, inutilis redderetur, et quantum per consequens ipsis Latinis immineret rerum personarumque discrimen, ac attendentes satius esse ut bona vestra, et ecclesiarum vestrarum pro manutenendo imperii statu communicetis ad tempus, quam ea omnia perpetuo amittatis, de fratrum nostrorum consilio propter urgentem necessitatem duximus statuendum, ut omnium vestrorum proventuum hujus anni, omniumque aliorum mobilium, quæ nunc habetis in ipso imperio, exceptis duntaxat ecclesiarum thesauris divino cultui dedicatis, de quibus aliter procuravimus providere, ac exceptis vestibus et equis quotidiano usui necessariis, ac ustensilibus, in quibus non est aurum, vel argentum, aut lapides pretiosi, medietatem marchioni prædicto sub jurisjurandi religione integre conferatis. Ita quod nec Templarii, nec Hospitalarii, nec Cistercienses nec aliqui alii cujuscumque ordinis, aut religionis existant, et quibuscumque muniti sint privilegiis, indulgentiis vel rescriptis a præstatione hujusmodi excusentur, sed omnes sine differentia, et delectu conferant, medietatem prædictorum mobilium omnium, aut valentiam, absentia illorum, qui habentes beneficia in partibus illis, alibi commorantur eos nullatenus excusante, nec patrocinante cuiquam

allegatione, seu exceptione oneris debitorum, ita quod si quis aliquid inde quacumque adinventione, quocumque ingenio defraudaverit, præter notam perjurii, quam incurret et illud quod defraudavit, et tantumdem de reliqua medietate persolvat, simileque auxilium a consistentibus ultra Macram, tam in regia civitate quam extra carissimo in Christo filio nostro imperatori Constantinopolitano illustri statuimus conferendum, hoc solo adhibito moderamine, ut videlicet solvant eidem tantum decimam proventuum hujus anni, pro eo quod inter eos multi esse dicuntur, qui omnes redditus suos, utpote consistentes ultra brachium amiserunt, quorum necessitas necesse est per alios relevari.

Ideoque universitatem vestram hortamur attente, et per Apostolica vobis scripta firmiter præcipiendo mandamus, quatenus quod super his suadente necessitate statuimus tolerantes æquanimiter, immo, quia sic necesse est, hilariter amplexantes, prædictam medietatem his, quos ipse marchio, et dilecti filii... abbas de Curtiath Cistercien. et... decanus Patracen... executores prædicti statuti ad hoc duxerint deputandos, sine difficultate, ac diminutione qualibet tribuatis, eidem marchioni fideliter assignandam, scientes nos eisdem executoribus dedisse firmiter in præceptis, ut si qui, quod non credimus, huic nostræ dispositioni tam necessariæ præsumpserit reluctari, ipsi eos ad eam servandam per suspensionis et excommunicationis sententias, ac etiam per privationem beneficiorum suorum, si aliquorum pertinacia id exposcit, sublato appellationis impedimento, compellant, invocato, si opus fuerit, contra rebellium contumaciam auxilio brachii sæcularis. Faciatis igitur de necessitate virtutem, nostrumque præceptum ita hilariter compleatis, quod non incurratis difficultates hujusmodi, nec exacerbetis superba impatientia sortem, quam humili patientia levigare potestis.

Volumus autem, ut idem marchio et filius ejus, ac frater cum baronibus suis præstent in manibus dictorum executorum corporaliter juramentum, et obligent etiam terras suas, quod si Dominus restituerit eis regnum Thessalonicense totum vel majorem partem ipsius, restituent vobis, vel ecclesiis vestris ea quæ nunc marchioni conferetis eidem. Datum Laterani, IV kalendas decembris, pontificatus nostri anno nono...

Abbati de Curiath Cisterciensis ordinis, et... decano Patracensi scriptum est super his, ut eos ad id exsequendum, sublato appellationis impedimento, compellant, invocato, si opus fuerit, contra rebellium contumaciam auxilio brachii sæcularis.

XXXV

Ad barones, milites, omnesque Latinos in Romaniæ imperio citra Macram constitutos.

30 novemb. 1224.

[Regest., lib. IX, epist. 84. Mss. La Porte du Theil.]

Baronibus, militibus omnibusque Latinis in Romaniæ imperio citra Macram consistentibus, mandat ut succursui Terræ Sanctæ operam dent.

Honorius, etc., dilectis filiis baronibus, militibus, omnibusque Latinis in Romaniæ imperio citra Macram consistentibus, salutem et Apostolicam benedictionem.

Ea quæ facimus pro vestra defensione ac statu manifeste demonstrant quantam de vobis curam et sollicitudinem habeamus. Ecce enim, dilectum filium nobilem, etc., *usque* ipso Apostolicis indulgentiis excitando; ac insuper satagentes roborare statum imperii, et per consequens, præparare viam succursui Terræ Sanctæ ab omnibus clericis ipsius imperii tam prælatis, quam subditis, tam Latinis quam Græcis, medietatem omnium suorum mobilium carissimo in Christo filio nostro... imperatori Constantinopolitano illustri, et marchioni prædicto facimus exhiberi ut ad ipsius marchionis ingressum, ipse quoque imperator, habitis stipendiis opportunis erumpat in hostes viriliter et potenter, sicque ipsis hostibus duplici terrore perculsis, uterque ad honorem, et exaltationem alterius, ac utilitatem, ac statum totius imperii victoriam Deo largiente celerius assequatur. Quid igitur in hoc articulo facere debetis vos laici, nisi totas effundere vires vestras, quatenus utrisque, prout communis utilitas exigit, et cogit ipsa necessitas viriliter adnitentibus conterantur Deo propitio adversarii, et sicut debent imperiali sublimitati subdantur ad vestram perpetuam tranquillitatem et pacem. Hortamur igitur universitatem ves-

tram attente quatenus eo ipso animosiores quod certatis contra excommunicatos, et schismaticos oblatam vobis vincendi opportunitatem magnanimiter assumatis, quia si nunc in hostes unanimiter surrexeritis, poteritis auctore Deo brevi labore longam vobis comparare quietem et viam jam dicto Terræ Sanctæ succursui præparare. Nos autem ad incrementum roboris vestri duximus statuendum, ut non feudati in ipso imperio qui crucem pro dictæ Terræ Sanctæ subsidio susceperint, aut voto sunt cujuscumque alterius peregrinationis adstricti, si vobiscum contra ipsos hostes fideliter pugnare voluerint, aut pro se destinare succursum juxta prudentiam venerabilis fratris nostri... Reginensis episcopi, Apostolicæ Sedis legati, per eum a voto Crucis, aliarumque peregrinationum quarumlibet absolvantur concessa eis plena suorum venia peccatorum, de quibus vere contriti fuerint et confessi. Feudati vero, qui præter servitium, quod facere tenentur imperio, voluerint exercitui juxta eorumdem prudentiam competens subsidium ministrare, similiter peccatorum suorum de quibus vere contriti fuerint et confessi veniam asquentur. His, qui fuerint voto Crucis, aut alterius peregrinationis adstricti, per eumdem legatum ab omnibus vobis hujusmodi absolutis, idemque circa clericos voto Crucis, vel cujuscumque alterius peregrinationis adstrictos volumus observari, hoc ad cautelam expresso, ut statutum hujusmodi non nisi ad incolas ipsius imperii extendatur. Datum Laterani, II kalendas decembris, anno nono.

XXXVI

Ad capitulum et cives Alexandrinos.

2 decemb. 1224.

[Regest., lib. IX, epist. 82. Mss. La Porte du Theil.]

Injungit ipsis ut ecclesias quasdam quas detinebant, Astensi diœcesi restituant.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis capitulo et civibus Alexandrinis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Venerabilis frater noster... episcopus, et dilecti filii capitulum Astenses sua nobis petitione monstrarunt, quod felicis memoriæ Alexander Papa, prædecessor noster, volens vobis proprium episcopum propriamque diœcesim assignare, pro ipsa diœcesi assignanda circumstantes diœceses mutilavit. Scandalo igitur, et odio propter hoc contra vestram civitatem suborto, idem prædecessor noster, ut hujusmodi scandalum, et odium sopiretur statuit, ut Alexandrina et Aquensis ecclesiæ unirentur, et sic Astensis ecclesia pacifice retinuit plebem de Quargnento ac plebem de Vueliis cum capellis ipsarum, et ecclesiarum de Solериis, quibus mutilata fuerat in assignatione diœcesis supradictæ. Cum prædicta unione non consecuta effectum, diu sine proprio episcopo fuissetis, demum tempore felicis memoriæ Innocentii Papæ prædecessoris nostri tractatum de habendo episcopo resumpsistis. Idem igitur prædecessor noster cognito ex regestis ejusdem Alexandri Papæ, quod ipse duos excogitaverit modos vobis episcopum providendi, assignationem videlicet proprii episcopi, et diœcesis, ac unionem deinde supradictam mandavit bonæ memoriæ... Jerdonensi episcopo, et archidiacono Vercellensi, ut, si fieri posset, sine gravi scandalo, et enormi præjudicio aliorum, juxta primum modum sive secundum providerent vobis personam idoneam in pastorem. Alioquin quæ super iis evenirent, ei per suas litteras intimarent, ut per eorum relationem instructus, procederet in ipso negotio, prout videret potius procedendum. Prædictis ergo episcopo, et archidiacono ei significantibus quæ invenerant, ipse præeligens secundum modum providendi vobis episcopum, unionem prædictam deliberato consilio confirmavit. Vos vero, filii capitulum non attendentes, quod electo secundo dictorum modorum, primus cessaverat, nihilominus præfatas detinetis ecclesias, quas Astensis ecclesia usque ad diem illam possederat. Sine lite vobis, filii cives, [contra] justitiam detinentibus burgum Quargnenti cum pertinentiis suis de jure ad Astensem ecclesiam pertinentem, et licet super his pluries Apostolicas litteras impetravit, nondum tamen suam potuerunt justitiam obtinere; quare nobis humiliter supplicarunt ut prædicta sibi restitui faceremus, vel saltem partes, quum causa sit ardua, dignaremur ad nostram vocare præsentiam, et eam fine debito terminare. Quum igitur ea quæ præmissa sunt de propriæ diœcesis

assignatione, et invicem prædictis ex litteris contentis in registris eorumdem prædecessorum nostrorum liqueat esse vera, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus ecclesias supradictas, et burgum cum pertinentiis suis sine difficultate restituatis episcopo, et capitulo supradictis, et permittatis eosdem illorum pacifica possessione gaudere, vel si de jure confiditis in prima dominica proximæ Quadragesimæ, quam vobis terminum peremptorium assignamus sufficientes procuratores vos, filii capitulum, vestros, et vos, filii cives, propter hoc ad nostram præsentiam destinetis, exhibituri, et recepturi super his, quod dictaverit ordo juris, scientes nos dilectis filiis.... præposito.... archipresbytero, et... cantori Cariensibus, Taurinensis diœcesis, per nostras litteras mandavisse, ut si necesse fuerit vos per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, compescant ad alterum prædictorum, non obstantibus litteris, super his hactenus a Sede Apostolica impetratis. Datum Laterani, IV nonas decembris, anno nono.

XXXVII

Ad Robbertum abbatem Sancti Volusiani Fuscensis ejusque fratres.

2 decemb. **1224.**

[Regest., lib. IX, epist. 81. Mss. La Porte du Theil.]

Sub protectione beati Petri bona ad eos spectantia recipiuntur.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Robberto abbati ecclesiæ S. Volusiani Fuscensis ejusque fratribus tam præsentibus, quam futuris regularem vitam professis in perpetuum, salutem,etc.

Ad hoc universalis Ecclesiæ cura nobis a provisore omnium bonorum Deo commissa est, ut religiosas diligamus personas, et bene placentem Deo religionem studeamus modis omnibus propagare. Nec enim Deo gratus aliquando famulatus impenditur, nisi ex caritatis radice procedens a puritate religionis fuerit conservatus. Eapropter, etc., *usque* annuimus ad exemplar felicis recordationis Urbani, Alexandri prædecessorum nostrorum Romanorum pontificum præfatam ecclesiam, cujus utique vobis a Deo cura commissa est, sub beati Petri, etc., *usque* communimus. In primis siquidem statuentes ut ordo canonicus, qui secundum Deum, et beati Augustini regulam in eodem loco institutus esse dignoscitur, etc., *usque* observetur. Præterea quascumque possessiones, quæcumque bona, etc., *usque* permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Locum ipsum in quo præfata ecclesia sita est cum omnibus pertinentiis suis, archidiaconatum de Olmes, et de Savarees cum terminis suis, scilicet ab ecclesia Sancti Benedicti de Cubelera, usque ad ecclesiam Sanctæ Quiteriæ, et ab ecclesia de Crion usque ad ecclesiam Merendes, ecclesiam de Conilis cum decimis, et villa, ecclesiam de Iremalech, cum decimis suis, ecclesiam de Maurvilla cum decimis, ecclesiam de Riucum cum decimis, et villa, ecclesiam de Verveiol cum decimis, ecclesiam Sancti Joannis de Verges cum decimis, ecclesiam de Laurers cum decimis, ecclesiam de Aspiran cum decimis, ecclesiam de Crastuath cum decimis, ecclesiam de Soham cum decimis, ecclesiam de Sincerach cum decimis et villa, ecclesiam de Ker cum decimis, ecclesiam de Sanag cum decimis, ecclesiam de Bracach cum decimis, ecclesiam de Avenach cum decimis, ecclesiam de Serres cum decimis, villam quæ vocatur Abbatia et ecclesiam ejusdem villæ cum decimis, ecclesiam de Sentenach cum decimis, ecclesiam de Alploncum cum decimis et villa, ecclesiam de Savart cum decimis et villa, ecclesiam de Sorreban cum decimis et villa, ecclesiam de Aignans cum decimis et ecclesiam de Boan cum decimis, ecclesiam de Verduno cum decimis, ecclesiam de Alsnana cum decimis, ecclesiam de Burbore cum decimis, ecclesiam de Unag cum decimis, ecclesiam de Perles cum decimis, et villa, et ecclesiam de Saviniani cum decimis et villa, salva moderatione Concilii generalis. Sane novalium vestrorum quæ propriis manibus, vel sumptibus colitis, sive de vestrorum animalium nutrimentis nullus a vobis decimas exigere vel extorquere præsumat. Liceat quoque vobis clericos, vel laicos liberos et absolutos, etc., etc., *usque* retinere. Prohibemus insuper ut nulli fratrum vestrorum, etc., nisi arctioris religionis obtentu discedere; discedentem, etc., *usque* retinere. Cum autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis, clausis januis, exclusis excommunicatis et interdictis, non pulsatis

campanis, suppressa voce, divina officia celebrare. Chrisma vero, oleum sanctum, consecrationes altarium seu basilicarum, ordinationes clericorum, qui ad sacros ordines fuerint promovendi a diœcesano suscipietis episcopo, si quidem catholicus, etc., *usque* exhibere. Alioquin liceat vobis quemcumque malueritis, etc., *usque* impendat. Statuimus præterea, ut neque episcopo, neque comiti, seu alicui personæ sæculari, vel ecclesiasticæ liceat indebitas et injustas exactiones in præfata ecclesia exercere. Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse decernimus, ut eorum devotioni et extremæ voluntati, etc., *usque* assumuntur. Obeunte vero te nunc ejusdem loci abbate, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet subreptionis astutia seu violentia præponatur, nisi quem fratres, etc., *usque* providerint eligendum. Præterea præcipimus ut nullus ibi deinceps ordinetur canonicus, nisi qui se canonice victurum professus fuerit. Paci quoque, et tranquillitati vestræ paterna in posterum sollicitudine providere volentes auctoritate Apostolica prohibemus, ut infra clausuras locorum vestrorum nullus rapinam seu furtum facere, ignem apponere, sanguinem fundere, hominem temere capere vel interficere, seu violentiam audeat exercere. Præterea omnes libertates et immunitates a prædecessoribus nostris Romanis pontificibus ecclesiæ vestræ concessas, nec non libertates et exemptiones sæcularium exactionum a regibus, et principibus, seu fidelibus rationabiliter vobis indultas auctoritate Apostolica confirmamus, etc. Ad indicium autem hujus perceptæ ab Apostolica Sede libertatis, nobis nostrisque successoribus quinque solidos Pictavensis monetæ, annis singulis, persolvetis. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat præfatam ecclesiam temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, etc., *usque* omnimodis profutura, salva Sedis Apostolicæ auctoritate et diœcesani episcopi canonica justitia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica sæcularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens, etc., *usque* subjaceat ultioni. Cunctis autem, *usque* inveniat. Amen. Datum Laterani per manum magistri Guidonis domini papæ notarii, III nonas decembris, indictione XIII, Incarnationis dominicæ anno MCCXXIV, pontificatus vero domini Honorii papæ III anno nono.

XXXVIII

Ad fratres Minorum ordinis.

3 decemb. 1224.

[Sbaralea, Bullarium Francisc., I, 20.]

Concedit ut in locis et oratoriis suis cum viatico altari possint missarum solemnia et alia divina officia celebrare, omni parochiali jure parochialibus ecclesiis reservato.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis fratribus Minorum ordinis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Quia populares tumultus, tamquam in vestro adversantur proposito fugientes, secretos recessus libenter appetitis, ut in sancta quiete liberius orationi vacare possitis, nos attendentes orationum vestrarum suffragia plurima opportuna, quoniam eo efficacior esse debet vestra intercessio apud Deum, quo perfecte viventes ejus digni estis gratia potiori. Considerantes vobis negandum non esse, unde nemini derogatur : dum vera exposcit religio, ut quæ sunt etiam de gratia speciali, vobis concedere debeamus, devotioni vestræ, cum professi paupertatem sitis, pariter et amplexi, non temporale commodum, sed spirituale quærentes, auctoritate præsentium vestris inclinati precibus indulgemus, ut in locis et oratoriis vestris cum viatico altari possitis missarum solemnia et alia divina officia celebrare, omni parochiali jure parochialibus ecclesiis reservato. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis et indulti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem, etc. Datum Reate, III nonas decembris, pontificatus nostri anno octavo.

XXXIX

Ad Alexandrum episcopum Varadinensem.

4 decemb. 1224.

[Fejer, Cod. diplom., III. I, 463.]

Ei mandat ut in facinus quod præpositus Strigoniensis contra Andream regem Hungariæ commisit, inquirant, et quod invenerint Sedi Apostolicæ fideliter exponant.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, etc.

Altiora se quærere Strigonensis præposi-

tūs, et supra se dicitur etiam ambulare. De illo carissimus in Christo filius noster, illustris rex Hungariæ, per dilectum filium magistrum Florentinum, custodem Orodiensem, nuntium suum, graviter est conquestus, quod idem metiri se nesciens, in tantam prorupit audaciam et furorem, quod regem eumdem, contra quem coutumeliose surrexit, gravibus injuriis lacessivit, in derogamen utique regiæ dignitatis, et ordinis ac officii præpositi memorati. Verum si attendisset ille, quia in lege divina præcipitur : Principem populi tui non maledices; et quod ab Apostolo Paulo dicitur : Regem honorificate; non ita fuisset insolens, non ita laxasset os suum, nec sic incircumcisum labium habuisset. Quum igitur tantum linguæ lubricum non sit in præposito prædicto palpandum, nos non ab alio, sed a nobis puniri volentes tam grandis temeritatis excessum, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus, veritate super hoc diligentius inquisita, nobis, quod inveneritis, per litteras vestras fideliter exponatis : ut si fuerit ille culpabilis, pœna decente plenius instruatur, quam grave sit, hominem sui ordinis et officii, tanquam modestiæ nescium, et pudoris ignarum, ad conviciandum esse tam facilem, et os suum assuefacere maledictis. Datum Laterani, II nonas decembris, pontificatus nostri anno nono.

XL

Ad magistrum J. et R. archidiaconos et Richerum canonicum Catalaunensem.

4 decemb. 1224.

[Notices et Extraits, XXI, II, 196.]

Eis mandat ut super excommunicationis sententia in Odonem de Sorcy, episcopum Tullensem, a Theoderico archiepiscopo Trevirensi lata, inquirant, et causam sufficienter instructam ad Apostolicam Sedem remittant.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis magistris J. et R. archidiaconis et Richero, canonico Catalaunensi, salutem et Apostolicam benedictionem.

Et si non sit in honore patri filius adæquandus, parentibus tamen, cum innituntur rationi, filii præponuntur : sic enim tribuendus est honor patribus, ut tamen justitia meritum non amittat. Sane venerabilis frater noster Tullensis episcopus nobis exposuit graviter conquerendo, quod venerabilis frater noster Trevirensis archiepiscopus, metropolitanus suus, apud quem plus valere deberet ratio quam potestas, interdum juris ordine prætermisso, excommunicationis sententiam fulminat in eumdem, appellationibus, quas idem episcopus ad Sedem Apostolicam legitime interponit, pro suo arbitrio raro defert, et ipsius sententias rationabiliter promulgatas sine cognitione causæ revocat et denuntiat non tenere. Unde jurisdictionem episcopalem enervari contingit, et subditos suos fieri, dum parum vel nihil ei deferunt, insolentes : super quo dictus episcopus Apostolicum remedium imploravit. Quia vero qui se scit aliis esse præpositum sic debet præesse subjectis, ut permissa sibi potestate non videatur abuti, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus, partibus convocatis, et auditis hinc inde propositis, causam remittatis ad nos sufficienter instructam, præfigentes partibus terminum competentem, quo per se vel per procuratores idoneos nostro se conspectui repræsentent, justam, auctore Domino, sententiam recepturi. Datum Laterani, II nonas decembris, anno nono.

XLI

Ad magistros J. et R. archidiaconos et Richerum canonicum Catalaunensem.

7 decemb. 1224.

[Notices et Extraits, XXI, II, 196.]

Eis mandat ut Garinum abbatem S. Apri et monachos ejus Tullenses, qui coram Portuensi episcopo, Apostolicæ Sedis legato, Odonem de Sorcy a sede propria expulerant, excommunicatos publice nuntient.

Honorius episcopus servus, servorum Dei, dilectis filiis magistris J. et R. arch. et Richero canonico Catalaunensi, salutem et Apostolicam benedictionem.

Qualis in eis qui peccant in patres videatur damnatio imminere, Cham, filii Noe, pœna testatur. Si autem ille, quia pudenda patris carnalis non operuit, exstitit maledictus, qua condemnatione sunt digni qui contumelias inferunt patribus animarum!

Accepimus sane, venerabili fratre nostro Tullensi episcopo graviter conquerente, quod cum ipse in plena synodo, ubi paratus erat nuntius venerabilis fratris nostri Portuensis episcopi, Apostolicæ Sedis legati, verbum crucis proponere, resedisset, G., dictus abbas S. Apri, et quidam monachi sui Tullenses, calcata omnino pontificali reverentia, irruentes in ipsum tam violenter eumdem a sede propria expulerunt, quod et sedes fuit ipsa confracta, et idem exstitit a superiori gradu chori usque ad ultimum ignominiose depulsus, acclamantibus post eum prædictis, sicut consuetum est clamare post illos qui cœduntur fustibus per plateas, propter quod graves expensas est subire coactus. Præterea, cum quidam histrio, congregatis in loco synodi clericis, et expectantibus ejus adventum, contra eum publice ignominiosa et inhonesta proferret, decano et quibusdam suis æmulis Tullensibus ei blandientibus et procurantibus audientiam sibi dari, episcopus ipse metuens ne per hoc synodi commoda turbarentur, mandavit eum per quosdam suos famulos removeri; sed decanus et alii supradicti non solum removeri non permiserunt eumdem, verum etiam, in contemptum ipsius, eosdem violenter a choro Tullensis ecclesiæ famulos ejecerunt, alias graves eidem episcopo injurias inferentes. Quare dictus episcopus humiliter et suppliciter postulavit, ut super prædictorum abbatis et monachorum injuria tam execrabili, quæ non tantum in ipsum quantum in dignitatis epicospalis opprobrium dignoscitur redundare, cogitare sicut convenit dignaremur, exhiberi ei super aliis justitiam faciendo. Nos vero, patribus a filiis suis debitam honorificentiam servari volentes, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus, si de hujusmodi supradictorum abbatis et monachorum excessu vobis constiterit, tamdiu ipsos excommunicatos, appellatione postposita, publice nuntietis et faciatis ab omnibus arctius evitari, donec super hoc eidem episcopo satisfecerint competenter, et cum vestrarum testimonio litterarum ad Sedem venerint Apostolicam absolvendi.... Datum Laterani, VII idus decembris, anno nono.

XLII

Ad abbatem et conventum S. Petri Perusini.

7 decemb. 1224.

[Margarini, Bullar. Cassin., II, 257.]

In monasterio Sancti Petri Perusini divina officia celebrandi tempore interdicti, facultatem concedit.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati et conventui monasterii Sancti Petri Perusini, salutem et Apostolicam benedictionem.

Eo libentius petitionibus vestris annuimus, quo evidentius pro spirituali non autem temporali commodo fieri dignoscuntur; et vos, et monasterium vestrum ad nos specialius noscimini pertinere. Quapropter, vestris piis postulationibus annuentes, auctoritate vobis præsentium indulgemus, ut quando generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis clausis januis, excommunicatis et interdictis exclusis, non pulsatis campanis, suppressa voce divina officia celebrare; nisi forte vos causam dederitis interdicto, vel vobis hoc ipsum expresse contigerit interdici. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani, VII idus decembris, pontificatus nostri anno nono.

XLIII

Ad monasterium S. Stephani de Bosco, ordinis Cisterciensis.

9 decemb. 1224.

[Tromby, Stor. cart., V, app. 107.]

Confirmatio omnium bonorum monasterii Sancti Stephani de Bosco.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati monasterii Sancti Stephani de Bosco, ejusque fratribus tam præsentibus quam futuris, regularem vitam professis in perpetuum.

Religiosam vitam eligentibus Apostolicum convenit adesse præsidium, et ne forte cujuslibet temeritatis incursus, aut eos a proposito revocet, aut robur, quod absit, sa-

cræ religionis infringat. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, et præsertim monasterium S. Stephani de Bosco, in quo divino estis obsequio mancipati, ad exemplar felicis recordationis Cœlestini et Innocentii III, prædecessorum nostrorum Romanorum pontificum, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti privilegio communimus, in primis siquidem statuentes, ut ordo monasticus, qui secundum Dominum et beati Benedicti regulam atque institutionem Cisterciensium fratrum in eodem monasterio institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Ipsumque monasterium sub proprietate, ac defensione Apostolicæ Sedis permaneat, nec alicui personæ, nisi Romano pontifici tantum subjaceat. Præterea quascumque possessiones, quæcumque bona idem monasterium in præsentiarum juste ac canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum, vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Locum ipsum in quo præfatum monasterium situm est, cum omnibus pertinentiis suis, ecclesiam Sanctorum Omnium de Badulato, ecclesiam Sancti Joannis de Cucu et capistrum, ecclesiam Sancti Nicolai de Camerato, et locum qui dicitur Arsafia, ubi antiquitus monasterium fuerat, cum omnibus prædiis, et possessionibus ad illum locum pertinentibus, ubicumque sint, sicut a recolendæ memoriæ Rogerio comite in ecclesia vestra dedicatione locus idem oblatus est : villanos quoque de Stilensi territorio, qui supra Arsafiæ possessionibus manent. In territorio Squillacensi, Aruncum casale cum omnibus pertinentiis suis, et villanos ejusdem casalis, simul etiam et villanos, pertinentes ad Montabrun et Olivianum, cujuscumque sint artis, vel negotii, seu Marinaros, quos idem comes paulo ante obitus sui diem loco vestro per chirographum obtulisse cognoscitur; casale S. Leontii, cum immunitatibus et pertinentiis suis ; granciam de Simero; granciam de Cotron cum omnibus pertinentiis earumdem; serras S. Fantini et terras S. Nicolai de Trivio, quas claræ memoriæ Tancredus, rex Siciliæ, monasterio vestro concessit, pro excambio Casalis comitis, quod monasterium vestrum dono regio possidebat; ecclesiam Sancti Nicolai de Teramo in territorio Stili; tenimentum Catanæi infra fines S. Leontis et terras Casemonæ, sicut in privilegiis continetur; locum, qui Matrimonum appellatur, cum pertinentiis suis : locum, qui dicitur Burburula, in tenimento Mileti juxta Francicam in diversis locis et alias terras de Mutare: in Sicilia in territorio Pisii, ecclesiam S. Christophori, cum pertinentiis suis, et tenimentum Policii in diœcesi Cephaludensi. In Apulia in territorio Boniti ecclesiam S. Nicolai de Casella, cum suis pertinentiis, sicut Gaufridus comes Alesinæ per chirographum monasterio vestro concessit : et ecclesiam S. Nicolai de Crimorellis cum pertinentiis suis : quæ omnia idem monasterium, antequam Cisterciensium fratrum instituta susciperet, possidebat. In territorio Arenarum, possessiones Vallis longæ cum pertinentiis suis, ex dono Joannis de Arenis. Nihilominus etiam, terram quamdam in territorio Squilacense positam, quæ Gasparina dicitur; sicut eam bonæ memoriæ Stephanus quondam Militensis episcopus de assensu fratrum suorum, monasterio vestro rationabiliter contulit, et scripti sui munimine roboravit, vobis et successoribus vestris auctoritate Apostolica confirmamus.

Statuimus insuper, ut prædictus locus, in quo inspiratione divinæ gratiæ ad omnipotentis Dei servitium convenistis, a jugo, potestate, injuria, et molestia hominum omnium, liber cum tota sylva, monte, terra et aqua in spatium unius leugæ in omni parte adjacenti, in vestra et successorum vestrorum dispositione permaneat; sicut a prædicto comite Rogerio prædecessoribus vestris donatus est, et a felicis recordationis prædecessoribus nostris Paschali, Calixto, Innocentio, Alexandro et prædictorum Cœlestini et Innocentii III, Romanis pontificibus confirmatus. Nemini etiam intra prædictum spatium liceat, pascuæ, agriculturæ, seu piscationis, aut lignorum occasione, vel quacumque ex causa, vobis, aut successoribus vestris injuriam, seu molestiam irrogare; sed totum secundum voluntatem vestram possideatis, disponatis, ordinetis, et erogetis. Sane laborum vestrorum de possessionibus habitis aute Concilium ge-

nerale, ac etiam novalium, quæ propriis manibus aut sumptibus colitis, sive de hortis, et virgultis, et piscationibus vestris, vel de nutrimentis animalium vestrorum, nullus a vobis decimas exigere, vel extorquere præsumat. Liceat quoque vobis clericos, vel laicos liberos, et absolutos e sæculo fugientes, ad conversionem recipere et eos absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper ut nulli fratrum vestrorum, post factam in monasterio vestro professionem fas sit absque abbatis sui licentia, de eodem loco discedere; discedentem vero absque communium litterararum vestrarum cautione, nullus audeat retinere; quod si quis forte retinere præsumpserit, licitum sit vobis in ipsos monachos, vel conversos, regularem sententiam promulgare. Illud districtius inhibentes, ne terras, seu quodlibet beneficium ecclesiæ vestræ collatum, liceat alicui personaliter dari, sive alio modo alienari, absque consensu totius capituli, vel majoris, aut sanioris partis ipsius. Si quæ vero donationes, vel alienationes, aliter quam dictum est factæ fuerint, irritas esse censemus. Ad hæc etiam prohibemus, ne aliquis monachus, sive conversus sub professione vestræ domui adstrictus, sine consensu et licentia, et abbatis et majoris partis capituli pro aliquo fidejubeat, vel ab aliquo pecuniam mutuo accipiat, ultra pretium capituli providentia constitutum, nisi propter manifestam domus vestræ utilitatem; quod si facere præsumpserit, non teneatur conventus pro his aliquatenus respondere. Licitum præterea sit vobis in causis propriis, sive civilem, sive criminalem contineant quæstionem, fratrum vestrorum testimoniis uti, ne pro defectu testium jus vestrum in aliquo valeat deperire. Porro si episcopi, vel alii ecclesiarum rectores in monasteria vestra, vel personas inibi constitutas, suspensionis, excommunicationis, interdicti sententiam promulgaverint, sive etiam in mercenarios vestros, pro eo quod decimas, sicut dictum est, non persolvitis, sive aliqua occasione eorum, quæ ab Apostolica benignitate indulta sunt, seu benefactores vestros, pro eo quod aliqua vobis beneficia, vel obsequia ex caritate præstiterint, vel ad laborandum adjuverint in illis diebus, in quibus vos laboratis, et alii feriantur, tandem sententiam protulerint, ipsam tanquam contra Sedis Apostolicæ indulta prolatam, decernimus non tenere : nec litteræ ullæ firmitatem habeant, quas tacito nomine Cisterciensis ordinis et contra tenorem Apostolicorum privilegiorum constiterit impetrari. Chrisma vero, oleum sanctum, consecrationes altarium, seu basilicarum, ordinationes clericorum, seu monachorum vestrorum, qui ad sacros ordines fuerint promovendi, a quocumque vicinorum episcoporum malueritis, suscipietis, si quidem catholicus fuerit, et communionem et gratiam habuerit Apostolicæ Sedis; paci quoque et tranquillitati vestræ paterna in posterum sollicitudine providere volentes, auctoritate Apostolica prohibemus, ut infra clausuras locorum, seu grangiarum vestrarum, nullus rapinam, seu furtum facere, ignem apponere, sanguinem fundere, hominem temere capere, vel interficere, seu violentiam audeat exercere. Ad hæc libertates et immunitates, quas Theodorus, Joannes et Donatus episcopi Squillacensibus ecclesiis, et locis aliis, quæ in episcopatu Squillacensi habetis, de assensu capituli sui, vel majoris, et sanioris partis indulsisse noscuntur, sicut in eorum scriptis authenticis continetur, auctoritate Apostolica confirmamus, easque integras omni tempore, et illibatas manere sancimus. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat præfatum monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur eorum, pro quorum gubernatione, ac sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva Sedis Apostolicæ auctoritate. Si qua igitur in futurum ecclesiastica, sæcularisve persona, hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis, honorisve sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere a perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore, ac sanguine Dei, et Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ subjaceat ultioni. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus, sit pax Domini Jesu Christi, quatenus et hic fructum bonæ actionis percipiant, et apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen.

Amen. Adest signum domini papæ.

Ego Honorius, catholicæ Ecclesiæ episcopus.

Ego Stephanus, basilicæ XII Apostolorum presbyter card.

Ego Joannes, S. Praxedis presb. card.

Ego Hugo, Ostiensis et Velletrensis episcopus.

Ego Pelagius, Albanensis episcopus.

Ego Nicolaus, Tusculanus episcopus.

Ego Guido, Prænestinus episcopus.

Ego Occasus, SS. Sergii et Bacchi diac. card.

Ego Romanus, diaconus cardinalis.

Datum Laterani, per manum magistri Guidonis, domini papæ notarii, V idus decembris, indictione XII, Incarnationis Dominicæ anno MCCXXIV, pontificatus vero domini Honori III anno nono.

XLIV

Ad abbatem et conventum Cistercienses.

13 decemb. 1224.

[Regest., lib. IX, epist. 138. Mss. La Porte du Theil.]

Donationem decem millia alleciorum in Manerio et portu de Diepa ipsis a Gualtero archiepiscopo quondam Rothomagensi, factam, et hic insertam, auctoritate Apostolica confirmat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis... abbati et conventui Cisterciensibus, salutem et Apostolicam benedictionem.

Justis petentium, etc., *usque* complere. Cum ergo bonæ memoriæ Gualterus, Rothomagensis archiepiscopus, de consensu capituli sui decem millia alleciorum in Manerio, et portu de Diepa singulis annis vobis donaverit intuitu pietatis, nos vestris precibus inclinati donationem ipsam, sicut pie ac provide facta est, et in litteris inde confectis plenius continetur, auctoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Ad rei autem evidentiam pleniorem, tenorem litterarum ipsarum præsentibus de verbo ad verbum duximus inserendum qui talis est : « Omnibus Christi fidelibus ad quos præsens scriptum pervenerit. Gualterus, Dei gratia Rothomagensis archiepiscopus, salutem in Domino. Ad universitatis vestræ notitiam volumus pervenire, nos divinæ pietatis intuitu assensu, et voluntate capituli nostri dedisse, et concessisse dilectis amicis nostris... abbati et conventui Cisterciensibus in liberam puram, et perpetuam eleemosynam decem millia alleciorum annuatim in Manerio, et portu nostro de Diepa de redditu nostro solvendo inter festum Omnium Sanctorum, et festum Sancti Martini libera ab omni consuetudine. Ut autem hæc nostra donatio rata et inconcussa permaneat, eam præsenti scripto, et sigilli nostri munimine duximus roborandam. Ad majorem etiam securitatem sigillum capituli nostri nostris præsentibus litteris fecimus apponi. Testibus Geraldo Pontiniacensi, Bald. Ursicampi, Johanne de Quinci abbatibus, domino Riccardo decano Rothomagensi, magistro Johanne de Vilers, magistro Roberto Bulbo, Riu, Air, canonicis Rothomagensibus, Roberto filio Riu, clerico. Datum per manum Roberti de Sancto Nicolao capellani apud Rothomagum. Anno Incarnationis Dominicæ MCCI, kalendas julii ». Nulli ergo, etc., hanc paginam nostræ confirmationis, etc. Si quis autem, etc. Datum Laterani, idibus decembris, anno nono.

XLV

Ad priorem de Kirkam.

15 decemb. 1224

[Walbran, Memorials of Fountains, 176.]

Ei mandat ut in causa prioris et fratrum hospitalis S. Petri Eboracensis contra de Fontibus, de Melsa, de Beilandia, de Girevalle et de Kirkestal abbates corumque conventus Cisterciensis ordinis super Garbis et rebus aliis vertente utramque partem peremptorie ad Sedem Apostolicam citent.

Significarunt nobis..... prior, et fratres hospitalis Sancti Petri Eboracensis, quod cum ipsi dudum de Fontibus... de Melsa... de Beilandia... de Girevalle... et de Kirkestal abbates, et eorum conventus, Cisterciensis ordinis, super Garbis, et rebus aliis in quibus annuatim, ut dicitur, ipsi hospitali tenentur, coram... decano Lincolniensi, et suis conjudicibus, auctoritate bonæ memoriæ I. papæ, prædecessoris nostri, traxissent in causam, pars monachorum citata legitime, deliberatoriis obtentis indultiis, quasdam exceptiones proposuit coram eis, super quibus dicti judices dubitantes duxerunt Sedem Apostolicam consu-

lendam. Sed pars eadem, non exspectato responso, quasdam ad eosdem judices obtinuit litteras continentes, ut quia in regno Angliæ tunc erat turbatio, donec ibi reformata pax esset, negotio supersedere deberent, ut hujusmodi quæstio concordia vel judicio sopiretur. Cum autem prædicti prior et fratres, juxta secundam formam mandati velint prosequi causam ipsam, quæ tam longam dilationem noscitur suscepisse, humiliter supplicarunt ut transmitti ad nos prædictum negotium mandaremus. Quocirca discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus si rem constiterit ita esse, utramque partem ad nostram citantes præsentiam peremptorium eis terminum quem expedire videritis, præfigatis, quo cum rationibus per se vel procuratores idoneos compareant coram nobis, concordiam vel judicium recepturæ. Quod si non omnes, etc. Datum Laterani, XVIII kalendas januarii, anno nono.

XLVI

Ad episcopum Tullensem.

16 decemb. 1224.

[Regest., lib. IX, epist. 107. Mss. La Porte du Theil.]

Facit ei potestatem specialem clericos omnes diœcesis suæ insolescentes corrigendi.

Honorius, etc., venerabili fratri... episcopo Tullensi, salutem et Apostolicam benedictionem.

Ex tua insinuatione didicimus quod nonnulli sæculares, et regulares clerici ac laici diœcesano tibi jure subjecti, facti ex prælatorum suorum negligentia insolentes ad excessus sunt faciles, et eo minus peccare formidant quo majorem ex impunitate audaciam assumpserunt. Licet autem ex officio tuo ad correctionem procedere valeas prædictorum, ex eo tamen quia plus timeri solet, quod specialiter pollicetur, quam quod edicto concluditur generali, favorem super hoc Apostolicum implorasti. Quocirca fraternitati tuæ præsentium auctoritate mandamus, quatenus non obstante indebitæ contractionis, vel frivolæ appellationis objectu, circa correctionem subditorum tuorum officii tui debitum sollicite et efficaciter exsequaris. Datum Laterani, XVII kalendas januarii, anno nono.

XLVII

Ad abbatem et conventum S. Pontii de Thomeriis Narbonensis.

16 decemb. 1224.

[Regest., lib. IX, ep. 119. Mss. La Porte du Theil.]

Inhibet ne decimæ ad ipsos pertinentes, sed quas laici quidam tunc detinebant ad alias quam ad ipsorum ecclesias postea devolvantur.

Honorius, etc., dilectis filiis... abbati et conventui Sancti Pontii de Thomeriis, Narbonensis diœcesis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Eo libentius petitionibus vestris annuimus, quo vos ac monasterium vestrum accepimus ad Rom. Ecclesiam specialius pertinere. Cum ergo sicut ex vestra insinuatione didicimus quasdam habeatis ecclesias, in quarum parochiis decimæ a laicis per violentiam detinentur, quæ quidem ad ecclesias ipsas pertinere noscuntur. Nos vestris supplicationibus inclinati auctoritate præsentium inhibemus, ne decimæ ipsæ cum eas iidem laici dimiserint ad alias quam ad easdem ecclesias devolvantur. Nulli ergo, etc., hanc paginam nostræ inhibitionis, etc. Si quis autem, etc. Datum Laterani, XVIII kalendas januarii, anno novo.

XLVIII

Ad conventum Cassinensem.

18 decemb. 1224.

[Gattula, Hist. abbatiæ Cassin., II, 443.]

Ei viginti uncias auri de Castellone et quinque alias de ecclesia de Cinglis, quæ a Petro quondam abbate fratrum usibus deputatæ sunt, confirmat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis conventui Cassinensi, salutem et Apostolicam benedictionem.

Cum monasterium Cassinense, in quo divinis estis obsequiis dediti, specialis caritatis brachiis amplectamur, et ad ejus commodum velimus semper attentius sicut debemus, intendere, de ipsius vobis profectibus non immerito congaudemus, et ad conservandum quod est pro ejus bono rationabili consideratione statutum, sollicitam volumus operam adhibere. Inde est utique, quod si quando postulatis a nobis quæ ad commodum universitatis vestræ

pertineant, petitionibus vestris tanto facilius favorem Apostolicum impertimur, quanto præscriptum monasterium specialius ad provisionem vestram respicit, et tutelam. Sane cum claustrales fratres ipsius monasterii in vestimentis defectum aliquando sustinerent, bonæ memoriæ Gentilis de Pallearia qui apud idem monasterium sepulturam elegerat pietatis intuitu, et propriæ salutis obtentu, vobis, sicut accepimus, ad investituram filtrorum, et ad stricta pellicea biennio comparanda, sedecim millia tarenorum salubri consideratione donavit. Cum autem bonæ memoriæ Petrus quondam abbas vester pecuniam prætaxatam in aliam utilitatem monasterii convertisset in recompensationem ejus viginti uncias auri de Castellone, et quinque de ecclesia de Cinglis in usus, quos prædiximus concessit perpetuo fratribus erogandas. Unde quia nobis imminet ex injuncto officio providendum, ne quod provide fit, temeritate quorumlibet dissolvatur, nos vestris postulationibus clementer inducti, præscriptas viginti uncias auri de Castellone, et quinque alias de ecclesia de Cinglis fratrum usibus, quibus a præfato abbate deputatæ sunt, sicut in instrumento publico continetur, ad instar felicis recordationis Alexandri et Clementis, prædecessorum nostrorum Romanorum Pontificum, auctoritate Apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus, statuentes, ut nulli omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri, et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani, XV kalendas januarii, pontificatus nostri anno nono.

XLIX

Ad magistrum et fratres ordinis Prædicatorum.

18 decemb. 1224.

[Ripolli, Bullar. Prædicat., I, 16, n. 31.]

Eis indulget ut generalis tempore interdicti liceat eis in ecclesiis suis, non pulsatis campanis, divina officia celebrare.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis magistro et fratribus ordinis Prædicatorum, salutem et Apostolicam benedictionem.

Favorabilibus precibus vestris benignum impertientes assensum, auctoritate vobis præsentium indulgemus, ut generalis tempore interdicti liceat vobis in ecclesiis vestris, in quibus collegium fuerit, non pulsatis campanis, januis clausis, excommunicatis et interdictis exclusis, submissa voce divina officia celebrare. Nulli ergo, etc. Datum Laterani, XV kalend. januarii, pontificatus nostri anno nono.

L

Ad sanctimoniales Cisterciencis ordinis in monasterio Porceto.

19 decemb. 1224.

[Miræus, Opera dipl., IV, 34.]

Eas sub beati Petri et sua protectione suscipit.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis in Christo filiabus, abbatissæ monasterii in Porceto, ejusque sororibus, tam præsentibus quam futuris, regularem vitam professis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Religiosam vitam eligentibus Apostolicum convenit adesse præsidium, ne forte cujuslibet temeritatis incursus aut eas a proposito revocet, aut robur, quod absit, sacræ religionis infringat. Ea propter, dilectæ in Domino filiæ, vestris justis postulationibus clementer annuimus, et præfatum monasterium Sanctæ Dei Genitricis et Virginis Mariæ et S. Johannis Baptistæ in Porceto, in quo divino mancipatæ estis obsequio, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti patrocinio communimus. In primis siquidem statuentes, ut ordo monasticus, qui secundum Deum et B. Benedicti regulam atque institutionem Cisterciensium fratrum in eodem monasterio institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur Præterea quascumque possessiones, quæcumque bona idem monasterium in præsentiarum juste et canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis, et eis quæ

vobis successerint, et illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Locum ipsum in quo præfatum monasterium situm est, cum omnibus pertinentiis suis. Possessiones, domos et terras quas habetis in oppido Aquensi, in Vylen, in Epene, in Kutten, et ad Sanctum Andream. Possessiones, terras et redditus quos habetis in Steinstraten, in Sleiden, in Kæretich, in Adenhoven, in Sintege, et in Bopardia, cum pratis, vineis, terris, nemoribus, usuagiis et pascuis, in bosco et plano, in aquis et molendinis, in viis et semitis et omnibus aliis libertatibus et immunitatibus suis. Sane laborum vestrorum de possessionibus habitis ante Concilium generale, sive etiam novalium, quæ propriis manibus aut sumptibus colitis, de hortis, virgultis et piscationibus vestris, vel de nutrimentis animalium vestrorum, nullus a vobis decimas exigere vel extorquere præsumat. Liceat quoque vobis personas liberas et absolutas e sæculo fugientes ad conversionem recipere, et eas absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper, ut nulli sororum vestrarum, post factam in monasterio vestro professionem, fas sit sine abbatissæ suæ licentia de eodem loco discedere: discedentem vero absque communium litterarum vestrarum cautione nullus audeat retinere. Illud districtius inhibentes, ne terras seu quodlibet beneficium ecclesiæ vestræ collatum liceat alicui personaliter dari, sive alio modo alienari, absque consensu totius capituli, vel majoris aut sanioris partis ipsius. Si quæ vero alienationes vel donationes aliter quam dictum est factæ fuerint, eas irritas esse censemus. Insuper auctoritate Apostolica inhibemus, ne ullus episcopus vel quælibet alia persona ad synodos vel conventus forenses vos ire, vel judicio stare de vestra propria substantia, vel possessionibus vestris subjacere compellat: nec ad domos vestras causa ordines celebrandi, causas tractandi, vel aliquos conventus publicos convocandi, venire præsumat. Nec regularem electionem abbatissæ vestræ impediat, aut de instituenda vel remota ea quæ pro tempore fuerit, contra statuta Cisterciensis ordinis se aliquatenus intromittat. Pro consecratione vero altarium seu ecclesiarum, sive pro oleo sancto, vel quolibet alio ecclesiastico sacramento, nullus a vobis, sub obtentu consuetudinis vel alio modo, quidquam valeat extorquere: sed hæc omnia gratis vobis episcopus diœcesanus impendat. Alioquin liceat vobis quemcumque malueritis catholicum adire antistitem, gratiam et communionem Apostolicæ Sedis habentem, qui nostra fretus auctoritate, vobis quod postulatur impendat. Quod si sedes diœcesani episcopi forte vacaverit, interim omnia ecclesiastica sacramenta a vicinis episcopis accipere, libere et absque contradictione possitis: sic tamen ut ex hoc in posterum propriis episcopis nullum præjudicium generetur. Quia vero interdum propriorum episcoporum copiam non habetis, si quem episcopum, Romanæ Sedis (ut diximus) gratiam et communionem habentem, et de quo plenam notitiam habeatis, per vos transire contigerit, ab eo benedictiones vasorum et vestium, consecrationes altarium, benedictiones monialium, auctoritate Apostolicæ Sedis recipere valeatis.

Porro si episcopi vel alii ecclesiarum rectores in monasterium vestrum vel personas inibi constitutas suspensionis, excommunicationis vel interdicti sententias promulgaverint, seu etiam in mercenarios vestros, pro eo quod decimas sicut dictum est non persolvitis, sive aliqua occasione eorum quæ ab Apostolica benignitate vobis indulta sunt, seu benefactores vestros, pro eo quod aliqua vobis beneficia vel obsequia ex caritate præstiterint, vel ad laborandum adjuverint, in illis diebus, in quibus vos laboratis, et alii feriantur; eamdem sententiam protulerint, ipsam tanquam contra Sedis Apostolicæ indulta prolatam duximus irritandam. Nec litteræ ullæ firmitatem habeant, quas tacito nomine Cisterciensis ordinis et contra tenorem Apostolicorum privilegiorum contigerit impetrari. Præterea cum commune interdictum terræ fuerit, liceat vobis nihilominus in vestro monasterio, exclusis excommunicatis et interdictis, divina officia celebrare. Paci quoque et tranquillitati vestræ paterna in posterum sollicitudine providere volentes, auctoritate Apostolica prohibemus, ut infra clausuras locorum seu grangiarum vestrarum nullus rapinam seu furtum facere, ignem apponere, sanguinem fundere, hominem temere capere vel interficere, seu violentiam audeat exercere. Præterea omnes libertates a prædecessoribus nostris Ro-

manis pontificibus ordini vestro concessas, nec non libertates et exemptiones sæcularium exactionum a regibus et principibus, vel aliis fidelibus rationabiliter vobis indultas, auctoritate vobis Apostolica confirmamus et præsentis scripti privilegio communimus. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatum monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere aut minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare : sed omnia integra conserventur, eorum pro quorum gubernatione et sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva Sedis Apostolicæ auctoritate. Si qua igitur in futurum ecclesiastica sæcularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui careat dignitate, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore et sanguine Dei et Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus et hic fructum bonæ actionis percipiant, et apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen.

Datum Laterani, per manum magistri Guidonis, papæ notarii, XIV kal. januarii, indictione XIII, Incarnationis Dominicæ anno MCCXXIV, pontificatus vero domini papæ III anno nono.

LI

Ad Sancti Remigii et de Macheriis abbates, Remensis et Atrebatensis diœcesum.

20 decemb. 1224.

[Fonds Moreau, t. MCLXXXIII, p. 88, Bibl. Nationale.]

Mandat ut convocent capitulum juxta decretum Concilii generalis.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis...Sancti Remigii Remensis et... de Macheriis Atrebatensis diœcesis abbatibus, salutem et Apostolicam benedictionem.

Sapientiam quæ ex ore prodit Altissimi, cujus deliciæ sunt esse cum filiis hominum, inter eos habitura, in ipso sibi paradisum voluptatis plantavit claustrum, videlicet regularium, in quo posuit homines, quos formaverat, jam non primi Adæ portantes imaginem, sed secundi, et benedicens ei de rore cœli, ut flores odoris et fructus honestatis proferret, sicut ager plenus, cui Dominus benedixit ipsum vario genere arborum et herbarum redolentium consitum, Benedicto, Dominus benedicto tradidit excolendam. Qui ejus cura suscepta, ne ad devastandum illum possent ingredi malæ bestiæ, a parte capituli, veluti Orientali justitia, et a meridiana refectorii temperantia nec non ab occidentali quasi forinseca fortitudine, ac ab aquilone, a quo malum panditur super terram, prudentia, quasi muris firmissimis communivit. Ad valvarum custodiam deputans timorem divini nominis, et amorem, editis in eo modo vivendi, et regularibus institutis. Quibus in eodem firmiter observatis, ipsius arbores multipliciter excreverunt, extendentes ramos suos usque ad ultimum terræ, ac operientes etiam cedros Libani protulerunt fructus pulcherrimos, et suaves. Quorum odore his quibus Dominus de terræ pinguedine benedixerat, extra ipsum paradisum positi sunt refecti, et deposita sarcina camelorum, dimissisque soliis, et divitiis temporalibus, cum multa humilitate in eodem postularunt admitti, salutis divitias recepturi; quoniam sapientia, et scientia, timor Domini, et ipse thesaurus ejus. Vivente in eo denique Benedicto, per regularia, quæ ediderat instituta, vinea ejus rore cœli perfusa, et irrigata quadripartito flumine Scripturarum floruit, et dedit odorem suum, cultuque justitiæ tenente silentium operarii ejus sederunt in pulchritudine pacis, et in regia opulentia. At ubi cœpit divitiarum torrentibus irrigari et regum lactari mamillis, eructante terræ crassitudine super eam, Benedictoque quasi sublato de medio ex pinguedine multa degenerans, spinas, et tribulos germinavit, et fructiferæ arbores luxuriantes in folia, fructus nullos attulere, vel raros; nam flores earum emarcuerunt, et deciderunt antequam formarentur in fructus, et qui aliquando provenerunt ex illis, ante maturitatem omnino fere insipidi, et acidi defluxerunt; vitis quoque Soreth in eodem plantata in amaritudine vitis alienæ conversa, produxit non uvas præcoquas, sed

labruscas. Sic igitur paradiso deliciarum paulatim reducto in salsilaginem ex neglecto succrevit in eo saliuncula pro abiete, ac urtica pro myrto, et pro suavi odore fœtor ascendit, munitionibus ejus pene penitus dissipatis. Muro namque Orientali a Syris sublimibus, videlicet superbis, confracto, emollito nimirum rigore justitiæ; plagam meridianam temperantia non potuit custodire, quo foris expulsa, quasi ab Oriente recesserant in eadem meridiana, campum Sennahar, excursionem videlicet dentium gastrimargiæ dediti renuere ac sacerdotes, et prophetæ, prælati quidem et subditi, majores pariter, et minores absorti a vino, præ ebrietate nescierunt videntem, et judicium ignorarunt; quorum mensæ sunt vomitu sordibusque repletæ, et quid sequatur ex his qui audit prudenter avertat. Quoniam venter et genitalia sunt propinqua. Unde et Philistini ab occidente, luxuriæ potione cadentes, velut a parte forinseca irruentes in fortitudine eam miserabiliter enervarunt, qua luxuriæ inquinamento prostrata dereliquit prudentia locum, sicut non valens resistere aquiloni, prædictis ejus sodalibus tribus et coadjutricibus superatis, et plaga crudeli percussis, ac sic undique patente hostibus aditu, timor et zelus divini nominis stantes pro foribus corruerunt, quorum loca timor mundanus et cupiditas eos quasi per se intrant ducentes ad inferos occuparunt. Invaso sane sic ab hostibus paradiso, sapientia quæ non intrat in malivolam animam nec in subdito peccatis corpore habitat, a loco deliciarum effugata discessit. Et quoniam Spiritus Sanctus disciplinæ fictum effugit, et aufert se a cogitationibus quæ sunt sine intellectu, sapientia discedente subtraxit se a sæpedicti cultoribus paradisi. Qui profecto ex adipe prodeunte iniquitate ipsorum, depositum veterem hominem resumentes, abjecta imagine novi in qua et per quam fuerant reformati, et comedentes de fructu ligni scientiæ boni et mali, pulchro aspectu, et delectabili ad edendum, fructu ligni vitæ contempto, quod erat in medio paradisi, transierunt in cordis affectum, quæ sua sunt quærentes potius quam quæ Christi, et qui, ut essent pauperes conformati ei, qui quum omnium dives esset pro nobis factus est pauper, sæculum reliquerunt, propriis abdicatis, plus in sæculo remanentibus suis commodis inhiantes, omnino ad sæculum sunt reversi, et abominantes manna deserti, rediere ad ollas carnium, cucumeres, allia, et pæpones Ægypti. Et quoniam quidem omnes declinaverunt a regularibus disciplinis, subditi videlicet, et prælati, simulque inutiles facti sunt, vix invenitur in eis qui faciat bonum, eo quod sit omne caput languidum et omne cor mœrens, et a planta pedis usque ad verticem in eis sanitas non existat, obedientiæ jugo abjecto, et eliminata nutrice humilitate virtutum; propter quod hostes ingressi, videntes ipsorum ignominiam, et superbiam, deriserunt sabbata eorumdem. Construxerunt etenim in loco deliciarum turrem Babel, superbiam vitæ in confusionem ducentem, dirutæ turres gregis dispersique sunt per universam Ægyptum ad paleas colligendas pro coquendis lateribus, quos habuere pro saxis, terrena videlicet opera igne cupiditatis decocta pro soliditate virtutum, et pro humilitatis cemento in constructione turris prædictæ habuere bitumen, voluptates quidem carnales, quæ profecto conglutinant quos inficiunt et conjungunt; ex quarum fœtore, et fumo quam plurimi moriuntur. Sic denique ab hujusmodi turre confusionis locus deliciarum Babylonis sortitus est nomen, quæ quondam dilecta posita est in miraculum, quum domus ipsius dudum gloriosæ ac inclytæ draconibus sint repletæ sintque habitatio strutionum ac saltent ibi pilosi, et respondeant in ædibus ejus ululæ, ac Syrenæ in delubris voluptatis. Dissipatis itaque taliter ejus muro et antemurali, plauserunt manibus super eam omnes transeuntes per viam, sibillaverunt et moverunt capita sua, dicentes? Hæccine est urbs perfecti decoris?

De cujus contritione Sedes Apostolica, quæ cum infirmantibus infirmatur et de subditorum scandalo uritur conturbata, repletaque amaritudine vehementi, sæpe sæpius sumpsit resinam ad mitigandum dolorem, et vulnera ejus sananda, mittens angelos pacis ad exhibendum ejus contritioni medelam, corrigendo, et reformando tam in capite quam in membris, quæ correctionis, et reformationis officio indigebant; sed quoniam ut ferrum per eos extraheretur de vulnere non fuit desuper eis datum, illud malagina superpositum non curavit, etsi per ipsum superficialiter sit

abductum. Et quoniam ferro non extracto, computruerunt et deterioraverunt vulnerum cicatrices, et facta est quasi insanabilis ipsa plaga, flentes amare pacis angeli recesserunt dicendo, curavimus Babylonem, non est sanata, derelinquamus eamdem. Verumtamen Sedes Apostolica pia mater, quæ filiorum uteri sui oblivisci non potest a cura ipsius non destitit, nec zelus ejus recessit ab ipsa, studens vulnus ejusdem circumligare fasciis, et medicamine curare livorem plagamque tumentem oleo confovere. Unde felicis recordationis Innocentius papa prædecessor noster de reædificatione, ac cultu sæpedicti paradisi sollicitus, sacro generali statuit approbante Concilio, ut in singulis regnis sive provinciis de triennio in triennium, salvo jure diœcesanorum pontificum fieret commune capitulum abbatum atque priorum abbates proprios non habentium, qui non consueverunt tale Concilium celebrare, ad quod universi præpedimentum non habentes canonicum convenirent apud unum de monasteriis ad hoc aptum tractaturi de ipso in statum pristinum reformando, et evulsis ex eo sentibus vitiorum, et destructa turre confusionis, muri reædificarentur destructi, et plantarentur in eo arbores generosæ facturæ umbraculum cultoribus suis ab æstu, ipsosque a turbine, et pluvia protecturæ. Verum operante illo cujus invidia mors intravit in mundum, quod non sine amaritudine mentis referimus, ex constitutione prædicta in memorato Concilio habita parum adhuc, aut nihil utilitatis provenit; eo quod abbates et priores abbates proprios non nabentes, neglexerunt ad hujusmodi capitulum convenire, ac hi, qui præsidere debeant eidem cogendi rebelles non sunt visi habere aliquam potestatem, et sic usquemodo in stercore suo computruere jumenta et Moab in suis fœtibus requievit.

Licet igitur facta videatur desperabilis plaga ejus, scientes tamen quod non est abbreviata manus Domini, ut salvare non possit et excoquere scoriam ejus ad purum, nec non auferre omne stagnum illius, ac restituere judices ejus ut prius fuerunt, et consiliarios sicut antiquitus, compatientes ex intimo cordis super contritione Joseph, adhuc curationi ejus duximus insistendum, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandantes quatenus apud monasterium Sancti Remigii Remensis hoc anno convocantes ad capitulum abbates, et priores non habentes abbates proprios tam exemptos quam non exemptos Remensis provinciæ qui non consueverunt hujusmodi celebrare capitulum, venire ad illud, dummodo non sint impedimento canonico præpediti, monitione præmissa per censuram ecclesiasticam sublato cujuslibet contradictionis, et appellationis obstaculo compellatis, et advocatis caritative duobus Cirterciensis ordinis vicinis abbatibus, procedatis in celebratione capituli Deum habentes præ oculis juxta constitutionem Concili memorati; eadem censura facturi, quæ in eo deliberatione provida fuerint ordinata firmiter observari, et reddituri Domino, in cujus aspectu omnia nuda sunt et aperta in extremo die districti examinis rationem, si omnem sollicitudinem, et diligentiam quæ circa correctionem, et reformationem ordinis, ac visitationem cœnobiorum adhibendæ fuerint neglexeritis adhibere. Ut autem quæ statuta fuerint magis teneantur memoriter, et serventur, volumus et mandamus, ut hujusmodi capitulum in singulis regnis sive provinciis, annis singulis, celebretur, concessa eis qui ad præsidendum, annis futuris, capitulis celebrandis fuerint ordinati, convocandi abbates, et priores prædictos, et cogendi rebelles, appellatione postposita, simili potestate adjacentes, ut si visitatores qui fuerint in eodem ordinati capitulo, aliquos exemptos invenerint deponendos, id Apostolicæ Sedi non differant nuntiare, in cæteris juxta formam sæpedicti Concilii processuri, si forte convertatur Dominus, et ignoscat, et relinquens post se benedictionem, gloriam Libani det deserto, et Carmeli decorem. Ecce præsentibus ostendimus regularibus semetipsis, ut a quo, in quid, et per quod ceciderint, videant, recogitent, et intelligant, ac cum Magis offerentibus Domino munera, per aliam viam in suam reverti studeant regionem. Datum Laterani, IX kalendas januarii, anno nono.

In eumdem modum scriptum est Remensi archiepiscopo, et suffraganeis ejus *usque* decorem. Quocirca universitati vestræ per Apostolica scripta mandamus præcipiendo, quatenus rectores monasteriorum vestrarum diœcesum quos visitatores præ-

dicti vobis a suis locis denuntiaverint amovendos, singuli vestrum in sua diœcesi, sublato cujuslibet contradictionis et appellationis obstaculo, non differant amovere. Alioquin poteritis non immerito formidare quod minus jurisdictionis vobis relinquatur in eis, quam habuistis hactenus, et habetis. Datam Laterani, XIII kalendas januarii, anno nono.

LII

Ad universos archiepiscopos, episcopos, abbates, priores, etc.

31 decemb. 1224.

[Turgenevius, Monim. Russiæ, I, 15.]

Eis significat se ad evangelizandum in partibus Livoniæ ac Prussiæ Guillelmum, Mutinensem episcopum elegisse, eumque illuc mittere. Rogat eos ut eumdem Apostolicæ Sedis legatum humiliter recipiant eique debita præstent officia.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, universis archiepiscopis et episcopis, abbatibus, prioribus, archidiaconis, archipresbyteris, et universis aliis ecclesiarum prælatis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Cum is qui secundum suæ omnipotentiam majestatis, nec loco potest nec tempore comprehendi, utpote incircumscriptibilis, et immensus et stabilis manens dat cuncta moveri, faciat spiritus suos angelos et ministros, cœlorumque altitudine inclinata carnem assumens humanam pro eo, quod deliciæ suæ sunt esse cum filiis hominis, discipulos, quos elegerat in mundum destinaverit universum, ut omni prædicarent Evangelium creaturæ, suo nos instruxit exemplo, ut ejus sequentes vestigia, quum assumpti simus in plenitudinem potestatis, nec per nos ipsos possimus singulis negotiis imminere, inter eos, quos in partem sollicitudinis evocavimus, onera, quasi Gethro usi consilio, dividamus unicuique secundum virtutem propriam, quam variis temporibus imminent committendo. Sane quum in partibus Livoniæ ac Prussiæ duritie cordium infidelium tamquam terra vastæ solitudinis imbre gratiæ divinæ compluta, et vomere sanctæ prædicationis exculta, semen uberius Domini feliciter in segetem pullulet, ita quod regiones albæ sint jam ad messem, quæ quidem, dante Domino incrementum, multa est, operarii vero pauci, expedit, ut alii mittantur illuc metere, quod alii seminarunt, quatenus, secundum evangelicam virtutem, qui seminant simul gaudeant et qui metunt. Cæterum quia pro negotiorum emergentium qualitate necesse habemus idoneas personas eligere, quibus ea fiducialiter committamus, ecce ad evangelizandum in partibus illis Dominum Jesum Christum elegimus venerabilem fratrem nostrum Guillelmum, Mutinensem episcopum, vel potius nobis quasi dicentibus, quem mittemus et quis ibit, nobis idem cum Isaia obtulit se mittendum, qui honestate vitæ, conversatione religionis, et eruditione scientiæ præditus, nec ignorans quod nullum Deo sacrificium sit acceptius quam lucrum quærere animarum, totum ad id totaliter se impendit exemplum bonorum operum ponendo se ipsum, prout non tam argumentis probabilibus quam experimentis evidentibus clarius luce patet. Quare commisso sibi plenæ legationis officio, tam in prædictis regionibus quam in Holzeten, Hestonia, Semigallia, Samblandia, Curlandia, Wirlandia et in insulis Gulandiæ, Burgondomlinæ, Rivæ, Gotlhandiæ, ipsum ad partes illas providimus destinandum; firmam spem, fiduciamque tenentes, quod tanto quæ Christo sunt ipso propitio aget felicius, quanto propria minus quæret: eove facilius diffusa in labiis suis gratia optatum consequetur effectum, quo solet quod prædicat perfectius opere adimplere. Ideoque universitatem vestram rogamus, monemus ac hortamur, ac per Apostolica vobis scripta firmiter præcipiendo mandantes, quatenus, eumdem Apostolicæ Sedis legatum recipientes humiliter, et devote ipsius salubribus mandatis, et monitis efficaciter pareatis, et spiritualia seminanti temporalia ministrando, ita quod exinde divinam et nostram gratiam possitis uberius promereri. Alioquin sententiam, quam idem tulerit rite in rebelles, ratam habebimus, et faciemus auctore Domino inviolabiliter observari. Datum Laterani, II kalendas januarii, anno nono.

LIII

Ad abbates de Horto Sanctæ Mariæ et de Doccum, ordinis Præmonstratensis.

(Sine nota chronologica.)

[Hugo, Sacræ antiq. mon., I, 479.]

Eis mandat ut de querela Emonis præpositi conventusque monasterii Floridi Horti contra Theodoricum, Monasteriensem episcopum, convocatis partibus causam fine debito terminent.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis de Horto Sanctæ Mariæ et de Doccum abbatibus Præmonstratensis ordinis, salutem in Domino et Apostolicam benedictionem.

Ex parte præpositi et conventus monasterii Floridi Horti Præmonstratensis ordinis nobis oblata querela, quod venerabilis frater noster Monasteriensis episcopus ipsos indebitis exactionibus aggravat et molestat, alias eis plurimum injuriosus existens. Ideoque discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus, partibus convocatis, audiatis causam et, appellatione remota, fine debito terminetis, facientes quod decreveritis, auctoritate nostra firmiter observari. Testes vero qui nominati, etc.

LIV

Ad Hugonem Arelatensem episcopum ejusque capitulum.

31 decemb. 1224.

[Gallia Christ., I, (éd. 1656), p. 57.]

Eis inhibet ne castrum Salonis ad jus et proprietatem Arelatensis ecclesiæ pertinens distrahere, permutare, vel alio modo alienare aliquatenus sustineant.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerando fratri archiepiscopo et dilectis filiis capitulo Arelatensi, salutem et Apostolicam benedictionem.

Cum ex susceptæ servitutis officio, ecclesiarum cura nobis immineat generalis, summa nobis est sollicitudine providendum, ne pro aliquorum insolentia, juris sui sustineant læsionem. Hinc est, quod indemnitatibus Arelatensis ecclesiæ paterna sollicitudine providere volentes, ne castrum Salonis, quod ad jus et proprietatem ejusdem ecclesiæ, cum pertinentiis suis pertinere dignoscitur, distrahere, permutare, vel alio modo alienare aliquatenus præsumatis, auctoritate vobis præsentium districtius inhibemus. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam infringere, etc. Datum Laterani, IV nonas januarii, pontificatus nostri anno nono.

LV

Ad Ludovicum, Francorum regem.

(Anno 1224 vel 1225.)

[Bouquet, Rec. des Hist., XIX, 761; Regest., lib. IX, epist. 169.]

Profitetur se regis Ludovici jura convelli nolle, sed ita restitui regi Angliæ cismarinas terras, ut Ludovicus ferendo Terræ Sanctæ subsidio non officiat, et jura sua tempore competenti valeat persequi.

Honorius episcopus.., carissimo in Christo filio Ludovico, regi Francorum illustri, salutem, etc.

Utinam, fili carissime, nostrum erga te animum plene cognosceres et cogitationes perspiceres cordis nostri! scires enim et aperte videres quod personam tuam sincera caritate diligimus, et ad conservationem tui honoris et juris ex animo aspiramus, ac per hoc magis reverenter et magis efficaciter monita nostra consiliaque reciperes, teque magis devotum et magis obsequentem proculdubio exhiberes. Nunc autem tuum videris contra nos animum obfirmasse, et obturasse nostris precibus aures cordis, patientia nostræ longanimitatis abutens, quæ cor tuum contra nos elevare non debet, sed ad nos potius humiliter inclinare. Jam siquidem obliti sumus numeri litterarum quas pro carissimo filio nostro Henrico, illustri rege Anglorum, tibi direximus, rogantes et obsecrantes pro munere speciali, primum ut treugas olim inter claræ memoriæ Philippum regem Franciæ, patrem tuum, ac patrem ejusdem regis Angliæ, initas prorogares, ac deinde, illis te preces nostras obaudiente finitis, ut non invaderes terram ejus, neve quietem regnorum Franciæ ac Angliæ perturbando, Terræ Sanctæ subsidium impedires. Tu vero dicti regis terram nihilominus invasisti, contemptis precibus, obsecrationibus et petitionibus nostris, contempto etiam statuto de pace, vel saltem treugis inter christianos omnes

ac maxime inter excellentiores principes observandis, quod, sicut tibi meminimus significasse, jam dudum fecimus in colloquio inter nos et carissimum in Christo filium nostrum Fredericum Romanorum imperatorem semper augustum et regem Siciliæ novissime celebrato, ac per consequens posthabita cura negotii Terræ Sanctæ propter quod statutum fecimus antedictum. Hæc fecisti, et tacuimus tuæ Celsitudini deferentes, ac satagentes te potius dulcedine lenitatis quam severitatis acredine revocare; sicut autem ex nostrarum dulcedine litterarum ad devotionem et humilitatem profecisse debueras, ita videris in contemptum et elationis vitium corruisse.

Et quoniam Romana Ecclesia, mater tua, materna te nunc affectione te rogat, sic tuus elatus videtur animus contra eam, quasi reputes impossibile, quod et tu necesse aliquando habeas, eidem, mutato statu temporum, supplicare. Noli nimis huic tranquillitati confidere ; momento mare turbatur, et mutatur tempus a mane ad vesperam, et quid futura dies pariet, ignoratur. Innumera sunt exempla populorum et regum, qui rebus bellicis nunc superiores, nunc inferiores, dispositione divina vices alternante, fuerunt. Sed, ut de multis unum recens et celebre proferamus, recolendæ memoriæ Otho Romanorum imperator, et viribus corporis et industria militari præcellens, Romanum pacifice obtinebat imperium, et ab aquilone ad austrum erat, sicut nosti, formidabile nomen ejus. Inflatus ergo spiritu superbiæ ac supra seipsum elatus, prædictum imperatorem (1) tunc pupillum exterminare decrevit, jamque fere totum invaserat regnum ejus, jam ipsi pupillo nulla spes esse relicta, nisi dumtaxat in fugæ præsidio, videbatur, et eam ipsam præcludere feritas moliebatur hostilis : cui tunc verisimile, immo cui possibile videbatur, quod adolescentulus, virium et virorum ac opum auxilio destitutus, hosti tam valido, tam feroci, esset non solum regnum quod, ut præmisimus, occupaverat, verum etiam ipsum imperium erepturus? et tamen, faciente illo qui superbis resistit, et qui posuit mari terminum ultra quem intumescere non audeant fluctus ejus, ille qui sic potens sicque terribilis injuste regnum invaserat sæpedictum, illud trepidante fuga deseruit; et, eo quem sic immaniter fuerat persecutus ipsum, justo Dei judicio, persequente, imperium quoque, sicut est manifestum, amisit; et Apostolicæ Sedi, cujus preces et commonitiones in invasione dicti regni contempserat, postea frequenter supplicationes et preces supplex humilisque porrexit.

Denique, ut de domesticis tibi proponamus exemplum, inclytæ recordationis Riccardus rex Angliæ, cujus nunc successorem persequeris, cœpit olim bello lacessere claræ memoriæ patrem tuum, multoque superior viribus et opibus videbatur, adeo quod, ejus prævalente ac urgente potentia, ipse pater tuus contra eam Ecclesiæ Romanæ præsidium imploravit, quæ, semper indigne oppressis subvenire desiderans, auctoritatis suæ obstaculum interjecit, ipsumque regem Angliæ, vellet nollet, treugas cum ipso patre tuo inire canonica severitate coegit.

Ecce regnum Angliæ, quod tunc persequebatur tuum, ab eo persecutionem versa vice nunc patitur, et ab eo quod tunc temporis infestabat, hoc tempore infestatur. Sic Ludit in humanis divina potentia rebus! sic Victorem a victo superari sæpe videmus! Nec tamen ideo dicimus quod talia tibi esse timenda credamus; sed tamen quæ acciderunt, accidere adhuc possunt: quare debes taliter erga Romanam Ecclesiam in prosperitate te gerere, ut si quid adversi (quod Deus avertat!) ingruerit, ejus fiducialiter et sine rubore possis auxilium implorare; nec indignari debet tua sublimitas, vel moveri, si Apostolica Sedes, de concessa sibi a Deo plenitudine potestatis, nunc studet te a prædicti regis infestatione compescere, cum prædecessorem ipsius ab infestatione clarissimi genitoris tui olim, sicut prædiximus, studuerit coercere. Quæ enim pro sæpedicto patre tuo, materno (2) et potentissimo rege, canonicam censuram exercuit, cur non illam pro adolescentulo rege Angliæ in casu omnino simili exercebit? Nemo prudentiæ tuæ suadeat, quod non sit nostrum in hac parte obviare injuriæ dicti regis, eo quod res de quibus agitur constat existere feodales,

(1) Fredericum.

(2) Videlicet mendosa hæc scriptura est in nostro codice; legendum est *maturo* vel *maximo*.

cum Jeremiæ prophetæ, qui fuit de sacerdotibus, anathot fuerit dictum a Domino : *Ecce constitui te super gentes et regna, ut evellas et distrahas, ædifices atque plantes ;* sicque pateat quod ad Romanum Pontificem, qui sacerdotii obtinet principatum, spectat omne mortale peccatum evellere, quod quia interdum fieri sine coercitione non potest, restat ut et rebelles debeat coercere.

Cum ergo credaris in sæpedictum regem Angliæ manifeste peccare, nos, ad quos omnis censura peccati pertinere dignoscitur, qua conscientia possumus obturare aures clamoribus dicti regis inculcantis nobis jugiter querimoniam de peccato quod committis in ipsum, et officii nostri debitum assidue implorantis ac obsecrantis, ut, si nos sua non moveat injuria, moveat saltem statuti sæpedicti contemptus, quod violas et infringis in grave dispendium subsidii Terræ Sanctæ? Vides quod coarctamur graviter ex duobus, dum, nec sine multa mentis amaritudine, possumus in te, dilectissimum et carissimum filium, gladium canonicæ severitatis exercere, nec sæpedicti regis alterius obaudire clamores, quos in aures Domini Sabaoth credimus introire. Quare, licet a te totiens jam repulsi, adhuc tamen pulsamus ad ostium cordis tui, Serenitatem tuam rogantes attentius et obnixius obsecrantes, quatenus nos de hoc articulo quasi cujusdam perplexitatis eripias, restituendo prædicto regi terram ejus, a te vel tuis, contra tot preces nostras et contra statutum sæpedictum, invasam, et ab ejus injuria quiescendo, jus, quod contra eum te habere proponis, legitime prosecuturus tempore competenti, quo Terræ Sanctæ succursum, qui per reges et regnum Franciæ consuevit promoveri potissimum, non disturbes.

Alioquin, quantumcumque tuæ velimus sublimitati deferre, tuumque vitare scandalum cupiamus, non poterimus tamen ulterius regi deesse prædicto, cum nec deferendum sit homini contra Deum, nec justitia sit propter scandalum deserenda. Cum ergo filium nostrum R(omanum) Sancti Angeli diaconum cardinalem, A. S. legatum, ad regnum tuum propter hoc aliaque negotia destinemus, sic et his quæ tibi scribimus, et his quæ tibi viva voce proponet, aures tuas ei animum reverenter inclines, quod nec nos nec ipse contra te procedere (quod omnino vitare cupimus), tua faciente duritia, compellamur. *Cætera desunt, et maxime temporis nota.*

LVI

Ad episcopum Nemausensem.

3 januarii 1225.

[Notices et extraits, XXI, II, 200.]

Ei mandat ut B. sacristam monasterii Villæ Magnæ, quem conventus monasterii de Grassa canonice elegerit in abbatem, vice sua confirmet et munus benedictionis electo impendat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri episcopo Nemausensi, salutem et Apostolicam benedictionem.

Dilecti filii conventus monasterii de Grassa, immediate ad Sedem Apostolicam pertinentis, nobis humiliter supplicarunt, ut, cum monasterio ipso pastore vacante, dilectum filium B., sacristam monasterii Villæ Magnæ, canonice ac concorditer elegerint in abbatem, et idem, propter ipsius monasterii paupertatem ad præsentiam nostram commode venire non possit, confirmationis et benedictionis gratiam recepturus, super hoc providere misericorditer dignaremur. Parcentes igitur dispendio monasterii memorati, fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus, examinata electione pariter et electo, si electionem ipsam inveneris de persona idonea canonice celebratam, eam vice nostra confirmes, et impendens munus benedictionis electo, facias ei ab ipso conventu et aliis ipsi monasterio subditis reverentiam et obedientiam debitam exhiberi. Datum Laterani, III nonas januarii, anno nono.

LVII

Ad Livonienses et Prutenos ad fidem Christi conversos.

3 januarii 1225.

[Turgenevius, Russiæ monimenta, I, 16.]

Livonienses et Prutenos ad fidem Christi conversos sub beati Petri et sua protectione suscipit, statuens ut in libertate sua manentes nulli alii sint quam soli Christo et obedientiæ Ecclesiæ Romanæ subjecti.

Honorius episcopus, servus servorum Dei,

Livoniensibus et Prutenis ad fidem Christi conversis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Ecclesiæ Romanæ quæ in Christo Jesu per Evangelium vos noscitur genuisse, pro peculiari populi sibi vos proposuit retinere, gaudens et exultans quod vos qui sicut adolescentior filius peregre in regionem profecti longinquam eratis peccatis mortui resurrexistis, et estis qui perieratis inventi, transformati secundum misericordiæ divinæ divitias, in vasa gratiæ, qui vasa ire apta in interitum fueratis. Quum igitur vocati sitis in libertatem filiorum Dei ex aqua, et Spiritu Sancto renati, et ubi spiritus Dei est debeat esse libertas, ac valde indignum existeret ut deterioris conditionis haberemini conversi ad fidem, quam quum infideles essetis quum potius secundum Apostolum diligentibus Deum omnia cooperentur in bonum personas vestras et aliorum quos ex vestra, seu alia quacumque gente in partibus illis constituti ex gratia divina contigerit, sub beati Petri et nostra protectione sunt, statuentes ut in libertate vestra manentes nulli alii sitis quam soli Christo, cujus efficimini acquisitionis populus, et obedientiæ Ecclesiæ Romanæ subjecti. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ protectionis et constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani, III nonas januarii, anno nono.

LVIII

Ad episcopum Biterrensem.

7 januarii 1225.

[Regest., lib. IX, epist. 126. Mss. La Porte du Theil.]

Indulget ei ut quartam in blado, vino aliisque recipere valeat, cum antea in pecunia quæ cartones appellabatur reciperet.

Honorius, etc., venerabili fratri... episcopo Biterrensi, salutem et Apostolicam benedictionem.

Tua nobis fraternitas snpplicavit, ut cum quarta tibi debita in ecclesiis tuæ diœcesis in pecunia, quæ cartones vulgariter appellatur, tibi consuevit exhiberi, idque tibi plurimum sit damnosum recipiendi quartam ipsam in blado, vino, et aliis quæ obveniunt ipsis ecclesiis licentiam tibi concedere dignaremur. Nos igitur tuis justis precibus inclinati, si præmissis veritas suffragatur, licentiam tibi concedimus postulatam, dummodo id fieri valeat absque gravi scandalo, et juris præjudicio alieni. Nulli ergo, etc., hanc paginam nostræ concessionis, etc. Si quis autem, etc. Datum Laterani, VII idus januarii, anno nono.

LIX

Ad eumdem.

7 januarii 1225.

[Regest., lib. IX, epist. 127. Mss. La Porte du Theil.]

Indulget ei ut ecclesias a nemine habitatas in diœcesi sua in manibus suis retinere possit.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, eidem.

Supplicasti nobis, ut cum gravi premereris onere debitorum, utpote qui magna parte tuorum reddituum fuisti jam per tres annos continue spoliatus, et in diœcesi tua sint quædam ecclesiæ sitæ in locis qui a nemine habitantur, tenendi eas ad manus tuas, quamdiu loca non habitabuntur prædicta, licentiam tibi concedere dignaremur, ut sic a prædicto debitorum onere valeas respirare. Nos igitur necessitatibus tuis debito compatientes affectu, licentiam tibi concedimus postulatam, dummodo id fieri valeat sine juris præjudicio alieni. Volumus tamen, ut prædictis ecclesiis interim per idoneos vicarios facias deserviri, ne debitis obsequiis defraudentur. Nulli ergo, etc. Si quis autem, etc. Datum Laterani, VII idus januarii, anno nono.

LX

Ad magistros et fratres ordinis Prædicatorum.

8 januarii 1225.

[Liljegren, Swenskt diplom., I, 240, n. 230.]

Eis concedit ut generalis tempore interdicti liceat eis, in ecclesiis suis, non pulsatis campanis, etc., divina officia celebrare.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis... magistro et fratribus or-

dinis Prædicatorum, salutem et Apostolicam benedictionem.

Favorabilibus precibus vestris benignum impertientes assensum, auctoritate vobis præsentium indulgemus, ut generalis tempore interdicti, liceat vobis in ecclesiis vestris in quibus collegium fuerit, non pulsatis campanis, januis clausis, excommunicatis et interdictis exclusis, submissa voce divina officia celebrare. Nulli ergo, etc. Datum Laterani, VI idus januarii, pontificatus nostri anno nono.

LXI

Ad Guillelmum, Mutinensem episcopum.

9 januarii 1225.

[Turgenevius, Russiæ monim., I, 17.]

Ei concedit facultatem ordinandi ecclesiam, et in ea creandi episcopos.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, Mutinensi episcopo, Apostolicæ Sedis legato, salutem et Apostolicam benedictionem.

Sperantes quod aperiente ostium Domino qui aperit, et nemo claudit, claudit, et nemo aperit, jam intratura sit ad fidem gentium plenitudo, te ad evangelizandum Dominum Jesum Christum barbaris nationibus, commisso tibi legationis officio providimus segregandum, fiducia concepta non modica quod, cooperante fidei tuæ merito, se illis clementer Dominus revelabit, ut populus, qui hactenus ambulat in tenebris, videat lucem magnam, orto eis per fidem illo qui omnem hominem in hunc mundum illuminat venientem, fiatque ut sacrosancta Ecclesia numero et merito augeatur, dilatato loco tentorii, et funibus tabernaculorum ejus extensis. Cæterum, ne aliquid tibi desit in ulla gratia, quam tibi desit possumus impertiri, ordinandi ecclesiam, quam sibi Dominus acquiret per tuæ ministerium servitutis, et novos in ea creandi episcopos et creatos, accersitis tibi duobus, vel tribus episcopis, juxta sanctiones canonicas consecrandi, fraternitati tuæ auctoritate præsentium concedimus facultatem. Datum Laterani, V idus januarii, anno nono.

LXII

Ad capitulum Cathalaunensem.

11 januarii 1225.

[Regest., lib. IX, epist. 140. Mss. La Porte du Theil.]

Donationem quinque frumenti modiorum in redditibus minagii et molinendorum suorum, ipsis ab episcopo Cathalaunensi factam, auctoritate Apostolica confirmat.

Honorius, etc., dilectis filiis capitulo Cathalaunensi, salutem, etc.

Justis petentium, etc., *usque* complere. Cum ergo venerabilis frater noster... Cathalaunensis episcopus quinque frumenti modios in redditibus minagii, et molendinorum suorum, necnon liberum fumerium, qui panem faciat ex eisdem distribuendum inter canonicos divinis officiis insistentes pia vobis, et provida liberalitate donavit, nos ejus, et vestris precibus inclinati, donationem ipsam, sicut pie ac provide facta est, et in ipsius episcopi litteris continetur auctoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo, etc., hanc paginam nostræ confirmationis infringere, etc. Si quis autem, etc. Datum Laterani, III idus januarii, anno nono.

LXIII

Ad Robertum, episcopum Vesprimiensem.

16 januarii 1225.

[Theiner, Monum. Hungariæ, I, 52, n. 111.]

Honorius III sententiam, a deputatis judicibus pro episcopo Vesprimiensi contra quosdam ecclesiarum rectores latam, confirmat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, episcopo Vesprimiensi, salutem et Apostòlicam benedictionem.

Ea quæ judicio vel concordia terminantur firma debent et illibata persistere et, ne in recidivæ contentionis scrupulum relabantur, Apostolico convenit præsidio communiri. Eapropter, venerabilis in Christo frater, tuis justis postulatis grato concurrentes assensu, definitivam sententiam, quam abbas et prior Sancti Gothardi, et... præpositus Gueuriensis pro te contra Obuse de Vrustin Omnium Sanctorum, et Vitris de Horvarth Sancti Martini, et alios ecclesiarum de Zala presbyteros, super obe-

dientia et reverentia ab eis tibi tanquam diœcesano suo debita exhibenda, auctoritate nostra rationaliter promulgarunt, sicut est justa et legitima, appellatione suspensa, auctoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti privilegio communimus. Nulli ergo, etc. Si quis autem, etc. Datum Laterani, XVIII kal. februarii, anno nono.

LXIV

Ad priorem et fratres Hospitalis Hierosolymitani de Francia.

17 januarii 1225.

[Regest., lib. IX, epist. 150. Mss. La Porte du Theil.]

Donationem quinquaginta modiorum bladi ad mensuram Corboliensem ipsorum monasterio de Corbolio a Ludovico rege factam, auctoritate Apostolica confirmat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis... priori, et fratribus Hospitalis Hierosolymitani de Francia, salutem et Apostolicam benedictionem.

Justis petentium, etc., *usque* complere. Ex tenore siquidem litterarum carissimi in Christo filii nostri Ludovici, regis Francorum illustris, nobis innotuit, quod ipse pro salute animæ inclytæ recordationis Philippi, regis Francorum, genitoris sui, aliorumque progenitorum suorum hospitali vestro de Corbolio quinquaginta modios bladi ad mensuram Corboliensem, medietatem videlicet frumenti, et medietatem avenæ in perpetuum contulit eleemosynam annuatim percipiendos in minagio de Corbolio, et fratribus ipsius hospitalis reddendos per manus illorum, qui dictum minagium colligent, ita quod tertia pars in octavis Omnium Sanctorum, et tertia in octavis Purificationis beatæ Mariæ, alia vero tertia in octavis Ascensionis Domini singulis annis solvatur fratribus supradictis, ipsique fratres tredecim presbyteros perpetuo teneantur habere in hospitali prædicto divina celebraturos ibidem, ea conditione apposita, ut si prædicti fratres aliquando id omiserint, ipse rex possit in manu sua quousque id emandatum sit, bladum tenere prædictum, et si illi, qui dictum minagium colligent in prædicti bladi solutione cessarent, tamdiu diebus singulis solvant quinque solidos fratribus supradictis, quamdiu bladum ipsum ultra præfixum solutioni terminum retinebunt. Nos igitur vestris justis precibus inclinati donationem ipsam, sicut pie ac provide facta est, et in litteris dicti regis super hoc factis plenius continetur, auctoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo, etc., hanc paginam nostræ confirmationis, etc. Si quis autem, etc. Datum Laterani, XV kalendas februarii, anno nono.

LXV

Ad episcopum Massiliensem.

18 januarii 1225.

[Regest., lib. IX, epist. 139. Mss. La Porte du Theil.]

Facit ei potestatem Anselina patrona ecclesiæ B. Mariæ de Arenc, ecclesiam istam dotare volente, et postulante ut aliqua religio in illa institueretur, postulata concedendi.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri... episcopo Massiliensi, salutem et Apostolicam benedictionem.

Postulavit a nobis dilecta in Christo filia nobilis mulier Anselina patrona ecclesiæ beatæ Mariæ de Arenc, ut cum ecclesiam ipsam pro suorum remedio peccatorum bonis velit dotare propriis instituere unam de antiquis religionibus in eadem ut inibi cultus divini nominis amplietur, sine alieni juris præjudicio faceremus. Nos igitur in hoc tibi deferre volentes, cum loci diœcesanus existas, fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus ei facienti quod affert postulata concedas, matricis Ecclesiæ, et cujuslibet alterius jure salvo. Datum Laterani, XV kalendas februarii, anno nono.

LXVI

Ad episcopos Galliæ, et ecclesiarum prælatos.

27 januarii 1225.

[Bouquet, Rec. des Histor., XIX, p. 763.]

Cum multi qui in curiam Romanam litigatum veniebant, propter expensas nimias quererentur, decrevit Honorius, ut, loco taxationum, singulis in ecclesiis cathedralibus et aliis insignioribus præbendæ quædam Apostolicæ Sedi adscriberentur, ita ut gratis cuncta fori Romani deinde ministrari possent.

Honorius episcopus..., venerabilibus fratribus archiepiscopis, episcopis, et dilectis

filiis universis ecclesiarum prælatis per regnum Franciæ constitutis, salutem, etc.

Super muros Jerusalem custodes positi, quanto eminentiorem speculam dignitatis attendimus, tanto in eminentiori debito sollicitamur officii, ut vigilanti custodia nobis et aliis vigilemus, nobis quoque per meritum, aliis per exemplum, quatenus in conspectu Altissimi conscientiæ puritas conservetur, et in facie propriæ famæ integritas non lædatur. Multum enim cedit ad commodum, ut et conscientiam fama non deserat, et famam conscientia contemni (1) non exponat; sed potius mutuis promoveantur suffragiis, et mutuis sibi promotionibus suffragentur : propter quod in vestibus Aaron mala punica cum tintinnabulis dependebant. Porro, dum attendimus quid onus honoris exposcat, quid sarcina dignitatum desideret, multa nos cura sollicitat, multæ nos sollicitudinis urgemur instantia, qualiter Deo satisfaciamus et homini, et si non ut volumus et debemus, saltem prout permittimur et valemus.

Sane multos multotiens et audivimus et vidimus murmurantes propter expensas quas venientes ad Sedem Apostolicam faciebant. Scimus autem quid ex talibus inferebat præsumptio detractorum; quid labia dolosa, quid lingua magniloqua præsumebant, cum nonnulli sermones in publico monstrantes, et mittentes periculosius jacula in occulto, Romanam niterentur mordere Ecclesiam, parati non solum ea quæ vigor justitiæ, sed etiam quæ judicium æquitatis, necnon benignitatis gratia consummabat, suis locutionibus depravare, præsertim apud eos qui aures prurientes habebant et graves, et erectas ad malum. Illos quoque in talibus frequenter experti sumus ostendere, qui missi procurare negotia, dum ea quæ illis ad necessarias deputabantur expensas suis voluptatibus applicabant, ad miserabile subsidium mendacii recurrentes, alienis moribus impingebant, quod proprie defraudaverant.

Quia vero in iis contra Sedem Apostolicam detractionis obrepebat occasio, et ecclesiis et ecclesiarum prælatis necnon et aliis videbatur imminere gravamen, cum fratribus nostris diligenter curavimus habere tractatum, quo studio, qua cautela, secundum Deum et hominem, inveniremus in talibus salubrem provisionis effectum; et tandem, prout Domino placuit, communi et unanimi deliberatione consilii rem non novam nec inexcogitatam a prædecessoribus nostris sumus aggressi, volentes quod illi salubri consilio providerint, efficaci opere consummare : videlicet ut ad opus Sedis Apostolicæ in singulis cathedralibus ecclesiis et aliis præbendalibus singulæ præbendæ reserventur, et interim, donec id fiat, competentes in eis redditus assignentur. In monasteriis vero et cæteris domibus regularibus et aliis collegiatis ecclesiis, necnon de bonis episcoporum, secundum facultates suas, constituantur certi redditus præbendas æquantes, quorum proventus in commune recepti, tam in nostras quam fratrum nostrorum necessitates, capellanorum, necnon cancellariæ, ostiariorum, aliorumque Sedis Apostolicæ officialium, convertantur, ut sic et provideatur nostris in vitæ necessariis, et gratis omnibus omnia pro quibuscumque venientibus negotiis ministrentur; nec sit qui per se vel per alium, expresse vel tacite, aliquid exigat vel etiam sponte oblata recipiat, præter villæ (2) redditum consuetum. Quod si quis Gieziacus tantæ cupiditati animam audebit exponere, tantæ pœnæ duritiæ subjacebit, quod, præter publicæ confusionis opprobrium, culpam in pœna cognoscet. Quis igitur frater gratiæ, quis devotionis filius, quis sponsi et sponsæ dilectus, ad hujusmodi statum ecclesiæ consilio et auxilio non assurget? an non licet, non decet, non expedit, ut sic filiæ dextram porrigant ad subsidia matris, quæ occupationibus multis et magnis involvitur pro necessitatibus filiorum? Nonne id quamplures ecclesiarum prælati, magnique testimonii viri, tempore generalis Concilii, suadebant? Nonne ad id toto videbantur desiderio aspirare? Tunc tamen Sedes Apostolica distulit, ne videretur ad hoc concilium evocasse.

Ne igitur tam pii, tam sancti propositi consummatio retardetur, per quod crescere poterit decor Ecclesiæ Dei, multaque subtrahi occasio detrahendi, universitatem vestram monemus, rogamus et exhortamur in Domino, per Apostolica scripta vobis mandantes, quatenus, ad executionem provisionis hujusmodi, tam in cathedralibus

(1) *Forte* contemptui.

(2) *Forte* vile.

quam in aliis ecclesiis, ut dictum est, impendentes sic opere ut operam (1) efficacem, quod, interprete facto, monstretur quantum domus Dei vos decor alliciat, quantum sponsi et sponsæ amor accendat, quantum multorum relevatio moveat, quantumque utilitas generalis inducat. Cæterum, cum ad relevanda ecclesiarum onera et gravamina prælatorum, prout possumus, intendamus, de præbendis clericis Romanis vel aliis a Sede Apostolica concessis, duximus providendum, ut, postquam fuerint supradicta completa, cum eos vacare contigerit, ad proprias ecclesias revertantur; ne, si successive conferantur extraneis, sicut aliquando consuevit, filiis ecclesiarum qui continuo servitio resident, redderentur inutiles, et voluntate quodam modo fierent alienæ (2). Datum Laterani, V kal. februarii, pontificatus nostri anno nono.

LXVII

Ad archiepiscopos, et episcopos.

28 januarii 1225.

[Mansi, Concil., XXII, 1211.]

Mandat ut libellum, qui *Perifisis* titulatur ad Sedem Apostolicam mittant solemniter comburendum.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, archiepiscopis et episcopis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Inimicus homo zizania bono semini superseminare non cessat, etc., *et cætera* desunt. Nuper siquidem sicut nobis significavit venerabilis frater noster Parisiensis episcopus, est quidam liber qui *Perifisis* titulatur (3), inventus tot scatens vermibus hæreticæ pravitatis; unde a venerabili fratre nostro archiepiscopo Senonensi et suffraganeis ejus in provinciali concilio congregatis, justo est Dei judicio reprobatus. Quia igitur liber, sicut recepimus, in nonnullis monasteriis et aliis locis habetur, et claustrales nonnulli et viri scholastici, novi tamen forte plus quam expediat amatores, se studiosius lectione occupant dicti libri, gloriosum reputantes ignotas proferre sententias cum Apostolus profanas novitates doceat devitare; nos juxta pastoralis sollicitudinis debitum, corruptelæ, quam possit ingerere liber hujusmodi, occurrere satagentes, vobis universis et singulis in virtute Sancti Spiritus districte præcipiendo mandanus, quatenus libellum istum sollicite perquiratis et ubicumque ipsum vel partem ejus inveniri contigerit, ad nos si secure fieri possit, sine dilatione mittatis solemniter comburendum; alioquin vos ipsi publice comburatis eumdem, subditis vestris expresse injungentes, ut quicumque ipsorum habent vel habere possunt in toto vel in parte exemplaria dicti libri, ea nobis differant resignare, in omnes qui ultra quindecim dies, postquam hujusmodi mandatum seu denunciatio ad notitiam eorum pervenerit, librum ipsum totum aut partem scienter retinere præsumpserint, excommunicationis sententiam incurrisse, notamque pravitatis hæreticæ non evadent. Datum Laterani, X kal. februarii, anno nono.

LXVIII

Ad episcopum Parisiensem.

28 januarii 1225.

[Regest., lib. IX, epist. 219. Mss. La Porte du Theil.]

Indulget ei ut clericos quosdam diœcesis suæ, qui excommunicationis vinculo innodati, celebrare tamen presumpserant absolvere possit.

Honorius, etc., venerabili fratri... episcopo Parisiensi, salutem et Apostolicam benedictionem.

Meritum tuæ devotionis exposcit, ut te abundantius diligentes in visceribus Jesu Christi dilectionem hujusmodi producamus in altum specialem tibi favorem et gratiam impendendo. Ea propter, venerabilis in Christo frater, tuis supplicationibus inclinati, auctoritate tibi præsentium indulgemus, ut cum diœcesis tuæ clericis, quos excommunicatos, vel suspensos inveneris cebrasse, cum tibi eos ab excommunicatione, ac suspensione constiterit absolutos, injuncta eis pœnitentia salutari, auctoritate

(1) *Legendum forsitan.* sic impendatis operam.

(2) Ea de re frequens habitum fuisse Bituricis a Romano Sancti Angeli cardinale, ipso anno, die festo S. Andreæ, concilium, docet nos Turonensis chronographus, tomo nostro XVIII, pag. 311. Quæ autem in concilio gesta fuerint, luculentius commemorat Matthæus Paris, a nobis descripta, t. XVII, pag. 769 et seq. Cf. et *Conciliorum* Labbei collect., t. XI, pag. 291. (Bouquet.)

(3) Hic de libro Johannis Scoti Erigeni loquitur.

nostra facias super eo quod taliter celebrarunt, prout saluti animarum suarum videris expedire, nisi tales merito propter hoc videris ad Romanam Ecclesiam transmittendos, præsentibus post biennium minime valituris. Datum Laterani, V kalendas februarii, pontificatus nostri anno nono.

LXIX

Ad eumdem.

28 januarii 1225.

[Regest., lib. IX, epist. 203. Mss. La Porte du Theil.]

Cum ab ipso pontifice fuisset consecratus, ipsum a consecrationis munere, quod decanus et capitulum Senonenses ab episcopis per manus archiepiscopi Senonensis metropolitani consecratis exigere solebant, immunem declarat.

Honorius, etc., eidem.

Ex parte tua fuit propositum coram nobis, quod cum apud Sedem Apostolicam per manus nostras fueris in episcopum consecratus, nihilominus... decanus, et capitulum Senonenses te coram venerabili fratre nostro... Senonensi archiepiscopo metropolitano tuo super quadam summa pecuniæ, ac aliis præstationibus, quas consueverant ab episcopis Senonensibus consecratis exigere propter quod ad appellationis remedium convolasti. Nos autem volumus ut nihil eis inde persolvas, quod etiam sibi liceat auctoritate Sedis Apostolicæ denegare. Datum *ut supra.*

LXX

Ad eumdem.

29 januarii.

[Regest., lib. IX, ep. 202. Mss. La Porte du Theil.]

Indulget ei specialiter ut, non obstante frivolæ appellationis obstaculo, subditorum suorum excessus corrigere valeat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri... episcopo Parisiensi, salutem et Apostolicam benedictionem.

Quia sæpe subjecti, cum de suis excessibus corriguntur, in vocem frustratoriæ appellationis prorumpunt, ut sic saltem correctionem valeant eludere prælatorum, nos tuis supplicationibus inclinati, præsentium tibi auctoritate concedimus, ut objectu appellationis frivolæ non obstante, subditorum tuorum possis excessus corrigere, prout secundum Deum fuerint corrigendi. Datum Laterani, IV kalendas februarii, pontificatus nostri anno nono.

LXXI

Ad Andream regem Hungariæ.

1 februarii 1225.

[Fejer, Cod. diplom. Hungariæ, III, II, 17.]

Andream regem Hungariæ urget ut bona monasterio de Gissing ablata, et alteri donata, cum aliis abalienatis restituat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, A. illustri regi Hungariæ, salutem et Apostolicam benedictionem.

Et si debeas ut princeps catholicus omnes generaliter regni tui ecclesias in sua justitia confovere, monasterium tamen Sancti Martini de Pannonia eo amplius in suo jure teneris, quo certior est, ut dicitur, regalis sublimitas quod de illo spiritualis tibi utilitas provenit, et etiam temporalis. Sane dilectorum filiorum abbatis et conventus ejusdem monasterii petitio continebat, quod quondam Walfer comes constructa quadam ecclesia in monte Quizin, munitioni apto, scilicet loco inhabitabili et deserto, de assensu tandem inclytæ recordationis Geyzæ regis Hungariæ, avi tui, atque diœcesani, et aliorum regni nobilium, ecclesiam ipsam monasterio prædicto concessit, in qua juxta ipsius comitis desiderium, abbas monasterii memorati conventum instituit, et tres ei per tempora præfecit abbates; postmodum vero claræ memoriæ Bela rex, pater tuus, suggestione quorumdam, præfatam ecclesiam, remotis inde personis, cum eodem monte sibi pro munitione recepit, promittens, quod locum alium ad ecclesiam aptiorem, et plura etiam in possessionibus et aliis, quam eadem haberet ecclesia, donaret eisdem; quod nec ipse implevit, morte præventus, nec per te quem super hoc sæpe rogavimus, id hactenus factum fuit. Nunc autem Demetrius comes montem eumdem cum prædicta ecclesia et possessionibus ad eamdem pertinentibus ex regia, ut dixit, donatione, detinet et reddere contradicit. Unde humiliter supplicarunt, ut quia tantum principem omnino non decet, quod cum ecclesiarum jactura aliis

sit liberalis, quum potius regis honori conveniat de propriis eas facultatibus augmentare, adesse sibi super hoc misericorditer dignaremur. Præterea referentibus eisdem abbate, ac conventu didicimus, quod dictus Demetrius comes quamdam eorumdem insulam in Danubio, Obdæ videlicet, per privilegia eis regia confirmatam cum decem servorum et quatuor piscatorum mansionibus detinet violenter; insuper... comes de Budrug tributum, quod eis de foro et portu Budrug competit, temere occupavit; et quum bonæ memoriæ Smaragdus archidiaconus de papa capellam quamdam, juxta palatium suum ab ipso constructam, cum possessionibus et aliis ad eam pertinentibus de consensu tuo, dum adhuc viveret, ipsis concesserat; eo tandem mortuo et per eosdem quodam sacerdote monacho instituto, Fabianus miles, de regio mandato, ut asserit, capellam eamdem ejectis inde prædicto monacho cum universis ad eam pertinentibus, occupare præsumpsit; super quibus etiam remedium Apostolicum implorarunt. Quocirca celsitudinem regiam rogamus, monemus et hortamur in Domino, quatenus te in hoc gerens ut devotum principem et ecclesiasticorum jurium zelatorem, prædicta restitui facias monasterio memorato; ita quod talem et tantum protectorem se habere lætetur, et tuæ sinceritatis devotio apud Deum possit et homines exinde commendari. Et quidem quum verisimile non existit, quod talia quis in regno tuo, si ea moleste ferre volueris, audeat attentare; nonnulli forte præsumerent, quod non gererent, si hæc emendata non fuerint, erga ecclesias illum devotionis affectum, quem ad illas credimus te habere. Datum Laterani, kalendis februarii, pontificatus nostri anno nono.

LXXII

Ad archiepiscopos, episcopos, prælatos, etc., per regnum Angliæ constitutos.

3 februarii 1225.

[Mansi, Concil., XXIII, 15.]

Eis mandat ut cum Henricus, rex Anglorum, eorum subventionis auxilio dicatur quamplurimum indigere, juxta facultates ecclesiarum competens ei subsidium impendant.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiscopis, episcopis, et dilectis filiis præpositis, ac aliis ecclesiarum prælatis, ac rectoribus per regnum Angliæ constitutis, salutem, etc.

Cum Ecclesia sæcularium principum necessitatibus sponte communicat, necessarium eis subsidium liberaliter impendendo, non est id libertatis ecclesiasticæ præjudicium, sed officium potius caritatis. Cum igitur carissimus in Christo filius noster Henricus, rex Anglorum illustris, vestræ subventionis auxilio dicatur quam plurimum indigere, universitatem vestram rogamus, et hortamur attentius, ac per Apostolica scripta vobis mandamus, quatenus juxta facultates ecclesiarum competens ei subsidium impendatis; proviso, quod in singulis diœcesibus congruæ fiant hac de causa collectæ, et quæ collecta fuerint, testimonialibus litteris diœcesani episcopi, et aliquorum abbatum, aliorumve prælatorum diœcesis assignentur viris fidelibus et discretis, quos hujusmodi curæ videritis deputandos; ipsique illa illibata conservent, donec deliberato consilio expendantur, ubi, et quando, et quomodo regi et regno videbitur amplius expedire. Unde quemadmodum de receptis, sic litteras testimoniales recipiant de redditis vel expensis, quatenus omnibus tollatur suspicionis occasio, et collecta pecunia non in superfluas et inutiles prodigatur expensas, sed in necessarias et utiles provide convertatur; nolumus autem, hæc nostra gratia vestraque caritativa subventio trahatur in consequentiam vel exemplum. Vestra ergo sollicitudo provideat, ut hæc ita hilariter fiant, fideliter, et diligenter, quod vestra caritas et prudentia ex hoc merito debeat commendari. Datum Laterani, III non. februarii, pontificatus nostri anno nono.

LXXIII

Ad priorem S. Laurentii, Florentinæ civitatis ejusque fratres.

4 februarii 1225.

[Lamius, Eccles. Florent. Mon., II, 936.]

Ecclesiam Sancti Laurentii Florentinam sub beati Petri et sua protectione suscipit, omnesque ejus possessiones ac bona, jura ac privilegia confirmat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei,

dilectis filiis priori Sancti Laurentii, Florentinæ civitatis, ejusque fratribus tam præsentibus quam futuris, canonice substituendis in perpetuum.

Piæ postulatio voluntatis effectu debet prosequente compleri, ut et devotionis sinceritas laudabiliter enitescat, et utilitas postulata viros indubitanter assumat. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, et præfatam ecclesiam Sancti Laurentii, quæ caput Florentinæ ecclesiæ fuisse videtur, in qua divino estis obsequio mancipati, ad exemplar felicis recordationis Nicolai II, Alexandri II, Paschalis II, Alexandri III, Lucii, Clementis III, Cœlestini et Innocentii III, prædecessorum nostrorum Romanorum Pontificum, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et præsentis scripti privilegio communimus; statuentes ut quascumque possessiones, quæcumque bona eadem ecclesia in præsentiarum juste ac canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis: Parochiam vestræ ecclesiæ pertinentem, sicut hactenus habuistis; hospitale quod juxta ecclesiam supradictam B. Laurentii situm est cum omnibus pertinentiis suis; ecclesiam Sancti Marci cum omnibus pertinentiis suis; montem S. Laurentii, qui ex uno latere proximatur terræ S. Johannis et duabus viis decurrentibus, et ex alio S. Romuli, tertio S. Mariæ, quarto decurrit ei via regia, cum decimis et primitiis suis; montem Conii qui de una parte a rivo Tersimula cingitur, ex alia terræ S. Romuli jungitur, a tertia parte S. Johannis, a quarto decurrit ei via, quæ dicitur subtus, cum decimis et primitiis suis; abataticum portæ S. Laurentii cum ipsa etiam congregatione; ecclesiam S. Bartholomæi sitam in Faltignano cum omnibus pertinentiis suis, et possessiones omnes, quas in eadem curia possidetis; ecclesiam S. Andreæ in Percussine. Quæcumque etiam a prædictis prædecessoribus nostris Romanis pontificibus vobis concessa sunt, et ecclesiæ vestræ eorum privilegiis confirmata, similiter roboramus. Sane diebus solemnibus in claustro, vel in atrio ecclesiæ processiones facere, et missam ad tertiam cantare, nullius contradictio vos inhibeat, sed modis omnibus studeatis omnipotentem Dominum glorificare, et saluti animarum vestrarum ipso præstante vigilanter insistere. Prohibemus quoque ut nemini liceat infra terminos parochiæ vestræ sine auctoritate diœcesani episcopi et vestro assensu ecclesiam, vel oratorium de novo ædificare, salvis privilegiis Romanorum pontificum : libertates præterea et immunitates antiquas et rationabiles consuetudines ecclesiæ vestræ concessas, et hactenus observatas ratas habemus, et eas perpetuis temporibus illibatas permanere sancimus. Statuimus insuper, ut non liceat episcopo vestro in vos vel ecclesiam vestram sine manifesta et rationabili causa excommunicationis vel interdicti sententiam promulgare. Sepulturam præterea ipsius loci liberam esse decernimus, ut eorum devotioni et extremæ voluntati, qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi forte excommunicati vel interdicti, nullus obsistat : salva tamen justitia illarum ecclesiarum, a quibus mortuorum corpora assumuntur. Obeunte vero te, nunc ejusdem loci priore, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet subreptionis astutia, seu violentia, præponatur, nisi quem fratres communi consensu vel fratrum pars consilii sanioris, secundum Dei timorem providerint eligendum.

Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatam ecclesiam temere perturbare vel ejus possessiones auferre, ablatas retinere, minuere seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra serventur, eorum pro quorum gubernatione et sustentatioue concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva Sedis Apostolicæ auctoritate et Florentini episcopi canonica justitia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica sæcularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum digna satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui careat dignitate, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore ac sanguine Dei et Domini Redemptoris nostri Jesu Christi alinea fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem ei-

dem loco sua jura servantibus, sit pax Domini nostri Jesu Christi quatenus et hic fructum bonæ actionis percipiant, et apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Amen. Amen.

Ego Honorius, catholicæ Ecclesiæ episcopus.

Ego Guala, S. Martini presb. card. tit. S. Equitii, susc.

Ego Stephanus, Basilicæ XII apostolorum presbyter cardinalis, susc.

Ego Hugolinus, Hostien. et Velletren. episcop., susc.

Ego Pelagius, Albanen. episcopus, susc.

Ego Nicolaus, Tusculan. episcopus, susc.

Ego Octavius, SS. Sergii et Bacchi diac. cardinalis, susc.

Ego Gregorius, S. Theodori diac. card., susc.

Ego Romanus, S. Angeli diac. card., susc.

Ego Petrus, S. Georgii ad Velum Aureum diac. card., susc.

Datum Laterani, per manum magistri Guidonis domini papæ notarii, II nonas februarii, indictione XLV (*forte :* XIII), Incarnationis Dominicæ anno MCCXXV, pontificatus vero domini Honorii papæ III anno nono.

LXXIV

Ad archiepiscopum Senonensem ejusque suffraganeos.

4 februarii [15 januarii] 1225.

[Regest., lib. IX, epist. 152. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat eis ut nuncios Hospitalis Sancti Bernardi montis Jovis eleemosynas quærentes fidelibus commendent.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus... archiepiscopo Senonensi et suffraganeis ejus, salutem et Apostolicam benedictionem.

Attendentes humanitatis solatia quæ in Hospitali Sancti Bernardi montis Jovis tam sanis quam infirmis, tam divitibus quam pauperibus jugiter exhibentur, fideles in Senonensi provincia constitutos per nostras curavimus litteras exhortari, et eis in remissionem injunximus peccatorum, ut nuntiis ejusdem Hospitalis, cum ad eos accesserint, eleemosynas petituri, caritatis subsidio et pias eleemosynas largiant ac certam peccatorum fecimus indulgentiam his qui eis manum porrexerint pietatis. Ideoque fraternitatem vestram sollicitandam duximus et monendam, per Apostolica vobis scripta mandantes, quatenus eisdem nuntiis litteras vestras singuli per suas diœceses concedatis vestros subditos exhortando, ut ad exponendum populo litteras nostras, et ad quærendas eleemosynas in ecclesiis suis benigne recipiant nuntios antedictos. Datum Laterani, XV kalendas februarii, anno nono.

LXXV

Ad abbatem monasterii Sancti Hilarii, ejusque fratres.

5 februarii 1225.

[Mahul, Cart., V, 71.]

Monasterium S. Hilarii cum omnibus suis pertinentiis protegendum suscipit eique plura jura tribuit.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Alboyno abbati monasterii S. Hilarii, quod in Carcassonensi diœcesi situm est (1), ejusque fratribus tam præsentibus quam futuris, regularem vitam professis in perpetuum.

Vestris justis postulationibus clementer annuimus, et præfatum monasterium S. Hilarii sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti privilegio communimus..., statuentes... quascumque possessiones... idem monasterium juste ac canonice possidet.... firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis : Locum ipsum in quo præfatum monasterium situm est, cum omnibus suis pertinentiis, videlicet villas Campoliberi, (Cambieure), S. Saturnini, Podii Salomonis, Corneliani, Beraciæ, Gardiæ, Carentiani, (Crausse), Caprariæ, Villæbasini, Villaris de Bella (Villardebelle), Ferrarias, Garrie, Nidolarias, Cucciacum, cum ecclesiis, decimis et omnibus ad easdem ecclesias pertinentibus : ecclesiam B. Mariæ de Venaucio, cum parte villæ, villam Venaucianum (Benausse), villam S. Hilarii cum ecclesiis, ecclesias S. Mariæ de Mala Garda et S. Martini de Limoso, cum decimis et

(1) S. Hilaire de Carcassonne.

appenditiis suis, salvo moderamine Concilii generalis; partes villarum de Salsigno, Machinco, Flassiano, Bazino, Pomario, Vilaldrico, et Sancto Adriano. Sane novalium vestrorum quæ propriis manibus, vel sumptibus colitis, sive de vestrorum animalium nutrimentis, nullus a vobis decimas exigere vel extorquere præsumat. Liceat vobis clericos vel laicos, liberos et absolutos, e sæculo fugientes, ad conversionem recipere, et eos absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper ut nulli fratrum vestrorum, post factam in monasterio vestro professionem, liceat sine abbatis licentia, de eodem loco, nisi arctioris religionis obtentu discedere. Discedentem vero absque communium litterarum vestrarum cautione nullus audeat retinere. Quum autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis, clausis januis, exclusis excommunicatis et interdictis, non pulsatis campanis, suppressa voce, omnia officia celebrare. Interdicimus etiam ne episcopo, vel archidiacono liceat in vos, vel ecclesias vestras, sine manifesta et rationabili causa, excommunicationis, vel interdicti sententiam ferre, seu vos novis et indebitis exactionibus fatigare. In parochialibus vero ecclesiis quas habetis, liceat vos sacerdotes eligere, diœcesano episcopo præsentare, quibus si idonei fuerint, episcopus curam animarum committat ut ei de spiritualibus, vobis vero de temporalibus, debeant respondere; chrisma vero, oleum sanctum, consecrationes altarium seu basilicarum, ordinationes clericorum qui ad sacros ordines fuerint promovendi, at diœcesano suscipietis episcopo, siquidem catholicus fuerit et gratiam et communionem sacrosanctæ Romanæ Sedis habuerit, et ea vobis voluerit sine pravitate aliqua exhibere. Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse decernimus, ut eorum devotioni et extremæ voluntate qui se illic sepeliri deliberaverunt, nisi forte excommunicati vel interdicti sint, nullus obsistat, salva tamen justitia earum ecclesiarum quibus mortuorum corpora assumuntur. Obeunte vero te nunc ejusdem loci abbate, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet subreptionis astutia, seu violentia præponatur, nisi quem fratres, communi consensu, vel fratrum pars majoris et sanioris consilii secundum Deum et B. Benedicti regulam providerent eligendum. Libertates quoque et immunitates antiquas et rationabiles consuetudines ecclesiæ vestræ concessas, et hactenus observatas, ratas habenus et eas perpetuis temporibus illibatas permanere sancimus. Pacique et tranquillitati vestræ, paterna in posterum sollicitudine providere volentes, auctoritate Apostolica prohibemus, ut infra clausuras locorum vestrorum, nullus rapinam, seu furtum facere, ignem apponere, sanguinem fundere, hominem temere capere, vel interficere, seu violentiam audeat exercere. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatum monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre... seu quibuslibet vexationibus fatigare... Amen, amen, amen. SS. Petrus, Paulus, Honorius III...

Datum Laterani, III nonas februarii, indictione XIII, Incarnationis Dominicæ anno MCCXXV, pontificatus vero domini Honorii papæ III anno nono.

LXXVI

Ad Romanum, Sancti Angeli diaconum cardinalem, A. S. legatum in Francia.

13 februarii 1225.

[Regest., lib. IX, epist. 180. Mss. La Porte du Theil.]

Ei mandat ut in terra Provinciæ prælatorum electionibus intersit.

Honorius, et dilecto filio Romano Sancti Angeli diacono cardinali, Apostolicæ Sedis legato, salutem et Apostolicam benedictionem.

Quia quanto corruptior est terra Provinciæ, tanto est studiosius providendum, ut prælati tales instituantur ibidem, qui verbo et exemplo possint ad bonum alios informare, volumus, ut intersis prælatorum electionibus, quas in Provincia, te ibi existente, contigerit celebrari, et ut electiones ipsæ cum tuo semper consilio celebrentur. Datum Laterani, idibus februarii, anno nono.

LXXVII

Ad archiepiscopum Arelatensem.

14 februarii 1225.

[Regest., lib. IX, epist. 170. Mss. La Porte du Theil.]

Concessionem ecclesiæ castri de Sellon ipsi in beneficium personale a præposito et capitulo Arelatensi factam auctoritate Apostolica confirmat.

Honorius, etc., venerabili fratri H. Arelatensi archiepiscopo, salutem et Apostolicam benedictionem.

Cum a nobis petitur, *usque* effectum. Ex parte siquidem fraternitatis tuæ fuit nostro Apostolatui reseratum, quod cum archiepiscopium tuum debitorum sit onere prægravatum dilecti filii... præpositus et capitulum Arelatenses tuis et archiepiscopii gravaminibus compatientes ejusdem ad sublevandas necessitates tuas, ecclesiam castri de Sellon ad collationem spectantem ipsorum in personale tibi beneficium concesserunt, quare a nobis humiliter postulasti, ut concessionem ipsam Apostolico munimine roborare. Nos igitur tuis justis precibus gratum impartientes assensum, concessionem ipsam sicut juste et canonice facta est, auctoritate Apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo, etc., hanc paginam nostræ confirmationis, etc. Si quis autem, etc. Datum Laterani, XVI kalendas martii, anno nono.

LXXVIII

Ad archiepiscopos, episcopos et prælatos regni Franciæ.

15 februarii 1225.

[Bouquet, Rec. des Hist., XIX, p. 764. Regest., lib. IX, ep. 175.]

Ut fidei rebus in Narbonensi provincia afflictis succurrat Honorius illuc Romanum Sancti Angeli cardinalem A. S. legatum destinat cum amplissima potestate, et episcopis impensius commendat.

Honorius episcopus..., venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis, et dilectis filiis abbatibus, prioribus et aliis ecclesiarum prælatis, in regno Franciæ ac in Provincia constitutis, et Tarentasiensi, Bisuntinensi, Ebredunensi, Aquensi, Arelatensi, Viennensi archiepiscopis et eorum suffraganeis, necnon abbatibus et aliis ecclesiarum prælatis consistentibus in diœcesibus eorum, salutem, etc.

Mirabiles elationes maris, sed mirabilior Dominus in excelsis, quia, quantumcumque mundanarum tempestatum fluctus contra navem Petri, Ecclesiam videlicet, intumescunt, quantumcumque dormire videtur Dominus in eadem ipsam agitari procellis et fluctibus concuti permittendo; excitatus tamen suorum clamore fidelium clamantium toto corde, surgens ventis imperat atque mari, fitque magna tranquillitas, ita ut videntes divinam potentiam admirentur.

Sane miserabilis status, immo stabilis miseria Narbonensis provinciæ ac circumadjacentium regionum diu nos anxietate torsit et dubietate suspendit, anxietantes quidem viam invenire ac modum quibus possemus relevare negotium pacis et fidei, quod in partibus illis videtur quasi penitus corruisse, et e contrario dubitantes ne terra illa sic ex toto esset in salsilaginem versa, quod cassus et inanis existeret labor noster, et ne possemus, quantacumque culturæ diligentia adhibita, optatos ex ea manipulos reportare, cum non videatur illi esse similis de qua legitur, « terra sæpe venientem super se bibens imbrem, et herbam generans illis a quibus colitur opportunam, accipiet benedictionem a Domino, » sed ei potius de qua concinne subinfertur, « proferens autem spinas ac tribulos, reprobata est et proxima maledicto ». Hæc enim vere est terra deserta, invia et inaquosa, immo terra ferrea, terra cui cœlum æneum dedisse videtur Deus, et ne super illam pluant nubibus mandavisse, cum nullo imbre doctrinæ, nullo rore gratiæ, sit ad ferendum fructus debitos emollita. Hæc est terra quæ argentum reprobum videtur merito appellanda, quia, etsi multo sudore laboratum sit ad purgationem ejusdem, frustra tamen conflavit conflator : non est enim ejus consummata malitia, et nimia rubigo ejus de ipsa non exiit, nec per ignem; Deo terram cordis incolarum ejus constrictam infidelitatis et malitiæ occulto sed justo judicio permittente, adeo indurari, ut nec fomentis blandimentorum, nec flagellorum tormentis, potuerit hactenus emolliri : eisdem sic suos animos affirmantibus contra Deum, ut, quamlibet multiplicibus attriti flagellis, renuerunt accipere disciplinam;

quin immo immemores nihil esse infelicius felicitate peccantium, adversus Dei Ecclesiam glorientur, et in sui erroris argumentum et confirmationem assumant, quod eis videtur contra catholicos successisse, non attendentes filios Israel, peculiarem populum Domini, gentibus quas ipse Dominus oderat, succubuisse frequenter, ac demum gentes easdem, ab ipsis omnino deletas, frustra de habitis victoriis exsultasse. Quantumcumque autem navis Ecclesiæ ipsorum fluctibus videatur, Deo permittente, concussa, nos tamen, certi quod ille qui se cum ea promisit usque ad finem sæculi permansurum, nec permissurum quod adversus eam prævaleant portæ mortis, eam in hujusmodi fluctuum turbatione non deseret, sed ventis et mari, cum tempus beneplaciti ejus advenerit, imperabit, simulque sperantes quod, quantumcumque sit ipsorum obstinata duritia et desperabilis plaga, ille tamen qui dictatam in Ninivitas subversionis sententiam misericorditer revocavit, adhuc dignabitur terram ipsam rore gratiæ suæ perfundere, ac de lapidibus illis Abrahæ filios suscitare.

Ecce dilectissimum filium nostrum Romanum Sancti Angeli diaconum cardinalem, virum generis et morum nobilitate præclarum, constantia industriaque conspicuum, et nobis inter cæteros fratres nostros merito suæ probitatis carum specialiter et acceptum, illuc providimus destinandum, ut, præeunte divinæ pietatis auxilio, errata corrigat, et deformata reformet, noxia evellat, plantetque salubria, ipsamque terram diu obsitam sentibus vitiorum, et fructus iniquitatis ac amaritudinis proferentem, fructus pietatis et dulcedinis, auctore Deo, faciat germinare. Et quoniam auxilium carissimi in Christo filii nostri Ludovici, regis Francorum illustris, et regni ejus, est ad hæc facienda modis omnibus necessarium, aliaque negotia in regno ipso habet Sedes Apostolica pertractare, eidem cardinali, tam in eodem regno quam in Provincia necnon in Tarantasiensi, Bisuntinensi, Ebredunensi, Aquensi, Arelatensi et Viennensi provinciis, plenæ legationis officium duximus committendum, data sibi libera potestate destruendi et evellendi, ædificandi atque plantandi, disponendi, ordinandi, statuendi, diffiniendi et faciendi quæcumque, secundum datam sibi a Deo prudentiam, viderit facienda. Ideoque universitati vestræ per Apostolica scripta mandamus et districte præcipimus, quatenus ipsum sicut Apostolicæ Sedis legatum, immo verius nos in ipso studentes devote recipere ac honorifice pertractare, sibique diligenter ac fideliter assistentes, ipsius salubria monita et mandata recipiatis humiliter, et irrefragabiliter observetis. Nos enim sententias quas rationabiliter tulerit in rebelles, ratas habebimus et faciemus, auctore Deo, inviolabiliter observari (1). Datum Laterani, XV kal. martii, anno nono.

(1) Mandato Apostolico obsecutus, anno 1226, post diem Conversionis S. Pauli (28 januarii), Romanus, celebrato Parisiis concilio generali, emisit excommunicationis decretum contra eos qui molestias afferrent Franciæ regi crucesignato adversus Albigenses, eique decimam bonorum ecclesiasticorum concessit ad quinquennium litteris quas recitat Martenius *Anecd.* t. I, col. 931 :

« Venerabili in Christo patri, Dei gratia, Rotomagensi archiepiscopo, Romanus, eadem gratia Sancti Angeli diaconus cardinalis, A. S. legatus, salutem et sinceram in Domino caritatem. Rex regum et Dominus dominantium Jesus Christus, qui se cum ecclesia sua promisit usque ad finem sæculi permansurum, nec permissurum quod adversus eam mortis portæ prævaleant, nolens eamdem in fluctuum turbatione deficere; in cujus manu sunt omnia corda regum, et quo voluerit vertit illa, diebus istis ad relevationem ejusdem, quæ miserabiliter, peccatis nostris exigentibus, erat ab inimicis pacis et fidei depressa, mirabiliter operando, regis Franciæ illustris cordi, ratione suæ gratiæ, ex alto infudit, quod, divina gratia faciente, negotium pacis et fidei contra hæreticos terræ Albigensis in se assumens ad honorem Dei et ecclesiæ, crucis vivificæ a nobis est charactere insignitus, ad purgandam terram illam ab hæretica pravitate, et ad relevationem in illis partibus Ecclesiæ Dei, quæ jam esse subversa penitus videbatur : cum quo plures archiepiscopi, episcopi, comites et barones, et magnates regni Franciæ crucis similiter assumpserunt [signaculum]; propter quod eumdem regem, familiam suam et regnum suum, et omnes qui in hoc negotio ibunt et personaliter laborabunt, in ecclesiæ protectione suscepimus, quandiu fuerint in servitio Jesu Christi.

» Excommunicamus et excommunicatum denunciamus Raimundum filium R. quondam comitis Tolosani, fautores, complices suos, et omnes qui consilium et auxilium eidem dederint contra Ecclesiam Dei et fidem christianam et contra regem Franciæ, qui pro eadem defendenda laborat. Item excommunicamus omnes illos qui guerreabunt vel invadent regnum Franciæ, sive sint de regno, sive de extra regnum : statuentes ut a sententia excommunicationis nullatenus absolvantur, donec de damnis et injuriis dicto regi et suis satisfecerint competenter, et egrediantur regnum illi guerreatores et invasores qui sunt de extra regnum. Item excommunicamus omnes illos qui sunt de regno Franciæ, qui inter se guerram

LXXIX

Ad Ludovicum, Francorum regem.

15 februarii 1225.

[Bouquet, Rec. des Hist., XIX, 766; Regest., lib. IX, epist. 178.]

Romanum Sancti Angeli diaconum cardinalem, A. S. legatum, impense commendat regi Ludovico Honorius.

Honorius episcopus.., carissimo in Christo filio Ludovico, regi Francorum illustri, salutem, etc.

Inter cæteros fratres nostros dilectos, filius noster Romanus Sancti Angeli diaconus cardinalis, honorem tuum speciali affectione zelatur, sicut et nos ipsi certissime novimus, et nuncii tui sunt multis et evidentibus argumentis jam frequenter experti. In tuum igitur regnum et circumstantes partes legatum, urgente multiplicium negotiorum necessitate, missuri, dictum cardinalem illuc providimus destinandum, ut in hoc quoque cognoscas quam ad te habeamus abundantiam caritatis. Ideoque Serenitatem tuam rogamus attentius et hortamur, quatenus ipsum tamquam Apostolicæ Sedis legatum, immo verius nos in ipso sereno vultu recipias, eique dignam honorificentiam exhibens et a tuis faciens subditis exhiberi, ejus salubribus monitis et consiliis sic reverenter intendas, quod idem in dilectione tua de die in diem crescere teneatur, et nos, qui eum quadam prærogativa diligimus, caritatis devotionem commendare in Domino debeamus. Datum Laterani, XV kal. martii, anno nono.

Scripsit in eumdem fere modum Honorius archiepiscopis et episcopis, abbatibus, prioribus et aliis ecclesiarum prælatis, ibid. epist. CLXXVI, die 12 februarii.

Item principibus Galliæ viris, ducibus, comitibus, baronibus, necnon et rectoribus et comitatibus civitatum et castrorum in regno Franciæ ac in Provincia, etc., ibid. epist. CLXXVII.

LXXX

Ad Andream, regem Hungariæ.

15 februarii 1225.

[Theiner, Mon. Hungariæ, I, 54, n. 115.]

Honorius se preces Andreæ, regis Hungariæ, exauditurum promittit, et F. custodem Orodiensem, procuratorem regium, ipsi commendat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, illustri regi Hungariæ, salutem et Apostolicam benedictionem.

Dilectum filium magistrum F., custodem Orodiensem, clericum et procuratorem tuum virum utique providum et discretum, cum serenitatis tuæ litteris ad Sedem Apostolicam accedentem, benigne recipimus; et his, quæ idem coram nobis ex parte tua propo-

moverint, nec treugam vel pacem fecerint ad mandatum dicti regis. Quia vero regnum magnum est et magnos sumptus exigit et expensas, promisimus, sacro approbante concilio Bituricis congregato, eidem regi dare decimam omnium proventuum ecclesiasticorum legationis nostræ usque ad quinquennium, si negotium tantum duraverit, deductis expensis illis quæ proveniunt ex cultura vinearum et agrorum. Decimam autem illam prælati non solvent, nec clerici de familia sua, qui personaliter in hoc negotio laborabunt, nec alii quos nos et rex prædictus elegerimus ad personaliter laborandum in negotio supradicto. Fiet autem solutio decimæ duobus terminis per annum, videlicet in festo Omnium Sanctorum et in Pascha, et incipit prima solutio in instanti festo Omnium Sanctorum.

» Quocirca Paternitatem vestram rogamus et monemus attentius, qua fungimur auctoritate mandantes, quatenus, excommunicationis sententias prædictas per vestram provinciam denominari publice facientes, verbum crucis per personas discretas et litteratas, nec ecclesiis onerosas, in eadem prædicari faciatis : concedentes illis catholicis qui, crucis assumpto charactere, ad exterminium eorumdem supra hæreticorum se accinxerint, et in personis propriis laboraverint, et expensas [contulerint], necnon et illis qui [non] in personis propriis illuc accesserint, sed in suis dumtaxat expensis, juxta facultatem et quantitatem suam, viros idoneos demonstraverint, ut illis similiter qui, licet in alienis expensis, in propriis tamen personis accesserint, ut illa gaudeant libertate, illoque privilegio sint muniti, quæ accedentibus in Terræ Sanctæ subsidium conceduntur : hujus quoque remissionis denunciantes esse participes, juxta quantitatem subsidii et devotionis affectum, qui ad subventionem prædicti negotii Jesu Christi de bonis suis congrue ministrabunt, aut circa prædicta consilium et auxilium impenderint optimum.

» Monemus etiam discretionem vestram et hortamur in Domino Jesu Christo, quatenus suffraganeos vestros ad hujusmodi Christi obsequium invitetis, ut signum crucis tam vos quam episcopi accipiatis, pro amore illius qui pro vobis sanguinem suum fudit. Sic enim studeatis in hoc opere sollicitius vigilare, quod proximos ipse caritatis vestræ ardor accendat, vosque, præter bonæ famæ mercedem, æternum positis præmium exspectare : scientes quod præfatus rex, post festum Resurrectionis Dominicæ proximum, erit Bituris personaliter cum exercitu suo, concedente Deo, profecturus viriliter et prudenter contra hæreticos supradictos, nosque similiter tunc ibidem personaliter erimus cum eodem. Datum Parisius, nonis februarii [anno 1226]. »

suit, plenius intellectis, petitiones tuas, quantum cum Deo potuimus, curavimus exaudire, parati ea sui loco et tempore facere, quantum cum honestate nostra poterimus, quæ honorem tuum respiciunt et augmentum. Eumdem itaque magistrum a sollicitudine diligenti, quam circa tua negotia exhibuit promovenda, excellentiæ tuæ duximus commendandum; magnificentiam tuam rogantes attentius et monentes, quatenus ipsum precum nostrarum obtentu, habere digneris taliter commendatum, quod ipse preces nostras apud excellentiam tuam sibi sentiat fructuosas, et alii ejus exemplo ad tuum servitium fortius obligentur. Datum Laterani, XV kalendas martii, anno nono.

LXXXI

Ad archiepiscopum Burdegalensem.

15 februarii 1225.

[Regest., lib. IX, epist. 220. Mss. La Porte du Theil.]

Facit ei potestatem sacerdotes quosdam diœcesis propter concubinatum excommunicatos absolvendi.

Honorius, etc., venerabili fratri... Burdegalensi archiepiscopo, salutem et Apostolicam benedictionem.

A nobis tua fraternitas postulavit, ut cum quibusdam sacerdotibus diœcesana tibi lege subjectis, qui contra excommunicationem a te in plena synodo in presbyteros concubinarios promulgatam, tenentes in suis domibus publice concubinas officia celebrare divina, et ecclesiastica beneficia receperunt dispensari per discretos aliquos in illis partibus misericorditer faceremus. Nos igitur de discretione tua gerentes fiduciam pleniorem, negotium tibi, qui cum jam dictorum sacerdotum diœcesanus existas, de factis, et eorum circumstantiis universis poteris intelligere plenius veritatem duximus committendum, fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandantes, quatenus super his statuas circa ipsos, quod saluti animarum ipsorum videris expedire. Datum Laterani, XV kalendas martii, pontificatus nostri anno nono.

LXXXII

Ad abbatem et conventum S. Dionysii Parisiensis.

20 februarii 1225.

[Doublet, Hist. de l'abbaye de Saint-Denis, p. 556.]

Eis notum facit se archiepiscopis, episcopis, etc., districtius inhibere, ne quis eorum ad prioratus dicti monasterii causa visitationis accedat ac procurationes ab illis exigere vel extorquere præsumat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati et conventui Sancti Dionysii Parisiensis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Ea parte vestra fuit propositum coram nobis, quod quamplures archiepiscopi et episcopi, ac alii ecclesiarum prælati, quibus incumbit prioratus vestros ratione parochiæ visitare, procurationibus quas in eis recipiunt non contenti, grangias et alias domos vestras quæ non collegiatæ nec parochiales existunt visitare contendunt, ut sic procurationes extorqueant ab eisdem: unde nobis humiliter supplicastis ut super hoc providere vobis misericorditer dignaremur. Cum igitur ratione visitationis procurationes debeantur prælatis, ac visitatione non egeant hujusmodi grangiæ sive domus, auctoritate præsentium districtius inhibemus, ne quis ad loca talia causa visitationis accedat, nec procurationes ab illis exigere vel extorquere præsumat. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ inhibitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, etc. Datum Laterani, X kalendas martii, pontificatus nostri anno nono.

LXXXIII

Ad abbatem et conventum Casæ Dei Claromontensis diœcesis.

23 februarii 1225.

[Regest., lib. IX, epist. 182. Mss. La Porte du Theil.]

Cum comes Forensis ecclesiam in aliquo ad ipsos spectante prioratu fundavisset, et ipsi huic fundationi se opponerent jubet pontifex, ut accepta justa compensatione, oppositionem suam retractent.

Honorius, etc., dilectis filiis... abbati, et conventui Casæ Dei Claromontensis diœcesis, salutem, etc.

Cum sæculares viri assurgunt ad opera spiritualia tacti timore divini nominis, et amore, non est eorum impedienda devotio, sed potius favore benivolo prosequenda. Sane venerabilis frater noster Lugdunensis archiepiscopus suis nobis litteris intimavit, quod cum dilectus filius nobilis vir G., comes Forensis, divino tactus spiritu ecclesiam in honore Dei, et beatissimæ Mariæ Virginis, in proprio fundo construere decrevisset et ei assignare redditus, de quibus congrue sustentari posset honestum canonicorum collegium in eodem, idque sibi, et venerabilibus fratribus nostris... Viennensi, et... Ebredunensi archiepiscopis revelasset, ipse de prædictorum archiepiscoporum consilio, cum locus in quo fundare ipsam ecclesiam disposuerat esset in ejus diœcesis constitutus sibi licentiam tribuit ut quod pro cordis affectu conceperat, perduceret ad effectum, salvo nimirum jure Lingonensis ecclesiæ, ac prioratus Saviniaci in cujus parochia eadem erat ecclesia construenda. Idem igitur comes in loco destinato fundavit ecclesiam, eique redditus sufficientes tredecim canonicis institutis in ea de propriis facultatibus assignavit. Quia vero prioratus in cujus parochia ecclesia ipsa sita est ad monasterium vestrum spectat, opus tam commendabile dissolvere attentatis occasione indulgentiæ vobis, ut dicitur, ab Apostolica Sede concessæ, ne videlicet in parochiis vestris nova sine consensu diœcesani, et vestro ecclesia construatur, atque ad abbatem Sancti Genesii, et ejus conjudices Apostolicas litteras impetrastis, per quas dictum opus nitimini annulare, licet ipse comes, et ecclesiæ prædictæ canonici firmiter promiserint ipsi archiepiscopo, quod jus parochiale prædicti prioratus conservarent illæsum, et ejus indemnitati juxta ipsius archiepiscopi, et aliorum bonorum virorum arbitrium plenissime providerent. Quare idem archiepiscopus una cum ipso comite nobis supplicavit instanter, ut providere misericorditer dignaremur, ne dictum opus occasione hujusmodi dissolvatur et ipsius comitis pia et salubris intentio suo defraudetur effectu. Quoniam igitur videretur indecens, et indignum, si tantum et tam laudabile opus, jamque quasi fine laudabili consummatum, evacuaretur; de cætero cum et in contractibus multa celebrandos impediant, quæ tamen non dirimunt celebratos, volentes, quod opus hujusmodi a modo [non] destruatur, dummodo ipse comes, et ecclesiæ jamdictæ canonici juxta promissionem suam velint indemnitatibus vestris congrue providere, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus una cum præfatis comite, et canonicis in arbitros concordatis, qui cum ipso archiepiscopo arbitrentur, quid detrimenti dictus ex hoc prioratus incurrat, et juxta illud provide taxent recompensationem eidem prioratui faciendam, eaque recepta ab infestatione ipsius ecclesiæ quiescatis, scientes nos dilecto filio R., Sancti Angeli diacono cardinali, Apostolicæ Sedis legato, mandavisse ut si, mandato nostro contempto, contra ejus formam ecclesiam vexaveritis supradictam, ipse vos ab ejus vexatione compescat, non obstantibus litteris supradictis vel processu, si quis est autem habitus earumdem. Datum Laterani, VII kalendas martii, anno nono.

LXXXIV

Ad abbates S. Petri de Valle et de Josaphat, ac cancellarium Carnotensem.

24 februarii 1225.

[Regest., lib. IX, epist. 196. Mss. La Porte du Theil.]

Præcipit eis ut infra duos menses, in causa quæ inter archiepiscopum Turonensem ab una, et clericos Sancti Martini Turonensis ab altera parte vertebatur, super abbatia de Bello Monte, definitive procedant.

Honorius, etc., dilectis filiis..... Sancti Petri de Valle, et de Josaphat abbatibus, et..... cancellario Carnotensi, salutem, etc.

Significavit nobis venerabilis frater noster...... Turonensis archiepiscopus, quod cum causa, quæ inter ipsum ex parte una, et clericos Sancti Martini Turonensis ex altera, super abbatia de Bello Monte vertitur, examini vestro duximus committendum, ac vobis expresse dederimus in mandatis, ut cum a tempore felicis memoriæ Innocentii Papæ, prædecessoris nostri, mota fuerit causa ipsa, nec adhuc usque ad litis contestationem processum fuerit in eadem, litem contestari infra tres menses post nostri receptionem mandati non obstantibus frustratoriis exceptionibus faceretis, vos id nondum effectui mancipastis. Ideoque mandamus, quatenus salvis utrique

parti exceptionibus sibi competentibus, faciatis litem infra duos menses post susceptionem præsentium coram vobis legitime contestari, ac demum in causa ipsa legitime procedentes, eamdem, si partes consenserint fine debito terminetis; alioquin, eam sufficienter instructam ad nostrum remittatis examen, præfigentes partibus terminum competentem, quo per se, vel per procuratores idoneos nostro se conspectui repræsentent, justam dante Domino sententiam recepturi. Quod si non omnes, etc. Datum Laterani, VI kalendas martii, anno nono.

LXXXV

Ad Engelbertum, archiepiscopum Coloniensem, et suffraganeos ejus.

25 februarii 1225.

[Mon. pour servir à l'histoire des provinces de Namur, II, I, 27, n. 20.]

Mandat ut illos qui possessiones, res, domus abbatis de Camberone, Cisterciensis ordinis, invaserint excommunicationis sententia percellant.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri archiepiscopo Coloniensi, etc., salutem et Apostolicam benedictionem.

Non absque dolore cordis, et plurima turbatione didicimus, quod ita in plerisque partibus ecclesiastica censura dissolvitur, et canonicæ sententiæ severitas enervatur, ut viri religiosi et hi maxime, qui per Sedis Apostolicæ privilegia, majori donati sunt libertate, passim a malefactoribus suis injurias sustineant et rapinas, dum vix invenitur, qui congrua illis protectioni subveniat, et, pro fovenda pauperum innocentia, se murum defensionis opponat. Specialiter autem dilecti filii abbas et conventus de Camberone, Cisterciensis ordinis, tam de frequentibus injuriis quam de ipso quotidiano defectu justitiæ conquerentes, universitatem vestram litteris petierunt Apostolicis excitari, ut ita videlicet eis in tribulationibus suis contra malefactores eorum prompta debeatis magnanimitate consurgere, quod ab angustiis, quas sustinent et pressuris, vestro possint præsidio respirare. Quocirca universitati vestræ per Apostolica scripta mandamus atque præcipimus, quatenus illos qui possessiones vel res, seu domos prædictorum fratrum, vel hominum suorum irreverenter invaserint, aut ea injuste detinuerint, quæ prædictis fratribus ex testamento decedentium relinquuntur, seu in ipsos fratres contra Apostolicæ Sedis indulta sententiam excommunicationis aut interdicti præsumpserint promulgare, vel decimas laborum de possessionibus habitis ante Concilium generale, seu nutrimentis ipsorum, spretis Apostolicæ Sedis privilegiis extorquere, monitione præmissa, si laici fuerint, publice candelis accensis, excommunicationis sententia percellatis; si vero laici, vel canonici regulares, seu monachi fuerint, eos appellatione remota ab officio et beneficio suspendatis, neutram relaxaturi sententiam, donec prædictis fratribus plenarie satisfaciant et tam laici quam clerici sæculares, qui pro violenta manuum injectione, anathematis vinculo fuerint innodati, cum diœcesani episcopi litteris ad Sedem Apostolicam venientes, ab eodem vinculo mereantur absolvi. Villas autem in quibus bona prædictorum fratrum, vel hominum suorum per violentiam detenta fuerint, quamdiu ibi sunt, interdicti sententiæ supponatis. Datum Laterani, V kalendas martii, pontificatus nostri anno nono.

LXXXVI

Ad episcopum Artfertensem.

25 februarii 1225.

[Theiner, Vetera Monum. Hibernorum, 23, 57.]

Ei concedit ut de diœcesanorum licentia pontificale possit officium exercere.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri E..., episcopo quondam Artfertensi, salutem et Apostolicam benedictionem.

Cum episcopatum Artfertensem in manibus nostris cedendo loco, non ordine, spontaneus resignaris, præsentium tibi auctoritate concedimus, ut de diœcesanorum licentia pontificale possis officium exercere, cum fueris requisitus. Nulli ergo, etc., nostræ concessionis, etc. Si quis, etc. Datum Laterani, V kalendas martii, pontificatus nostri anno nono.

LXXXVII

Ad episcopum Cathalaunensem.

25 februarii 1225.

[Regest., lib. IX, epist. 188. Mss. La Porte du Theil.]

Ut canonicos Sanctæ Mariæ de Vitriaco ad sacros ordines recipiendos cogat.

Honorius, etc., venerabili fratri ...., Cathalaunensi episcopo, salutem et Apostolicam benedictionem.

Dilecti filii capitulum Sanctæ Mariæ de Vitriaco nobis humiliter supplicarunt, ut cum quibusdam de ipso capitulo recusantibus ad sacros ordines promoveri, eorum ecclesia per hoc frequenter debitis obsequiis defraudetur, super hoc paterna dignaremur sollicitudine providere. Cum ergo loci diœcesanus existas, fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus ipsius loci canonicos, ut ordines sibi competentes recipiant, prout ipsi ecclesiæ videbitur expedire, monitione præmissa, per subtractionem beneficiorum ipsius ecclesiæ, sublato appellationis impedimento, compellas. Datum Laterani, V kalendas martii, anno nono.

LXXXVIII

Ad suffraganeos Rothomagensis ecclesiæ.

25 februarii 1225.

[Regest., lib IX, epist. 191. Mss. La Porte du Theil.]

Appellationem ipsorum ad Sedem Apostolicam, super inquisitione quam archiepiscopus Rothomagensis in monasteria ipsis subjecta ordinaverat, legitimam esse declarat.

Honorius, etc., venerabilibus fratribus suffraganeis Rothomagensis ecclesiæ, salutem et Apostolicam benedictionem.

Volente venerabili fratre nostro Rothomagensi archiepiscopo compellere subditos vobis abbates interesse provinciali concilio, et quod inquisitores, qui per concilium non fuerint ordinati, in concilio provinciali referrent quæ invenerant in provincia corrigenda, vos, pro vobis et eisdem abbatibus, ad Sedem Apostolicam appellastis. Quare noveritis, quod nos auditis a procuratoribus partium quæ super his hinc inde fuere proposita coram nobis, justitia exigente, decrevimus super utroque articulo fuisse legitime appellatum. Datum *ut in alia*.

LXXXIX

Ad archiepiscopum Remensem.

25 februarii 1225.

[Regest., lib. IX, epist. 192. Mss. La Porte du Theil.]

Litteras Apostolicas, quibus nominationem ad archidiaconum Cathalaunensem ipsi detulerat, revocat, cum jus nominandi ad episcopum Cathalaunensem spectet.

Honorius, etc., venerabili fratri.... archiepiscopo Remensi, salutem, etc.

Cum sicut venerabili fratre nostro.... Cathalaunensi episcopo accepimus intimante dilectus filius J. archidiaconus Cathalaunensis ad te nostras litteras impetravit, ut ad liberam resignationem ipsius archidiaconatum suum, cujus collatio ad episcopum dictum noscitur pertinere, personæ idoneæ conferas, et assignes, fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus si forte nondum in executione mandati Apostolici processisti, ulterius non procedas, præsertim cum dictus episcopus id asserat in suum præjudicium redundare, ac nos etiam non credamus hujusmodi litteras a Sede Apostolica emanasse. Datum Laterani, V kalendas martii, anno nono.

XC

Ad S. Angeli diaconum cardinalem, A. S. legatum.

25 februarii 1225.

[Regest., lib. IX, epist. 179. Mss. La Porte du Theil.]

Ei facultates aliquas concedit.

Honorius, etc., dilecto filio R., Sancti Angeli diacono cardinali, Apostolicæ Sedis legato, salutem, etc.

Ut et tuam honoremus personam et per exhibitum tibi honorem aliis consulamus, absolvendi juxta formam Ecclesiæ illos, qui pro violenta injectione manuum, seu pro commissis incendiis in canonem inciderunt et dispensandi cum illis, qui excommunicati, vel interdicti receperunt ordines, vel divina officia celebrarunt, necnon cum illis, qui contra prohibitionem Apostolicam sæcularium legum studio vacaverunt, conferendi etiam dignitates, et beneficia quæ tanto vacaverunt tempore, quod ad nos est eorum donatio devoluta, tibi præsentium auctoritate concedimus liberam potestatem. Datum *ut supra*.

XCII

Ad eumdem.

25 februarii 1225.

[Bouquet, Rec. des Hist., XIX, 766.]

Cum Burdegalensis archiepiscopus Bituricensis ecclesiæ jus primatiale in Burdegalensem provinciam denuo conaretur excutere, provinciam dat Honorius Romano legato hujusmodi causæ finem quantocius imponendi.

Honorius episcopus.., dilecto filio R. Sancti Angeli diac. card., A. S. legato, salutem, etc.

Citatus venerabilis frater noster Burdegalensis archiepiscopus (1), ut personaliter vel per procuratorem idoneum nostro se conspectui præsentaret, responsurus venerabili fratri nostro Bituricensi archiepiscopo (2) super turbatione possessionis primatiæ quam Bituricensis ecclesia in ipso ac in provincia sua dicitur obtinere, necnon super damnis et injuriis Bituricensi ecclesiæ in prædecessore ipsius et sociis ejus, cum dicitur auctoritate primatiæ Burdegalensem visitare vellet provinciam, irrogatis, nec venit nec misit idoneum responsalem (3); propter quod, de fratrum nostrorum consilio, jam dictum Burdegalensem archiepiscopum reputavimus contumacem, eumdem in expensis quas septuaginta marcas argenti taxavimus parti alteri condemnantes.

Ut autem causa hujusmodi debitum finem celerius sortiatur, eam tibi duximus committendam, discretioni tuæ per Apostolica scripta mandantes, quatenus, Bituricensi archiepiscopo expensas solvi faciens prætaxatas, causam diligenter audias supradictam, et quod justum fuerit, appellatione remota, decernas, faciens quod decreveris, etc. Datum Laterani, V kal. martii, anno nono.

XCIII

Ad eumdem.

26 februarii 1225.

[Bouquet, Rec. des Hist., XIX, 767; Regest., lib. IX, epist. 200.]

Mandat ut de ecclesiarum vicesima collecta Amalrici de Monteforti necessitatibus subveniatur.

Honorius episcopus......, dilecto filio R. Sancti Angeli diac. card., A. S. legato, salutem, etc.

Dilecto filio nobili viro A(malrico), comite Tolosano, olim nobis humiliter supplicante ut ad relevanda onera debitorum quæ pro negotio Jesu Christi contraxit, Apostolicæ provisionis dignaremur remedium adhibere, venerabili fratri nostro C(onrado), Portuensi episcopo, A. S. legato, dedimus in mandatis, ut de vicesima trium tunc præteritorum annorum, quæ in Senonensi et quibusdam aliis provinciis, pro parte remanserat colligenda, consuleret necessitatibus comitis antedicti (4). Sed, eodem episcopo interim ad alia loca translato, quod mandavimus non fuit effectui mancipatum, sicut nuper nobis idem nobilis intimavit. Ideoque discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus vicesimam ipsam colligi facias, et juxta prædicti mandati tenorem de ipsa provideas nobili supradicto, prout, pensatis ejus necessitatibus, tua circumspectio viderit faciendum. Datum Laterani, IV kal. martii, anno nono.

XCIV

Ad eumdem.

27 februarii 1225.

[Bouquet, Rec. des Hist. XIX, p. 767; Regest. lib. IX, ep. 187.]

Durante de Pictaviensi terra litigio inter regem Ludovicum et Angliæ regem, præcipit legato Honorius, ut efficacius agat apud Ludovicum pro asserendis Henrici juribus.

Honorius episcopus..., dilecto filio R., Sancti Angeli diacono card., A. S. legato, salutem, etc.

Tua novit prudentia quales pro negotio illustris regis Angliæ illustri regi Francorum litteras dirigamus. Ideoque solertiam tuam sollicitandam duximus et monendam, per Apostolica tibi scripta mandantes, quatenus ipsum regem Franciæ ad ea super quibus ipsum rogamus per litteras supradictas effectui mancipanda moneas efficaciter et inducas (5) : qui si forte ad ea facienda monitis tuis induci nequiverit, tu, cum super ipso negotio plenam tibi conces-

(1) Guillelmus Amanevi.
(2) Girardo *de Cros.*
(3) De litigio eodem cognoverat Honorius, lib. VIII, epist. 59 et 60, col. 477-478.

(4) Vide supra, lib. VIII, epist. 203, col. 617-618.
(5) Duplicatæ in Regesto exstant simul conjunctæ Honorii ad Ludovicum litteræ binæ, argumenti ejusdem et tenoris, lib. IX. Prior epistola

serimus potestatem, sic studeas pro jure ipsius regis Angliæ conservando, quod diligentiam et sollicitudinem tuam merito commendare possimus, et idem rex debitum et speratum in Apostolica Sede præsidium se gaudeat invenisse. Datum Laterani, III kal. martii, anno nono.

XCV

Ad præpositum et cantorem S. Mariæ, et magistrum Michaelem, canonicum S. Nicolai Ambianensis.

27 februarii 1225.

[Regest., lib. IX, epist. 198. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat eis ut clericos quosdam qui ecclesias, ad Sancti Vedasti Atrebatensis monasterium pertinentes, deserviebant, ad sacros ordines recipiendos cogant.

Honorius, etc., dilectis filiis præposito et cantori Sanctæ Mariæ, et magistro Michaeli, canonico Sancti Nicolai Ambianensis, salutem, etc.

Ex parte... abbatis et conventus Sancti Vedasti Atrebatensis nobis est oblata querela, quod cum A. et quibusdam aliis clericis quasdam contulerint parochiales ecclesias pertinentes ad ipsos, iidem clerici ad ordines quos ecclesiæ ipsæ requirunt pro suo recusant arbitrio promoveri, propter quod eædem ecclesiæ debitis obsequiis defraudantur. Quare præfati abbas et conventus provideri super hoc per Sedem Apostolicam petierunt, quod vel ad hujusmodi ordines promoveantur clerici supradicti, vel, id eis omittentibus, auctoritate nostra ipsi habeant facultatem easdem ecclesias aliis personis idoneis, quæ ipsis in talibus ordinibus serviant, conferendi. Cum autem magis sit providendum ecclesiis, quam personis, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus, si est ita, eisdem clericis ad vestram præsentiam convocatis, et quod suscipiant ordines quos requirunt ecclesiæ memoratæ, admonitis diligenter, si non acquieverint illi vobis, super promotione clericorum ipsorum seu concessa prædictis facultate petita, quod canonicum fuerit, appellatione postposita, statuatis, facientes, etc. Testes, etc. Quod si non omnes, etc. Datum Laterani, III kalendas martii, anno nono.

XCVI

Ad archiepiscopum Remensem.

27 februarii 1225.

[Regest., lib. IX, epist. 192. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat ei ut capitulum Lingonense exigens ad suam tutelam coerceat.

Honorius, etc.

Venerabilis frater noster..... episcopus Lingonensis, nobis insinuare curavit, quod quando contingit injurias inferri capitulo Lingonensi, licet ipse paratus sit contra injuriatores ipsorum canonicam exercere censuram, ipsi nequaquam eo contenti requirunt ab ipso episcopo ut guerram moveat contra eos, quod nisi fecerit, cessant continuo a divinis, in ejus injuriam et contemptum. Quocirca fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus auctoritate nostra inhibeas capitulo supradicto, ne occasione hujusmodi a divinis cessare præsumant maxime in contemptum episcopi supradicti, eos si contra prohibitionem tuam venire præsumpserint, taliter ad querelam ipsius episcopi nostra fretus auctoritate, per censuram ecclesiasticam, cognita veritate, castigans, quod alias attentare similia reformident. Datum Laterani, III kalendas martii, anno nono.

XCVII

Ad archiepiscopum Senonensem.

27 februarii 1225.

[Regest., lib. IX, ep. 270. Mss. La Porte du Theil.]

Indulget ut visitationem ad Sedem Apostolicam, quam circa festum Assumptionis ex juramento suo tenebatur facere, ad festum Nativitatis remittat.

Honorius, etc., venerabili fratri... archiepiscopo Senonensi, salutem, etc.

Exposuisti per nuntios tuos nobis in receptione pallii te jurasse, quod singulis annis per te, vel per certum nuntium Sedem

describitur n. 1, data die 3 augusti; altera contractior n. 168, absque temporis signaculo, in hunc locum retrahenda videretur. Ne autem semel a nobis actum agamus, recurrendum est ad epistolam superius editam n. 1. (Bouquet.)

Apostolicam visitares, nosque tibi de gratia postmodum indulsisse, ut ad id non nisi de biennio in biennium tenereris. Verum quia circa festum Assumptionis beatæ Virginis, cum tunc receperis pallium, et hujusmodi jusjurandum præstiteris tibi hoc imminet faciendum, et tempore illo propter aeris intemperiem proponas periculosum ad Urbem accessum, tam suppliciter quam humiliter postulasti, ut ad festum Nativitatis Dominicæ mutare visitationis tuæ terminum dignaremur. Quare nos gratiæ, quam in multis fraternitati tuæ fecimus, hac etiam vice gratiam cumulantes, postulata tibi auctoritate præsentium duximus concedenda. Datum Laterani, III kalendas martii, anno nono.

XCVIII

Ad episcopum Valentinum, abbatem Ragniaci, et magistrum de Clameri, canonicum Eduensem.

28 februarii 1225.

[Regest., lib. IX, epist. 209. Mss. La Porte du Theil.]

Dat eis provinciam G. canonicum Cablien. et N. cancellarium Campaniæ ad componendam litem, quæ inter ipsos vertebatur, inducendi.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri... episcopo Valentino, et dilectis filiis... abbati Ragniaci, et magistro A. de Clameri, canonico Eduensi, salutem et Apostolicam benedictionem.

Orta inter dilectos filios magistrum G., canonicum Cablien., et cancellarium Campaniæ super quibusdam incendiis, successione vinearum, proprii corporis captione, et rebus aliis quæstione... abbati Sancti Stephani et collegis ipsius scripsimus, ut causam audirent, et eam ad nos remitterent sufficienter instructam, præfigentes partibus terminum, quo nostro se conspectui præsentarent, sententiam recepturæ. Remisso itaque ad nos negotio in termino ab eisdem judicibus assignato, et eodem G. ac procuratore partis alterius apud Sedem Apostolicam constitutis, dilecto filio magistro O. subdiacono et capellano nostro contradictarum litterarum auditori commisimus specialiter audiendum negotium memoratum, in cujus præsentia cum fuisset allegatum, et disputatum hinc inde, ac ipse super his quæ coram eo acta fuerant nuntiare deberet, dictus procurator debitum naturæ persolvit, sicque causa ipsa non potuit debito fine decidi. Quocirca mandamus, quatenus utramque partem, inter se componere debeant convenire, ac diligenter inducere procuretis, quod si compositio forte provenire non poterit, vos proximo venturum festum Omnium Sanctorum peremptorium partibus terminum præfigatis, quo per se vel responsales idoneos compareant coram nobis, recepturæ quod super hoc duxerimus statuendum, non obstantibus litteris aliis, harum tenore tacito, a Sede Apostolica impetratis. Quod si non omnes, etc. Datum Laterani, II kalendas martii, anno nono.

XCIX

Ad episcopum Pennensem.

1 martii 1225.

[Sbaralea, Bullar. Francisc., I, 21, n. 18.]

Ei respondet in causa A. presbyteri, quem absolvit ab accusatione quorumdam fratrum Minorum non juratorum.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri... episcopo Pennensi, salutem et Apostolicam benedictionem.

Nuper nobis A. presbytero supplicante, ut cum ipse ordinem fratrum Minorum causa probationis intrasset, ac exinde nulla facta professione infra annum exisset, super hoc providere misericorditer dignaremur; tibi dedimus in mandatis, ut, si res taliter se haberet, denuntiares ipsum ad regularem observantiam non teneri. Dicto ergo presbytero, et fratre Johanne in partibus tuis Minorum fratrum custode cum quibusdam aliis propter hoc in tua præsentia constitutis, dictus custos ad probandum, quod idem presbyter professionem fecisset, quosdam ordinis sui testes induxit, qui deposuerunt super hoc, contradicente presbytero, non jurati. Unde præfatus presbyter asserebat eorum testimonium nullum esse, prædicto replicante custode, quod secundum ordinis sui regulam jurare non poterant, nec debebant; sed eorum verbis simplicibus in hujusmodi standum erat; quare nobis humiliter supplicasti, ut quid agendum sit tibi, te redderemus nostris litteris certiorem. Nos ergo fraternitati tuæ breviter respondemus, quod nullus testimonio, quan-

tumcumque religiosus existat, nisi juratus deposuerit, in alterius præjudicium debet credi. Datum Laterani, kalendis martii, anno nono (1).

C

Ad decanum Suessionensem.

1 martii 1225.

[Regest., lib. IX, epist. 284. Mss. La Porte du Theil.]

Indulget ei ut quamdiu in ecclesia Suessionensi, propter discordiam inter ipsos et cives Suessionenses exortam, residere non posset, in ecclesia Laudunensi degere possit.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio... decano Suessionensi, salutem et Apostolicam benedictionem.

In nostra proposuisti præsentia constitutus, quod cum tu ac omnes Suessionenses canonici elapso jam secundo anno propter discordiam inter vos et cives Suessionenses exortam, Suessionensi exieritis civitate, ac in ipso exitu statutum fuerit a capitulo, ut unusquisque interim moraretur in loco, quem sibi magis idoneum reputaret, tempore quo propter prædictam causam vos absentes esse contingeret pro residentia reputato, tu ad Laudunensem ecclesiam, cujus es canonicus, accessisti, facturus interim tuam residentiam in eadem. Cæterum quibusdam contra te murmurantibus, quod cum juraveris Suessionensi ecclesiæ residentiam, non licuit tibi residere in prædicta Laudunensi ecclesia, cum non possis simul duplicem facere residentiam; aliis vero sentientibus juramentum hujusmodi non obstare, quin libere possis in ecclesia Laudunensi residentiam facere, quamdiu non potes in Suessionensi ecclesia residere, tu in dubitatione per hujusmodi sententiam (*sic*), varietatis inductus, supplicasti, ut super hoc tuam complanare conscientiam dignaremur. Cum ergo ecclesiæ Suessionensi nihil depereat, si resides in Laudunensi ecclesia, dum residere in ipsa Suessionensi non potes, auctoritate præsentium tibi duximus concedendum, ut quamdiu residere in Suessionensi ecclesia non valebis, tibi liceat in sæpedicta Laudunensi ecclesia residere. Datum Laterani, kalendis martii, anno nono.

CI

Ad magistrum et fratres domus S. Mariæ Theutonicorum.

3 martii 1225.

[Wirtembergisches Ub., III, 168, n. 688.]

Eis decimas de Merenkeim confirmat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis magistro et fratribus domus S. Mariæ Theutonicorum, salutem, etc.

Justis petentium desideriis dignum est nos facilem præbere assensum, et vota, quæ a rationis tramite non discordant, effectu prosequente complere. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis precibus inclinati, decimas de Merenkein, vobis a venerabili fratre nostro... episcopo Herbipolensi, capituli sui accedente consensu, pia liberalitate collatas, sicut eas juste, canonice ac pacifice possidetis, vobis et per vos domui vestræ auctoritate Apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani, V nonas martii, pontificatus nostri anno nono.

CII

Ad abbatem et conventum Sancti Petri Gandensis.

3 martii 1225.

[Lockeren, Chart. de l'abbaye de St-Pierre, 152, n. 479.]

Diffinitivam sententiam super sepulturam quorumdam hominum confirmat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati et conventui Sancti Petri Gandensis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Cum a nobis petitur quod justum est et honestum, tam vigor æquitatis quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Exposuistis sane nobis quod orta olim super sepultura quorumdam hominum, inter vos ex parte una, et canonicos Sanctæ Pareildis,

(1) Vide *Quintam Compilationem*, lib. II, tit. XII, De testibus, cap. 4.

Tornacensis diœcesis, ex altera, quæstione, mediantibus tandem bonæ memoriæ Gossuino episcopo et J... archidiacono Tornacensi, quibus super hoc causa fuerat ab Apostolica Sede commissa, extitit amicabili compositione sopita; sed cum iidem canonici compositionem non servarent eamdem, vos eos super [hoc] coram officiali Tornacensi non ex delegatione Apostolica convenistis, qui definitivam pro vobis sententiam promulgavit, quam a venerabili nostro Waltero Tornacensi episcopo, ut asseritis, approbatam, Apostolico petistis munimine roborari. Nos ergo vestris precibus inclinati, sententiam ipsam, sicut est justa nec legitima provocatione suspensa, auctoritate Apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli, apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Laterani, V nonas martii, pontificatus nostri anno nono.

CIII

Ad archiepiscopum Burdegalensem.

3 martii 1225.

[Regest., lib. IX, epist. 207. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat ei ut abbates prioresque ipsius diœcesis, ad rectoribus ecclesiarum congruam portionem relinquendam cogat.

Honorius, etc.

Tua nobis fraternitas intimavit, quod cum quidam abbates et priores tibi lege diœcesana subjecti tantum percipiunt de bonis parochialium ecclesiarum tuæ diœcesis, in quibus jus obtinent patronatus, earum rectoribus sustentationem congruam, juxta statutum generalis Concilii, non relinquunt. Ideoque mandamus, quatenus congruis provisionibus juxta ipsarum ecclesiarum facultates provida consideratione taxabis, ita quod et earum rectores sustentationem habeant competentem, et monasteria ad quæ spectant solatium competens habeant ex eisdem, provisiones ipsas dimitti facias rectoribus sæpedictis, et ipsos illis facias esse contentos. Contradictores, etc. Datum Laterani, V nonas martii, anno nono.

CIV

Ad Conradum, Portuensem episcopum.

3 martii 1225.

[Regest., lib. IX, epist. 208. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat ei, ut quum quidam monachi Sancti Mansueti Tullensis regularem observantiam non professi in abbatis electionem processissent, ad aliam electionem procedi faciat.

Honorius, etc., venerabili fratri C. Portuensi episcopo, Apostolicæ Sedis legato, salutem et Apostolicam benedictionem.

Per litteras suas, et depositiones etiam testium, quas tua nobis fraternitas destinavit, comperimus evidenter, quod monachi Sancti Mansueti Tullensis regulares observantias non professi quemdam ipsius loci monachum similiter non professum in abbatem suum, contemptis quibusdam ex fratribus suis, qui vocari debebant et poterant, elegerunt. Volentes igitur ut errata per tuæ sollicitudinis studium corrigantur, fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus electionem hujusmodi decernens irritam et inanem, universos ipsius loci monachos ad faciendam professionem, ut debent, monitione præmissa, per censuram ecclesiasticam appellatione remota, compellas, ac demum injungas eisdem ut personam idoneam cum consilio tuo sibi eligant canonice in abbatem. Ad hæc cum sicut intelleximus pleraque sunt in illis partibus monasteria, quorum monachi professionem monasticam non fecerunt, volumus et mandamus, ut eos ad faciendam professionem simili districtione compellas. Datum Laterani, III nonas martii, anno nono.

CV

Ad archiepiscopos, episcopos, abbates, priores, decanos, archidiaconos, officiales, et alios ecclesiarum prælatos.

4 martii 1225.

[Mon. pour servir à l'histoire des provinces de Namur, II, I, 27, n. 21.]

Privilegium quo abbates Cistercienses decimas solvere non tenentur de novalibus sive ante Concilium sive postea acquisitis, neque de hortis, virgultis et aliis.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiscopis

et episcopis ac dilectis filiis, abbatibus, prioribus, decanis, archidiaconis, officialibus et aliis ecclesiarum prælatis, ad quos litteræ istæ pervenerint, salutem, etc.

Cum abbates Cisterciensis ordinis tempore Concilii generalis, ad commonitionem felicis memoriæ Innocentii papæ prædecessoris nostri statuerint, ut de cætero fratres ipsius ordinis, ne occasione privilegiorum suorum ecclesiæ ulterius gravarentur, de alienis terris, et ab eo tempore acquirendis, si eas propriis manibus aut sumptibus colerent, decimas persolverent ecclesiis, quibus ratione prædiorum antea solvebantur, nisi cum eis ecclesiis aliter ducerent componendum; idem prædecessor noster, quia sperabat ut ecclesiarum prælati proniores et efficaciores existerent ad exhibendum eis de suis malefactoribus justitiæ complementum, et eorum privilegia diligentius et perfectius observarent, statutum hujusmodi ratum habens et gratum hoc ipsum ad alios regulares, qui gaudent similibus privilegiis, extendi voluit et mandavit. Sed quod dolentes referimus, in contrarium res est versa. Quia, sicut ex indicata querela abbatum ipsius ordinis frequenter audivimus, nonnulli ecclesiarum prælati et alii clerici eorum privilegia temere contemnentes, et contendentes malitiose ipsorum pervertere intellectum, eos multipliciter inquietant. Nam cum sit ipsis indultum ut de novalibus, quæ propriis manibus aut sumptibus excolunt, sive de hortis, virgultis et piscationibus suis, vel de suorum animalium nutrimentis, nullus ab eis decimas exigere vel extorquere præsumat, quidam perverso intellectu conficto dicentes quod hæc non possunt nec debent intelligi, nisi de his quæ sunt ante dictum Concilium acquisita, ipsos super his multiplici exactione fatigant. Nos igitur eorum quieti paterna sollicitudine providere volentes, universitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus abbates et fratres ejusdem ordinis a præstatione decimarum tam de possessionibus habitis ante Concilium memoratum quam de novalibus, sive ante sive post idem Concilium acquisitis, quas propriis manibus aut sumptibus excolunt, et de hostis et virgultis et piscationibus suis, ac de suorum animalium nutrimentis, singuli vestrum omnino servetis immunes. Datum Laterani, IV nonas martii, pontificat. nostri anno nono.

CVI

Ad episcopum, decanum et thesaurarium Lingonensis diœcesis.

5 martii 1225.

[Regest., lib. IX, epist. 290. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat eis ut A. mulier, quæ S. militi viro suo licentiam religionem intrandi concesserat, ipsa ad monasterium ingredi idcirco cogi non sinant.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri..... episcopo, et dilectis filiis... decano, et thesaurario Lingonensi, salutem et Apostolicam benedictionem.

Significavit nobis A. mulier quod cum ipsa S. militi viro suo coram... decano Sancti Quiriaci Pruvinensis, vice bonæ memoriæ P. archiepiscopi Senonensis in hac parte fungente, licentiam concesserit religionem intrandi, continentiæ tamen voto eidem injuncto, et recepta fide ab ipsa, quod perpetuo contineret, idem decanus post factam professionem a milite antedicto in monasterio in quo habitum assumpserat monachalem, asseruit ipsam debere religionem intrare, quamquam id primo non expressisset eidem, et hoc expresso ipsa illi licentiam non dedisset, ac eam ad hoc per venerabilem fratrem nostrum archiepiscopum Senonensem fecit pluries commoneri, propter quod eadem de consensu dicti archiepiscopi nostrum super hoc consilium imploravit. Quocirca mandamus quatenus, si est ita et est talis ætatis, de qua suspicio haberi non possit; ipsam votum continentiæ observantem, intrare in monasterium compelli non permittatis invitam. Quod si non omnes his exsequendis interesse, etc. Datum Laterani, III nonas martii, pontificatus nostri anno nono.

CVII

Ad abbatem et priorem S. Jacobi, præpositum S. Quiriaci de Pruvino Senonensis diœcesis.

5 martii 1225.

[Regest., lib. IX, epist. 210. Mss. La Porte du Theil.]

Dat eis provinciam causam, quæ inter abbatem Sancti Petri Vivi, et archidiaconum Senonensem vertebatur, terminandi.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis... abbati, et... priori S. Jacobi, et præposito S. Quiriaci de Pruvino, Seno-

nensis diœcesis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Dilecii filii .... abbas et conventus S. Petri Vivi Senonensis sua nobis petitione monstrarunt, quod cum causam, quæ inter ipsos ex parte una, et archidiaconum Senonensem ex altera vertitur, super subjectione, procurationibus, et aliis, quæ idem archidiaconus exigit ab eisdem... abbati Aremarensi, Trecensis diœcesis... archidiacono, et... decano Sancti Stephani Trecensis, de consensu partium dudum sub certa forma duxerimus committendam, dictis judicibus prætextu quorumdam articulorum, quos dubios asserebant procedere differentibus, nos dubitationes dilucidantes ipsorum eis semel, et secundo dedimus in mandatis, ut illis nequaquam obstantibus procederent juxta traditam sibi formam; sed ipsi nihilominus malitiose procedere differentes, negotium ipsum tenuerunt jam per biennium in suspenso in dictorum abbatis et conventus præjudicium et gravamen. Volentes igitur ut finis litibus imponatur, nostris eis dedimus litteris in præceptis, ut infra tres menses post receptionem earum, juxta traditam sibi formam finaliter in negotio memorato procedant. Ideoque districte mandamus, quatenus si dicti judices infra tempus præscriptum mandatum nostrum neglexerint adimplere, vos ex tunc juxta formam eamdem in ipso negotio procedentes, illud, appellatione remota, fine debito terminetis. Quod si non omnes, etc. Datum Laterani, III nonas martii, anno nono.

Illis scriptum est *in eumdem fere modum usque* procedatis, verbis competenter mutatis. Alioquin dilectis filiis... abbati et... priori Sancti Jacobi et... præposito Sancti Quiriaci de Pruvino, Senonensis diœcesis nostris damus litteris in mandatis, ut ipsi ex tunc juxta eamdem formam in ipso negotio procedentes, illud fine debito, sublato appellationis impedimento, decidant. Datum *ut supra.*

CVIII

Ad archiepiscopum Burdegalensem.

6 martii 1225.

[Regest., lib. IX, epist. 206. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat ei, ut abbates prioresque monasteriorum ipsius diœcesis ad revocandos monachos, qui solitarii in ecclesiis quibusdam degebant, cogat.

Honorius, etc., venerabili fratri... Burdegalensi archiepiscopo, salutem et Apostolicam benedictionem.

Ex parte tua fuit propositum coram nobis, quod nonnulli monachi lege tibi diœcesana subjecti, in quibusdam prioratibus habitant solitarii contra statutum Concilii generalis. Ideoque fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus ipsorum monachorum abbates, seu priores, ut vel ipsos ad claustrum revocent, facientes in ipsis ecclesiis deservire per clericos sæculares vel alios monachos eisdem associent, cum quibus vitam possint ducere regularem, monitione præmissa, per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, compescas, proviso quod ad exemptos manum occasione mandati hujus modi non extendas. Datum Laterani, II nonas martii, anno nono.

CIX

Ad abbatem et conventum monasterii Laureacensis.

7 martii 1225.

[Wirtemburg. Ub., III, 168, n. 689.]

Abbatem et conventum monasterii Laureacensis [Lorch] cum omnibus bonis sub beati Petri et sua protectione suscipit.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis... abbati et conventui monasterii Laureacensis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Sacrosancta Romana Ecclesia devotos ac humiles filios ex assuetæ pietatis officio propensius diligere consuevit, et, ne pravorum hominum molestiis agitentur, eos tanquam pia mater suæ protectionis munimine confovere. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, personas vestras et locum in quo divino estis obsequio mancipati, cum omnibus bonis quæ in præsentiarum rationabiliter possidetis, aut in futurum justis modis, præstante Domino, poteritis adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus. Specialiter autem possessiones, terras ac alia bona vestra, sicut ea omnia juste, canonice ac pacifice possidetis, vobis et per vos monasterio vestro auctoritate Apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ protectionis et confirmationis infringere, vel

ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani, nonas martii, pontificatus nostri anno nono.

CX

Ad præpositum, officialem et pœnitentiarium Ambianenses.

7 martii 1225.

[Regest., lib. IX, epist. 226. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat ut consuetudinem qua usurarii Peronenses positi in extremis non nisi tertiam usurarum partem restituebant, abrogent.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis... præposito... officiali, et... pœnitentiario Ambianensibus, salutem et Apostolicam benedictionem.

Dilectus filius... decanus Peronensis nobis insinuare curavit, quod usurarii Peronenses positi in extremis non nisi tertiam partem restituunt usurarum, excusantes se prætextu consuetudinis suæ, quæ corruptela est potius, quam consuetudo dicenda. Ideoque mandamus, quatenus hujusmodi consuetudinem tanquam divino et humano juri contrariam, denuntietis penitus nullam esse. Quod si non omnes, etc. Datum Laterani, nonis martii, anno nono.

CXI

Ad magistrum et fratres ordinis Prædicatorum.

7 martii 1225.

[Ripolli, Bullar. Prædicat., I, 16, n. 32.]

Indulget ut commissiones a Sede Apostolica vel delegatis ejus aut quibuslibet aliis ipsis factas minime teneantur recipere.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis magistro et fratribus ordinis Prædicatorum, salutem, etc.

Quieti vestræ providere volentes, auctoritate vobis præsentium indulgemus, ut commissiones a Sede Apostolica, vel delegatis ejus, seu quibuslibet aliis vobis factas non teneamini contra vestram recipere voluntatem. Nulli ergo omnino hominum, etc. Datum Laterani, nonis martii, pontificatus nostri anno nono.

CXII

Ad episcopum Ambianensem.

7 martii 1225.

[Mss. latins, collect. Moreau, t. MCLXXXIII, p. 174, Biblioth. Nationale.]

Johannem de Lens, clericum dictum Audati Atrebatensis diœcesis ipsi commendat, ut eum præbendali beneficio in ecclesia sua provideat.

Honorius, etc., venerabili fratri... episcopo Ambianensi, salutem et Apostolicam benedictionem.

Etsi ad provisionem cunctorum qui clericali militiæ sunt adscripti ex officii nostri debito intendere debeamus, illis tamen curam nos decet impendere specialem, qui potioribus meritis adjuvantur. Hinc est quod fraternitatem tuam attente rogandam duximus et hortandam, per Apostolica tibi scripta præcipiendo mandantes, quatenus dilecto filio Johanni de Lens, clerico dicto Audati Atrebatensis diœcesis, cui de moribus et scientia testimonium laudabile perhibetur; cum sicut asserit nullum sit ecclesiasticum beneficium assecutus, in tua ecclesia provideas in beneficio præbendali, si vacat ibidem ad præsens : alioquin cum obtulerit se facultas, non obstante, si forte ad mandatum nostrum alii providisti, cum nil depereat ipsius ecclesiæ, si vir idoneus in eadem fuerit institutus. Taliter autem nostrum cures adimplere mandatum, quod idem clericus, qui nostram gratiam expectando multos labores, ut novimus, substinuit et expensas, tandem gratum ex suo labore fructum se recepisse lætetur et nos caritatem tuam debeamus in Domino commendare. Datum Laterani, nonis martii, pontificatus nostri anno nono.

CXIII

Ad decanum et capitulum ecclesiæ S. Willehadi Bremensis.

7 martii 1225.

[Emch, Bremisch. Urk., I, 156, n. 135.]

Eos sub beati Petri et sua protectione suscipit.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis decano et capitulo ecclesiæ Sancti Willehadi, salutem et Apostolicam benedictionem.

Justis petentium desideriis dignum est, nos facilem præbere consensum et vota,

quæ a rationis tramite non discordant, effectu prosequente complere. Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris justis precibus inclinati, personas vestras et locum, in quo divino estis officio mancipati, cum omnibus bonis, quæ in præsentiarum rationabiliter possidet aut in futurum justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus : specialiter autem possessiones et alia bona ecclesiæ Sancti Willehadi, sicut ea omnia juste ac canonice possidet et quiete, vobis et per vos ipsi ecclesiæ auctoritate Apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ protectionis et confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum et actum Laterani, nonis martii, pontificatus nostri anno nono.

CXIV

Ad abbatissam et conventum Fontis Ebraudi.

10 martii 1225.

[Regest., lib. IX, epist. 238. Mss. La Porte du Theil.]

Privilegium ipsis a Lucio Papa concessum et cujus tenor hic insertus auctoritate Apostolica confirmat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis in Christo filiabus.... abbatissæ, et conventui Fontis Ebraudi, salutem et Apostolicam benedictionem.

Quanto in vestræ religionis odore amplius delectamur, tanto libentius vobis prospicimus, vestris præcavemus indemnitatibus, et dispendiis obviamus. Cum itaque in causis pro vobis, et contra vos emergentibus originalia, quæ habetis, privilegia vos oporteat exhibere, cum eorum exemplariis non credatur, quod minus tutum vobis proponitis, cum casus fortuiti, qui diversi sunt quidem, et varii prævideri non possint, suppliciter et humiliter postulastis a nobis, ut faceremus saltem privilegium, quod habetis a bonæ memoriæ Lucio Papa prædecessore nostro, transcribi, auctoritatem transcripto hujusmodi ut pro authentico in causis recipi debeat impendendo. Nos autem vestris supplicationibus annuentes et vestris volentes indemnitatibus præcavere, transcribi fecimus de verbo ad verbum privilegium supradictum et ejus transcripto auctoritatem, qui eo in controversiis sicut originali pro authentico ubi possitis de potestatis plenitudine impertimur. Præfati autem privilegii tenor est talis :

Lucius episcopus, servus servorum Dei, dilectis in Christo filiabus Giliæ abbatissæ monasterii Fontis Ebraudi, ejusque sororibus tam præsentibus quam futuris, regularem vitam professis in perpetuum. Prudentibus virginibus, quæ sub habitu religionis accensis lampadibus per opera sanctitatis se præparant ire obviam sponso, Sedes Apostolica debet præsidium impertiri, ne forte cujuslibet temeritatis incursus aut eas a proposito revocet, aut robur, quod absit, sacræ religionis infringat. Eapropter, dilecta in Domino filia Gilia, tuis justis postulationibus clementer annuimus, et præfatum monasterium S. Mariæ Fontis Ebraudi, quod utique specialiter sub beati Petri jure ac protectione consistit, cui etiam Deo auctore præesse dignosceris, antecessorum nostrorum vestigiis inhærentes, sub beati Petri et nostra protectione, etc., usque communimus, statuentes ut quascumque possessiones, etc., usque illibata serventur. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis :

Locum ipsum in quo præfatum monasterium situm est cum omnibus pertinentiis suis. Locum qui dicitur Braieræ cum omnibus pertinentiis suis, ex dono Aimirici prioris et omnium fratrum ejusdem loci, concedente hoc Tolosano episcopo. Locum Paradisi ex dono Fortis de Bec, et Amanis de Paradiso cum uxore et filiis suis, concedente hoc Raimundo Agennensi episcopo. Locum de Fontanis ex dono comitis Theobaldi, concedente hoc Burchardo, Meldensi episcopo. Terram desertam quam idem Burchardus, Meldensis episcopus, præfato monasterio ex dono eo tenore concessit, ut de singulis Carrucatis duodecim denarii pro censu Meldensi ecclesiæ singulis annis persolverentur. Locum de Fontanis, qui est in Petragoricensi episcopatu ex dono Bernardi Sancti Asterii, et Heliæ Guiberti, et Boniscurti, necnon Arnaldi de Gancelia, et Heliæ de Marrolio, Heliæ de Castellione, et alio-

rum plurium, concedente Villelmo Petragoricensi episcopo. Locum pontis Sagii, et pontis Chanionis et pontis de Sueto, ex dono Fulconis, comitis Andegavorum. Locum Cremeliæ ex dono Heliæ Thisi, et Benedicti de Mauritania, et Bernardi de Porcellana, concedente hoc Petro, Xanctonensi episcopo. Locum Cerasorum ex dono Guofredi vicecomitis Thoarcensis, et uxoris, ac filiorum suorum, concedente hoc Aimerico Heberti filio. Insuper etiam decimas frumentationum ejusdem Goffredi vicecomitis, quæ in proprietate sua erant. Locum castelli Leubaldi et Roort, ex dono Petri Tronell de Sancto Herminio, et Hugonis fratris ejus. Guit de Radulfi, de Nison et quorumdam aliorum. Boscum Guverii ex dono Petri de Alperesio, et marchisiæ uxoris ejus, concedente Normanno de Mollicampo, et aliis omnibus ad quos prædictus locus pertinebat. Boscum Tollentisviam ex dono Garsion de Machatol, et Ascott, filii sui, consentiente Petro Mat. Locum montis Gaugerii, ex dono Hersendis de Parato, et W. Sanson. Boscum Gervazai ex dono Norm. de Thabane et Petri Rufi. Montem Bertin, ex dono W. Millon, concedente hoc W. de Pinett. Locum Thaconar ex dono Aselini de Aureis vallibus, et Petri filii Drogon.

Locum Porrariæ ex dono Johannis de Bello Monte, et decimam molendinorum suorum, atque cellarii, suis concedentibus filiis. Locum Vallienorum, et Terram Villenovæ ex dono Rodinat, Clararriaci, Idesti de Mirobett, concedente hoc W. de Pinett. Locum Capreolorum ex dono Carbonelli de Chediehe. Locum Garriaci, ex dono W. de Mirobett, et Degani fratris ejus. Locum Aseai ex dono ducis Ramfredi, Areand, Bellodi de Claris vallibus, Ribotelli de Aia, et fratris sui. Locum Fontis Alerii ex dono Alexandri de Popenaria, et Alexandri de Herberiamento. Locum Regreperie ex dono Maurici puelli, et Divez de Gallieula. Locum Asinarum ex dono Guidonis Pictavensis et Gofredi Malummat, et ex concessione Rolland. Satariæ, et sororis ejus, Gofridi de Pogio, Aloris filii ejus, et Giraldi Berlai. Locum Sancti Karilefi ex dono Kalon. de Blason, et ea quæ ad ipsum locum pertinent, necnon ea quæ donata sunt eidem monasterio Fontis Ebraudi a Goffredo de Doe, et Gricha matre ejus, et Philippi de Blason. Locum Malthai ex dono Alberici de Monte Johe, boscum et terram quæ est juxta illum, et molendinum ex dono Ogisi et Ofredi fratis ejus. Locum Valentha donatum ab Aimerico de Passavant, et Ramaldo de Sensajo, et Petro Bloio. Locum Ramon ex dono Goffredi Vosett, et casamenta quæ ibidem erant ab eodem Goffredo Ursel, et W. Xanctonensi concessa, atque donata. Locum Colingentiarum ex dono Aalot, et Alberici filii ejus, et quicquid in eodem Adam filius Guarini habuit ex dono ipsius vobis concessum, Philippo fratre ejus, et G. vicecomite cum uxore, et filio suo Petro ad ipsum concedentibus, et quicquid est in loco Sibrei ex dono Amauri de Mexten. Terram planatam, et exempla ex dono Huinard de Mestulo, et fratris ejus ac matris, concedentibus hoc Nivard de Satollo et Amarico de Monteforti, de cujus feudo terra illa erat. Decimam insuper, quæ ad prædictum locum pertinet, et terram Acteris ex dono Simonis de Novalto et uxoris ac filiarum ejus. Locum Fraction ex dono Hugonis filii Aimerici. Locum Fontis Olberti ex dono Roberti præpositi Mauritaniæ, et Pugo de Landa. Partem unam loci de Bellomer ex dono Rich. de Sancto Victore; alteram quoque ejusdem loci partem ex dono de Belloni, concedente Gervasio de Castillion.

Terram quoque ad unam carrucam in Terrario vallis Girmundi, et molendinum, et stagnum ejusdem loci ex dono Hugonis de Castello Novo, et octo solidos pro censu in Castello Novo per singulas hebdomadas ex dono Mabita, matris ejusdem Hugonis. Vineas quoque in Castello Novo ex dono ejusdem Mabita. Terram ad unam Carrucam in foresta Cortesiæ ad Capellas, ex dono supradicti Hugonis, patre et matre sua concedentibus. Locum Crothesiorum ex dono Guilli Joett., concedente hoc Ugone filio Gervasii de Castello. Item sexaginta solidos pro censu in burgo de Villa Per., singulis annis ex dono Ugonis de Merer villa, concedente Guidone comite de Mellad, de cujus feudo census erat. Locum Belli Loci ex dono Chotard archidiaconi et Chotard camerarii. Locum Ursam ex dono Aleardi Villebaudi, concedente hoc Rad. de Dol., de cujus feudo prædictus locus erat. Locum Foresii ex dono Adelidis de Campis, consentiente comite Tho. de cujus feudo erat. Præterea centum marcos annuos ex dono

Henrici illustris Anglorum regis, sexaginta de redditu ejus de Londonia de firma civitate, et quadraginta de firma civitatis Winton. Insuper autem consuetudines illas, quas nobilis vir Willelmus, Pictavorum comes, habebat in foresta de Argent, ecclesiæ Fontis Ebraudi contulit, et locum magistri Giliberti de Boseo de Casa cum pertinentiis suis, quæ idem Gilibertus in Castellaria de Casa et Castell. ex Sareiorum fidelium largitione acquisierat, et tenebat, obedientiam de Cupario, et obedientiam quæ est in foresta de Monte Rivel apud ex Sareio Hyon, et octo solidos censuales Andegavensis monetæ qui fiunt de tribus Bordelleriis apud Bellum Praell, et Brancam Curvam et de Jaiberalt.

Præterea molendina de Mirobelt in casamento regis apud Bituni existentia, quæ Archimbaud. de Soliac et filius ejus Gilo obedientiæ vestræ de Vesanno rationabiliter concesserunt, et bonæ memoriæ Ludovicus quondam illustris Francorum rex, de cujus feudo fuerant scripti tui pagina roboravit secundum tenorem, qui in ejus scripto authentico continetur vobis nihilominus confirmamus. Si quis vero fidelium devotionis intuitu aliquem locum vobis contulerit, in quo oratorium velitis construere ad vestram postulationem aquam benedictam, et alia competentia vobis ecclesiastica sacramenta archiepiscopi et episcopi in quorum parochia idem locus fuerit episcopalis officii debito vobis absque molestia largiantur.

Sane novalium vestrorum, etc., *usque* præsumat. Quemadmodum autem vos ab omni exactione liberas esse statuimus, ita etiam servientes vestros absque inquietudine obsequiis vestris libere vacare censemus, ut dum in servitio vestro permanserint multi sacerdotum ad quorum parochia spectare noscuntur, fas sit eos ad oblationem sibi exhibendam compellere, vel ad sepulturam contra eorum recipere voluntatem, sed potius si apud vos sepeliri elegerint, liberum sit capellanis vestris ad confessionem recipere, pœnitentiam dare, eosque tradere sepulturæ. Sepulturam quoque ipsius loci, etc., *usque* assumuntur. Has sane indulgentias non solum ad vos in capite, sed ad alia etiam monasteria ordinis vestri, quæ ad minus triginta, vel quadraginta sanctimonialium, vel amplius habere conventum, vestrumque ordinem servare noscuntur decernimus pervenire. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum, etc., *usque* profutura, salva Sedis Apostolicæ auctoritate. Ad indicium autem hujus a Sede Apostolica perceptæ libertatis, et quod præfatum monasterium sit juris beati Petri unum aureum nobis nostrisque successoribus annis singulis persolvetis. Si qua igitur in futurum, etc., *usque* subjaceat. Cunctis, etc., *usque* inveniant. Amen.

Nulli ergo, etc., hanc paginam nostræ concessionis, etc. Si quis autem, etc. Datum Laterani, VI idus martii, anno nono.

CXV

Ad H. Burdegalensem et magistrum J. Barat. Cathalaunensem archidiaconum et cantorem Cathalaunensem.

12 martii 1224.

[Regest., lib. IX, epist. 291. Mss. La Porte du Theil.]

Dat ei provinciam informandi de iis quæ Th. comes Campania in civitate Trecensi contempta libertate ecclesiastica attentaverat, et veritatem ad Sedem Apostolicam referendi.

Honorius, etc., dilectis filiis H. Burdegalensi, et magistro J. Barat Cathalaunensi archidiacono, et... cantori Cathalaunensi, salutem et Apostolicam benedictionem.

Gravem venerabilis fratris nostri... episcopi Trecensis recepimus quæstionem, quod cum jurisdictio clericorum suæ diœcesis, et aliorum etiam, qui delinquunt in civitate Trecensi, pertineat ad eumdem, nobilis vir Th. comes Campaniæ, sicut convenit, non attendens quod laicis super ecclesiis, personis, vel rebus ecclesiasticis nulla sit attributa potestas, quos obsequendi manet necessitas non auctoritas imperandi, hujusmodi jurisdictionem ejus enervans quemdam clericum, quem in mortem suam machinatum esse dicebat, nuper in contemptum Dei et ecclesiasticæ libertatis per suos fecit captivari balivos, quem cum idem episcopus a dicto comite ore proprio requisisset, et paratus esset, cognita veritate, de ipso festinatam justitiam exhibere, prout ad episcopale officium pertinebat, idem comes id efficere non solummodo non curavit, verum etiam clericum ipsum, cum apparebat corona, eodem episcopo in civitate morante, ausu sacrilego distrahi fecit equis, et postmodum in publico foro suspendi mul-

tis præsentibus, qui astabant; quare a nobis humiliter postulabat, ut, cum hæc attentata sint in enervationem jurisdictionis ipsius, [ac in] derogationem ecclesiasticæ libertatis enormem, et contemptum ordinis clericalis, ei, et ecclesiæ sibi commissæ providere super hoc misericorder dignaremur. Quia vero hæc si vera sunt, conniventibus oculis pertransire nec volumus, nec debemus, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus ad civitatem Trecensem personaliter accedentes, inquiratis super præmissis quæ comite memorato attentata dicuntur in præjudicium ecclesiasticæ libertatis diligentissime veritatem, et quæ super his contra dictum comitem, quam pro ipsius defensione proposita fuerint coram vobis, fideliter redigentes in scriptis sub vestris sigillis ad nostram præsentiam transmittatis, ut per vestram relationem instructi, securius in ipso negotio procedamus. Testes autem, etc. Quod si non omnes, etc. Datum Laterani, IV idus martii, anno nono.

CXVI

Ad abbatem et monasterium de Camberone.

15 martii 1225.

[Monuments pour servir à l'hist. des prov. de Namur, II, I, 28, n. 22.]

Ne auctoritate Apostolicarum litterarum de causis compellantur cognoscere litigantium vel extra duas diætas extra diœcesim trahi possint in causam.

Quum contemplationi vacantibus, ut videant quam suavis est Dominus, eo sit periculosior evagatio quo a suo proposito alieni patiuntur facilius insidias inimici, nos quieti vestræ paterna sollicitudine providere volentes, ne auctoritate litterarum nostrarum de causis compellanimi cognoscere litigantium vel extra duas diætas extra diœcesim, in qua monasterium vestrum constitit, trahi possitis in causam, auctoritate vobis præsentium indulgemus, nisi forte impetratæ a Sede Apostolica litteræ plenam de indulgentiis hujusmodi fecerint mentionem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ inhibitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani, idibus martii, anno nono.

CXVII

Ad Vaciensem et Agriensem episcopos.

17 martii 1225.

[Fejer, Cod. diplom., III, II, 27.]

Eos monet ut inducant capitulum Strigoniense, ut infra mensem post susceptionem litterarum Apostolicarum in personam idoneam per electionem vel postulationem conveniant.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus, ... Vaciensi et..... Agriensi episcopis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Duabus postulationibus, una videlicet de venerabili fratre nostro Cenadiensi, reliqua vero de venerabili fratre nostro Nitriensi, episcopis, in Strigoniensi ecclesia celebratis, quum nullam earum invenerimus esse canonicam, et in tanta contradictione non consueverit postulatio, quæ, si etiam concorditer fieret, plus gratiam, quam jus requirit, admitti; neutram de fratrum nostrorum consilio duximus admittendum. Nos autem facientes capitulo Strigoniensi hac vice gratiam, licet de juris rigore a nobis aliter fieri potuisset, universitatem eorum monemus, nostras eis dantes litteras in mandatis, ut infra mensem post susceptionem earum, Deum habendo præ oculis, in personam idoneam, quæ tanto congruat oneri et honori, per electionem seu postulationem liberam et canonicam, juramento quolibet hinc inde præstito, per quod libera impediatur electio, non obstante, curent, invocata Spiritus Sancti gratia, convenire, ita quod non videamur eis in præjudicium Strigoniensis ecclesiæ detulisse; neque providere cogamur eidem ecclesiæ per nos ipsos. Quocirca fraternitatem vestram monemus, quatenus personaliter accedentes ad locum, eos ad id diligentius monere, ac inducere procuretis. Datum Laterani, XVI kalendas aprilis, pontificatus nostri anno nono.

CXVIII

Ad abbatem Cisterciensem, Cabilonensis diœcesis, et priorem S. Marcelli, et S., archidiaconum Cabilonensem.

18 martii 1225.

[Regest., lib. IX, ep. 243. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat eis ut inhibeant ne capitulum capellæ ducis Divionensis contempta excommunicatione ab episcopo Lingonensi in ipsos lata, prætextu privilegiorum suorum, celebrare præsumant.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis... abbati Cisterciensi, Cabilonensis diœcesis, et... priori S. Marcelli, et S., archidiacono Cabilonensi, salutem, etc.

Significavit nobis venerabilis frater noster... episcopus Lingonensis quod quando villam Divionensem existente justitia subjicit interdicto... decanus, et capitulum capellæ ducis ejusdem loci suæ diœcesis, dicentes se ad Romanam Ecclesiam specialiter pertinere, non solum interdictum ejus observare contemnunt, verum etiam solemnius solito, pulsatis campanis, apertis januis, et excommunicatis ac interdictis admissis, divina celebrare præsumunt, cum etiam si eos esse constaret exemptos, nullis tamen exemptis concedi soleat privilegium celebrandi taliter tempore interdicti. Ideoque mandamus, quatenus facientes vobis ipsorum privilegia exhiberi, inhibeatis eisdem ne super hoc de cætero attentare præsumant, ultra quam eis per ipsa privilegia est concessum, eos, si contra prohibitionem hujusmodi attentare præsumerent, ad nostram venire præsentiam cum privilegiis ipsis per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescatis, ut privilegiis eisdem inspectis statuamus super hoc quod fuerit statuendum. Quod si non omnes his exsequendis interesse potueritis, duo vestrum ea nihilominus exsequantur. Datum Laterani, XV kalendas aprilis, anno nono.

CXIX

Ad Sigfridum archiepisc. Maguntinum.

20 martii 1225.

[Boczek, Cod. diplom. Moraviæ, II, 160, n. 159.]

Eum graviter reprehendit quod Peregrinum electum Pragensem contra mandatum Apostolicum consecraverit. Mandat ut dictum Peregrinum in festo S. Michaelis proximo faciat personaliter venire ad Sedem Apostolicam.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri... archiepiscopo Maguntino, salutem et Apostolicam benedictionem.

Nimis grave dispendium immineret ecclesiis, si prælatis decedentibus perirent quoque prosecutiones causarum incœptarum pro tuitione juris et honoris ecclesiastici ab eisdem. Attendentes siquidem illius zeli fervorem et illam mentis constantiam, quam bonæ memoriæ Andreas, Pragensis episcopus, habuit et exhibuit in prosecutione ecclesiasticæ libertatis, pro qua laboribus et propriæ personæ abjectione contemptis usque ad ultimum vitæ diem indefesso animo decertavit, ac satagentes ut talis substitueretur eidem, qui causam quam prosequi sic constanter incœperat pari vigore animi susciperet prosequendam, mandamus Pragensi capitulo, ut cum consilio dilectorum filiorum... de Nepomuc Cisterciensis ordinis et de... Ostrov abbatum et... præpositi Olomucensis, quos eis provideramus consiliarios in hac parte, personam scientia, vita et fama præclaram tantoque congruentem oneri et honori, sibi eligerint canonice in episcopum et pastorem, ac ne quid deesset necessarie providentiæ illum quem in episcopum suum eligerent, cum aliquod ex electoribus ejus ad nostram examinandum et confirmandum præsentiam destinarent. Tibi quoque dedimus in mandatis, ut id æquanimiter tolerares, cum nostræ intentionis non esset derogare juri tuo in aliquo vel honori, sed providere sicut status temporis exigebat, ut dignum haberet idem episcopus successorem. Ipsi vero, antequam ad eos mandatum Apostolicum pervenisset, P. canonicum ipsius ecclesiæ in episcopum suum, sicut accepimus, elegerunt, tuque ipsorum electionem, nondum recepto mandato Apostolico, confirmasti. In quo quidem non es aliquomodo culpabilis, dummodo universa quæ debent in electi persona et ipsa electione concurrant; quod non consuevisti satis diligenter attendere, sicut Paderburnensis ecclesiæ negotium manifestat. In eo autem es plane ac plene culpabilis et inexcusabilis prorsus, quod postquam prædictum recepisti mandatum, ad consecrationem ejus procedere præsumpsisti, cum scire deberes majus tibi concessum non esse, ubi minus nobis reservatum fuerat et tibi per consequens interdictum. Pœnam autem excessus hujusmodi suo loco et tempori reservantes, per Apos-

tolica tibi scripta firmiter præcipiendo mandamus, quatenus dictum P. in festo S. Michaelis proximo, quod sibi a te volumus terminum peremptorium assignari, ad nostram facias personaliter venire præsentiam, eumdem ad id, si necesse fuerit, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compellatis, omni alienationis genere eidem interim penitus interdicto, præceptum nostrum saltem in hoc ita sollicite impleturus, quod in te videatur aliqua devotionis et obedientiæ scintillula relucere. Datum Laterani, XIII kal. aprilis, pontificatus nostri anno nono.

CXX

Ad archiepiscopum Rhemensem, abbatem S. Nicasii, et archidiaconum Rhemensem.

20 martii 1225.

[Regest., lib. IX, epist 242. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat eis ut super querelas capituli Sanctæ Nutricis, qui de incommoditate situs ipsorum ecclesiæ querebantur, quod justum visum fuerit, statuant.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri... archiepiscopo et dilectis filiis... abbati Sancti Nicasii, et... archidiacono Rhemensi, salutem et Apostolicam benedictionem.

Significantibus dilectis filiis capitulo Sanctæ Nutricis Rhemensis nos noveritis accepisse, quod locus in quo eorumdem ecclesia noviter est fundata a civitate Remensi usque adeo est remotus, neque ipso naturali situ ad construendum ineptus pariter, et angustus, ut propter incommoditates hujusmodi nova ipsius ecclesiæ fabrica nedum, quod valeat ampliari, sed vix etiam bene cœpta pene penitus negligatur; propter quod contingit interdum, ut dum clerici de civitate illuc propter loci distantiam commode nequeant convenire, quia nec possunt propter mansionum defectum inibi congrue residere, locus ipse debito servitio defraudatur. Quare a nobis humiliter postulabant, ut cum ecclesiam ipsam expediret potius ad locum magis idoneum, et civitati vicinum transferri, quam sic eam cum tanta incommoditate relinqui, providere super hoc misericorditer dignaremur. Nos igitur de discretione vestra plenam fiduciam obtinentes negotium memoratum vobis, qui de ipso, et ejus circumstantiis universis intelligere poteritis plenius veritatem, duximus committendum discretioni vestræ, per Apostolica scripta mandamus, quatenus super præmissis inquisita diligentius veritate, super his cum consilio, et assensu Remensis capituli statuatis, quod honori et utilitati ejusdem ecclesiæ secundum Deum videritis, si sine scandalo fieri poterit expedire, facientes, quod statueritis auctoritate Apostolica, sublato appellationis obstaculo, firmiter observari. Quod si non omnes, etc. Datum Laterani, XIII kalendas aprilis, anno nono.

CXXI

Ad episcopum Pictavensem.

20 martii 1225.

[Regest., lib. IX, epist. 280. Mss. La Porte du Theil.]

Facit ei specialiter potestatem excessus subditorum suorum corrigendi.

Honorius, etc., venerabili fratri... episcopo Pictavensi, salutem, etc.

Licet ad corrigendum subditorum tuorum excessus auctoritate procedere valeas ordinariæ potestatis, ut tamen, auctoritatis nostræ vigore suffultus, liberius eos corrigere valeas, et tuus reverentius observaretur in corrigendo processus, cum plus timeri soleat, quod specialiter indulgetur, quam quod edicto concludere generali, nos fraternitatis tuæ precibus inclinati, præsentium tibi auctoritate concedimus, ut cum ecclesiarum prælati ad corrigendum subditorum excessus maxime clericorum debeant diligenter intendere, ne sanguis eorum de suis manibus requiratur, et provideri expediat, unde correctionis et reformationis officium valeat efficacius exerceri, non obstante frivolæ appellationis objectu quam sæpe subjecti, ut correctionem valeant eludere, prælatorum contra disciplinam ecclesiasticam interponunt, libere corrigere, ac reformare valeas, quæ circa prælatos, et subjectos, sive religiosos diœcesano tibi jure subjectos, correctionis et reformationis officio noveris indigere, ita tamen, quod hoc non majoris auctoritatis cupidine, sed zelo videaris justitiæ postulasse. Nulli ergo, etc., hanc paginam nostræ concessionis, etc. Si quis autem, etc. Datum Laterani, XIII kalendas aprilis, anno nono.

CXXII

Ad archiepiscopum Ebredunensem.

20 martii 1225.

[Regest., lib. IX, epist. 245. Mss. La Porte du Theil.]

Excommunicationem sententiasque ab ipso in episcopi Glandentensis interfectores latas auctoritate Apostolica confirmat.

Honorius, etc., venerabili fratri... archiepiscopo Ebredunensi, salutem, etc.

Tam tua, quam suffraganeorum tuorum necnon et abbatum Ebredunensis provinciæ nobis fuerunt nuper litteræ præsentatæ, plenæ quidem gemitu, amaritudine ac dolore. Stupuimus itaque intellectis prædictis litteris pro atrocitate criminis tam horrendi, et hujus doloris gladius, dum multo propter hoc sumus affecti mœrore, nimia confossi tristitia transit per nos ipsos. Per litteras enim easdem accepimus quod cum bonæ memoriæ Glandentensis episcopus suffraganeus tuus suam diœcesim visitaret, quasi Satan affuit inter alios quidam filius Belial Salvagnus nomine diœcesis memoratæ, qui eum in nullo culpabilem a diabolo concitatus, impio furore peremit. Hic quoque die, quo secum comederat invitatus ab ipso, ut qui edebat panes suos, ampliaret adversus eum supplantationem, in cœmeterio, et juxta ostium cujusdam ecclesiæ, ut ibi mortem reciperet, ubi requiri consueverat auctor vitæ, pastore suo et spirituali patre necato, crudelior Cain fratricida, episcopalem maculavit fuso sanguine dignitatem.

Ad vocem ergo cruoris effusi contra scelestum illum et flagitiosum de terra clamantis, tu et prædicti suffraganei, et abbates in tam funesta Pontificis pernicie obstupentes, et quasi parturientes inter angustias præ immensitate doloris, rectitudinis zelo succensi, excommunicastis sceleratum illum cum omnibus qui consilium et auxilium in hoc præbuerunt sive præbebunt, nisi correctionem eidem, vel ipsum etiam receptabunt, ita quod tales nonnisi per Sedem Apostolicam absolutionis possint beneficium obtinere, hominibus et terra homicidæ prædicti districto suppositis interdicto; statuentes nihilominus quod ad quemcumque locorum ejusdem provinciæ idem malefactor advenerit, die quo applicuerit et sequenti in ecclesiis ipsius loci præter pœnitentiam, baptismum, et Eucharistiam in extremis, omnia sacramenta ecclesiastica denegentur.

Ab instanti præterea mense augusti in ultionem sanguinis innocentis effusi, nemo villam inhabitabit, in qua præfatus episcopus est occisus : quod ejus incolæ in detestationem sceleris approbarunt. In ecclesia insuper ipsius villæ cum pontificis sanguine maculatus sit locus, et factus quasi anathema, pro commissi horribilitate peccati, ne ipsum reædificare vel inhabitari contingeret, nulli erit licitum divina officia celebrare : quod si quisquam post prædictum mensem inhabitaverit locum eumdem, vel destructum reædificare præsumpserit, a communione corporis et sanguinis Domini et aliorum sacramentorum perceptione, ac ingressu Ecclesiæ, donec reædificatum destruat, et locum ipsum derelinquat, omnino alienus existat. Nos autem tuum et eorumdem suffraganeorum ac abbatum rectitudinem, ardorem et zelum in Domino commendantes, processum hujusmodi duximus approbandum, fraternitati tuæ auctoritate præsentium injungentes, quatenus illum, sublato appellationis impedimento, per censuram ecclesiasticam facias inviolabiliter observari. Datum Laterani, XIII kalend. aprilis, anno nono.

CXXIII

Ad priorem et capitulum B. Radegundis Pictavensis.

22 martii 1225.

[Regest., lib. IX, epist. 279. Mss. La Porte du Theil.]

Indulget eis ut corpus B. Radegundis elevare possint.

Honorius, etc., dilectis filiis... priori, et capitulo beatæ Radegundis Pictavensis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Gaudetis, et exultatis, ut dicitis, sicut vobis non immerito est gaudendum, quoniam ecclesia vestra meruit sacratissimum corpus beatæ Radegundis habere, ac ex hoc inter alias ecclesias illustrari. Verum quanto devotionis fervore ipsius memoriam veneremini volentes ostendere in effectu desideratas ejus reliquias honorabilius collocare, cum decens esse noscatur eam quantum in nobis est exaltare in terra, quam in cœlo Dominus exaltavit. Ex vestra sane re-

latione didicimus, quod corpus ipsius sub majori altare ejusdem ecclesiæ in quadam tumba sub clavium duarum custodia, quarum una per abbatissam Sanctæ Crucis Pictavensis, et per vos altera custoditur conditum requiescit. Vos itaque putantes indignum si muneris tam pretiosi thesaurus cum eo quo decet honore, ac reverentia non condatur, cum considerata gloria meritorum sanctæ prædictæ ipsius venerandæ reliquiæ injuriæ quodammodo expositæ videantur, proponitis si de nostra sit permissione eas in præfato altari, ubi melius erunt atque decentius, collocare devote ac recondere reverenter. Quare humiliter supplicastis ut vobis id faciendi licentiam pro ejusdem Sanctæ reverentia concedere dignaremur. Nos vero pium, et laudabile vestrum propositum attendentes, præsentium vobis auctoritate concedimus, ut easdem reliquias de præfata tumba, cum ea, quæ convenit, devotione levantes, eas in eodem altari honorifice recondatis, ipsius sanctæ patrocinium satagentes pro salute fidelium, et universalis ecclesiæ vestris piis orationibus implorare. Datum Laterani, XI kalendas aprilis, pontificatus nostri anno nono.

CXXIV

Ad universos Christi fideles per regnum Franciæ constitutos.

23 martii 1225.

[Regest., lib. IX, epist. 300. Mss. La Porte du Theil.]

De translatione S. Quintini.

Honorius, etc., dilectis filiis universis Christi fidelibus per regnum Franciæ constitutis, salutem, etc.

Vota dilectorum filiorum canonicorum S. Quintini in pietate ac devotione plena cognovimus et Deo, et hominibus grata pariter, et accepta. Ipsi enim non ingrati tanti beneficii, quod eis dignatione sua Christus contulit in pretioso thesauro corporis gloriosi martyris beati Quintini quod in eorum ecclesia conditum requiescit desiderio desiderant ejus reliquias honorabilius, et decentius collocare, diligentius attendentes, quod ecclesia eadem ex eo quod meruit tanti martyris sanctissinum corpus habere, non mediocriter est inter alias Galliarum ecclesias illustrata. Verum cum prædictus gloriosus martyr in partibus vestris passionis suæ locum elegerit, et per hoc in fœdus populi et lucem gentium regionis illius datus a Domino videatur, venerabilis frater noster Remensis archiepiscopus, et sui suffraganei apud Burgum in Veromandia, qui nunc Sanctus Quintinus dicitur, ubi provinciale fuit concilium celebratum deliberatione provida statuerunt, ut ad laudem Dei omnipotentis, et prædicti martyris ejus honorem corpus ipsius quod in terra diu jacuerat levatum in altum et in aurea capsa reconditum ad locum magis honorabilem transferretur, cum indecens videretur eum, quantum in eis erat non exaltare in terra, quem in cœlo Dominus exaltavit. Indignum quoque canonici reputabant si muneris tam pretiosi thesaurus cum eo, quo decet honore, ac reverentia non condatur, cum considerata gloria meritorum martyris supradicti venerandæ ipsius reliquiæ quodammodo patere nunc injuriæ videantur. Unde quanto devotionis fervore ipsius venerentur memoriam volentes ostendere in effectu, de nostra conscientia voluerunt ejusdem martyris gloriosi reliquias, prout fuit in concilio prædicto statutum collocare devote, ac recondere reverenter. Nos itaque pium et laudabile memoratum statutum, et canonicorum propositum attendentes, acceptavimus, ut ipsius reliquias cum ea qua convenit devotione levatas honorifice, prout dictum est, canonici memorati reconderent ejusdem martyris patrocinium pro salute fidelium et universalis Ecclesiæ piis imploraturi orationibus apud Deum. Cum igitur pro tam pretioso thesauro, quem in partibus vestris habetis, in multiplices laudes, et gratias debeatis assurgere Creatori, et prædictus martyr coronatus a Domino gloria et honore honorificandus sit, præsertim a vobis a quibus eligendo in regione illa passionis suæ locum voluit honorari, universitatem vestram monemus et hortamur attente, quatenus ab elevationis, et translationis suæ diem studeatis in spiritu humiliato et contrito animo convenire, ut et per devotionem vestram appareat, quam celebris apud alios etiam esse debeat memoria martyris memorati, et vos per hæc et alia bona, quæ, Domino inspirante, feceritis ad æternæ possitis felicitatis gaudia pervenire. Nos enim de omnipotentis

Dei misericordia, et beatorum Apostolorum Petri et Pauli auctoritate confisi, omnibus qui ad diem translationis hujusmodi, quam annuatim celebrem et solemnem statuimus, devote convenerint, quadraginta dies de injuncta sibi pœnitentia relaxamus. Datum Tibure, X kalendas aprilis, anno nono.

CXXV

Ad capellanos ecclesiarum Bituricensis, diœcesis in quibus Dolense monasterium jus obtinet patronatus.

23 martii 1225.

[Regest., lib. XI, epist. 247. Mss. La Porte du Theil.]

Portionem congruam quæ ipsis ab abbate et conventu Dolensi suppeditari deberet statuit et taxat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis capellanis ecclesiarum Bituricensis diœcesis, in quibus Dolense monasterium jus obtinent patronatus, salutem, etc.

Et dudum et sæpe nobis fuit cum instantia supplicatum, ut provisiones vestras augmentari juxta statutum generalis Concilii faceremus, vel taxationem quam super hoc fecit venerabilis frater noster... Bituricensis archiepiscopus observari, pluraque rescripta super hoc a Sede Apostolica emanarunt. Cum autem nuper dilecti filii... abbas Dolensis et magister Sanctius procurator vester super hoc contendissent diutius coram nobis, tandem ipsum negotium præcise in nostræ provisionis arbitrio posuerunt. Nos itaque de fratrum nostrorum consilio sic duximus providendum, ut videlicet computatis universis quæ vobis ecclesiastico jure proveniunt, excepta pro quolibet capellano habitatione congrua, cum horto habitationi hujusmodi adjacente et servata pro vestra parte quam nunc habetis taxatione focorum, quæ per ipsum archiepiscopum in aliis ecclesiis Bituricensibus facta fuit, abbas et conventus Dolensis monasterii, quod vobis ad provisionem decem librarum Turonensis monetæ defuerit integre suppleant tam de residuis focis, quam aliis proventibus, quos ecclesiastico jure habent in ipsarum ecclesiarum parochiis boni viri arbitrio æstimandis. Sane in illis ecclesiis, in quibus adeo pauca percipiunt quod ex eis non possent summam supplere prædictam aliquo sibi in patronatus signum, seu indicium reservato cætera convertant in hujusmodi supplementum. Porro in ecclesiis illis, in quibus nihil omnino percipiunt, ad supplementum summæ prædictæ nullatenus teneantur. Nulli ergo, etc., hanc paginam nostræ provisionis infringere, etc. Si quis autem, etc. Datum Laterani, X kalendas aprilis, anno nono.

CXXVI

Ad abbatem et conventum Aquicinctensem.

25 martii 1225.

[Fonds Moreau, Mss. latins, t. CXXXV, p. 104, Bibl. Nationale.]

Inhibet ne quis pro ipsis grangiis, in quibus quidam monachi in capellis celebrant, procurationes extorquere audeat.

Honorius, etc., dilectis filiis... abbati et conventui Aquicinctensi, salutem et Apostolicam benedictionem.

Quanto sincerius monasterium vestrum diligimus et vestræ cupimus religionis augmentum, tanto sollicitius vestris volumus providere profectibus et gravaminibus obviari. Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris postulationibus annuentes, auctoritate præsentium districtius inhibemus, ne quis pro eo quod, quandoque in grangiis vestris ponitis aliquos vestros monachos sacerdotes, qui celebrent in capellis ibidem consistentibus, curam non habentibus animarum, audeat a vobis procurationes pro ipsis grangiis extorquere. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ inhibitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani, VIII kalendas aprilis, pontificatus nostri anno nono.

CXXVII

Ad abbatem et conventum Sanctorum Eucharii et Mathiæ.

28 martii 1225.

[Mittelrheinisches Ub., III, 203, n. 243.]

Eis ecclesiam de Machera confirmat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati et conventui SS. Eucha-

rii et Matthiæ, salutem et Apostolicam benedictionem.

Justis petentium desideriis dignum est nos facilem præbere consensum, et vota, quæ a rationis tramite non discordant, effectu prosequente complere. Eapropter, etc., sub beati Petri et nostra protectione suscipimus. Specialiter autem ecclesiam de Machera cum pertinentiis suis, quam canonice proponitis vos adeptos, sicut eam juste, canonice ac pacifice possidetis, vobis et per vos monasterio vestro auctoritate Apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus, etc. Datum Laterani, V kalendas aprilis, pontificatus nostri anno nono.

CXXVIII

Ad eosdem.

3 aprilis 1225.

[Mittelrheinisches Ub., III, 204, n. 244.]

Permutationem curtis de Stein pro de Macheræ et de Susanges villis habitam confirmat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati et conventui Sanctorum Eucharii et Mathiæ, Treverensis diœcesis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, permutationem curtis de Stein pro de Macheræ et Susanges villis cum pertinentiis earumdem, inter vos ex parte una, et dilectos filios decanum et capitulum S. Mariæ Magdalenæ Virdunensis ex altera, de episcopi sui et metropolitani consensu habitam, sicut sine pravitate provide facta est et ab utraque parte sponte recepta, et hactenus pacifice observata, auctoritate Apostolica confirmamus, etc. Datum Laterani, III nonas aprilis, pontificatus nostri anno nono.

CXXIX

Ad eosdem.

3 aprilis 1225.

[Mittelrheinisches Ub., III, 204, n. 245.]

Eos protegendos suscipit et bona ac possessiones confirmat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati et conventui Sanctorum Eucharii et Mathiæ, salutem et Apostolicam benedictionem.

Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, personas vestras et locum, in quo divino estis obsequio mancipati, cum omnibus bonis, quæ in præsentiarum rationabiliter possidetis, aut in futurum justis modis, præstante Domino, poteritis adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus. Specialiter autem domos, grangias, possessiones, molendina, homines et alia bona vestra, sicut ea omnia juste, canonice et pacifice possidetis, vobis et per vos monasterio vestro auctoritate Apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus, etc. Datum Laterani, II nonas aprilis, pontificatus nostri anno nono.

CXXX

Ad decanum Aquensem.

5 aprilis 1225.

[Quix, Cod. diplom., Aquensis, I, II, 101, n. 141.]

Ecclesiam in Jupille prope Leodium cum pertinentiis suis ad decanatum Aquensem spectantem confirmat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio decano Aquensi, salutem et Apostolicam benedictionem.

Justis petentium desideriis dignum est nos facilem præbere consensum, et vota, quæ a rationis tramite non discordant, effectu prosequente complere. Eapropter, dilecte in Domino fili, tuis justis postulationibus grato concurrentes assensu, ecclesiam in Jupille cum pertinentiis ejus ad decanatum Aquensem spectantem, sicut eam juste, canonice et pacifice possides, tibi et per te ipsi decanatui auctoritate Apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani, nonis aprilis, pontificatus nostri anno nono.

CXXXI

Ad Conradum Portuensem episcopum et Engelbertum archiepiscopum Coloniensem.

(Sine nota chronologica, *forte* 7 aprilis.)

[Schaten, Annal. Paderb., I, 1001.]

Eis significat se electionem magistri Oliverii, canonici ecclesiæ Paderbornensis, in episcopum Paderbornensem confirmasse, eisque mandat ut Henricum ad integram restitutionem quorumcumque bonorum Paderbornensis episcopatus, quæ prætectu electionis suæ tenebat occupata, compellant.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, Portuensi episcopo, Apostolicæ Sedis legato, et archiepiscopo Coloniensi, salutem et Apostolicam benedictionem.

Auditis et intellectis, quæ super electionibus de dilecto filio magistro Olivero, canonico Paderbornensis ecclesiæ, ac Henrico, quondam præposito ecclesiæ SS. Apostolorum Petri et Andreæ, a canonicis Paderbornensibus celebratis, fuere proposita coram nobis, de fratrum nostrorum consilio electionem de prædicto Henrico præsumptam, et quidquid ex ea secutum est vel ob ipsam irritum judicavimus, electionem de magistro Olivero celebratam a majori parte capituli confirmantes. Quocirca fraternitatibus vestris mandamus, quatenus quod super hoc a nobis factum est, faciatis, sublato cujuscumque contradictionis et appellationis objectu, inviolabiliter observare, compellendo præfatum Henricum ad integram restitutionem quorumque bonorum Paderbornensis episcopatus, quæ prætextu electionis suæ hactenus tenuit occupata.

CXXXII

Ad Oliverium electum Paderbornensis.

7 aprilis 1225.

[Schaten, ibid.]

Hanc deinde formam, repetita prima litterarum parte, Honorius pontifex ad ipsum Oliverum electum Paderbornensem episcopum scribit, additque :

Illud tamen, quod super usu falsarum litterarum fuit de ipso Henrico propositum coram nobis, nostræ providentiæ reservamus, de rigore vel misericordia circa ipsum prout ejus exegerint merita, et expedire videbimus, processuri ; ideoque districte tibi per Apostolica scripta mandamus, quatemus curam et regimen Paderbornensis ecclesiæ assumens, sic studeas secundum datam tibi a Domino prudentiam, commissam tibi sollicitudinem exercere, quod et prædicta ecclesia sub regimine tuo proficiat, et te in præsenti existendo cum servo evangelico fidelis in pauca, in futuro super multa constitui a Domino merearis. Datum Laterani, VII idus aprilis, pontificatus nostri anno nono.

CXXXIII

Ad nobiles et ministeriales Paderbornensis ecclesiæ.

7 aprilis 1225.

[Schaten, ibid.]

Tertias deinde litteras pontifex dedit ad nobiles et ministeriales Paderbornensis ecclesiæ, servata priorum litterarum forma. Postremo ad ipsos nobiles et ministeriales converso stylo.

Quia vero, inquit, quo est carne spiritus et anima corpore dignior, eo debet spiritualis pater carnali amplius honorari, per Apostolica vobis scripta mandamus, quatenus eidem electo tanquam patri et pastori animarum vestrarum plene et humiliter intendatis, et sicut tenemini, exhibeatis juramenta fidelitatis et in ecclesiæ suæ negotiis fideliter assistentes plene insuper eidem de juribus ipsi ecclesiæ a vobis debitis responsuri, alioquin sententiam, quam ipse rite tulerit, subituri. Datum Laterani, VII idus aprilis, anno nono.

CXXXIV

Ad Bernardum magistrum Hospitalis S. Spiritus ejusque fratres.

7 aprilis 1225.

[Regest., lib. IX, ep. 261. Mss. La Porte du Theil.]

Hospitale Sancti Spiritus apud Montempessulanum sub protectione beati Petri recipit.

Honorius, etc., dilectis filiis Bernardo magistro Hospitalis Sancti Spiritus ejusque fratribus tam præsentibus quam futuris regularem vitam professis in perpetuum, salutem, etc.

Religiosam vitam eligentibus, etc., *usque*

infringat. Ea propter, *usque* annuimus, et præfatum hospitale Sancti Spiritus apud Montempessulanum constructum, in quo divino estis obsequio mancipati ad exemplar felicis recordationis Innocentii III Papæ, prædecessoris nostri sub beati Petri, et nostra protectione, *usque* communimus. In primis siquidem statuentes, ut fratres inibi commorantes, *usque* familiari. Præterea quascumque possessiones, etc., *usque* permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis : Locum ipsum in quo præfatum hospitale situm est cum omnibus pertinentiis suis, domos, vineas, terras, hortos, et omnia quæ in territorio Montispessulani et in locis circumadjacentibus possidetis, domum, quam habetis in Massilia cum omnibus suis pertinentiis, domum quam habetis in villa, quæ dicitur Amillau, cum omnibus pertinentiis suis; domum quam habetis in loco, qui dicitur Clap. de Malavetula cum omnibus pertinentiis suis; domum quam habetis in burgo S. Juliani cum omnibus pertinentiis suis; domum quam habetis in villa quæ dicitur Bragairac cum omnibus pertinentiis suis; domum quam habetis in Argenteria de Cachers cum omnibus pertinentiis suis; domum quam habetis in civitate Trecensi cum omnibus pertinentiis suis; domum quam habetis apud Salmachum cum omnibus pertinentiis suis ; domum quam habetis in castro de Monalem cum omnibus pertinentiis suis ; domum quam habetis in Ylerdam cum omnibus pertinentiis suis; domum quam habetis apud Barchinonam cum omnibus pertinentiis suis, statuentes, ut omnes domos quas in præsentiarum juste habetis, vel in posterum rationabiliter poteritis adipisci, prædicto Hospitali Sancti Spiritus Montispessulani et procuratores eorum tibi, fili magister, et successoribus tuis perpetue subjacere debeant, et humiliter obedire, et correctionem tuam et successorum tuorum recipere humiliter, et servare. Liceat quoque vobis liberas et absolutas personas etc., *usque* retinere. Prohibemus insuper, ut nulli fratrum vestrorum etc., *usque* retinere. Chrisma vero, *usque* exhiberi. Obeunte vero te, *usque* eligendum. Decernimus ergo, *usque* profutura, salva Sedis Apostolicæ auctoritate, et diœcesani episcopi canonica justitia. Si qua igitur in futurum, *usque* subjaceat. Cunctis, *usque* inveniant. Amen. Datum Laterani, per manum magistri Guidonis, domini papæ notarii, VII idus aprilis, indictione XIII, Incarnationis Dominicæ anno MCCXXV, pontificatus vero domini Honorii papæ III anno nono.

CXXXV

Ad priores de Horto Sanctæ Mariæ et de Doccum ac magistrum I. de Nova ecclesia plebanum.

8 aprilis 1225.

[Hugo, Sac. antiq. mon., I, 478.]

Eis præscribit quid de sententia excommunicationis a Theodorico, episcopo Monasteriensi, prolata fieri debeat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis de Horto Sanctæ Mariæ, et de Doccum prioribus, et magistro I, de Nova ecclesia plebano, salutem et Apostolicam benedictionem.

Dilecti filii præpositus et conventus Floridi Horti sua nobis insinuatione monstrarunt, quod venerabilis frater noster Monasteriensis episcopus in eos sine causa rationabili, nulla competenti monitione præmissa, auctoritate propria excommunicationis sententiam promulgavit contra statuta Concilii generalis. Unde ipsi nostris dedimus litteris in mandatis, ut, si est ita, infra octo dies post susceptionem ipsarum, sententiam sine qualibet difficultate relaxet. Quocirca discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus si dictus episcopus mandatum nostrum neglexerit, vos ex tunc, sufficienti ab eis juxta formam ecclesiæ cautione recepta, super his, pro quibus est hujusmodi sententia promulgata, relaxetis eamdem, et injuncto eis, quod de jure fuerit injungendum, audiatis si quid fuerit quæstionis, et appellatione remota, fine debito terminetis, facientes quod decreveritis auctoritate nostra firmiter observari. Datum Laterani, VI idus aprilis, anno nono.

CXXXVI

Ad Guidonem, episcopum Eduensem.

8 aprilis 1225.

[Gallia Christiana, ed. 1728, IV, 400.]

Guidoni Eduensi episcopo pallium concedit.

Honorius, etc., episcopo Eduensi, etc.

Cum pallium quod est plenitudinis officii pontificalis insigne... a nobis per nuncios tuos fuerit... postulatum, eisdem tribuimus deferendum... episcopo Lingonensi, et tibi per eum, vel per... Cabilon. episcopum assignandum. Cum itaque honor pallii humilitas sit atque justitia... te convenit exhibere in prosperis humilem, in adversis erectum, amicum bonis, et perversis adversum, etc. Datum Laterani, VI idus aprilis, pontificatus nostri anno nono.

CXXXVII

Ad abbatem et conventum de Wadegocinga.

8 aprilis 1225.

[Mittelrheinisches Ub., III, 204, n. 246.]

Sub beati Petri et sua protectione eos suscipit.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati et conventui de Wadegocinga Præmonstratensis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, personas vestras et locum, in quo divino estis obsequio mancipati, cum omnibus bonis, quæ in præsentiarum, aut in futurum justis modis, præstante Domino, poteritis adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, specialiter autem de Colredal, de Bucis, de Erbrestwilre et de Eshwilre ecclesias cum capellis et pertinentiis earumdem, sicut ea omnia juste et canonice possidetis et quiete, vobis et per vos monasterio vestro auctoritate Apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus, etc. Datum Laterani, VI idus aprilis, pontificatus nostri anno nono.

CXXXVIII

Ad Andream de Capemberge, Rodolfum de Holinchusen et Thomam de Susat, Coloniensis et Monasteriensis diœcesum.

9 aprilis 1225.

[Wilmans, Westfal. Ub., III, 116, n. 213.]

Eis mandat ut quamdam causam super archidiaconatu ecclesiæ S. Crucis fine debito terminent.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis... de Capemberge et... de Holinchusen et... de Susat præpositis, Coloniensis et Monasteriensis diœcesis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Dilecti filii decanus et capitulum Monasteriense suam ad nos querimoniam destinarunt, quod abbatissa et conventus monasterii de Frikenhorst Monasteriensis diœcesis, super archidiaconatu ecclesiæ Sanctæ Crucis ejusdem loci, ad ipsos de jure spectante injuriantur eisdem; ideoque discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus convocatis partibus, audiatis causam et appellatione remota fine debito terminetis, facientes quod decreveritis per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Testes autem qui fuerint nominati, si se gratia, odio vel timore subtraxerint, censura simili, cessante appellatione, cogatis veritati testimonium perhibere. Quod si non omnes his exsequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nihilominus exsequantur. Datum Laterani, V idus aprilis, pontificatus nostri anno nono.

CXXXIX

Ad Andream de Capemberge, Rodolfum de Holinchusen et Thomam de Susat.

11 aprilis 1225.

[Wilmans, Westfal. Ub., III, 116.]

Mandat ut causam inter Bernardum cantorem Monasteriensem ex parte una, et Juttam abbatissam et conventum monasterii in Frikenhorst ex altera, super archidiaconatu ejusdem loci vertentem, terminent.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis... de Capemberge... de Holinchusen et... de Susat præpositis, Coloniensis et Monasteriensis diœcesis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Dilectus filius Bernardus cantor Monasteriensis nobis significare curavit, quod cum causam, quæ inter ipsum ex parte una,... et abbatissam et conventum monasterii in Frikenhorst Monasteriensis diœcesis ex altera, super archidiaconatu ejusdem loci vertitur, decano majoris ecclesiæ, præposito Sancti Petri et Volquino canonico Patherbrunnensi duxerimus committendam, iidem biennio et amplius jam elapso distulerunt in ejus præjudicium terminare. Volentes igitur ut finis litibus imponatur, eisdem nostris damus litteris in præceptis, ut in eodem negotio juxta priorum continentiam litterarum ratione prævia procedentes, causam ipsam infra tres menses post susceptionem earum debito fine decidant. Quocirca discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus, si dicti judices præceptum nostrum neglexerint adimplere, vos ex tunc eamdem causam juxta earumdem litterarum tenorem, sublato appellationis obstaculo, studeatis mediante justitia terminare. Quod si non omnes his exsequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nihilominus exsequantur. Datum Laterani, III idus aprilis, pontificatus nostri anno nono.

CXL

Ad decanum, archidiaconum et cantorem Parisiensem.

12 aprilis 1225.

[Regest., lib. IX, ep. 260. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat eis ut quum causa, quæ inter Meldensem episcopum et abbatissam conventumque Jotrensem super jurisdictione vertebatur, sufficienter instructa foret, partes ad Sedem Apostolicam, sub termino ab archidiacono Trecensi ad hoc statuto, comparendum compellant.

Honorius, etc., dilectis filiis... decano... archidiacono, et... cantori Parisiensi, salutem, etc.

Cum dilecti filii... archidiaconus Trecensis, et collegæ sui, quibus commisimus causam, quæ inter venerabilem fratrem nostrum....... Meldensem, episcopum ex parte una, et... abbatissam, et conventum, et clerum ac populum Jotrensem ex altera, vertitur super jurisdictione, quam idem episcopus in eos se habere contendit causam ipsam instruxerint, et festum Omnium Sanctorum proximo venturum partibus terminum assignarint, quo propter hoc nostro se conspectui repræsentent sententiam recepturæ, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus ipsis partibus auctoritate nostra firmiter injungatis, ut præscripta termino cum causa instructa ita sufficienter compareant coram nobis, quod eadem fine possit debito terminari, quod inde feceritis per nostras vobis litteras intimantes. Quod si non omnes, etc. Datum Laterani, II idus aprilis, anno nono.

CXLI

Ad Romanum, S. Angeli diaconum cardinalem, Apostolicæ Sedis legatum.

16 aprilis 1225.

[Regest., lib. IX, ep. 262. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat ei ut diligentiam omnem adhibeat, ne cives Massilienses cujusdam unionis prætextu se episcopi Massiliensis jurisdictioni subtrahere præsumant.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio R(omano) Sancti Angeli diacono cardinali, Apostolicæ Sedis legato, salutem et Apostolicam benedictionem.

Venerabilis frater noster.... Massiliensis episcopus proposuit coram nobis, quod cum ecclesia sua in quadam parte civitatis Massiliensis, quæ ab alia certis limitibus est discreta, jurisdictionem obtineat temporalem, cives ejusdem cum civibus partis alterius in suum et Massiliensis ecclesiæ grave præjudicium de novo præsumpserunt facere unionem, ut sic evacuent jurisdictionem ecclesiæ supradictæ. Cum igitur ex hoc grave, sicut accepimus imminere possit ipsi ecclesiæ detrimentum, experientiam tuam sollicitandam duximus et hortandam, per Apostolica tibi scripta mandantes, quatenus secundum datam tibi a Deo prudentiam efficaciter obvians malitiæ civium prædictorum, ac jus suum, et honorem conservans ecclesiæ supradictæ, cives ipsos ut rescissa hujusmodi unione, non obstante juramento, quod de ea servanda præstitisse dicuntur, civitatem ipsam quoad prædicta in eo statu dimittant, in quo noscitur hactenus extitisse, sublato appellationis obstaculo, tam districtione canonica quam aliis modis, quibus videris expedire compellas, et si man-

datis tuis parere contempserint, sententias tam tuas, quam episcopi memorati prolatas in ipsos per vicina, et alia loca, quæ ad hoc noveris opportuna solemmiter facias publicari, eam in hoc negotio diligentiam habiturus, quod inde ab omnibus laudem, et a Deo præmium consequi merearis. Datum Laterani, XVI kalendas maii, anno nono.

CXLII

Ad eumdem.

16 aprilis 1225.

[Regest., lib. IX, ep. 263. Mss. La Porte du Theil.]

Votum episcopi Massiliensis de peregrinatione in Terram Sanctam suspendit et ipsum legato commendat.

Honorius, etc., dilecto filio Romano S. Angeli diacono cardinali, Apostolicæ Sedis legato, salutem, etc.

Venerabili fratre nostro... Massiliensi episcopo votum, quod de transeundo in subsidium Terræ Sanctæ suscepto signo Crucis emisit, volente præsentialiter adimplere, nos attendentes, quod ejus hoc tempore ad partes illas accessus nullam aut parvam poterat utilitatem afferre, voluimus, ut hujusmodi voti executionem suspenderet, quousque duceremus aliter providendum, atque interim ad defendendum ecclesiæ suæ libertates, ac jura intenderet diligenter. Ipsum igitur discretioni tuæ attentius commendantes, sollicitudinem tuam rogandam duximus, et hortandam, ac per Apostolica tibi scripta mandamus quatenus contra malitiam quorumlibet subvertenti ecclesiæ suæ libertates et jura ita tuum eidem impendas auxilium, et favorem, quod ex hoc specialiter debeas Deo, et hominibus complacere. Datum Laterani, XVI kalendas maii, anno nono.

CXLIII

Ad Conrardum, abbatem Præmonstratensem.

19 aprilis 1225.

[Le Paige, Bibliotheca Præmonst., 926.]

Concordiam inter Conrardum abbatem Præmonstratensem et quosdam præpositos confirmat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Conrardo abbati Præmonstratensi, salutem et Apostolicam benedictionem.

Ea quæ pro ecclesiarum utilitate ac pace provide ordinantur Apostolico sunt munimine roboranda, ut impensiori diligentia observentur. Ex parte siquidem tua fuit propositum coram nobis, quod cum inter te ex parte una, et Sanctæ Mariæ Magdeburgensis, de Gratia Dei, de Liezeka, de Brandeburg, de Havelberg, de Rasceburg, de Iericow, de Colebeke, de Rohde, de Quecelingeburg, de Uvida, de Poleke, de Gramozowe, et de Themenis præpositos ex altera, quæstio verteretur super eo quod asserebas præfatos præpositos debere annis singulis Præmonstratum convenire ad generale capitulum, et omnibus communibus institutionibus ordinis obedire; pluresque super hoc litteræ a Sede Apostolica emanassent, tandem mediantibus cantore Metensi, ejusque collegis super hoc negotio delegatis a nobis, tu, fili abbas, et pars adversa in certam concordiæ formam coram venerabili fratre nostro C., Portuensi episcopo, Apostolicæ Sedis legato, sponte et amicabiliter convenistis, quam Apostolico postulasti munimine roborari. Nos igitur tuis precibus benignum impertientes assensum, concordiam ipsam sicut sine pravitate provide facta est, et a partibus sponte recepta, et hactenus pacifice observata, atque in ipsius episcopi et dictorum judicum litteris inde confectis plenius continetur, auctoritate Apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, etc. Si quis autem, etc. Datum Laterani, XIII kalendas maii, pontificatus nostri anno nono.

CXLIV

Ad abbatem et conventum de Camberone.

19 aprilis 1225.

[Monuments pour servir à l'histoire des provinces de Namur, II, I, 29, n. 23.]

Compositionem inter abbatem conventumque B. Mariæ de Camberone ex parte una et abbatem conventumque S. Cornelii Indensis, Coloniensis diœcesis, ex altera, super decima de Wodeka factam, confirmat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilecti filiis abbati et conventui de Cambe-

rone, salutem et Apostolicam benedictionem.

Solet annuere Sedes Apostolica piis votis et honestis petentium precibus favorem benivolum impertiri. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis precibus inclinati, compositionem, quæ inter vos ex parte una et abbatem et conventum Cornelii Indensis, Coloniensis diœcesis, ex altera super decima de Wodeka, Cameracensis episcopi diœcesani loci accedente consensu, amicabiliter intervenit, sicut rite sine pravitate provide facta est, et ab utraque parte sponte recepta, et hactenus pacifice observata, ut in litteris inde confectis dicitur contineri, auctoritate Apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat, etc. Datum Laterani, XIII kalendas maii, anno nono.

CXLV

Ad capitulum S. Quintini Noviomensis.

29 aprilis 1225.

[Regest., lib. IX, epist. 303. Mss. La Porte du Theil.]

Processum ab archidiacono in Bria, in causa quæ inter ipsos et ipsorum decanum super dicti decani jurisdictione vertebatur irritum esse declarat.

Honorius, etc., dilectis filiis capitulo Sancti Quintini Noviomensis diœcesis, salutem, etc.

Dilectus filius J. decanus vester contra vos litem movit super restitutione videlicet fructuum præbendarum ipsius, et jurisdictionis quam se dicebat habere in populo et clericis extra chorum, necnon et proventuum, qui ex ipsa jurisdictione proveniunt, quibus se proponebat spoliatum a vobis, et super reverentia, et obedientia quam ab omnibus, et singulis de capitulo sibi tamquam prælato, et decano petebat impendi, asserens ei vos de jure debere subesse, ac petens quod non impediretis ipsum jurisdictionem suam tam in clero, quam in populo exercere atque revocari, si forte aliquid jurisdictionis exercueratis in ipsos et ut nullum excommunicaretis vel absolveretis, cum claves non habere vos diceret potestatis. Unde causam hujusmodi primo... priori Sancti Victoris, et conjudicibus suis, demum... archidiacono in Bria, et collegis ipsius sub certa forma duximus committendam. Sed cum priores judices restituissent decanum eumdem non tamen plenarie, ut dicebat, secundi nihilominus restituentes ipsum in negotio procedendo, causam ad nostram præsentiam cum his, quæ coram eis acta fuerant, remiserunt. Nos igitur auditis et intellectis quæ super eadem causa fuere proposita coram nobis, cassamus processum habitum coram archidiacono in Bria, quia in eo litis contestatio non apparet, ita tamen quod in suo statu remaneat restitutio facta decano. Datum Tibure, III kalendas maii, anno nono.

CXLVI

Ad Garinum de Beloy, Ambianensem clericum.

29 aprilis 1225.

[Regest., lib. IX, epist. 302. Mss. La Porte du Theil.]

Dispensatio pro defectu natalium.

Honorius, etc., dilecto filio Garino de Beloy, Ambianensis diœcesis clerico, salutem, etc.

Cum pater tuus, sicut asseris, solutus te genueris ex soluta, nos quum, sicut dicitur, litterarum tibi scientia suffragetur, cujus disciplinis longo tempore proponeris institisse, ac honestis moribus adjuveris, tuis supplicationibus inclinati super tuorum defectu natalium misericorditer dispensamus, auctoritate tibi præsentium concedentes, ut tali non obstante impedimento promoveri possis ad sacros ordines, et ad ecclesiastica beneficia, et dignitates assumi; sic tamen quod si ad honorem te vocari forte contingeret præsulatus, illum nequaquam recipias absque Sedis Apostolicæ licentia speciali. Nulli ergo, etc., hanc paginam nostræ dispensationis et concessionis, etc. Si quis autem, etc. Datum Tibure, III kal. maii, anno nono.

CXLVII

Ad Azonem Anconitanum et Estensem marchionem.

1 maii 1225.

[Muratori, Ital. antiq. medii ævi, I, 333.]

Eum ad se vocat, ut Marchiam Anconitanam tanquam suum feudum libere recipiat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei,

dilecto filio nobili viro A(zoni) Anconitano et Estensi marchioni, salutem et Apostolicam benedictionem.

Benigne recepimus, et diligenter intelleximus litteras, quas super negotio Marchiæ Anconitanæ tua nobilis discretio destinavit. Noveris igitur, quod nunquam fuit nostri propositi, te Marchia ipsa privare, cum nec ignoremus illam tibi esse in feudum ab Apostolica Sede concessam, nec ad tuam, vel cujusdam alterius injuriam aspiremus. Verum quia Tisius de Campo Sancti Petri, quem illi præfeceras, marchianos exactionibus importunis ita gravaverat, quod in odium ejus se nobis et tibi subtraxerant, et imperii jugo submiserant colla sua; nos attendentes puerilem ætatem, in qua tunc temporis eras, et pensantes quantum dispendium fuisset, si hoc dissimularemus, tibi et etiam Apostolicæ Sedis ex dissimulatione hujusmodi evenire; Marchiam multo dispendio et labore recuperavimus antedictam ad Ecclesiæ Romanæ et tuum commodum et honorem. Tu ergo ad nos venire non differas, cum fuerit opportunum, Marchiam ipsam tamquam tuum feudum libere recepturus. Datum Tibure.... kalendas maii, pontificatus nostri anno nono.

CXLVIII

Ab abbatem et conventum SS. Mathiæ et Eucharii.

2 maii 1225.

[Mittelrheinisches Ub., III, 204, n. 206.]

Eis postulata concedit.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati et conventui Sanctorum Mathiæ et Eucharii Treverensis diœcesis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Ex parte vestra fuit nobis humiliter supplicatum, ut in beati Mathiæ apostoli et aliarum præcipuarum festivitatum novem lectionum solemnitatibus in ecclesia vestra *Te Deum laudamus* ac *Gloria in excelsis Deo* cantare juxta sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ consuetudinem de nostra vobis permissione liceret. Nos igitur vestris supplicationibus inclinati, auctoritate præsentium vobis concedimus postulata. Datum Tibure, V nonas maii, pontificatus nostri anno nono.

CXLIX

Ad canonicos S. Mariæ Middelburgensis.

2 maii 1225.

[Hugo, Annal. Præmonst., II, prob. 129.]

Inhibet ne quis eis pro benedictione abbatum suorum aliquod contra statuta Concilii generalis extorquere præsumat.

Honorius, etc.

Cum a nobis petitur quod justum est et honestum, tam vigor æquitatis, quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Ea propter dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, auctoritate præsentium inhibemus, ne quis vobis pro benedictione abbatum monasterii vestri, aliquid contra statuentes Concilii generalis extorquere præsumat. Datum Tibure, II (?) maii, pontificatus anno nono.

CL

Ab abbatem et conventum de Loco S. Mariæ.

5 maii 1225.

[Mittelrheinisches Ub., III, 205, n. 248.]

Confirmat quasdam possessiones super Nistriam majorem.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati et conventui de Loco Sanctæ Mariæ Cisterciensis ordinis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis precibus inclinati, possessiones super Nistriam majorem et res aliquas, quas vobis nobilis vir Henricus comes de Saine et M. uxor ejus pia liberalitate donarunt, ut in eorum litteris dicitur plenius contineri, sicut eas juste et pacifice possidetis, vobis et per vos monasterio vestro auctoritate Apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus. Datum Tibure, III nonas maii, pontificatus nostri anno nono.

CLI

Ad decanum, J. archidiaconum et Bernardum canonicum Cathalaunenses.

7 maii 1225.

[Regest., lib. IX, epist. 298. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat eis, ut in causa quæ inter procuratores archiepiscopi Senonensis et abbatissæ Jotrensis vertebatur, convocatis partibus, quod canonicum visum fuerit pronuntient.

Honorius, etc., dilectis filiis... decano J. archidiacono et Bernardo canonico Cathalaunensi, salutem, etc.

Ex parte venerabilis fratris nostri..... Senonensis archiepiscopi fuit propositum coram nobis, quod olim..... archidiaconus Pontinensis et collegis ipsius de sui, et..... abbatissæ Jotrensis procuratorum assensu dedimus in mandatis, ut super eo quod idem archiepiscopus abbatissam eamdem super jurisdictione Jotrensis monasterii ac rebus aliis injuriari sibi dicebat, et a parte respondebatur adversa ipsum monasterium esse liberum, et exemptum, necnon super suspensionis sententia, quam abbatissa injuste in se latam ab archiepiscopo querebatur, ac damnis, et injuriis ab eodem archiepiscopo ut proponebat, abbatissa suo monasterio irrogatis, et aliis articulis causam, si de partium voluntate procederet, fine debito terminarent : alioquin eam ad nos remitterent sufficienter instructam competentem terminum, quo nostro se præsentarent conspectui, partibus assignando.

Abbatissa vero contra quosdam presbyteros, et clericos Jotrenses super eadem suspensionis sententia, quasdam ad eosdem judices speciales litteras sub eadem data, de aliis mentione non habita, nihilominus impetravit. Conveniente itaque abbatissa præfata dictos presbyteros, et clericos per easdem litteras speciales et archiepiscopo ad eorumdem denuntiatione judicum pro suæ defensione sententiæ comparente, formato quoque libello contra eosdem presbyteros et clericos super prædicta suspensionis sententia, quam irritari tamquam latam a non suo judice postulabat, ac die ad interloquendum super quibusdam exceptionibus assignato, eadem abbatissa coram ipsis judicibus per obtentas de assensu partium litteras archiepiscopum convenit eumdem, petens jamdictam suspensionis sententiam tamquam a non suo judice promulgatam irritam nuntiari. Procurator vero archiepiscopi respondit econtra quod non erat abbatissa eadem audienda, cum in eam, prout de novo ad notitiam ejus pervenerat sententia excommunicationis a..... cantore Parisiensi, et suis conjudicibus auctoritate Apostolica lata foret.

Cum autem exceptionem hujusmodi admiserint ipsi judices, et abbatissa diceret ipsam excommunicationis sententiam per delegatos a nobis judices relaxatam, die ad hoc probandum sibi præfixa, quasdam litteras sub sigillis..... cantoris Cathalaunensis et suorum conjudicum delegatorum, ut dicebant, a nobis, eadem abbatissa exhibuit continentes, quod ipsi prædictam excommunicationem, et suspensionis, et interdicti sententias promulgatas... a cantore Parisiensi et suis collegis in ipsam, et communicantes eidem irritas nuntiaverant, et inanes. Sed cum procurator archiepiscopi, renuntiante parte altera, super hoc probationibus aliis e contrario responderet litteras ipsas non sufficere ad probationem absolutionis ejusdem, cum nec exhiberetur rescriptum Apostolicum, nec aliæ forent probationes inductæ per quas de jamdicti cantoris Cathalaunensis et suorum conjudicum jurisdictione constaret, iidem judices propositiones hujusmodi non esse contra easdem litteras admittendas, et ipsas sufficere ad probationem absolutionis ipsius, per quamdam interlocutoriam protulerunt in negotio, per litteras contra presbyteros et clericos impetratas, ad receptionem testimoniorum super suspensionis sententia citra litis contestatione ; contradicente procuratore archiepiscopi, et ad defensionem sententiæ memoratæ parato contra justitiam procedentes, propter quod, et alia præmissa gravamina idem archiepiscopus sentiens indebite se gravari, nostram audientiam appellavit, et per procuratorem suum appellationem interpositam prosecutus postulavit a nobis, ut in irritum revocari quicquid post appellationem eamdem attentatum existeret mandaremus.

Procurator autem abbatissæ obtentis super hoc litteris, in communi audientia contradicens proposuit ex adverso, quod cum supradictis judicibus de dictorum cantoris Cathalaunensis, et conjudicum suorum pro-

cessu, et jurisdictione constaret per ipsorum litteras, et confessionem presbyterorum contra quos abbatissa super appellatione sua coram judicibus præfatis agebat, ipsi judices cognitis causæ meritis, et ejusdem archiepiscopi quum sua non interesset excipere, exceptione repulsa, sententias ejus in abbatissam, et in molentes in molendinis suis tanquam a non suo judice promulgatis, irritas nuntiarunt, quorum confirmari processum idem petiit procurator, non obstante appellatione archiepiscopi, quam multis de causis illegitimam asserebat, et si eadem appellatio aliquam forte fuit dicebat (1) partem abbatissæ super processu, vel jurisdictione Cathalaunensi judicum probationem necessariam obmisisse. Unde cum ex hoc fuerit monasterium suum læsum ad talem probationem per beneficium restitutionis in integrum ad quod ex officio vestro volebat habere recursum se postulabat admitti, et archiepiscopum ad expensas, et damna quæ occasione appellationis in ipsius monasterium ipsum incurrerat condemnari. Quia vero nobis non constitit de præmissis, discretioni vestræ de utriusque partis procuratorum assensu per Apostolica scripta mandamus, quatenus, partibus convocatis, audiatis super his, quæ hinc inde fuerint proposita coram nobis et quod canonicum fuerit, appellatione postposita, statuatis, facientes, etc. Testes, etc. Quod si non omnes, etc. Datum Tibure, nonis maii, pontificatus nostri anno nono.

CLII

Ad abbatem de Bocon.

9 maii 1225.

[Fejer, Cod. diplom. Hung. III, II. 30.]

Causam inter Hospitalarios, et abbatem S. Spiritus, per obitum A. episcopi Strigoniensis indecisam, per alios judices decidi jubet.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, abbati de Bocon, ... præposito et... cantori Albensi, Vesprimiensis diœcesis.

In litteris felicis memoriæ I. Papæ, prædecessoris nostri perspeximus contineri, quod cum ipse in causa, quæ inter dilectos filios, fratres Hospitalis Hierosolymitani ex parte una, et abbatem et monachos S. Spiritus diœcesis Quinqueecclesiensis ex altera, supra ecclesia S. Spiritus et ejus pertinentiis vertitur, auditorem dedisset bonæ memoriæ C. tituli S. Laurentii in Lucino presbyterum cardinalem, nullusque coram ipso appareret pro dicto monasterio procurator, magister Bonifacius, et I. et O. procuratores bonæ memoriæ Quinqueecclesiensis episcopi, se pro jam dictis abbate et monachis opponentes, asseruerunt dictum monasterium fuisse per ipsos hospitalarios spoliatum; ac tandem ipsi procuratores, una cum procuratore hospitalis jam dicti, ut tam super principali, quam super expensis, bonæ memoriæ... Strigoniensi archiepiscopo et A. Ultrasylvano, ac P. Orodiensi præpositis, committeretur causa hujusmodi, pœna centum marcarum utrinque adjecta, in ipsius cardinalis præsentia convenerunt; idemque prædecessor noster mandavit archiepiscopo et præpositis antedictis, ut juxta formam, in qua ipsi procuratores convenerant, in ipso negotio procedentes, illud fine debito terminarent. Nuper autem iidem fratres nobis humiliter supplicarunt, ut cum sæpe dicti archiepiscopus et præpositi sint negotio indeciso ab hac luce subtracti, causam ipsam, quæ a tempore jam dicti prædecessoris nostri remissa fuit, ad Apostolicam Sedem instructam decidi per alios faceremus. Ideo discretioni vestræ mandamus, quatenus inspicientes acta judicii diligenter, causam ipsam, si partes consenserint, sine debito decidatis, alioquin ad nos eamdem remittatis instructam, præfigentes partibus terminum competentem, quo se nostro conspectui præsentent, sententiam relaturi. Testes, etc. Quod si non omnes... Datum Tibure, VII idus maii, anno nono.

CLIII

Ad episcopum Silvanectensem et abbatem Caroliloci Silvanectensis.

10 maii 1225.

[Regest., lib. IX, ep. 301. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat eis ut audita causa quæ inter Ambianensem episcopum et abbatem Sancti Richarii vertebatur, partes termino præfixo ad Sedem Apostolicam transmittant.

Honorius, etc., venerabilili fratri... episcopo Silvanectensi, et dilecto filio abbati Caroliloci, Silvanectensis diœcesis, salutem, etc.

(1) Phrase incomplète et inintelligible; le manuscrit de La Porte du Theil porte en marge le mot (*sic*).

Litteræ vestræ nobis exhibitæ continebant, quod cum venerabilis frater noster... Ambianensis episcopus et dilecti filii... abbas, et conventus Sancti Richarii in Pontivo compromisissent in vos super quibusdam controversiis inter ipsos exortis, inter cætera proposuit idem episcopus quod abbas, et conventus prædicti ab eo chrisma et oleum sanctum, consecrationes altarium et ecclesiarum, ac ordinationes monachorum suorum secundum tenorem privilegii felicis memoriæ Alexandri Papæ, prædecessoris nostri, concessi monasterio eorumdem petere ac recipere tenebantur. Abbas vero et conventus prædicti responderunt econtra se per sententiam, quam nuper pro monasterii sui libertate protulimus esse absolutos, et liberos a prædictis. Receptis igitur super hoc rationibus partium, rationes ipsas cum transcripto privilegii supradicti, ac tenore sententiæ memoratæ nobis sub sigillis vestris ad utriusque partis instantiam transmisistis, supplicantes, ut quod super his sit a partibus observandum, ordinare, ac statuere dignaremur. Quia vero pro parte episcopi coram nobis non comparuit sufficiens procurator, et quia etiam alia partium munimenta nobis exhibita non fuerunt, ad decisionem quæstionis hujusmodi non duximus procedendum. Ideoque discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus partes cum omnibus muninentis suis, et specialiter cum Apostolicis indulgentiis, quibus sæpedicti abbas, et conventus asserunt se munitos competenti termino sibi præfigendo a vobis propter hoc ad Sedem Apostolicam transmittatis, non obstantibus litteris, per quas jamdictis abbati et conventui dicuntur mandavisse, ut ab ipso episcopo recipiant supradicta, seu illis per quas mandavimus... decano... archidiacono et magistro A. canonico Atrebatensi ut eis id ipsum injungant. Datum Tibure, VI idus maii, anno nono.

CLIV

Ad episcopum Lingonensem.

12 maii 1225.

[Regest., lib. IX, ep. 347. Mss. La Porte du Theil.]

Facit ei potestatem de administratione monasterii Besuensis in quod venire fratres Prædicatores renuebant, ordinandi.

Honorius, etc., venerabili fratri... episcopo Lingonensi, et dilectis filiis... abbati Cisterciensi et... priori de Sine Muro Cabilonensis et Eduensis diœcesum, salutem, etc.

Litteræ, quas olim vobis direximus super negotio monasterii Besuensis inter cætera continebant, ut si fratres ordinis Prædicatorum ad monasterium ipsum convenire non vellent, nec vos videritis illud posse per nigros monachos reformari, investigaretis sollicite utrum reformari posset per institutionem canonicorum sæcularium in eodem, nobis quod super hoc inveneritis fideliter rescripturi. Nuper autem vestris nobis litteris intimastis, quod nec dicti fratres ad monasterium voluerunt convenire prædictum, nec vos ad reformationem ejusdem invenistis viam aliquam efficacem, tum propter debitorum onera, quibus ipsum monasterium premitur, tum quia omnis alienatio bonorum ipsius monasterii, ac membrorum vobis erat Apostolicis litteris interdicta. Cum ergo de ipsius monasterii reformatione sollicite cogitantes super hoc cum dilecto filio W. nuntio vestro latore præsentium conferremus, idem tres vias nobis exposuit, quæ sibi occurrerant anxie cogitanti, quarum prima fuit, ut tu, frater episcope, et successores tui habeatis administrationem temporalium præfati monasterii tanquam abbas, et prior instituatur in eo, qui spiritualium curam gerat viginti quinque monachis instituendis ibidem, ipsi priori quantum ad spiritualia secundum statuta monastica parituris, et sic divinum ibi non minuetur obsequium, cum plures esse non consueverint in eodem et debita poterunt paulatim exsolvi, his in eorum solutione, quæ abbas expendere consueverat convertendis. Secunda fuit, ut canonici sæculares in monasterio instituantur eodem, et episcopus habeat præposituram ibidem a qua dependent præbendarum collatio, et dominium, ac justitia terræ, quæ duo ultima episcopus ibi habet a longis retroactis temporibus, sicut certis documentis dicitur apparere, solveretque medietatem episcopus et instituendi canonici medietatem reliquam debitorum. Ultima vero fuit, ut administratio totius terræ, atque reddituum, usque ad quadraginta annos Lingonensi episcopo confirmatur, ita quod sine distractione seu alienatione perpetua possit episcopus ad certum tempus concedere

aliquam de possessionibus, sive redditibus ipsius monasterii, retentis expensis tredecim monachorum instituendorum in ipso. Nos igitur viam ultimam magis idoneam reputantes, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus secundum illam moderato præfato termino monasterio provideatis eidem, nisi forte aliam ea commodiorem poteritis invenire. Quod si non omnes, etc. Datum Tibure, IV kalendas maii, anno nono.

CLV

Ad Ugrinum archiepiscopum Colocensem.

15 maii 1225.

[Fejer, Cod. diplom., III, II, 32.]

Terras quasdam infectas hæretica pravitate, quas ei purgandas commisit rex Hungariæ, confirmat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri archiepiscopo Colocensi, salutem et Apostolicam benedictionem.

Quum a nobis petitur quod justum est et honestum, tam vigor æquitatis quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Supplicasti siquidem nobis ut quum carissimus in Christo filius noster Andreas, Hungariæ rex illustris, terras quasdam, videlicet Bosnam, Soy (Sauum) et Wossora, infectas hæretica pravitate, tibi purgandas committens, eas ecclesiæ tuæ in perpetuum pia liberalitate donavit, prout ejusdem præsentatæ nobis litteræ plenius continebant, donationem hujusmodi Apostolico dignaremur munimine roborare, præsertim quum idem rex nobis super hoc porrexerit preces suas. Nos itaque tam ipsius regis quam tuis supplicationibus annuentes, terras ipsas, sicut pie ac provide sunt donatæ tibi et ecclesiæ tuæ per te, salvo jure regio, in redditibus et rationibus consuetis, auctoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Datum Tibure, idibus maii, pontificatus nostri anno nono.

CLVI

Ad Ugrinum archiepiscopum Colocensem.

15 maii 1225.

[Fejer, Cod. diplom., III, II, 33.]

Ei mandat ut catholicæ puritatis subversores potenter persequatur.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri archiepiscopo Colocensi, salutem, etc.

Gratum gerimus et acceptum quod catholicæ fidei ductus amore, ad profligandos hæreticos de Bosna, Soy, et Wossora, ubi tanquam lamiæ, nudatis mammis, publice catulos suos lactant, ad exhortationem bonæ memoriæ magistri Aconcii, subdiaconi et capellani nostri, Apostolicæ Sedis legati, et aliorum bonorum virorum, te viriliter accinxisti. Super quo sinceritatis tuæ zelum dignis in Domino laudibus commendantes, et favore debito prosequentes, fraternitatem tuam rogamus et monemus attentius ac per Apostolica scripta mandamus, quatenus de gratia nostra confisus, et auctoritate suffultus prosequaris ex animo causam Christi, catholicæ puritatis potenter persequens subversores, ita quod Deo ad gloriam, nobis ad gaudium et tibi ad profectum proveniat salutarem. Ut autem injunctum tibi negotium perfectius exsequi valeas in partibus illis, prædices verbum crucis, fideles contra infideles efficaciter exhortando. Datum Tibure, idus maii, anno nono.

CLVII

Ad abbatem et conventum Westmonasterienses.

15 maii 1225.

[Dugdale, Monast. anglic., III, 427, n. 7.]

Eis cellam monialium de Keleburn Londoniensis diœcesis cum omni jurisdictione quam in illa habent confirmat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati et conventui Westmon., salutem et Apostolicam benedictionem.

Justis petentium desideriis dignum est nos facilem præbere consensum, et vota quæ a rationis tramite non discordant effectu prosequente complere. Cum ergo sicut ex parte vestra fuit propositum coram nobis cella monialium de Keleburn, Londoniensis diœcesis, ad vos pertineat pleno jure, nos vestris precibus inclinati cellam ipsam cum omni jurisdictione quam habetis in illa sicut ea juste, canonice ac pacifice obtinetis, vobis auctoritate Apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo, etc. Datum Tibure, idibus maii, pontificatus nostri anno nono.

CLVIII

Ad B. rectorem et clericos ecclesiæ S. Secundi Eugubinensis diœcesis.

16 maii 1225.

[Sartius, De episcop. Eugub., 132.]

Senarium clericorum numerum a Villano, Eugubino episcopo taxatum et institutum, dictæ ecclesiæ confirmat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis B. rectori et clericis ecclesiæ S. Secundi Eugubinensis diœcesis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Justis petentium desideriis dignum est nos facilem præbere consensum, et vota quæ a rationis tramite non discordant effectu prosequente complere. Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris justis precibus inclinati, senarium clericorum ecclesiæ vestræ numerum, quem proponitis a venerabili fratre nostro..... Eugubinensi episcopo taxatum, sicut est deliberatione provida institutus, auctoritate Apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus, statuentes, ut prædicto clericorum numero præfata ecclesia sit contenta, nisi adeo excreverint ipsius ecclesiæ facultates, quod præfatum numerum exigant augmentari, salvo in omnibus Apostolicæ Sedis mandato. Nulli ergo, etc. Datum Tibure, XVII kal. junii, pontificatus nostri anno nono.

CLIX

Ad episcopum et magistrum scholarum Pictavensium.

16 maii 1225.

[Regest., lib. IX, epist. 331. Mss. La Porte du Theil.]

Facit eis potestatem statuendi super juramento, quo capitulum Sancti Hilarii de Cella tenebatur de non recipiendis canonicis ultra quinarium numerum, donec ipsorum ecclesiæ fabrica terminata foret.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri... episcopo, et dilecto filio.., magistro scholarum Pictavensium, salutem et Apostolicam benedictionem.

Dilectus filius,.. prior ecclesiæ Sancti Hilarii de Cella Pictavensis ordinis Sancti Augustini per suas nobis litteras intimavit, quod cum fabrica ipsius ecclesiæ, in qua idem sanctus migravit ad Dominum usque ad sua tempora nequaquam ad effectum perducta fuisset, ipse, ac ejusdem ecclesiæ canonici perfectionem ejus sincera devotione zelantes, voto unanimi statuerunt et juramento firmarunt, ut nullus ultra quinarium numerum in eadem recipiatur ecclesia, donec ejus perficeretur fabrica in qua erant super excrescentes redditus convertendi. Quare prædictus prior nobis humiliter supplicavit, ut cum eadem fabrica sit ad perfectum pro majori parte perducta, et ex juramento hujusmodi dicta ecclesia propter servientium defectum enorme sustineat in spiritualibus detrimentum, et animabus suis grave nihilominus periculum imminere noscatur super observatione vel relaxatione ipsius, eis, et ecclesiæ providere misericorditer dignaremur. De vestra itaque circumspectione plenam in Domino fiduciam obtinentes, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus habentes præ oculis solum Deum super hoc auctoritate nostra, prout utilitati ejusdem ecclesiæ, ac eorum saluti expedire videritis, statuatis. Datum Tibure, XVII kalendas maii, anno nono.

CLX

Ad abbatem et conventum monasterii in Schonendal.

18 maii 1225.

[Wirtemberg. Urk., III, 172, n. 692.]

Eos cum omnibus bonis tuendos suscipit.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati et conventui monasterii in Schonendal, salutem et Apostolicam benedictionem.

Sacrosancta Romana Ecclesia devotos et humiles filios ex assuetæ pietatis officio propensius diligere consuevit, et ne pravorum hominum molestiis agitentur, eos tanquam pia mater suæ protectionis munimine confovere. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis precibus inclinati, personas vestras et locum in quo divino vacatis obsequio, cum omnibus bonis quæ in præsentiarum rationabiliter possidet aut in futurum præstante Domino justis modis poterit adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus. Specialiter autem

agros, vineas, prata, possessiones, nemora et redditus a nobilibus viris H. de Lamgenberc et C. de Crutheim et eorum filiis monasterio vestro pia liberalitate collatas ac alia bona vestra, sicut ea omnia juste, canonice ac pacifice possidetis, vobis et per vos eidem monasterio vestro auctoritate Apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ protectionis et confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Tibure, XV kalendas junii, pontificatus nostri anno nono.

CLXI

Ad universos episcopos regni Scotiæ.

19 maii 1225.

[Wilkins, Concil., I, 607.]

Eis mandat ut, cum metropolitanum non habeant, provinciale concilium auctoritate Apostolica celebrent.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus universis episcopis regni Scotiæ, salutem et Apostolicam benedictionem.

Quidam vestrum nuper auribus nostris intimaverunt, quod cum non haberetis archiepiscopum, cujus auctoritate possitis concilium provinciale celebrare, contingit in regno Scotiæ, quod est a Sede Apostolica tam remotum, statuta negligi Concilii generalis, et enormia plurima committi, quæ remanent impunita. Cum autem provincialia concilia omitti non debeant, in quibus de corrigendis excessibus et moribus reformandis diligens est adhibendus cum Dei timore tractatus, ac canonicæ sunt relegendæ regulæ ac conservandæ, maxime quæ in eodem generali Concilio sunt statutæ; per Apostolica vobis scripta mandamus, quatenus, quum metropolitanum noscamini non habere, auctoritate nostra provinciale Concilium celebretis. Datum apud Tibure, XIV kalend. junii, pontificatus nostri anno nono.

CLXII

Ad episcopum Pictavensem.

20 maii 1225.

[Regest., lib. IX, epist. 332. Mss. La Porte du Theil.]

Facit ei potestatem beneficia quædam præbendis ecclesiæ annectendi.

Honorius, etc., venerabili fratri... episcopo Pictavensi, salutem et Apostolicam benedictionem.

Ex parte tua in nostra fuit præsentia recitatum, quod cum præbendarum ecclesiæ tuæ proventus sunt tenues, et exiles, canonici ejusdem ecclesiæ non possunt ex eis commode sustentari, ac per hoc nonnulli eorum coguntur pro necessariis ad domos divertere propinquorum, et absentia [eorum], dicta ecclesia obsequio debito defraudatur. Quare tam suppliciter quam humiliter postulasti, ut salubre super hoc consilium apponere dignaremur. Nos autem eidem ecclesiæ paterno compatientes affectu, et tibi etiam gratiam facere cupientes, fraternitatis tuæ inclinati precibus præsentium auctoritate concedimus, ut si urgens necessitas, vel evidens utilitas exigat præbendas ipsius ecclesiæ de aliis beneficiis annectendis eisdem cum capituli tui consilio valeas, sicut discretione prævia expedire videris augmentare, ita te in facto hujusmodi habiturus, ut non tantum providere personis, quantum ipsius ecclesiæ utilitati consulere videris. Datum Tibure, XIII kalendas junii, anno nono.

CLXIII

Ad episcopum Pictavensem.

20 maii 1225.

[Regest., lib. IX, epist. 333. Mss. La Porte du Theil.]

Facit ei potestatem sacerdotes quosdam, diœcesis suis a causis civilibus dicendis cohibendi.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri... episcopo Pictavensi, salutem et Apostolicam benedictionem.

Non decet Domini sacerdotes lucris temporalibus more sæcularium inhiare, unde sacerdotale nomen abominabile redditur cordibus infirmorum. Ex tua sane relatione didicimus, quod nonnulli civitatis et diœcesis tuæ presbyteri passim quæstibus inhiantes, calcata sacerdotalis officii digni-

tate, sine delectu aliquo in quibuslibet causis assumunt officium advocati, exercentes illud nimium impudenter pro temporali quæstu in foro ecclesiastico, et civili, ex quo nonnullis efficiuntur in scandalum, et aliis in contemptum. Sunt et alii tam canonici, quam clerici diœcesis supradictæ, qui clericalis honestatis obliti diversis et variis sæcularibus negotiationibus se immiscent, emptioni et venditioni mercimoniorum sic dediti, ut negotiatores verius quam clerici videantur, quod utique decus facit vilescere clericale. Quia vero valde, ut asseris, metuis, ne si prædicti sacerdotes, et clerici ab hujusmodi non quiescant sicut populus sic sacerdos existat, fraternitati tuæ, plenam de te fiduciam obtinentes, concedimus, ut auctoritate nostra illos valeas a talibus cohibere, nisi proprias causas, vel ecclesiarum suarum, aut personarum miserabilium, quæ prosequi causas suas nequiter fuerint prosecuti, cum inconveniens sit presbyteris ad ministerinm corporis, et sanguinis Domini deputatis judiciorum strepitum, et lites amare, neque deceat Christi ministros sæcularibus implicari negotiis, quibus nemo debet Deo militans se miscere. Datum Tibure, XIII kalendas junii, anno nono.

CLXIV

Ad eumdem.

21 maii 1225.

[Regest., lib. IX, ep. 334. Mss. La Porte du Theil.]

Indulget ei ut clericos ipsius servitio occupatos pluribus beneficiis valeat providere.

Honorius, etc., eidem.

Dignum est et conveniens, ut clericos tibi subditos circa te in tuo servitio commorantes, abundantiori debeas caritate tractare, et provisionis eis manum liberalius aperire. Significasti siquidem nobis, quod clerici tui tibi familiariter obsequentes, et una tecum in agendis episcopalibus fideliter laborantes, minus sufficientem provisionem assecuti noscuntur, maxime cum in partibus illis ita sint exilia beneficia, quod de uno non potest alicui congrue provideri. Unde devote plurimum supplicasti, ut dispensative auctoritate nostra posses tribus de prædictis clericis alias beneficiatis in ecclesiastico beneficio providere, quod etiam simili ratione prædecessori tuo a nobis asseris de gratia fuisse concessum. Nos vero fraternitatis tuæ precibus inclinati, præsentium tibi auctoritate gratuita benignitate concedimus, ut circa duos de memoratis clericis, si nondum ut cum aliquibus, valeas in casu simili dispensare tibi per Sedem Apostolicam est indultum, dispensative valeas hujusmodi gratiam exercere. Datum Tibure, XII kalendas junii, anno nono.

CLXV

Ad episcopum Lemovicensem.

24 maii 1225.

Regest., lib. IX, epist. 335. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat ut ecclesiam Dauratensem personis idoneis ordinet.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri... episcopo Lemovicensi, salutem et Apostolicam benedictionem.

Ad nostram audientiam te significante pervenit, quod cum olim ex insinuatione quorumdam canonicorum Dauratensis ecclesiæ nostro fuisset Apostolatui reseratum ecclesiam esse inordinatam eamdem, et quod propter servitorum defectum debito servitio fraudaretur, ordinationem ipsius dilectis filiis magistro Durando, Lemovicensi archidiacono et collegis suis duximus committendam, qui cum ad eamdem ecclesiam accessissent, ut eam de personis idoneis juxta mandatum Apostolicum ordinarent, canonici ecclesiæ memoratæ, ut mandatum nostrum eludere valerent, ordinatoribus ipsis in canonicis suis receptis ordinationis litteras suppresserunt, propter quod ecclesia ipsa hactenus inordinata remansit. Ne igitur canonici supradicti se sic elusisse mandatum Apostolicum glorientur, et de dolo, ac fraude sua se commodum gaudeant reportasse, ordinationem ecclesiæ memoratæ tibi, de cujus discretione gerimus fiduciam pleniorem, duximus committendam, fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus ad ecclesiam ipsam accedens, et habens præ oculis solum Deum, ipsam, si est ita, juxta facultates ejusdem de personis idoneis ordinare procures. Contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Datum Tibure, nono kalendas junii, anno nono.

CLXVI

Ad Uriam abbatem ejusque fratres.

26 maii 1225.

[Fejer, Cod. diplom., III, II, 32.]

Monasterium S. Martini super Pannoniam, ordinis S. Benedicti tuendum suscipit, omnesque ejus possessiones ac bona confirmat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati S. Martini super Pannoniam ejusque fratribus tam præsentibus quam futuris, regularem vitam professis in perpetuum.

Effectum justa postulantibus indulgere tam vigor æquitatis, quam ordo exigit rationis, præsertim quando petentium voluntates et pietas adjuvat, et justitia non relinquit. Quapropter, dilecti in Domino filii, vestris inclinati postulationibus clementer annuimus, et præfatum monasterium S. Martini super Pannoniam situm, ad jus et proprietatem Apostolicæ Sedis nullo pertinens mediante, in quo divino estis obsequio mancipati, ad exemplar felicis recordationis Innocentii papæ, prædecessoris nostri, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti privilegio communimus. In primis siquidem statuentes, ut ordo monasticus qui secundum Deum et beati Benedicti regulam in eodem loco institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea quascumque possessiones, quæcumque bona idem monasterium in præsentiarum juste et canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis :

Locum ipsum in quo præfatum monasterium situm est, cum omnibus pertinentiis suis. In episcopatu Jaurinensi : Sancti Martini in Sabaria, Sancti Vilibaldi, Sanctæ Mariæ de Capella, Sanctæ Mariæ in Fuzigten, Sancti Adalberti in Vosiam, et Sanctæ Crucis in Heremo ecclesias cum pertinentiis earumdem. In archiepiscopatu Strigoniensi : ecclesiam Sanctæ Mariæ, cum pertinentiis suis in loco, qui dicitur Wag et Sala. In episcopatu Wesprimiensi Sancti... in villa Quenrusigh, Sancti Salvatoris, in villa Tord, Sancti Martini, in villa Tepei, Sancti Ladislai, in villa custodum porcorum, Sancti Martini in Bina, et Sancti Ladislai in Almas, ecclesias cum pertinentiis earumdem; possessiones etiam, quas habetis in villis, videlicet Buzeti, Toriani, Huiloc, Milaza, Saag, Sennan, Jelben, Chomouch, Echy, Hecce, Zaglon, Veynace, Fuzigten, Olup, Luzan, Teenen, Fus, Curthou, Lava, Sala, Vorjan, Vene, Sanctæ Crucis, Laxi, Praileo, Scelens, Bina, Temerd, Fonold, Zidhig, Tepei, Merene, Cutus, Colon, Higmogos, Capulchi, Scigued Feu, Funez, Balvanz, Bagaad, et villas Bata cum pertinentiis suis, et Bodrod et partem quam habetis in sylva Seliz, juxta villam custodum porcorum, partem quoque quam habetis in villa et terra de Nema cum ecclesia Omnium Sanctorum; villam de Pleubren, et de Cichon, de Gamas, de Sochron, et de Carl prædia.

Libertates quoque, jura et dignitates a S. Stephano vel aliis regibus pie ac provide monasterio vestro concessas, ratas habemus, et firmas easque salvis Ecclesiæ Romanæ, ac legatorum ejus, institutionibus illibatas manere sancimus. Decimas etiam quas a quadraginta annis retro prædictum monasterium inconcusse possedisse dignoscitur, bona fide, vobis et eidem monasterio auctoritate Apostolica confirmamus. Liceat quoque vobis personas liberas et absolutas e sæculo fugientes ad conversionem recipere, et eas absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper, ut nulli fratrum vestrorum post factam in eodem monasterio professionem fas sit sine abbatis sui licentia, nisi arctioris religionis obtentu, de eodem suo loco discedere; discedentem vero absque communium litterarum cautione nullus audeat retinere.

Chrisma vero, oleum sanctum, consecrationes altarium sive basilicarum, ordinationes clericorum, qui ad sacros ordines fuerint promovendi, a diœcesano suscipietis episcopo, si quidem catholicus fuerit, et communionem sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ habuerit. Quum autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis clausis januis, exclusis excommunicatis et interdictis, et non pulsatis campanis, submissa voce divina officia celebrare. Monachos vero et moniales eidem monasterio

subditas, sine cujusquam prohibitione liceat vobis regulariter judicare.

Insuper auctoritate Apostolica inhibemus, ne quis archiepiscopus, vel episcopus ad monasterium vestrum accedat causa ordinis, vel missas publicas celebrandi, nisi ab abbate fuerit invitatus. Præcipimus autem, ne quis populum ad monasterium vestrum vel ejus ecclesias accedere, aut ejus beneficia, quæ voluerint ex charitate largiri, prohibere præsumat; sed ea monasterium ipsum gaudeat libertate, qua gaudet monasterium Cassinense, sicut a prædecessoribus nostris eidem monasterio est indultum. Ad hæc mitram, virgam pastoralem, annulum et alia insignia, quæ a quadraginta annis retro abbates monasterii vestri, qui pro tempore præfuerunt, ex concessione Romanorum pontificum habuisse noscuntur, vobis et monasterio vestro auctoritate Apostolica confirmamus. Obeunte vero te nunc ejusdem loci abbate vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet subreptionis astutia, seu violentia præponatur, nisi quem fratres communi consensu vel fratrum pars majoris et sanioris consilii, secundum Deum et B. Augustini regulam, providerint eligendum. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatum monasterium temere perturbare aut ejus possessiones auferre, vel abbatas retinere, minuere seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur, eorum pro quorum gubernatione et sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva Sedis Apostolicæ auctoritate, ac in ecclesiis, non exemptis, diœcesanorum episcoporum canonica ratione justitia. Si quis igitur in futurum ecclesiastica sæcularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis dignitatisque suæ careat honore, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore et sanguine Dei et Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus, sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus et hic fructum bonæ actionis percipiant, et apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen.

Datum Tibure, per manum magistri Guidonis, domini papæ notarii, VII kal. junii, indictione XIII, Incarnationis Dominicæ anno MCCXXV, pontificatus vero domini Honorii papæ III anno nono.

CLXVII

Ad Geuriensem et Albensem præpositos et abbatem de Pelis.

28 maii 1225.

[Fejer, Cod. dipl. Hungariæ, III, II, 38.]

Eis causam inter fratres hospitalis Hierosolymitani ex parte una et Uriam, abbatem S. Martini de Pannonia, Gueuriensis diœcesis ex altera super quibusdam decimis diu pendentem definiendam committit.

Honorius, etc.

Olim dilecti fratres Hospitalis Hierosolymitani de Hungaria, sua nobis petitione monstrarunt, quod quum causam inter ipsos ex parte una, et abbatem S. Martini de Pannonia, Gueuriensis diœcesis, ex altera, super quibusdam decimis, coram diversis judicibus, a Sede Apostolica delegatis, diutius agitatam, demum de procuratorum utriusque partis assensu venerabili fratri nostro archiepiscopo Colocensi et conjudicibus suis commisimus infra certum terminum decidendam, et ipsis receptis ac publicatis partium testibus tantum processissent in ea quod non restabat, nisi sententiam promulgare; quia per negligentiam partis alterius ipsam terminare, infra expressum in litteris nostris terminum nequiverunt, eamdem ad nos remiserunt sufficienter instructam, præfixo partibus termino competenti, quo se propter hoc nostro conspectui præsentarent; ad quem dictus abbas quum nec venire curasset, nec mittere responsalem procuratorem ipsorum, qui propter hoc apud Apostolicam Sedem traxerat longam moram, petentes ut sibi refundi faceremus expensas, quas inutiles reddiderat abbatis negligentia supradicti. Nos acta judicii ejusdem judicibus sub bulla nostra remittentes inclusa, eis per nostras dedimus litteras in mandatis, ut eisdem actis diligenter inspectis, tam principalem quam expensarum causam infra sex menses post primæ citationis edictum fine debito terminarent. Cæterum fratribus ipsis, propter magistri sui absentiam et alia impedimenta,

uti hujusmodi litteris differentibus, dictus abbas eisdem judicibus a nobis per litteras nostras dari obtinuit in præceptis, ut in causa ipsa procederent juxta priorum continentiam litterarum, de eo quæ causa fuerat ad nos instructa, transmissa et remissa per negligentiam ejus ad judices suos prædictos, ac de litteris super hoc ab ipsis fratribus impetratis non habita mentione; quumque ipsi fratres hujusmodi litterarum, auctoritate citati proponerent coram præfatis judicibus, quod earum auctoritate procedere non debebant, pro eo quod in eis mentio de prædictis aliqua non fiebat, ipsi judices nihilominus post appellationem ad nos legitime interpositam, in negotio perperam procedentes, definitivam contra eos supra principali sententiam protulerunt, et auctoritate litterarum pro parte hospitalis impetratarum, in negotio procedere denegarunt, super jam dictis expensis nihil penitus decernendo. Quum autem venerabili fratri nostro episcopo Agriensi et suis conjudicibus in communi forma commisissemus hujusmodi quæstionem, præfatus abbas ad Apostolicam Sedem accedens, coram venerabili fratre nostro Albanensi episcopo, sibi a nobis auditore concesso, proposuit quod olim ipse pro se et conventu suo litigante, contra fratres eosdem coram felicis reminiscentiæ I. papa prædecessore nostro, super decimis, de omnibus villis et possessionibus, quas in comitatu Simegh habet hospitale prædictum, et lite coram eo legitime contestata, demum post diversas, hinc inde commissiones obtentas, super hoc fuit a nobis dicto archiepiscopo et suis conjudicibus causa commissa, qui quum ad nos remisissent eamdem, nec de ipsius nobis meritis constare potuisset ad plenum. Nos eis postquam fuit coram nobis aliquandiu disputatum, dedimus iterum in mandatis ut ipsum juxta formam in prioribus sibi traditam litteris terminarent. Quumque ab eis prædictis fratres frustratorie provocassent, iidem judices appellationi non deferentes eorum, quam frivolam reputabant, definitivam pro eodem abbate ac conventu sententiam exigente justitia promulgarunt. Verum præfati fratres prædicto Agriensi episcopo, et ejus collegis snper appellatione sua litteras obtinuerunt Apostolicas destinari, qui ultra duas diætas a prædictorum abbatis et conventus distabat ditione, propter quod eos de jure non poterant ad suum vocare judicium; quum id ex litterarum ipsarum beneficio non haberent. Verum quum pro parte adversa quidam comparuisset, et ad impetrandum et contradicendum proponendas excusationes, ad recipiendum terminum per prioris et fratrum ipsius hospitalis litteras procurator, cui festum Resurrectionis Dominicæ proxime præteritum terminus fuit, quo priorem hospitalis venturum asseruit, assignatus, et nec in prædicto termino, nec post ipsum, exspectatus aliquamdiu, comparuerit aliquis pro prædicto hospitali legitimus responsalis, petebat idem abbas, ut prædictam confirmaremus sententiam, et executioni mandare faceremus eamdem, mandantes partem adversam ad restitutionem fructuum medio tempore perceptorum, et ad satisfactionem expensarum, quas propter hoc idem monasterium sustinuit, condemnari. Quia vero memoratus Albanensis propter defectum procuratoris hospitalis, mandatum ad agendum sufficiens non habentis, in dicto negotio non potuerit habere processum, discretionibus vestris, de abbatis et procuratoris eorumdem assensu per Apostolica scripta mandamus, quatenus de appellatione legitime cognoscentes, et sententiam confirmantes vel infirmantes, eamdem, sicut de jure fuerit, appellatione postposita, statim facientes, quod debetis, per censuras ecclesiasticas firmiter observari. Testes, etc. Quod si non, etc. Datum Tibure, V kalendas junii, anno nono.

CLXVIII

Ad episcopum Portuensem, A. S. legatum.

[Regest., lib. IX, epist. 338. Mss. La Porte du Theil.]

28 maii 1225.

Mandat ei ut sententiam interdicti et excommunicationis, quam in episcopum Tullensem tulerat, relaxet.

Honorius, etc., venerabili fratri..... episcopo Portuensi, Apostolicæ Sedis legato, salutem et Apostolicam benedictionem.

Intellecto per litteras tuas, qualiter contra..... Tullensem episcopum processisti, suspensionis primo, ac postmodum in eum excommunicationis sententias promulgando nos volentes potius in misericordia, quam judicio, et in mansuetudine quam rigore

ipso procedere, fraternitati tuæ per stolica scripta mandamus, quatenus entias ipsas sine difficultate relaxans, l propter hoc injungas eidem. Quod si e adeo egeris in remotis, quod ipse ad ine dispendio venire non poterit, comtas super hoc aliquibus viris prudentibus es tuas, qui relaxationem hujusmodi e tua fideliter exsequantur. Verum quia ribus aliis legationis negotiis occupatus iendæ inquisitioni super eo, quod idem iscopus pecuniam, quam de vicesima et demptione votorum, necnon de truncis llectam non in Terræ Sanctæ subsidium, d in proprios usus dicitur convertisse cum uibusdam potentibus, et quibusdam alias ansire volentibus, dispensando commode nteresse non posses, dilectis filiis H. et H. rchidiaconis et magistro G. de Laudunensi, anonico Remensi, nostris dedimus litteris n mandatis, ut inquirentes super his diligentius veritatem, si rem ita esse compererint, Tullensi ecclesia indemni servata, dictum episcopum ad deponendum eamdem pecuniam in subsidium Terræ Sanctæ, auctoritate nostra, sublato appellationis impedimento, compellas, quantitatem depositi, et locum in quo fuerit, et quicquid super præmissis invenerint, nobis fideliter rescripturi. Datum Tibure, V kalendas junii, anno nono.

CLXIX

Ad abbatissam et conventum monasterii de Gerbestat.

4 junii 1225.

[Thuringia sacra, 9, n. 11.]

Monasterium de Gerbestat sub beati Petri et sua protectione suscipit.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis in Christo filiabus abbatissæ et conventui de Gerbestat, salutem et Apostolicam benedictionem.

Cum a nobis petitur quod justum est et honestum, tam vigor æquitatis, quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Eapropter, dilectæ in Domino filiæ, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, personas vestras et locum, in quo divino estis obsequio mancipatæ, cum omnibus bonis, quæ in præsentiarum rationabiliter possidetis, aut in futurum justis modis, præstante Domino, poteritis adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus; specialiter autem possessiones de Gerbestat ac alia bona vestra, sicut ea juste, canonice et pacifice possidetis, vobis et per vos monasterio vestro auctoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis et protectionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Tibure, II non. junii, pontificatus nostri anno nono.

CLXX

Ad Romanum, Sancti Angeli cardinalem, A. S. legatum.

4 junii 1225.

[Bouquet, Rec. des Hist., XIX, 767. Regest., lib. IX, ep. 351.]

Donec Fulchesius de Breante, crucesignatus, Henrico regi Angliæ reconciliatus fuerit, det operam legatus, ut a rege Ludovico impetret pro dicto Fulchesio licentiam in Francia commorandi.

Honorius episcopus..., dilecto filio R. Sancti Angeli diacono cardinali, A. S. legato, salutem, etc.

Cum ad reconciliandum dilectum filium nobilem virum Fulchesium de Breante carissimo in Christo filio nostro Henrico, illustri regi Anglorum, domino suo, sollicite intendamus, discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus des operam efficacem ut carissimus in Christo filius noster Ludovicus, rex Francorum illustris, eumdem nobilem, specialiter pro reverentia Jesu Christi, cujus est charactere insignitus, et nostra, in regno suo libere commorari permittat, quousque reconciliatus fuerit dicto regi Anglorum, vel circa executionem voti sui accepto tempore opportuno duxerimus providendum. Dilecto filio Roberto Passalawe clerico commorandi interim in regno eodem efficaciter studeas licentiam obtinere, mandatum nostrum ita sollicite impleturus, quod ipsi ad devotionem tuam ex hoc specialiter provocentur, et nos prudentiam et sollicitudinem tuam

merito commendemus (1). Datum Tibure, pridie nonas junii, anno nono.

CLXXI

Ad priorem et conventum monasterii de Vlinchusensen.

8 junii 1225.

[Hugo, Annal. Præmonst., II, prob. 271.]

Fratres Vlinchusenses et bona eorum sub Apostolica protectione suscipiuntur et confirmantur.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis priori et conventui monasterii de Vlinchusen, salutem et Apostolicam benedictionem.

Cum a nobis petitur quod justum est et honestum, tam vigor æquitatis quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, personas vestras et locum, in quo divino estis obsequio mancipati, cum omnibus bonis, quæ in præsentiarum rationabiliter possidet, aut in futurum justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus. Specialiter autem libertates et immunitates a venerabili fratre nostro archiepiscopo Coloniensi, et prædecessoribus suis, capituli sui accedente consensu, monasterio vestro sua liberalitate concessas, ac alia bona vestra, sicut ea omnia juste, canonice ac pacifice possidetis, et in litteris eorumdem archiepiscoporum exinde confectis dicitur plenius contineri, vobis et per vos eidem monasterio vestro auctoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo hominum, etc. Si quis autem, etc. Datum Tibure, VI idus junii, pontificatus nostri anno nono.

(1) Legati rescriptum recitat Th. Rymer, t. I, part. I, p. 94, in hunc modum :

« Domino Papæ. Sanctitati vestræ duxi tenore præsentium intimandum quod, antequam ad me litteræ vestræ quas mihi misistis pro facto Fulcasii pervenissent, idem in Burgundia captus erat. Quibus devote receptis, et quæ continebantur in eis intellectis, statim illis personis scribere diligentius procuravi, per quas ipsum credebam debere restitui libertati.

« Recepi postmodum litteras et nuncios ex parte regis Angliæ illustris, quibus intellexi quod tam ipse rex quam fere totum regnum Angliæ pro missione ejusdem Falcasii quam faciatis, turbati sunt plurimum et commoti; et ipsius inimici, derisionem ejus in hac parte percipientes, elati sunt in superbiam. Unde videtur per hoc, quod negotium pacis vel treugarum inter eumdem et regem Francorum illustrem, pro quo tantum (Deus novit) laboravi, non possit in effectum mancipari; et sic, per consequens, negotium Albigensium patet, sicut credimus, retardari.

« Cum itaque, diebus istis, propter malitias hominum, et regum et regnorum sint scandala evitanda, cum totus mundus fere sit positus in maligno (plus etiam quam creditis), si placet, Sanctitas vestra provideat quid sit exinde faciendum. »

CLXXII

Ad Petrum, Meldensem episcopum, etc.

10 junii 1225.

[Bouquet, Rec. des Histor., XIX, 768. Regest., lib. IX, epist. 384.]

Impugnante dudum Roberto de Curtinaio Guidonis de Castellione cum Agnete Nivernensi comitissa matrimonium, rursum et tertio rei veritatem requirit Honorius.

Honorius episcopus..., venerabili fratri episcopo Meldensi (2), et dilectis filiis abbati Ermeriarum Parisiensis diœcesis, et cantori Meldensi, salutem, etc.

Cum causa matrimonii inter nobiles virum G(uidonem) de Castellione et A(gnetem) mulierem contracti sit ardua, tum ex eo quod magnum est in Ecclesia Dei matrimonii sacramentum, tum etiam ratione contrahentium personarum, decet nos super ipsa, libratis singulis circumstantiis, providere quod circumspectio exigit Sedis Apostolicæ consueta. Dudum ergo nobili viro R(oberto) de Curtinaio, qui neptem suam asserit mulierem eamdem, prædictum matrimonium accusante, nos causam super hoc sub communi forma venerabili fratri nostro Catalaunensi episcopo et suis conjudicibus duximus committendam : quibus per iterata scripta præcepimus ut in eadem causa procederent juxta traditam sibi formam. Postmodum vero ad abbatem Aremarensem et collegas ipsius quædam a nobis super hoc obtentæ sunt litteræ, non facientes de prioribus mentionem, qui tum ex hoc, tum quoniam alteri parti fuere suspecti, negotio supersedere curarunt (3).

Nuper autem dilectus filius magister Andreas, ejusdem G(uidonis) procurator, coram nobis proposuit quod, sicut a multis audierat, prædicti G(uido) et uxor ipsius in quarti et quinti consanguinitatis gradus

(2) Petro de Cuizi.

(3) Ea de re actum fuit supra, lib. VIII, ep. 37, pag. 455.

distantia se contingunt, adjiciens quædam alia, si hoc non prodesset ad corroborationem matrimonii memorati. Quocirca discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus quatenus, vocatis qui fuerint evocandi, diligenter de omnibus inquirentes, per litteras vestras exponatis nobis plenius veritatem, ut per fidelem relationem vestram instructi, dante Deo, super hoc providere possimus quod in tali articulo viderimus providendum. Quod si non omnes, etc. Datum Tibure, IV idus junii, anno nono.

CLXXIII

Ad Dominicum priorem ordinis Prædicatorum et fratrem Martinum.

10 junii 1225.

[Wadding, Annal. Minorum, II, 124.]

Eis concedit ut liceat prædicare, baptizare ad fidem noviter venientes, injungere pœnitentias, etc.

Vineæ domini custodes, licet immeriti, positi et cultores, necesse habemus in eam mittere operarios, distribuendo singulis ministeria secundum virtutem, juxta quam valeant officiosius operari. Attendentes igitur, quod abnegantes vos ipsos, animas vestras pro Christo ponere cupitis, ut lucri faciatis sibi animas aliorum, eo quod nullum sacrificium Deo constat esse acceptius, quam lucrum quærere animarum : vos in regnum Miramolini Sedis Apostolicæ transmittit auctoritas, ut evangelizantes illic Dominum Jesum Christum, quantum ipse dederit, convertatis incredulos, erigatis lapsos, sustentetis debiles, pusillanimes consolemini, et fortes nihilominus confortetis. Ut autem ministerium vestrum confidentius exsequamini, concedimus, ut in prædicta duntaxat regione vobis liceat prædicare, baptizare, Saracenos ad fidem noviter venientes, et reconciliare apostatas, injungere pœnitentias, et excommunicatos illos absolvere, qui ad Sedem Apostolicam commode non possunt accedere; liceatque vobis in terra illa in eos quos hæreticos esse constiterit, excommunicationis sententiam promulgare. Inhibemus quoque, ne cui Christiano liceat vos de terra illa ejicere violenter. Præcipimus autem vobis in virtute sanctæ obedientiæ, ut his nullatenus præsumatis abuti, sed tamquam inconfusibiles operarii Jesu Christi, ita irreprehensibiliter vos geratis, quod a summo patrefamilias retributionis denarium mereamini, et nos majora vobis possimus committere confidenter. Datum Reate, IV idus junii pontificatus nostri anno nono.

CLXXIV

Ad cantorem Sancti Amati Duacensis et conjudices ejus.

10 junii 1225.

[Lockeren, Chartes de l'abbaye de S.-Pierre, 252, n. 481.]

Eis in causa, quæ vertitur inter abbatem conventumque S. Petri Gandensis et abbatissam monasterii in villa de Harnes, Cisterciensis ordinis, mandata dat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis cantori Sancti Amati Duacensis et conjudicibus ejus datis, in causa quæ vertitur inter abbatem et conventum Sancti Petri Gandensis ex parte una, et abbatissam et conventum de Brahelle, ex altera, salutem et Apostolicam benedictionem.

Dilecti filii abbas et conventus Sancti Petri Gandensis sua nobis petitione monstrarunt, quod olim Adæ mulieri liberaliter concesserunt, ut in eorum territorio de Harnes ad opus quarumdam religiosarum mulierum domum construeret et capellam ipsamque domum ab omni subjectione monasterii sui, necnon a decimatione ac parte oblationum, quas in domo ipsa offerri contigerit, absolverunt. Cæterum præcavere volentes, ne hujusmodi liberalitas sibi damnosa existeret in futurum talem pactionem cum præfata muliere fecerunt, ut videlicet personæ prædictæ domus non possent emere, seu in pignus recipere, aut titulo quocumque acquirere possessionem aliquam ad præfatum territorium pertinentem, eorumque concessionem factam sub pactione hujusmodi diœcesanus episcopus ad ipsorum et præfatæ mulieris instantiam, approbavit. Cumque abbatissa, quæ ibi creata postmodum extitit, et sorores ipsius, Cisterciensis ordinis, venire contra id, inde lite, attentarent, dictus abbas volens indemnitati sui monasterii præcavere, fecit sub certa pœna in villa de Harnes arctius inhiberi, ne quis de villa ipsa præfatis abbatissæ ac sororibus possessiones aliquas donaret, venderet vel legaret. Abbatissa vero

et conventus prædictæ ad vos quasdam a nobis impetraverunt litteras contra eos, quæ nullam faciebant mentionem de concessione, pactione, seu inhibitione prædictis, sed simpliciter continebant, quod abbas et conventus prædicti super terris et rebus aliis injuriantur eisdem. Et cum abbatissa et conventus prædictæ peterent occasione hujusmodi litterarum ut dictus abbas inhibitionem, quam fecerat, revocaret, et dies ad proponendas omnes exceptiones dilatorias esset partibus assignata, abbatissa et conventus jam dictæ sive forte advertentes hujusmodi litteras esse, tacita veritate, subreptas, sive forte de jure sicut merito poterant diffidentes eamdem postmodum prosequi non curarunt. Unde abbas et conventus jam dicti attendentes quod sine gravi detrimento monasterii sui non possit infringi pactio supradicta, nobis humiliter supplicarunt, ut pactionem eamdem tanquam proinde factam, et ut prædictum est, per diœcesanum episcopum approbatam, faceremus inviolabiliter observari. Quia vero nobis non constitit de præmissis, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus partibus convocatis et auditis, hinc inde propositis, quod canonicum fuerit, appellatione postposita, statuatis, facientes quod statueritis per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Testes autem, qui fuerint nominati, si se gratia, odio vel timore subtraxerint per censuram eamdem, appellatione cessante, cogatis veritati testimonium perhibere. Quod si non omnes his exsequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nihilominus exsequantur. Datum Tibure, IV idus junii, pontificatus nostri anno nono.

CLXXV

Ad præceptorem et fratres domus Sanctæ Mariæ Theutonicorum.

10 junii 1225.

[Fejer, Cod. diplom., III, II, 41.]

Laudata fratrum Theutonicorum in retinenda terra Borza constantia, ipsos de sua provisione, ut illam retineant, securos reddit.

Honorius, etc., præceptori et fratribus domus Sanctæ Mariæ Theutonicorum in Borza consistentis.

Recepimus litteras quas super gravaminibus atque minis vobis a carissimo in Christo filio nostro, illustri rege Hungariæ, illatis, vestra nobis discretio destinavit; virtutis vestræ constantiam in Domino commendantes, quod sicut eædem litteræ continebant, quum nec litteris sub obedientiæ jugo pro nullis minis sive terroribus terram dimitteretis eamdem sine nostra vel magistri vestri licentia speciali. Noveritis autem nos ipsi regi et aliis nostras super hoc litteras destinasse quales vidimus expedire; ac Deo auctore ita providere curabimus quod non oportebit vos dimittere terram ipsam, sed eam tenebitis cum favore et benevolentia dicti regis. Vos ergo, sicut viri prudentes, terram ipsam domui vestræ regia liberalitate donatam, et a Sede Apostolica confirmatam, solita diligentia conservetis, securi de nostra et Apostolicæ Sedis gratia et favore. Datum Tibure, IV idus junii, anno nono.

CLXXVI

Ad abbates de Lineweld, de Kercz et de Egris, Palaviensis, Ultrasylvanæ et Cenadiensis diœcesum.

10 junii 1225.

[Fejer, Cod. diplom., III, II, 42.]

Abbates de Lineweld, Kercz et Egris, num equites Theutonici limites ab Andrea rege Hungariæ sibi concessos excesserint, investigare jubet.

Honorius... de Lineweld,... de Kercz et de Egris, abbatibus Pataviensis, Ultrasylvanæ et Cenadiensis diœcesum.

Dolemus, quoties audimus, etc., *usque* furantur. Unde prænominatum regem rogandum duximus, monemus ac obsecramus in Domino Jesu Christo, ut hoc prudenter attendens, etc., *usque* per eosdem. Ideoque discretionibus vestris per Apostolica scripta mandamus, quatenus ad loca ipsa personaliter accedentes, limites in præfato privilegio dicti regis expressos, curetis inspicere diligenter, et si videritis ipsos fratres aliquid extra eosdem terminos temere occupasse, nostra eis auctoritate injungere procuretis ut et ea præfato regi libere restituant, sine mora ; et quidquid inveneritis super præmissis et feceritis, nobis fideliter relaturi, ut si quid remanserit quæstionis, nostræ provisionis studio sopiatur. Ad hoc mandavimus dicto regi, ut et

vos prædicta libere investigare permittat, et suos cum vestris mittat nuntios, si sibi videbitur expedire, investigationis hujusmodi seriem inspecturos; certus quod sicut injusta sæpedictorum fratrum gravamina sustinere in patientia nolumus, sic jura ejus illæsa sibi volumus conservare; quum eumdem tanquam egregium et catholicum principem habeamus in visceribus caritatis. Quod si non omnes, etc. Datum *ut supra* (1).

CLXXVII

Ad episcopum Furconensem, abbatem S. Mariæ de Nocer et præpositum S. Johannis Trivet. et Marsic. diœcesis.

11 junii 1224.

[Ughelli, Italia sacra, I, 1371.]

Eis causam vertentem inter præpositum capitulumque S. Pamphili Sulmonensis, Valvensis diœcesis, ex parte una, et capitulum S. Pelini Valvensis ex altera, super jure eligendi Valvensem episcopum committit terminandam.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri nostro episcopo Furconensi, et dilectis filiis abbati Sanctæ Mariæ de Nocer, et præposito Sancti Joannis Celamensis, Trivet. et Marsic. diœcesis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Sua nobis præpositus et capitulum S. Pamphili Sulmon., Valvensis diœcesis, insinuatione monstrarunt, quod olim orta inter ipsos ex parte una et capitulum Sancti Pelini Valvensis, super jure eligendi Valvensem episcopum quæstione, et causa super hoc bonæ memoriæ Pennensi episcopo a felicis recordationis Innocentio papa prædecessore nostro commissa, eodem episcopo viam universæ carnis ingresso, eadem usque ad calculum sententiæ diffinitivæ deducta remansit hactenus indecisa; unde humiliter petierunt, ut eam terminari per alios mandaremus, ideoque per Apostolica scripta mandamus, quatenus receptis prioris actis judicii, causam ipsam juxta priorum continentiam litterarum, appellatione remota, ratione prævia terminetis. Quod si non omnibus his cognoscendis potueritis interesse, tu, frater episcope, cum eorum altero eam nihilominus exsequaris. Datum Tibure, III idus junii, pontificatus nostri anno nono.

CLXXVIII

Ad episcopum Portuensem A. S. legatum.

12 junii 1225.

[Fejer, Cod. diplom., III, II, 47.]

Has suas adhortatorias per legatum suum Andreæ regi præsentari persuaderique jubet.

Honorius, etc., episcopo Portuensi, Apostolicæ Sedis legato, salutem.

Qualiter scribamus carissimo in Christo filio nostro, illustri regi Hungariæ, super gravaminibus, quæ dilectis filiis, fratribus domus S. Mariæ Theutonicorum in terra Borzæ, ac ultra Montes Nivium dicitur intulisse, tenor litterarum, quas super hoc ei dirigimus, te plenius edocebit. Quocirca fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus litteras nostras exponi facias per fidelem nuntium ipsi regi; et ipsum ad faciendum ea, quæ continentur in illis, moneas efficaciter et inducas; et si se in hoc durum, ultra quam deceat, exhibuerit, eidem denuntiare procures, quod nullo modo deesse poterimus in sua justitia fratribus antedictis; quia quantumcumque regiæ deferre sublimitati velimus, non debemus tamen deferre homini contra Deum. Datum Tibure, II idus junii, anno nono.

CLXXIX

Ad Andream, regem Hungariæ.

12 junii 1225.

[Fejer, Cod. dipl. Hung., III, II, 43.]

Eum rogat et monet ut super terra Bozæ fratres domus Theutonicorum non molestet.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, illustri regi Hungariæ, salutem et Apostolicam benedictionem.

Dolemus, quoties audimus te aliquid facere quod famæ tuæ obviet et saluti, desiderantes ut semper facias per quæ Deo et hominibus debeas complacere. In tuis siquidem privilegiis perspeximus contineri, quod terram Bozæ, aut ultra Montes Nivium, fratribus domus Theutonicorum regia liberalitate donasti; unde terram ipsam sub Apostolicæ Sedis protectione suscepimus, et libertate donavimus speciali, adeo ut Apostolico privilegio statuimus eam nulli,

(1) Vide infra epistolam ad Andream, regem Hungariæ, col. seq.

nisi Romano pontifici subjacere, quatenus eadem colonis citius impleretur, suumque meritum eo altius surgeret, quo donum tuum Terræ Sanctæ uberius proveniret; frequenter autem ipsorum fratrum recipimus querimoniam, quod ipsos super terra eadem inquietas, et frequenter tibi super hoc direximus scripta nostra, rogantes et exhortantes, ut super hoc ab eorum inquietatione desisteres, quin imo, sicut honori tuo expedit et saluti ipsos, pro reverentia divina et nostra, defenderes et faveres. Nuper autem querelam eorumdem recepimus, continentem quod in quorumdam malignorum instinctu terram ipsam in grandi et gravi equitum multitudine intravisti, adeoque gravasti fratres ipsos, et eorum homines exactionibus ac expensis, quod eis damnificatis ad valentiam mille marcarum et ultra, terram ipsam, quam cum multo personarum et rerum dispendio populaverant, eis et ipsi Terræ Sanctæ pene penitus inutilem reddidisti; quoddam quoque castrum, quod ultra Montes Nivium multis construxerant laboribus et expensis, occupasti fratribus eorum ab eodem ejectis, et quum homines tui quosdam fratres et homines eorumdem occiderint, quosdam vulneraverint, et quosdam carceri mancipaverint, tu ab eis humiliter requisitus, ut super his satisfieri faceres, querimonias eorum et preces penitus obaudisti. Denique quum ex parte tua fuisset propositum coram nobis, quod ipsi fratres libertatis tuæ beneficio non contenti, sed egressi fines possessionum a te sibi concessarum intuitu pietatis, quasdam ex tuis possessionibus occuparant; nosque per litteras nostras mandavissemus eisdem, ut quum eos non deceat invadere aliena, et ipsas possessiones tuæ celsitudini restituerent, et ab occupatione aliorum bonorum tuorum de cætero abstinerent; tu, quod intelleximus, de possessionibus illis, quas dicebantur extra concessarum sibi terminos occupasse, nitens retorquere ad illas, quas illis, imo Deo, pia liberalitate donasti, et quæ ipsorum domus sunt, ad preces tuas auctoritate Apostolica confirmatæ, præcepisti easdem, ut terras ipsas, sicut jam diximus, a te sibi donatas intuitu pietatis, et a Sede Apostolica confirmatas, tibi continuo resignarent, eis, nisi tuæ jussioni parerent, gravia comminando. Profecto non deberes sic prosequi dona tua, quin imo terram ipsam, quasi plantam tuam, beneficiis rigare continuis et non hujusmodi oppressionibus et injuriis tuæ liberalitatis meritum apud Deum et homines denigrare. Quanquam hoc nequaquam clementiæ tuæ imputanda credamus, sed potius pravis suggestionibus malignorum, qui videntes præfatam terram per immensum dictorum fratrum studium profecisse, ac ejus cupidine, venenosis suasionibus te accendunt; non attendentes, quod nihil veraciter retinent, nisi quod liberalitate donatur. Magna quidem sunt, quæ dedisti fratribus antedictis, sed certe si devota meditatione pensaveris, quam multa et magna contulit tibi divinæ immensitas largitatis, non magna reputabis, quæ pie pro ejus honore et amore dedisti; sed potius cogitabis, te nunquam posse digna Deo retribuere pro omnibus, quæ retribuit ipse tibi; cogitabis et quia quum scriptum sit: Quod sua defunctos opera subsequantur; ea sola, quæ Domino dederis, tibi post vitæ præsentis exitum remanebunt; et sic non studebis, quæ Deo dedisti minuere, sed augere, ac sequi doctrinam evangelicam suadentem; ut studeas in cœlo tibi thesaurizare thesauros, ubi nec ærugo, nec tinea demolitur, et ubi fures non effodiunt, nec furantur. Rogamus igitur serenitatem tuam, monemus et obsecramus in Domino Jesu Christo, quatenus hoc prudenter attendens, et præfatas litteras nostras secundum sanum intellectum, superius expressum, accipiens, dictos fratres super terra pie a te sibi donata, de cætero non molestes, sed eam pacifice sibi dimittens, secundum limites in privilegio tuæ donationis expressos; prædicto castro eis libere restituto, et satisfaciens, ac satisfieri faciens de damnis et injuriis per te ac tuos eisdem hactenus irrogatis; sic eos, tum in aliis justitiis suis, tum specialiter in terra prædicta regalis potentiæ brachio protegas et defendas, quod in terra viventium gratam recipere debeas retributionem a Deo, qui nec bonum irremuneratum nec malum aliquod deserit impunitum. Porro si verum est dictos fratres aliquas possessiones tuas extra concessos sibi, tibi terminos occupasse, volumus, sicut et eis mandavimus, per litteras supradictas, ut tibi restituant omnia quæ extra ipsos terminos occupatá esse constiterit per eosdem. Unde dilectis filiis de Lineweld, de Kercz, de

Egris, abbatibus Passaviensis Ultrasylvanæ et Cenadiensis diœcesis, per nostras damus litteras in mandatis, ut ad loca ipsa personaliter accedentes, limites in præfato privilegio tuo expressos inspiciant diligenter; et si viderint ipsos fratres aliquid extra eosdem terminos temere occupasse, nostra eis auctoritate injungant, ut ea tibi libere restituant, sine mora, quidquid invenerint super præmissis et fecerint, nobis fideliter relaturi; ut si quid remanserit quæstionis, nostræ provisionis studio sopiatur. Tu ergo et ipsos prædicta libere investigare permittas, et si tibi videris expedire, tuos mittas nuntios cum eisdem, investigationis hujusmodi seriem inspecturos; certus quod sicut injusta sæpedictorum gravamina fratrum sustinere in patientia nolumus, sic jura tua illæsa tibi volumus conservare : quum te tanquam egregium et catholicum principem habeamus in visceribus caritatis. Datum Tibure, II idus junii, anno nono.

CLXXX

Ad abbatem Trenorchiensem.

14 junii 1225.

[Juenin, Hist. de l'abbaye de Tournus, preuv. 189.]

Ei concedit ut abbates et priores monasterio Trenorchiensi subjectos annis singulis ad capitulum apud idem monasterium celebrandum convocet et cum eis de correctione ac reformatione ordinis secundum beati Benedicti regulam salubriter tractet.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio abbati Trenorchiensi, salutem et Apostolicam benedictionem.

Cum a nobis petitur quod justum est et honestum, tam vigor æquitatis quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Cum igitur, sicut ex parte tua fuit propositum coram nobis, de approbata consuetudine habeatur, ut abbates et priores monasterio Trenorchiensi subjectos, annis singulis convoces ad capitulum apud idem monasterium celebrandum, cum eis de correctione et reformatione ordinis, secundum Deum, et beati Benedicti regulam salubriter tractaturus. Nos tuis precibus benignum præbentes assensum, id ratum et gratum habendo auctoritate Apostolica præcipimus firmiter observari. Nulli ergo, etc. Datum Tibure, XVIII kalendas junii, pontificatus nostri anno nono.

CLXXXI

Ad priorissam et conventum monasterii de Arnesse.

28 junii 1225.

[Riedel, Cod. dipl. Brandenb., XXII, 14, n. 23.]

Eis indulget ut cum generale interdictum terræ fuerit, liceat eis clausis januis, etc., divina officia celebrare.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis in Christo filiabus priorissæ ac conventui monasterii de Arnesse, ordinis Sancti Benedicti, Verdensis diœcesis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Solet annuere Sedes Apostolica piis votis et honestis petentium precibus favorem benivolum impertiri. Eapropter, dilectæ in Christo filiæ, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, auctoritate vobis præsentium indulgemus, ut, cum generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis clausis januis, excommunicatis et interdictis exclusis, non pulsatis campanis, nisi forsan causam dederitis interdicto, suppressa voce divina officia celebrare. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Reate, IV kalendas julii, pontificatus nostri anno nono.

CLXXXII

Ad capellanos capellarum S. Thomæ martyris, et S. Catherinæ virginis, sitarum in portu S. Vincentii Matisconensis.

7 julii 1225.

[Regest., lib. IX, epist. 369. Mss. La Porte du Theil.]

Ipsarum capellarum fundationem ac dotationem magistro Columbo Matisconensi canonico factam auctoritate Apostolica confirmat.

Honorius, etc., dilectis filiis capellanis capellarum Sancti Thomæ martyris, et Sanctæ Catherinæ virginis, sitarum in portu Sancti Vincentii Matisconensis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Justis petentium, etc., *usque* complere. Cum ergo bonæ memoriæ magister Columbus Matisconensis canonicus, episcopi et capituli Matisconensis accedente consensu, pro salute animæ suæ, suorumque parentum capellas prænominatas construxerit, et dotavit disponendo, ut viginti quatuor libræ Matisconensis monetæ præbendæ nomine, ac alia quædam, quæ in ejus dispositione plenius sunt expressa de dote capellarum ipsarum, exhibeantur singulis annis quatuor capellanis servientibus in eisdem, nos vestris justis precibus benignum impertientes assensum, dispositionem ipsam, sicut pie ac provide facta est, et in litteris inde confectis plenius continetur, auctoritate Apostolica confirmamus, etc., *usque* communimus. Nulli ergo, etc., hanc paginam nostræ confirmationis, etc. Si quis autem, etc. Datum Reate, VII idus julii, anno nono.

CLXXXIII

Ad Sigfridum archiepiscopum Maguntinum.

8 julii 1225.

[Wurdtwein, Nova subsidia, IV, 128.]

Ei mandat ut quosdam proventus studeat obligare, ita ut usque ad proximum festum Resurrectionis Dominicæ 1620 marcas colligat et eas in tuto loco deponat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri archiepiscopo Maguntino, salutem et Apostolicam benedictionem.

Quum olim tibi nostris dederimus litteris in mandatis, ut omnes omnino proventus et redditus Wormaciensis ecclesiæ colligi faciens eos in Franciam mitteres apud Trecas, ut exinde dilecto filio Mathæo Guidonis Marron et ejus sociis civibus Romanis satisfieret de pecunia, in qua est eis Wormaciensis ecclesia obligata, quia sicut intelleximus proventus ejus adeo sunt exiles, quod vix longo tempore posset ex eis a debitis eadem ecclesia liberari (1), fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus proventus eosdem studeas obligare, ecclesiarumque prælatos canonicos et alios clericos civitatis et diœcesis Wormaciensis, nec non cives et vassallos ecclesiæ, ut in hoc eidem subveniant, moneas propensius et inducas, et, si necesse fuerit, per censuram ecclesiasticam ac Judæos tam civitatis quam diœcesis Wormaciensis per subtractionem communionis fidelium ad id, appellatione remota, compellas. Ita quod usque ad proximum festum Resurrectionis Dominicæ mille sexcentas et viginti marcas colligas, computatis in ipsis quadringentis et triginta marcis jam collectis et eas in tuto loco deponas, et collecta pecunia ipsa nobis festines quantocius intimare, ut dictis Romanis de pecunia sibi debita celerius satisfiat et ecclesia ipsa facilius liberetur. Datum Reate, VIII idus julii, pontificatus nostri anno nono.

CLXXXIV

Ad episcopum Argentinensem, archidiaconum Remensem, decanum Brumiensem, Coloniensis diœcesis.

8 julii 1225.

[Regest., lib. IX, epist. 365. Mss. La Porte du Theil.]

Dat eis provinciam in causa electi Virdunensis definitive procedendi.

Honorius, etc., venerabili fratri episcopo Argentinensi, et dilectis filiis... archidiacono Remensi, et decano Brumiensi, Coloniensis diœcesis, salutem, etc.

Exhibita nobis dilecti filii R. Virdunensis electi petitio declaravit, quod super facto electionis suæ ipsius, et H. archidiaconi, ac quorumdam canonicorum Virdunensium adversariorum suorum procuratores ad nostram olim præsentiam accessissent, nos, audita petitione partis adversæ et quæ proposita fuerunt ab ipso venerabili fratre nostro.... Parisiensi episcopo

(1) Ecclesia Wormatiensis ingens debitorum onus contraxit et vix non ad incitas redacta est circa finem sæculi duodecimi, cum post obitum Henrici Cæsaris Panormi in Sicilia anno MCXCVII, III kal. octobris secutum, respublica inter duorum præpotentum æmulorum de imperio contendentium factiones lacerata et fatali interregno prostrata, continuis motibus agitari cœpisset Germania, quibus etiam Lupoldus, episcopus Wormatiensis, involutus fuit. Hinc, dum cuncta rapinis et populationibus partes utrinque miscebant, agro Wormatiensi tanta major incubuit vastitas, quod Lupoldus forte infeliciore ductus pro Philippo Suevo adversus Ottonem Saxonem stetit, eidemque constanter adhæsit.

Mala ecclesiæ Wormatiensis multum aucta fuere cum Lupoldus cum Sigfrido pro obtinenda cathedra Moguntina diu contendisset. Vide Schannat, *Hist. Worm.*, p. 363, etc.

et conjudicibus suis, sub certa forma litteras nostras direximus inter alia continentes, ut vocatis, qui vocandi essent super propositis, et aliis totum negotium contingentibus imquirerent veritatem, testes quos nominari contingeret juxta consuetam formam ad testimonium compellendo et præfigendo partibus terminum competentem, quo per se, vel procuratores idoneos nostro se conspectui præsentarent, justam sententiam recepturæ. Partibus ergo citatis non fuit processum in aliquo prima die. Cumque decem de parte adversa secundo termino comparuerint, et fuissent, si electo se opponerent, a judicibus requisiti, septem eorum respondere volentibus ad agendum tres se residui obtulerunt. Cum autem idem electus prædictis tribus conspirationem, et duobus eorum excommunicationem in modum exceptionis objecerit, se id offerens probaturum, præfati judices interlocuti fuerunt, quod de his, et principali negotio simul inquirerent, a quibus videretur ipsis judicibus inquirendum, nolentes quasi non judices, sed inquisitores existerent super dictis exceptionibus ipsius electi probationes admittere, sed prævertendo juris ordinem de præmissis exceptionibus, et principali pariter per se inquirere intendentes, et procedentes etiam ad receptionem testium, nondum lite super eodem negotio contestata; quare prænominatus electus nostram audientiam appellavit, humiliter supplicans, ut cum litteræ ad judices ipsos obtentæ, non inquisitionem, sed commissionem sapiant, prout apparet ex continentia earumdem, quod ab eis factum est post appellationem ipsis revocare in irritum, et causam aliis committere dignaremur. Quia vero non in modum inquisitionis, sed commissionis negotium extitit delegatum, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus convenientes ad locum idoneum, et partibus competentem, si ex dictis gravaminibus vel aliquo ipsorum appellatum constiterit, revocato in irritum quidquid post appellationem hujusmodi inveneritis attentatum, in causa ipsa juxta priorum continentiam litterarum, appellatione remota, ratione prævia sine moræ dispendio procedatis. Alioquin partes ad priorum judicum remittatis examen, appellantes in expensis legitimis condemnando, non obstante constitutione Concilii generalis, qua cavetur ne quis ultra duas diætas, etc. Quod si non omnes, etc. Datum Reate, kalendas julii, anno nono.

CLXXXV

Ad capitulum Hamburgense.

11 julii 1225.

[Lappenberg, Hamburgisches Urkundenbuch, I, p. 420.]

Ei concedit, ut quum generale interdictum terræ fuerit, ei liceat, clausis januis, etc., divina officia celebrare.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis in Christo filiis, præposito, decano, totique capitulo Hamburgensi, Bremensis diœcesis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Solet Sedes Romana piis annuere votis et honestis petentium precibus favorem benivolum impertiri. Eapropter, dilecti in Christo filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, auctoritate vobis præsentium indulgemus, ut cum generale interdictum terræ fuerit, licet vobis, clausis januis, excommunicatis et interdictis exclusis, non pulsatis campanis, nisi forsan causam dederitis interdicto, suppressa voce divina officia celebrare. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Reate, V idus julii, pontif. nostri anno nono.

CLXXXVI

Ad fratres domus Hospitalis S. Mariæ Theutonicorum.

13 julii 1225.

[Strelhke, Tab. ord. Theuton., p. 161, n. 177.]

Confirmat fratribus domus Hospitalis S. Mariæ Mergentheimensem decimam.

Honorius, etc., magistro et fratribus, etc. Justis petentium, etc., *usque* compelli. Litteræ siquidem bonæ memoriæ Theoderici Herbipolensis episcopi suo et Herbipolensis capituli ac nobilium virorum Gotfridi et Conradi de Honloch fratrum, communitæ

sigillis, nobis exhibitæ inter cætera continebant, quod, cum iidem nobiles decimam in Mergentem, quam tunc in feudum ab ecclesia Herbipolensi tenebant, vobis dare fide interposita promisissent, præfatis episcopo et capitulo supplicarunt, ut vobis conferrent decimam memoratam, promittentes, quod pro illa competens vobis excambium assignarent. Præfata igitur decima tam a viris prudentibus de prædicto capitulo quam a quibusdam fidelibus ejusdem ecclesiæ triginta et sex talentorum pretio æstimata, prædicti nobiles proprietates suas triginta et quatuor talenta et amplius annis singulis exsolventes ipsi ecclesiæ contulerunt, ab ea in feudum recipientes easdem, vosque quamdam proprietatem vestram annuatim solventem duo talenta, quæ deerant æstimationi prædictæ, ipsi ecclesiæ contulistis. Idem ergo episcopus securitate recepta de restauratione facienda ipsi ecclesiæ, si aliquam partem præfati excambii contingerit evinci legitime, ab eadem præfatam decimam vobis de consensu totius capituli sui contulit perpetuo libere obtinendam. Nos igitur vestris justis precibus inclinati collationem ipsam, sicut provide facta est et in præfatis litteris plenius continetur, auctoritate Apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo, etc. Si quis autem, etc. Datum Reate, III idus julii, pontificatus nostri anno nono.

CLXXXVII

Ad abbates de Prato et de Bellobeco, Rothomagensis et Belvacensis diœcesum, et magistrum Godefredum, canonicum Belvacensem.

13 julii 1225.

[Regest., lib. IX, epist. 383. Mss. La Porte du Theil.]

Dat eis provinciam causam monasterii Sancti Geremati Belvacensis cujus monachi quidam sigillum monasterii furati erant, canonice terminandi.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis..... de Prato, et..... de Bellobeco abbatibus, Rothomagensis et Belvacensis diœcesum, et magistro Godefredo canonico Belvacensi, salutem et Apostolicam benedictionem.

Transmissa nobis dilecti filii..... abbas, et conventus monasterii Sancti Geremati Flaviacensis, Belvacensis diœcesis, petitione monstrarunt, quod cum Robertus de Charz, Willelmus de Meru, Willelmus dictus Carpentarius, et eorum fautores dicti monasterii monachi ejusdem monasterii furati sigillum, quo litteras quasdam de contrahendo eorum nomine mutuo sigillarunt, non modicam recipientes ipsorum nomine pecuniæ quantitatem, inquisitionis in eodem monasterio faciendæ ad bonæ memoriæ... Parisiensem episcopum, et ejus collegas nostras litteras impetrassent, ipsi eorumdem monachorum falsitatem plenius agnoscentes, et attendentes, quod nondum erant duo menses elapsi, quod in eodem monasterio per venerabilem fratrem nostrum Belvacensem episcopum, loci diœcesanum, habentem nihilominus a nobis generalem auctoritatem faciendæ inquisitionis in omnibus monasteriis suæ diœcesis, inquisitio facta erat, in ea procedere noluerunt. Interim autem prædicti abbas et conventus suam ad nos querimoniam destinantes, quod supradicti monachi talia perpetrarant, ad prædictum Belvacensem episcopum, et vos, filii abbates, nostras litteras impetrarunt, ut vocatis, quos propter hoc videritis vocandos, et inquisita super his diligentius veritate, quod canonicum foret, appellatione remota, statuere curaretis, facientes quod statueritis per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Cæterum licet venerabilis frater noster..... episcopus Parisiensis cum collegis prædecessoris sui ad instantiam prædictorum monachorum ad monasterium ipsum accedens, et [quum] inquisitione procedere voluisset, idem cognito quod memorati monachi coram prædecessore suo recognoverant culpam suam, hujusmodi negotio supersedit. Committente autem prædicto Belvacensi episcopo tibi, fili canonice, super commisso ei, et vobis, filii abbates, negotio vices suas, vos ad monasterium Flaviacense personaliter accedentes, et vocatis quibusdam de illis, videlicet Ægidio, et Willelmo, dicto Carpentario, de quibus dicebatur, quod sigillum capituli subripuerant et cum aliis recesserant a dicto monasterio fugitive super his, quæ in litteris nostris expressa fuerant, sicut vestræ ad nos transmissæ litteræ continebant, tam solemniter, quam diligenter inquisitionem fecistis, receptis in

capitulo ejusdem monasterii ab abbate, et... priore, ac majori, ac saniori parte conventus, tactis sacrosanctis evangeliis, solemniter juramentis et examinatis omnibus diligenter, attestationes eorum scriptas sub vestris nobis litteris fideliter destinastis, licet potuissetis ulterius in causa ipsa procedere per vos ipsos. Verum quia pro alia parte nullus comparuit coram nobis, nos de industria vestra plenam in Domino fiduciam obtinentes, idem negotium cum eisdem attestationibus, sigillis vestris signatis, vobis duximus remittendum, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandantes, quatenus, si est ita, negotium ipsum fine canonico terminetis, facientes quod decreveritis per censuram ecclesiasticam usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Quicquid autem occasione falsarum litterarum inveneritis in præjudicium dicti monasterii attentatum legitime revocetis, contradictores, etc. Quod si non omnes, etc. Datum Reate, III idus julii, anno nono.

CLXXXVIII

Ad abbatem et conventum Glastoniæ.

15 julii 1225.

[Dugdale, Monast. Angli., I, 29, n. 19.]

Ecclesiam, quam eis Savaricus, Bathoniensis episcopus ad opus fabricæ monasterii concesserat, auctoritate Apostolica confirmat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati et conventui Glastoniæ, salutem et Apostolicam benedictionem.

Justis petentium desideriis dignum est nos facilem præbere consensum et vota, quæ a rationis tramite non discordant, effectu prosequente complere. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, ecclesiam Sancti Johannis Glastoniæ, quam vobis bonæ memoriæ Savaricus, Bathoniensis episcopus, de capituli Bathoniensis assensu ad opus fabricæ monasterii vestri pia et provida liberalitate concesserit, sicut eam juste, canonice ac pacifice possidetis, vobis et per vos monasterio vestro auctoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti privilegio communimus. Nulli ergo omnino homini liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Reate, idus julii, pontificatus nostri anno nono.

CLXXXIX

Ad Belam juvenem regem.

15 julii 1225.

[Fejer, Cod. diplom., III, II, 47.]

Alienationes ab Andrea rege in præjudicium regni factas, Belam regem juniorem revocare jubet.

Honorius, illustri viro Belæ, juveni regi.

Intellecto jamdudum, quod carissimus in Christo filius noster, illustris rex Hungariæ, pater tuus, alienationes quasdam fecerat in præjudicium regni sui et contra regis honorem; nos super hoc paterna affectione consulere cupientes, eidem regi dirigimus scripta nostra, ut alienationes prædictas, non obstante juramento, si quod fecit, de non revocandis eisdem, studeat revocare. Quia, quum teneatur, et in coronatione sua juraverit etiam jura regni sui et honorem coronæ illibata servare, illicitum profecto fuit, si præstitit de non revocandis alienationibus hujusmodi juramentum; et propterea penitus non servandum. Quocirca serenitatem tuam monemus et hortamur attente quatenus in ea regni parte, quam ex ordinatione patris tui habes, alienationes easdem revocare procures, juramento de ipsis non revocandis, a patre tuo vel a te præstito non obstante. Quin potius de juratione incauta condignam pœnitentiam agere non omittas. Datum Reate, idibus julii, pontificatus nostri anno nono.

CXC

Ad archiepiscopum Colocensem.

15 julii 1225.

[Fejer, Cod. dipl. Hung., III, II, 48.]

Andream R. abalienationes in præjudicium regni factas revocare jubet, ac officiis publicis paganos et Judæos contra synodalem ac regni constitutionem præfici, per Saracenos Christiana coemi mancipia, in suamque ab his trahi superstitionem, expostulat.

Honorius, etc., Colocensi archiepiscopo, et suffraganeis ejus, etc.

Intellecto jam dudum, quod carissimus in Christo filius noster, Hungariæ rex illustris, abalienationes quasdam fecit in præjudicium regni sui, et contra regis honorem, nos super hoc affectione paterna consulere cupientes, eidem regi dirigimus scripta nostra, ut abalienationes prædictas, non obstante juramento, si quod fecit de non revocandis eisdem, studeat revocare; quia cum teneatur, et in coronatione sua juraverit, etiam jura regni sui, et honorem illibate servare, illicitum profecto fuit, si præstitit de non revocandis alienationibus hujusmodi juramentum, et propterea penitus non servandum. Quocirca fraternitati vestræ per Apostolica scripta firmiter præcipiendo mandamus, quatenus dictum regem ad id moneatis attente, ac diligenter inducere procuretis. Ad hoc de discretione vestra miramur, causam contra vos admirationis et excommunicationis habentes ex eo, quia cum in Toletano Concilio statutum fuerit, et in generali postmodum innovatum, ne Christi blasphemus (Judæus) publiciis officiis præficiatur, cum nimium sit absurdum, ut tales in christianos vim exerceant potestatis, vos, ut intelleximus, conniventibus oculis sustinetis, per Judæos atque paganos statutum hujusmodi violari, quamque publice in synodis vestris protuleritis excommunicationis sententiam in omnes, qui eisdem officiis præficerent infideles; et idem rex vobis jam dudum direxerit scripta sua, in quibus lege perpetuo duratura, se statuisse dicebat, ne in regno Hungariæ ullo unquam suo vel hæredum suorum tempore, tales præficiantur officiis supradictis. Audivimus insuper, quod Saraceni per dissimulationem vestram, multa in partibus vestris habeant mancipia christiana, quæ cum emant libere, quando volunt, pro arbitrio suo dominantur eisdem, juxta ritum ipsorum ea vivere compellentes. Præterea, quod est plurimum miserabile, nonnulli rustici christiani sponte se transferentes ad ipsos, et eorum ritus sectantes, Saracenos se publice profitentur ex eo : quia in primis levior Saracenorum conditio quam christianorum existit. Quia vero negligere,cum possitis perturbare perversos, nihil est aliud, quam fovere, ac consentire videtur errantibus, qui vitiis et peccatis, quæ debet corrigere, non occurrit; ita in hoc negligentiam vestram redimatis per diligentiam subsequentem, quam majorem solito adhibere curetis; ne christiani nominis contumelia in vos cadere dignoscatur, et nos péccatum hujusmodi negligentiæ tam intolerabilis quæ cum sit nimia, culpæ annumerari potest, non cogamur durius exprobare; nefas est enim, ut sacri baptismatis unda renatus infidelium ritu, vel conversatione fœdetur, aut religio christiana subjecta infidelibus polluatur, seu blasphemus ipsius redemptum sanguine Christi Domini, obnoxium detineat servituti. Reate, idibus julii, anno nono.

CXCI

Ad Romanum, Sancti Angeli diaconum cardinalem, Apostolicæ Sedis legatum.

16 julii 1225.

[Regest., lib. IX, epist. 372. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat ei ut priviiegia monasterii Dolensis, adversus prælatos illa infringere præsumentes tueatur ac defendat.

Honorius, etc., dilecto filio Romano Sancti Angeli diacono cardinali, Apostolicæ Sedis legato, salutem, etc.

Dilectus filius... abbas Dolensis in nostra proposuit præsentia constitutus, quod prælati, in quorum diœcesibus prioratus, et aliæ ecclesiæ monasterii sui consistunt, suis adinventionibus evacuantes exemptionibus privilegia, quibus ipsum monasterium est munitum pro causis quas adversus eum, vel monachos suos habent, vel se habere confingunt, promulgant sententias interdicti et excommunicationis in homines eorumdem, ac in eos, qui molunt in molendinis ipsorum, et qui coquunt in furnis, necnon in servientes, et operarios eorumdem, ac in alios alias communicantes eisdem, quin etiam in monachos ipsos præsumunt interdum de facto hujusmodi sententias promulgare. Præterea ipsorum prioratuum et aliarum ecclesiarum suarum decimas, aliosque proventus, et bona occupant; et faciunt occupari, et capellanos, ac populos ecclesiarum ipsarum ad alia loca faciunt commigrare, ut sic idem abbas, et monachi obventionibus solitis, et debitis defraudentur, et ita fit, ut exemptio concessa eis causa compendii et quietis per adinventiones hujusmodi sit eis causa dispendii et

laboris. Quare humiliter petiit dictus abbas, ut hujusmodi obviare malitiis dignaremur. Quocirca discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus prælatis ipsis auctoritate nostra expresse inhibens, ne talia de cætero attentare præsumant, sed si contra ipsum abbatem, vel ejus monachos habuerint aliquid quæstionis sub examine nostro, vel judicum delegatorum a nobis, recipiant justitiæ complementum, cum sicut præfati monasterii ita et eorum jura velimus illibata servari. Quod si forsan eorum aliquis inhibitionis hujusmodi præsumpserit contraire, id nobis per litteras tuas fideliter intimare procures, ut apponamus remedium quod fuerit apponendum. Datum Reate, XVII kalendas augusti, anno nono.

CXCII

Ad Fridericum Romanorum imperatorem.

18 julii 1225.

[Huillard-Bréholles, Hist. diplom., II, 498.]

Ad eum destinat Albanensem episcopum et Gualam tituli S. Martini presbyterum cardinalem Apostolicæ Sedis legatos, eumque hortatur, ut illos humaniter accipiat.

Honorius, etc., Frederico illustri, etc. Inter alias, etc.

Exponit omnium suspensam auxilii ab ipso Terræ Sanctæ ferendi expectationem, spes delusas, quum ad terminum præfixum non transfretaverit, jactatasque in ipsum et in Sedem Apostolicam improbas voces ob graviores ejus moras. Tum subjungit:

Ut ea quæ in rescripto nobis exhibito continentur efficaciter, si datum fuerit desuper, compleantur, prout ipse voluntarius obtulisti et est a nobis et nostris fratribus acceptatum, ecce venerabilem fratrem P., Albanensem episcopum, et dilectum filium nostrum G., tituli Sancti Martini presbyterum cardinalem, viros utique probatæ virtutis, conspicuæ honestatis et eminentis scientiæ, quos velut columnas erectas in domo Domini, et stellas in firmamento Ecclesiæ relucentes, nos et fratres nostri speciali prærogativa dilectionis et gratiæ amplexamur, commisso eis plene legationis officio providimus ad tuam præsentiam destinandos, etc.

Hortatur ut legatos humaniter accipiat, imperia iis commissa capessat, præteritæ negligentiæ notam ardenti conficiendæ tamdiu exspectatæ expeditionis studio depellat; tum significat datam cardinalibus provinciam, ut ipsum ad ea servanda qnæ in pontificio diplomate contenta sunt, sacramento astringant.

Datum Reate, XV kalendas augusti, anno nono.

CXCIII

Ad monasterium Sanctæ Dei Genitricis et Virginis Mariæ Argenceolis.

19 julii 1225.

[Gallia christiana, X, inst. 134.]

Illud monasterium sub beati Petri et sua protectione suscipit.

Honorius, etc., dilectis in Christo filiabus abbatissæ monasterii de Argenceolis ac sororibus tam præsentibus quam futuris regularem vitam professis in perpetuum.

Prudentibus virginibns, quæ sub habitu religionis accensis lampadibus per opera sanctitatis jugiter se præparant obviam sponso ire, Sedes Apostolica debet patrocinium impertiri, ne forte cujuslibet temeritatis incursus aut eas a proposito revocet, aut robur, quod absit, religionis sacræ enervet. Eapropter, dilectæ in Christo filiæ, vestris justis postulationibus clementer annuimus, et præfatum monasterium Sanctæ Dei Genitricis et Virginis Mariæ de Argenceolis, in quo divino estis obsequio mancipatæ, sub beati Petri ac nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti privilegio communimus. Imprimis siquidem statuentes ut ordo monasticus qui secundum Deum et beati Benedicti regulam atque institutionem Cisterciensium fratrum in eodem monasterio institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabilis observetur. Præterea quascumque possessiones, quæcumque bona idem monasterium in præsentiarum juste ac canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis et eis quæ vobis successerint et illibata permaneant, in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis : locum ipsum in quo præfatum monasterium situm

est, cum omnibus pertinentiis suis; ducenta arpenta nemorum quæ fuerint Willelmi Pochet; duo arpenta in planta Barre; unum arpentum in planta Pochet; tria arpenta in vinea de Chief-d'Ail; duo arpenta et dimidium apud Ogerum; unum arpentum vineæ apud Gravam; quatuor arpenta in planta Petri de Molino; quatuor arpenta vineæ apud Mancy; nemus de Loya quod fuit Guidonis et uxoris ejus de Couroy; nemus de campo Nessardi; nemus de la Tancon; nemus de communia de Manceio; quadraginta sextaria siliginis in terragio et molendino de Germignon; viginti quatuor sextaria siliginis in molendino de Souderon; undecim falcatas prati apud Choolli; pratum Braconis subter Gravam ex donatione Adæ decani de Virtuto; pratum de Bray; duas falcatas prati apud Choolli; annuum redditum viginti solidorum, et duos modios vini et unum sextarium avenæ apud Choolli; vineam quæ dicitur vinea comitis in Monteferrato; in vinagio et rotagio de Ogero, ex donatione nobilis mulieris Mariæ dominæ de Conflans, annuum redditum sexaginta solidorum Pruvinensium; ex donatione Balduini de Remis, annuum redditum decem librarum Pruvinensium; quamdam decimam de Faus; decimam de Beloceriis et de Germino; tertium partem decimæ de Trecon; sextam partem decimæ de Cernon; septem modios siliginis et avenæ; molendinam de Petra quod est in via de Craudon apud Sezanniam; apud Pruvinum annuum redditum decem librarum Pruvinensium, in pedagio de pontibus annuum redditum centum librarum Pruvinensium, quæ nobilis mulier comitissa Campaniæ fundatrix ipsius monasterii eidem monasterio, nobili viro Th. comite Campaniæ filio suo consentiente, pia liberalitate donavit cum pratis, vineis, terris, nemoribus, usuagiis et pascuis in bosco et plano, in aquis et molendinis, in viis et semitis, et omnibus aliis libertatibus et immunitatibus suis, salva in prædictis decimis moderatione Concilii generalis. Sane laborum vestrorum de possessionibus habitis ante Concilium generale, ac etiam novalium quæ propriis manibus aut sumptibus colitis, sive de hortis, et virgultis et piscationibus vestris, vel de nutrimentis animalium vestrorum nullus a vobis decimas exigere vel extorquere præsumat. Decernimus ergo, etc.

Ego Honorius, Catholicæ Ecclesiæ episcopus.

Datum Reate per manum Guidonis, domini papæ notarii, XIV kalendas augusti, indictione XIII, Incarnationis Dominicæ anno MCCXXV, pontificatus domini Honorii papæ III anno nono.

CXCIV

Ad Uriam abbatem et conventum monasterii Sancti Martini de Pannonia.

15 maii 1225.

[Fejer, Cod. diplom., III, II, n. 31.]

Renovantur et confirmantur privilegia abbatiæ Montis Cassinensis a Summo Pontifice Zacharia concessa.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati et conventui monasterii S. Martini de Pannonia, salutem, etc.

Quum in privilegiis vobis ab Apostolica Sede concessis, fiat mentio libertatis privilegii Cassinensis ecclesiæ; nos de fratrum nostrorum consilio transcriptum ipsum de verbo ad verbum præsenti paginæ jussimus annotari cujus, tenor est talis :

« Zacharias episcopus, servus servorum Dei, omnibus Ecclesiæ Catholicæ filiis, salutem et Apostolicam benedictionem.

« Omnipotenti Deo, cujus melior est misericordia super vitas, gratias agimus, qui gloriosus in sanctis suis atque mirabilis est, et virtutes suas ubicumque vult, ineffabili bonitate ostendit. Ipsa quippe dignationis suæ potentia beatissimum Benedictum patrem omnium constituit monachorum ; ipse eum monasticæ legislatorem, et operatorem esse disposuit, ipse illius meritis Cassinense monasterium, in quo et sanctissime vixit et gloriosissime obiit, omnibus per totum orbem monasteriis clementi benignitate præfecit. Qui pater sanctissimus, dum vitam eremiticam duceret, divina revelatione monitus, ad eumdem locum pervenit duobus se angelis constantibus, cum beatissimo Mauro, ac Placido, Tertulli patricii filio, aliisque nonnullis : ubi templa idolorum destruens, monasteriumque construens, Apostolicis illud dotavit virtutibus; inter quæ, dum ei revelatum fuisset, quod supradictus locus esset destruendus, et ob id inconsolabiliter fleret, omnipotentis Dei ad se vocem audivit dicentem : Noli, probatissime

ac clementissime Benedicte, pro iis; quæ hinc eventura loco didicisti, mœstum gerere animum : quoniam, quod semel a Deo præfixum est, immutabile, atque irrevocabile, solis tibi tuo merito concessis habitantium in loco animabus; sed aderit omnipotentis Dei consolatio, quæ locum istum in ampliorem, et multo meliorem, quam nunc, est, restituet gradum et hujus ordinis doctrina de hoc iterum per totum orbem radiabit loco; quod post ejusdem patris obitum consummatum est. Nam a Longobardis invasum in igne crematum est; fratres autem ad Apostolicam Sedem venientes ex concessione sancti prædecessoris nostri Pelagii juxta Lateranense palatium monasterium construxerunt, atque per prolixum tempus habitaverunt. Sed jam cum omnipotens Deus censuisset Cassinense cœnobium restaurare, ac cœnobialem institutionem, quæ inde principium sumpserat, ex eodem loco propagare, a sanctissimo Gregorio III, prædecessore nostro, Petronas, dilectus filius noster, est ad restaurandum directus. Qui cum ad eumdem locum venisset, communis pater noster Gregorius ex hoc mundo migravit; sed post ejus excessum in Sede Apostolica cum parvitas nostra successisset, opus ab illo cœptum in restauratione ejusdem cœnobii, adjuvante Domino, ad finem usque perduximus. Hæc autem eodem die, quo sanctissimi patris Ecclesiam dedicavimus, parvitas nostras obtulit libros Sanctæ Scripturæ, et librum regulæ, quem sanctissimus pater manu propria scripserat; pondus etiam libræ panis, et mensuram vini, nec non diversa, quæ ad ecclesiasticum ministerium pertinent ornamenta, et possessiones Apostolica liberalitate concessimus. Qualiter autem ejusdem patris pignora, sororisque ejus sunt posita perspicientes ac intemerata invenientes, pro reverentia tanti patris tangere minime ausi sumus. In dedicatione vero ejusdem, cum illic una cum tredecim archiepiscopis, et sexaginta octo episcopis adessemus, idem dilectissimus filius noster postulare cœpit, quatenus possessiones, quæ eidem monasterio oblatæ sunt, a quibuscumque fidelibus, per nostrum privilegium roboraremus ; illorum desideriis, utpote amabilium innuentes, hæc per præsens privilegium, quæ a nobis aliisque fidelibus concessa sunt, in eodem loco in perpetuum roboramus. Item infra : Præterea corroboramus, atque in perpetuum confirmamus eidem dilecto filio, ejusque successoribus, in omni conventu episcoporum et principum superiorem omnibus abbatibus sedere, et in conciliis et judiciis priorem sui ordinis omnibus sententiam proferre pro reverentia tanti loci, qui primam et summam monasticæ legislationem in eodem Cassinensi cœnobio scribens, verbo et exemplo, cœnobiale propositum appetentibus in toto mundo sole clarius vibravit. Pro quo Cassinense cœnobium exaltantes decernimus, ac in perpetuum confirmamus, ut supradictus locus dignitate, vigore et honorificentia præcellat omnia monasteria, quæ constructa vel construenda sunt in toto orbe terrarum; abbasque ejusdem loci celsior ac celebrior existat omnibus abbatibus eamdem regulam tenentibus. Illa lex monastici ordinis caput teneat ac principatum, ubi ejusdem legis descriptor Benedictus, pater sanctissimus eamdem describens promulgavit regulam, ibique abbates et monachi honorem ac reverentiam deferant, et ibi usque ad diem judicii quærant doctorem, ubi monachorum universalis magister et doctor Benedictus, pater almificus corporaliter una cum sorore sua quiescens, gloriosæ resurrectionis diem exspectat.

Defuncto autem abbate ex se ipsa congregatio secundum sanius consilium sapientum, et saniorum fratrum sibi abbatem eligat, et Apostolicæ Sedis Pontifici confirmandum et consecrandum exhibeat. Insuper autem præsenti privilegio supradictum locum una cum omnibus sibi pertinentibus ecclesiis et possessionibus roboramus, atque ut nullius alterius ecclesiæ, nisi Romani Pontificis ditionibus submittatur, auctoritate Apostolica interdicimus; ita ut nisi ab abbate vel a præposito fuerit invitatus, missarum solemnitatem nullus episcopus celebrare præsumat in eisdem possessionibus. Quod a præsenti prima indictione irrevocabiliter et in perpetuum stabilimus retinendum, et cum Dei timore servandum. Statuentes insuper Apostolica censura, sub divini judicii observatione et validis atque atrocibus anathematis interdictionibus, ut nullus unquam qualibet dignitate, aut potestate prædictus præsumat eidem monasterio vel omnibus ejus possessionibus vim inferre vel aliquid de his aliquomodo auferre, vel alienare, sed et nec pacis, nec barbarico tem-

pore ibidem aliquam jacturam, aut molestiam inferre, dum perenniter illud firma stabilitate decernimus sub ditione sanctæ Romanæ Ecclesiæ permanendum. Concessimus etiam hoc Apostolico privilegio, ut pro oblatione vel ordinatione presbyterorum, diaconorum, subdiaconorum, et altarium consecratione, chrismatisque acceptione, in quibuslibet ejusdem monasterii possessionibus quemcumque voluerint episcoporum invitandum. Simili modo licentiam damus et corroboramus in præfato monasterio et in omnibus ejus ecclesiis fontes benedici et sacrum baptisma celebrari; et non solum ibi, sed in his quoque, quæ amodo in possessionibus prædicti cœnobii præsentibus, vel futuris temporibus ecclesiæ ædificandæ sunt, remota scilicet cujusque episcopi interdictione. Addimus etiam, ut nullus episcopus prohibeat christianum populum ingredi ad easdem ecclesias. Observari quoque hanc nostram jussionem volumus, quod nullus episcopus in jam dicto cœnobio et in omnibus ejus cellulis decimas tollat, sacerdotem excommunicet, vel ad synodum provocet. Simili etiam modo licentiam damus eidem dilecto filio, ejusque posteris abbatibus, monachorum synodum congregandi, quemcumque clericum voluerint cum suis substantiis suscipere ad habitandum. In omnibus monasterii possessionibus, sive presbyter sit, aut diaconus, vel cujuslibet ecclesiastici ordinis, et nullius episcopi timere contradictionem. Et liceat eidem religioso ejusque posteris et eorum præpositis in perpetuum judicare prædictas ecclesias, curtes et possessiones et omnes in eisdem possessionibus, degentem clericum ad officium promoveri absque personæ sæcularis potestate, vel cujuslibet episcopi prohibitione. Anno Deo propitio, pontificatus domini Zachariæ summi pontificis, et universalis papæ, in sacratissima sede beati Petri Apostoli primi; in mense martio, indictione supra scripta. »

Datum Tibure, idibus maii, anno nono.

DE OCTAVO, DEQUE NONO HONORII III PONTIFICATUS ANNO

Ad annum octavum ejusdem Honorii III Pontificatus refert Baronius commendatam et corroboratam auctoritate Apostolica regulam S. Francisci, quæ tota consistit in vivendo in obedientia, sine proprio, cum castitate. Placuit speciali modo ipsi fundatori ut fratres Christi vicarii imperiis omnino penderent. Sed divina miseratione id accidit quod Salomoni jam dixerat Dominus, nam quum fratres omnia pro Deo abjecerant dedit illis Deus sapientiam et intelligentiam, ita ut inter illos multi postea florerent doctores et scriptores, theologi et canonistæ, quod quidem nemo nescit.

In eodem anno, exhortationes Pontificis ad principes diriguntur et suasiones in Terræ Sanctæ subsidium. Mirum est numquam defecisse vigorem animi mansueti Pontificis in his expeditionibus persequendis, neque propter calamitates, neque propter clades Honorium unquam suam spem et fortitudinem abjecisse. Nihil non molitur ad transfundendum in reges, aut duces, aut populos, eumdem quo ardebat zelum. Sic ait : Multi sunt qui, post consummationem peregrinationis acceptæ, carnis morte præventi, ad supernam patriam evolarunt, et nunc gloriantur in ordine confessorum! Ad præsules Germaniæ scribit, scribit ad Fredericum. Ad Ludovicum VIII, Franciæ regem, dirigit litteras, et eum corripit, eo quod adversus Angliæ regem bellum moverat, contempta pace antea inita. Sed plures seu civitates, seu etiam provincias Ludovicus subjugarat, neque pacem cum Anglis habuit, nisi quando Amalricus, Simonis filius, ei sua jura concessit in Tolosam. Nam Franciæ rex hæreditatem illam noluit amittere, regionemque opibus florentem suo imperio statuit adjungere.

Interea, de Constantinopolitano imperio sollicitus, conatus est Honorius Latinis et Roberto imperatori ferre opem. Waldemarum etiam, Danorum regem, e vinculis eripere studuit; mandat quoque Ludovico regi ut Flandriæ comitem in carcere detentum redimi patiatur; Belam Hungariæ regem in suam tutelam suscipit; Theutonicos in regione Bozæ sibi data ab Andrea rege stabilivit; Bohemiæ regem monuit precatusque est, uti possessiones in quibus sunt aurifondinæ Vratislaviensi episcopo restituat; legatum misit in Livoniam et prædicatores, qui in his terris et in Prussia Evangelii semen excolerent.

In Hispania, ea tempestate, corruerat potestas, Almohadum propter civilia dissidia. Sed in Russia meridionali, Tartari e Mongolia orti, omnia diripiebant vastatione, jam parati ad incursiones Barbarorum renovandas. Et erat periculum magnum. De quibus Mansi loquitur ita : Tartari illi non ante multos annos imperium suum formarunt. Hujus conditor appellatur Chungius, seu Gingius Can. Ille subditus primum, ac tandem invasor regni Ung-Can, qui Turquestan, seu Tartariæ orientali imperabat, armorum suorum terrorem indique spargens, longe lateque imperium dilatavit, et ampliandæ suæ ditionis causa, arma etiam in Georgianos tulit. Propterea, regina Georgiæ ad Honorium litteras misit, in quibus narrat Tartaros primum crucis signum accepisse ad illudendum et exercitum fudisse, sed postea Georgiani suum errorem agnoscentes multos ceciderunt, et quasi ad viginti millia.

In anno sequenti, id est in anno nono pontificatus, misit Honorius duos cardinales ad Fredericum, qui certas leges proponerent, quas si Fredericus violaret, anathemate plecteretur, scilicet : Intra duorum annorum spatium copias in Terram Sanctam duceret, mille equites biennio in ejusdem subsidium sustineret, centum navium classem conflaret, quinquaginta triremes egregie instructas in ejus portubus teneret, et duobus millibus equitum, eorumque comitatui, trajectum daret.

Creverat, in Gallia, Albigensium audacia, viribus principum quorumdam et armis sustentata. Honorius ergo cardinalem S. Angeli diaconum legatum misit, intra se reputans non abjiciendam spem de redintegranda in illis infelicissimis regionibus re catholica, quum Ecclesia, quantumvis quassata, nunquam corruat.

Apud Insubres et Brixienses surrexerunt quoque hæretici, qui non solum ecclesias quasdam destruxerunt incendiis et ruinis, sed blasphemantes latrabant quod excommunicabant Ecclesiam Romanam et ejusdem doctrinam sequentes. In quos vehementer loquitur Honorius : Volumus et mandamus, inquit, ut turres armatas de quibus specialius et vehementius ad insanias hujusmodi est processum, diruantur omnino, et usque ad pulverem detrahantur, non reædificandæ de cætero, vel in acervos lapidum in memoriam et testimonium pœnæ tantæ vesaniæ, tantique criminis permansuræ. In quibus vocibus audivimus illum qui verba profert tanquam potestatem habens.

Is annus est in quo insignis impostor, in Belgia, visus est qui se Balduinum Constantinopolitanum imperatorem simulabat, et supplicio affectus est. Ut insidiæ bellatorum, sic fraus cujusdam privati : nulla spes aut huic aut illis nisi crucesignatos se ostendebant. Et hoc quoque notandum.

Eodem anno, ait Raynaldus, Honorius Laurentio archiepiscopo Dublinensi sanctorum honorem cultumque decrevit, dato diplomate cujus exordium est : *Ineffabilis providentia Dei.*

DE DECIMO HONORII III PONTIFICATUS ANNO,

DEQUE ILLIUS FINE.

Honorium III Petri cathedram annos decem et menses octo tenuisse Raynaldus dicit, et obiisse tempore quo maxime sperabatur res orientales in melius restitui, id est quum florentissimam in subsidium Terræ Sanctæ expeditionem summo studio pontifex urgeret. Quæ, eo jam defuncto, propter Frederici II perfidiam penitus concidit.

In anno decimo, constitutionem edidit Honorius contra eos qui S. R. E. cardinales injuriis aut violentia non verentur lacessere. Qui fuerit hostiliter insecutus, inquit, aut percusserit, aut ceperit, vel socius fuerit facientis, aut fieri mandaverit, vel factum ratum habuerit, aut consilium dederit vel favorem, sicut læsæ criminis majestatis perpetuo sit infamis, diffidatus et banditus, sit intestabilis nec ad alicujus bona vocetur; nullus ei debita reddere teneatur; quidquid in bonis invenietur ipsius fisci dominio applicetur, prætereaque sententiam excommunicationis incurrat. Huic constitutioni respondet illa quam Pius IX tulit sub his verbis : *Apostolicæ Sedis,* in qua declaratur excommunicationi subjacere latæ sententiæ et speciali modo Pontifice Romano reservatæ : omnes interficientes, mutilantes, percutientes, capientes, carcerantes, detinentes, vel hostiliter consequentes S. R. E. cardinales, necnon ea mandantes, vel rata habentes, seu præstantes in eis auxilium, consilium vel favorem. (1869, IV idus octob.)

Etiam in malos homines et facinorosos epistolam scripsit Honorius. Nam hi vias publicas obsedebant, plures ex familia Pontificis spoliaverant, aut venientes ad Sedem Apostolicam et recedentes divexabant, et varia latrocinia exercebant. De quibus Mansi narrat hanc pestem initium habuisse in vesana quorumdam cupiditate, qui crucesignatis ex itinere insidias parabant. Non enim ante sacras expeditiones ita concursus fiebat viatorum. Propter quod ter quotannis anathema pronuntiabatur ritu solemni in grassatores publicarum viarum, videlicet in Cœna Domini, in festis Ascensionis et

consecrationis basilicæ Sancti Petri. Sensim aliorum scelerum rei pariter in iisdem diebus anathemate percussi fuere, et usque ad præsentia tempora perseveravit in solemni die Cœnæ Domini mos pronuntiandi anathemata.

Cum Frederico imperatore nonnulla egit Honorius, cui exprobrabat urbium et jurium ecclesiasticorum invasionem. Eidem postea nihilominus conciliavit Longobardos et concordiam inter hos et illum stabilivit, ea mente ut Fredericus expeditionem Terræ Sanctæ tandem persequeretur. Sed non ei datum est ut videret imperatorem cum exercitu proficiscentem ut votum impleret, quod non nisi frustratorie postea Gregorio IX Ecclesiam gubernante adimplere statuit.

Interea rex Francorum Ludovicus VIII bellum moverat adversus Albigenses, cum exercitu innumerabili, ut ait Bernardus, in *Chron.*, una cum legato Romano. Qui Avenionem cepit, per tres menses obsessam, Carcassonam, Biterrim, aliasque civitates et castella multa ultro dedita, in ditionem suam recepit. Obiit vero apud Montem-Panserianum, regnum suum filio relinquens, qui deinde Ludovicus sanctus fuit, inter reges non solum sanctitate, sed animi virtute, maganimitate, et indolis et naturæ dotibus conspicuus.

Venerat etiam hora suprema Honorii III P. M., qui sui desiderium reliquit apud Christi fideles, et apud cunctos viros bonos. Is, usque nunc, non fuit satis laudatus ab historiæ scriptoribus, neque ejus opera in publicum prodiere, excepta *Quinta Compilatione* decretalium. Innocentii III fama quasi nocere visa est ei qui Pontificatum ab illo accepit, et inter jurisconsultos nomen Gregorii IX prævaluit præ nomine Honorii III. At non indignus fuit Honorius III qui inter Innocentium III et Gregorium IX sedem occuparet. Nam extitit vir strenuus, pontifex vigilans et indefessus, jurisconsultus non mediocris, verbi divini prædicator tam ingeniosus quam vehemens et ornatus, libertatis Ecclesiæ defensor, regum arbiter sapiens et moderator, hæreticorum profligator, instaurandæ disciplinæ magister, Evangelicæ doctrinæ apud infideles propagator assiduus, scientiarum margaritæ pretiosæ, talia sunt enim ipsius verba, amator et laudator, et, ut uno verbo dicatur, talis qui certe meruit in memoria omnium, et præsertim Christifidelium et cleri, locum tenere magnum.

LIBER DECIMUS

I

Ad universos archiepiscopos et episcopos, in quorum diœcesibus grangiæ fratrum Præmonstratensis ordinis sunt sitæ.

24 julii 1225.

[Lepaige, Biblioth. Præmonst., I, 654.]

Nullæ exactiones seu procurationes ab ordinariis Præmonstratensibus imponantur.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, universis archiepiscopis et episcopis, in quorum diœcesibus grangiæ fratrum Præmonstratensis ordinis sunt sitæ, salutem et Apostolicam benedictionem.

Si veri christianæ religionis amatores et cultores essetis, religiosis viris, in personis, vel rebus nullam molestiam inferretis, quorum potius tenemini gravaminibus obviare. Verum conquerentibus dilectis filiis abbatibus et fratribus ordinis Præmonstratensis nostris est auribus intimatum quod licet in eorum privilegiis inhibitum sit expresse, ne quis archiepiscopus vel episcopus, nisi in manifesta necessitate, in eorum grangiis hospitetur, quidam vestrum in singulis grangiis eorumdem fratrum, in suis diœcesibus constitutis procurationes exigunt annuatim, quæ si eis aliquando forte negantur, ministri eorum de animalibus eorumdem fratrum prædas violenter abducunt, quas vel pignori obligant, vel alienant omnino, nec fratribus ipsis restituunt, donec pro requisita procuratione certa pecunia persolvatur. Qui ut avaritiam suam et exactionem excusent, frivolas exigendæ procurationis causas assignant, vel quod in grangiis illis decimæ colligantur, vel quod canonici qui parochialem ecclesiam, in vicinis locis obtinere noscuntur, aliquando commorantur in grangiis, vel quod in eis claustrum sororum habeatur, quæ

potius ex accessu vestro materiam dissolutionis accipiant, dum confalubantur cum clericis, et per officinas discurrunt, quam doctrinam recipiant salutarem. Quia vero causæ hujusmodi frivolæ sunt, nec earum occasione fratres ipsos in exhibendis procurationibus credimus esse cogendos, fraternitati vestræ per Apostolica scripta mandamus et districte præcipimus, quatenus fratres ipsos contra indultam sibi a Sede Apostolica libertatem, nec in prædictis, nec in aliis aggravetis, nec exactiones aliquas illis imponere præsumatis. Alioquin non poterimus sub dissimulatione transire, quin eorum indemnitati contra exactiones vestras paterna sollicitudine consulamus. Datum Reate, IX kalendas augusti, pontificatus nostri anno decimo.

II

Ad Geroldum episcopum Frisingensem, Eberhardum de Salem et Wernherum Sanctæ Crucis, abbates Constantiensis et Passaviensis diœcesum.

25 julii 1225.

[Mezger, Hist. Salisburg., 997.]

Mandat eis ut, re diligenter inquisita, Eberhardo archiepiscopo Salzburgensi concedant libertatem instituendi sedem cathedralem in ecclesia S. Andreæ de Lavent.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri episcopo Frisingensi, et dilectis filiis de Salem et de Sanctæ Crucis abbatibus Constantiensis et Pataviensis diœcesum, salutem et Apostolicam benedictionem.

Venerabilis frater noster Salzburgensis archiepiscopus olim provide cogitans, quod cum haberet diœcesim valde diffusam, non sufficeret universis habitantibus in eadem pastorali sollicitudine imminere, vidensque quod messis quidem multa, operarii vero pauci, rogavit Dominum messis, ut operarios destinaret, quia primo a felicis memoriæ Innocentio prædecessore nostro postulavit instanter et tandem obtinuit novum episcopatum in ecclesia Chiemensi creari. Postmodum quoque jam sentiens, quod onus divinum in plures facilius sustinetur, post validam precum instantiam et deliberationem a nobis præhabitam diligentem, impetravit Seccoviensem ecclesiam fieri cathedralem; deinde vero considerans, quod commissi sibi gregis Dominici multitudo adhuc indiget alterius cura pastoris, cum ipse propter viarum pericula vix valeat totam diœcesim visitare, apud nos opportune institit importune, ut in ecclesia S. Andreæ de Lavent, in qua cum ministraret unus presbyter sæcularis, in ea præpositum et conventum regularium noviter ordinavit, episcopalem sedem instituere dignaremur.

Sed nos rei circumstantias nescientes, utrum videlicet Salzburgensis ecclesiæ capituli et præpositi et conventus S. Andreæ ad id assensus accederet, et an id Salzburgensis ecclesiæ expediret, vel ecclesias S. Andreæ servarentur indemnis, et ignorantes provisionem et diœcesim futuro episcopo assignandas, ejusdem archiepiscopo precibus tunc duximus annuendum. Nuper autem per suas nobis litteras intimavit, quod paratus erat futuro episcopo unam diætam et dimidiam in diœcesi assignare, cui trecentas marcas in annuis redditibus deputavit, post obtentam a nobis super hoc licentiam assignandas. Dictum quoque Salzburgense capitulum, necnon præpositus et conventus S. Andreæ se id acceptare, transmissis ad nos litteris profitentur. Quare supradictus archiepiscopus preces supplices inculcavit, ut id dignaremur perducere ad effectum.

Volentes igitur adhuc in tanto negotio cum debita maturitate procedere, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus, inquirentes super his omnibus diligentius veritatem, si ea inveneritis, sicut superius sunt expressa, et specialiter, si prædictorum capituli, præpositi et conventus ad id accensus accesserit, memorato archiepiscopo, in prædicta ecclesia S. Andreæ instituendi episcopalem sedem tribuatis auctoritate Apostolica facultatem, reservatis per omnia privilegiis et honoribus archiepiscopo et ecclesiæ Salzburgensi, sicut in duobus aliis episcopatibus sunt servata, prout in nostro et felicis recordationis Innocentii papæ prædecessoris nostri rescriptis plenius continetur. Quod si non omnes his exsequendis potueritis interesse, tu, frater episcope, cum eorum altero ea nihilominus exsequaris. Datum Reate, VIII kalendas augusti, pontificatus nostri anno nono.

III

Ad abbatem, priorem et fratres ordinis S. Benedicti monasterii S. Martini in Monte Pannoniæ.

29 julii 1225.

[Fejer, Cod. dipl. Hung., III, 1, 449.]

Monasterio Sancti Martini facultatem largitur interdicti tempore divina officia submissa voce peragendi.

Honorius, etc., dilectis filiis abbati, priori, fratribus ordinis S. Benedicti monasterii S. Martini in Monte Pannoniæ, salutem, etc.

Precibus vestris benignum impertiri assensum volentes, auctoritate Apostolica, qua per Dei misericordiam fungimur, præsentium Apostolicarum litterarum tenore in Domino concedimus, ac indulgemus, ut in omnibus ecclesiis vestris, et cellis, quas per regnum Hungariæ tenetis, liceat vobis generalis interdicti tempore, non pulsatis campanis, clausis januis, submissa voce, divina officia celebrare; ea tamen conditione, ne excommunicatos, aut interdictos ullo modo admittatis, aut eis in aliquo favorem, patrocinium, aut auxilium impendatis. Nulli ergo hominum liceat, etc. Si quis vero hoc attentare præsumpserit, etc. Datum Reate, IV kal. aprilis [augusti], pontificatus nostri anno octavo [decimo.]

IV

Ad universos Christi fideles per Moguntinam provinciam constitutos.

31 julii 1225.

[Riedel, dipl. Brandenb., XXII, 14.]

Eos monet et hortatur ut ecclesiæ in Arnesse, Verdensis diœcesis, pias eleemosynas et grata subsidia erogent.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, universis Christi fidelibus per Moguntinam provinciam constitutis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Quoniam, ut ait Apostolus, omnes stabimus ante tribunal Christi, recepturi prout in corpore gessimus, sive bonum, sive malum, oportet nos diem messionis extremæ misericordiæ operibus prævenire et æternorum intuitu seminare in terris, quod reddente Domino cum multiplicato fructu recolligere debeamus in cœlis, firmam spem fiduciamque tenentes, quod qui parce seminat, parce et metet, et qui seminat in benedictionibus de benedictionibus et metet vitam æternam. Cum igitur dilectus filius præpositus in Arnesse, Verdensis diœcesis, et sanctimoniales in eodem loco Deo consecratæ ad promotionem ecclesiæ suæ diligenter intendant, nec ad hoc sibi propriæ suppetant facultates, universitatem vestram monemus et hortamur in Domino ac in remissionem vobis injungimus peccatorum, quatenus, idem ecclesiæ pias et eleemosynas et grata subsidia erogetis, ut et ipsa ecclesia vestro valeat auxilio promoveri, et vos per hæc et alia bona, quæ Deo inspirante feceritis, possitis ad æternæ felicitatis gaudia pervenire. Nos autem de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus vere pœnitentibus et confessis, qui prædictam ecclesiam in Nativitate beatæ Virginis Mariæ, aut in anniversario dedicationis die, devotionis gratia visitaverint, viginti quinque dies de injuncta sibi pœnitentia misericorditer relaxamus. Datum Reate, II kalendas augusti, pontificatus nostri anno nono [decimo].

V

Ad abbatissam et moniales de Alto Castro.

6 augusti 1225.

[Wurdtwein, Nova subsidia, XIII, 285.]

Nobilibus Alsatiæ inhibet, ne filias suas et cognatas in monasterium Hohenburgense intrudant.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis in Christo filiabus abbatissæ ac monialibus de Alto Castro, salutem, etc.

Ex vestra insinuatione didicimus, quod quum vix ad sustentationem vestram propriæ sufficiant facultates, quidam nobiles regionis illius quorum non audetis, ut asseritis, resistere voluntati, suas intrudunt in vestrum monasterium filias et cognatas. Unde quum sit, sicut dicitis, non immerito formidandum, ne cogamini sic multiplicato in prædicto monasterio monialium numero mendicare, provideri super hoc a nobis humiliter postulastis. Ea propter, auctoritate præsentium districtius inhibemus, ne taliter aliquam de cætero recipere præsumatis. Datum Reate, VIII idus augusti, pontificatus nostri anno decimo.

VI

Ad Eberhardum archiepiscopum Salisburgensem.

8 augusti 1225.

[Mezger, Hist. Salisburg., 994.]

Privilegium super episcopatu in Seccoviensi ecclesia renovat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Eberhardo Salisburgensi archiepiscopo, salutem et Apostolicam benedictionem.

Tua nobis fraternitas supplicavit, ut cum privilegium super episcopatu in Seccoviensi ecclesia, tunc tuæ diœcesis a te de nostra permissione creato, tibi concessum a nobis, per incautelam sit a muribus tineisque corrosum, ita ut abrosa prorsus parte non modica, per partem residuam sciri non possit quis fuerit tenor ejus : super hoc cum fuerit in regesto nostro conscriptum, providere debita sollicitudine dignaremur. Nos igitur tenorem ejusdem privilegii de regesto ipso fideliter sumptum, præsenti paginæ fecimus annotari, decernentes, ut pagina ista eamdem vim et auctoritatem obtineat, quam præfatum obtinuit privilegium, antequam esset per incautelam seu casum hujusmodi violatum. Est igitur ipsius privilegii tenor talis :

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Eberhardo Salzeburgensi archiepiscopo, salutem et Apostolicam benedictionem.

Quod non tua, sed quæ Christi vel potius quæ Christi et tua sunt, sedula meditatione requiras, opera tua testimonium perhibent evidenter, dum commisso tibi gregi prodesse desiderans potius quam præesse, animarum lucrum, sicut decet Domini sacerdotem, præfers quæstui temporali; quin etiam, ne non tam eas pascere, quam depascere videaris, carnalia, quæ posses metere in eisdem, voluntarius offers spiritualia seminando, sicque fit, ut ministrum Christi et dispensatorem mysteriorum Dei te faciens existimari tuum honores in Domino ministerium, teque reddas omnibus honorandum et favorem nostrum ex iis eo specialius tibi vindices, quo nostris beneplacitis expressius te coaptas. Prudenter enim recogitans, quod Salzeburgensis diœcesis usque adeo est diffusa, quod non sufficias universis habitantibus in eadem pastorali sollicitudine imminere, timensque ne non sit, qui parvulus lac doctrinæ vel provectis cibum solidum administret, aut quod infirmum est, in eis consolidet, aut alliget, quod confractum; olim per dilectum filium Carolum Frisacencem præpositum per litteras tuas nobis humiliter supplicasti, ut in Seccoviensi ecclesia tuæ diœcesis episcopalem sedem creandi tibi licentiam concedere dignaremur, parato de assensu capituli tui ei unam diætam et dimidiam in diœcesi et trecentas marcas in redditibus assignare, ita ut per omnia ipsius Seccoviensis ecclesiæ jure salvo nihil de bonis ipsius ad episcopalem cathedram transferatur, nec ullum exinde in dignitatibus, libertatibus, consuetudinibus et rationibus Salzeburgensi capitulo præjudicium generetur. Unde licet forsan eo minus ad hoc insufficiens debeas reputari, quo insufficientiam allegas instantius, nos tamen tuum propositum dignis in Domino laudibus commendantes et precibus tuis eo favorabilius annuentes, quo rarius eis similes et frequenter nobis dissimiles vel potius contrariæ porriguntur, ut res tam ardua sine omni offensione procederet, venerabili fratri nostro Frisingensi episcopo et dilectis filiis Brixinensi electo et abbati Admuntensi nostris dedimus litteris in mandatis, ut hujusmodi negotii circumstantias sollicite inquirentes, et specialiter, si hoc Salzeburgensi ecclesiæ expedire viderent, et ad id capituli ejusdem assensus accederet, nec nonnisi Seccoviensis ecclesia ex hoc servaretur indemnis, et utrum esset sufficiens et idonea futuri episcopi provisio prætaxata diligentius indagantes, rescriberent nobis super his omnibus fideliter veritatem, qua cognita de consilio fratrum nostrorum procederemus auctore Domino inoffense. Episcopus vero et abbas prædicti, sicut suis nobis litteris intimarunt, quia prædictus electus crucesignatus in procinctu quasi peregrinationis positus, huic negotio interesse non poterat, ad Salzeburgensem ecclesiam personaliter accedentes consensum capituli ad hoc invenere paratum et quantum tam ibi quam alibi super hoc poterant edoceri, didicerunt hoc Salzeburgensi ecclesiæ absque dubio expedire.

Præpositum quoque et capitulum Seccoviense personaliter allocuti acceperunt responsum, quod et Seccoviensis ecclesia illæsa

remaneret penitus et indemnis, et ut eorum verbis utamur, terminos novæ diœcesis extendi usque ad diætam et dimidiam invenerunt. Parochiam scilicet Chumbensche cum omnibus suis pertinentiis in qua sita est ecclesia Seccoviensis usque ad finem parochiæ S. Laurentii in Laugo, ecclesiam vero S. Mariæ in Brauch usque ad finem parochiæ Lemnizh in latum cum omnibus ecclesiis mediis et earum pertinentiis et capellis quæ sunt in earum terminis constitutæ. Redditus autem futuro assignandos episcopo invenerunt ecclesiam Vanstorff et triginta mansos de nemore, quod est apud fluvium, qui vocatur Gerul, ecclesiam Laebenzh, ecclesiam Vogan, ecclesiam Rabe, cum omnibus pertinentiis earumdem, salvo tamen jure personarum, quæ ibi hactenus Domino servierunt; curiam quoque decimalem in Seccah et domum in Frisaco, quam a nobili muliere Emma, et domum in civitate Salzeburgensi quam ab Henrico cive Salzeburgensi emisti, ex quibus omnibus secundum existimationem bonorum virorum trecentarum marcharum redditus plenarie provenire creduntur, de quibus futurus episcopus honorifice poterit sustentari.

Unde nobis per eumdem præpositum et litteras tuas iterum cum instantia supplicasti, cum paratus sis et diœcesim et redditus, sicut superius est expressum, futuro episcopo assignare, tibi facultatem creandi novum episcopatum in prædicta Seccoviensi ecclesia traderemus, ita quod electio ac investitura ejusdem episcopi ad te et successores tuos absque omni contradictione pertineat, de quorum bonis idem episcopatus dotatus noscitur et ditatus. Gurcensis autem episcopus, qui vicarius Salzeburgensis antistitis in sua diœcesi esse dignoscitur, in illo quoque sit episcopatu vicarius, quantum archiepiscopalis exigit jurisdictio, ne in hoc etiam jus ipsius grave dispendium patiatur.

Nos igitur habito fratrum nostrorum consilio, quia tuum in hac parte propositum ad divini nominis gloriam et christianæ religionis augmentum intelleximus pertinere, favore illud Apostolico prosequentes postulata concedimus, sicut superius sunt expressa, sine juris præjudicio alieni. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ ad S. Petrum, per manum Renerii, S. Romanæ Ecclesiæ vicecancellarii, X kal. julii, indict. VIII, Incarnationis Dominicæ anno MCCXVIII, pontificatus vero domini Honorii papæ III anno secundo.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ annotationis et constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Reate, VI idus augusti, pontificatus nostri anno decimo.

VII

Ad abbatem et priorem Aquicinctenses.

9 augusti 1225.

[Fonds Moreau, Mss. latins, t. CXXXV, p. 225, Bibl. nat.]

Indulget ne per commissiones Apostolicæ Sedis procedere teneantur, nisi de indulgentia hujusmodi fecerint mentionem.

Honorius, etc., dilectis filiis abbatis et... priori Aquicinctensi, salutem et Apostolicam benedictionem.

A nobis humiliter postulastis, ut cum non habeatis juris peritiam et propter judiciorum strepitum contingat sic in vobis contemplationis otium impediri, eximere vos a commissionum nostrarum sollicitudine dignaremur. Nos autem devotioni vestræ auctoritate præsentiam indulgemus, ne per commissiones nostras, quas ad vos de cætero impetrari contigerit, procedere teneamini, nisi de indulgentia hujusmodi fecerint mentionem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Reate, V idus augusti, pontificatus nostri anno decimo.

VIII

Ad episcopum Atrebatensem.

9 augusti 1225.

[Regest., lib. X, epist. 20. Mss. La Porte du Theil.]

Indulget ei specialiter, ut ecclesias diœcesis suæ visitare et corrigere possit.

Honorius, etc., venerabili fratri..... episcopo Atrebatensi, salutem et Apostolicam benedictionem.

Quoniam amplius consuevit timeri quod singulariter pollicetur, quam quod generali concluditur sponsione, præsentium tibi auctoritate concedimus, ut monasteriis et ecclesiis regularibus tuæ diœcesis, diœcesana tibi lege subjectis, prout ad officium tuum pertinet, officium visitationis impendas, corrigens juxta tui officii debitum, et reformans ibidem in capite quam tam in membris quæ correctionis et reformationis officio noveris indigere. Contradictores, etc. Datum Reate, idus augusti, anno decimo.

IX

Ad Petrum, archiepiscopum Lundensem.

11 augusti 1225.

[Raynald, Annal. ad ann. 1225, § 17.]

Respondet ad ejus consultationes.

Archiepiscopo Lundensi (1).

Tua nos duxit fraternitas consulendos, ut cum quidam presbyteri, celebrantes missarum solemnia, ponant hostiam ante calicem, quidam in sinistro latere calicis, et quidam levent calicem corporali contectum, deponantque dum signant, et iterum levent tectum; quidam vero discoopertum levent, et una manu tenentes elevatum altera manu signent, quidamque de tribus partibus, quæ fiunt ex hostia, duas super patenam ponant, et quidam illas tenentes in manu communicent, super calicem illas nequaquam in patena ponentes, quid tibi sit in hujusmodi varietate tenendum. Ad quod potest non incongrue responderi verbis Nicolai papæ dicentis : Nihil obsint saluti credentium diversæ pro loco et tempore consuetudines, dnmmodo illis canonica non obsistat auctoritas, pro qua eis debeat obviari. Quid autem in iis Romana servet Ecclesia et ipse forsitan recolis, qui eam aliquando adivisti, et latores præsentium, qui nuper ejus consuetudinem in hac parte viderunt et notaverunt, ut credimus, diligenter tibi referre poterunt viva voce. Ad aliam vero consultationem tuam breviter respondemus, quod monachus aliquem sacrum ordinem in apostasia recipiens, quantumlibet suo fuerit reconciliatus abbati, et receperit pœnitentiam, absque tamen dispensatione Romani Pontificis ministrare non potest in ordine sic suscepto. Inquisitioni quoque tertiæ respondemus, quod tam in tua quam In aliena diœcesi potes absque pallio et sandaliis celebrare, cum etiam in tua diœcesi non semper debeas celebrare cum pallio, sed diebus illis duntaxat, qui in ecclesiæ tuæ privilegiis sunt expressi, sicque soluta est quarta etiam quæstio, qua quæsisti, an tibi sit licitum pro defunctis cum pallio celebrare. Datum Reate, III idus augusti.

X

Ad abbatem et priorem Stivagienses.

11 augusti 1225.

[Wurdtwein, Nova subsidia, XIII, 288.]

Jubet ut bona abbatiæ inferioris in Hohenburg illicite distracta vel alienata restituantur.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati et priori Stivagiensibus, Tullensis diœcesis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Dilectarum in Christo filiarum abbatissæ et conventus inferioris monasterii precibus inclinati, præsentium vobis auctoritate mandamus, quatenus ea, quæ de bonis ejusdem monasterii alienata inveneritis illicite, vel districta, ad jus et proprietatem ipsius, sublato cujuslibet contradictionis et appellationis obstaculo, legitime revocetis, contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescentes. Testes autem qui fuerint nominati, si se gratia, odio vel timore subtraxerint, per censuram eamdem, appellatione cessante, cogatis veritati testimonium perhibere. Datum Romæ, III idus augusti, pontificatus nostri anno decimo.

(1) Vide *Quintam Compilationem*, lib. I, tit. 6, cap. 6, t. I, col. 143 ; et lib. V, tit. 5, c. 3, t. I, col. 351.

XI

Ad decanum et capitulum Spirenses.

11 augusti 1225.

[Wirtemburg. Ub., III, 196, n. 714.]

Ecclesiam Spirensem cum omnibus personis et possessionibus tuendam suscipit.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis, decano et capitulo Spirensi, salutem et Apostolicam benedictionem.

Cum a nobis petitur quod justum est et honestum, tam vigor æquitatis quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis precibus inclinati, personas vestras et locum in quo divino obsequio estis mancipati, cum omnibus bonis quæ in præsentiarum rationabiliter possidet, aut in futurum, præstante Domino, justis modis poterit adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus. Specialiter autem ecclesiam de Ezzelingen cum pertinentis suis, sicut eam juste, canonice et pacifice possidetis, vobis et per vos Spirensi ecclesiæ auctoritate Apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ protectionis et confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Reate, III idus augusti, pontificatus nostri anno decimo.

XII

Ad Ericum regem Sveciæ.

12 augusti 1225.

[Liljegren, Swenskt diplom., I, 244, n. 235.]

Ericum regem Sveciæ cum regno et omnibus suis honoribus protegendum suscipit.

Tuæ sublimitatis devotio promeretur, ut ad tuam et regni tui tranquillitatem et pacem paternæ sollicitudinis studio intendamus. Hinc est quod personam tuam cum regno, et omnibus tuis honoribus ac justitiis sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti patrocinio communimus, districtius inhibentes, ne quis honores tuos ac jura præsumat invadere, aut quomodolibet temere perturbare. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ protectionis et inhibitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Reate, II idus augusti, anno decimo.

XIII

Ad Petrum, archiepiscopum Lundensem.

12 augusti 1225.

[Liljegren, Swenskt diplom., I, 245, n. 237.]

Ei concedit usque ad quinquennium potestatem absolvendi incendiarios provinciæ suæ et manuum in personas ecclesiasticas injectores.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri..... archiepiscopo Lundensi, salutem, etc.

Ut tuam honoremus personam, et per honorem tibi exhibitum alii consulamus, absolvendi juxta formam Ecclesiæ vice nostra incendiarios provinciæ tuæ, ac manuum in personas ecclesiasticas injectores, tibi usque ad quinquennium, præsentium auctoritate concedimus potestatem, ita tamen quod passis injuriam facias satisfieri competenter, et si aliquorum fuerit gravis et enormis excessus, illos mittas ad Sedem Apostolicam absolvendos. Nulli ergo, etc., nostræ concessionis, etc. Si quis, etc. Datum Reate, II idus augusti, pontificatus nostri anno decimo.

XIV

Ad Olaum, archiepiscopum Upsalensem.

12 augusti 1225.

[Liljegren, Swenskt diplom., I, 244, n. 236]

Archiepiscopum Upsalensem hortatur, ac rogat ut pro reverentia erga Apostolicam Sedem beneficium conferat I., diacono capellano suo.

Honorius, etc., venerabili fratri archiepiscopo Upsalensi, salutem, etc.

Dilectus filius I., diaconus capellanus tuus, in nostra proposuit præsentia constitutus, quod licet ecclesiasticæ provisionis gratia se reddere dignum studuerit, utpote qui diu Parisius scholasticus institit disciplinis, et per biennium divinis devote vacavit

obsequiis in partibus transmarinis, nihilominus obsequiis tuis diu fideliter insistendo adhuc tamen nullum est ecclesiasticum beneficium assecutus; quare humiliter petiit, ut ad provisionem ipsius misericorditer intendere dignaremur. Quia igitur ad provisionem cunctorum qui clericali militiæ sunt adscripti, et eorum præcipue quibus majora merita suffragantur, officii nostri debitum et pietas nos inducit, fraternitatem tuam rogandam duximus, et monendam per Apostolica tibi scripta mandantes, quatenus præfato diacono pro reverentia divina et nostra, pensatis meritis ejus, provideas in beneficio competenti, preces et mandatum nostrum taliter impleturus, quod idem speratæ provisionis solatium se recepisse lætetur. Datum Reate, II idus augusti, anno decimo.

XV

Ad ducem et magnates Svetiæ.

13 augusti 1225.

[Liljegren, Svenskt dipl., I, 245, n. 238.]

Eos hortatur ut quiescant personas ecclesiasticas ad judicium sæculare protrahere, bona propria ipsorum occupare ac eos exactionibus indebitis opprimere.

Ad audientiam nostram venerabili fratre nostro..., Upsalensi archiepiscopo insinuante, pervenit quod vos personas ecclesiasticas ad judicium sæculare protrahitis, et auctoritate propria bona occupantes ipsorum, ac eos exactionibus indebitis opprimentes, ut quodammodo deterioris conditionis existant, quam idolorum ministri sub Pharaone fuerunt in Ægypto. Ille enim aliis servituti subactis, sacerdotes idolorum in libertate servavit; vos vero non distinguentes inter prophanum et sacrum Dei vivi et veri, ministros nitimini contra divinas et humanas sanctiones subjicere servituti. Et licet alias super his vobis direximus scripta nostra, ab hujusmodi tamen molestiis hactenus quiescere non curatis. Ideoque nobilitatem rogamus districtius et hortamur, per Apostolica vobis scripta præcipiendo mandamus, quatenus pro reverentia divina et nostra quiescatis a præfatis injuriis, et ecclesias ac personas ecclesiasticas gaudere libertate debita permittatis. Alioquin sententiam, quam idem archiepiscopus rationabiliter tulerit irremissibiliter ratam habebimus, et faciemus auctore Domino firmiter observari. Datum Reate, idibus augusti, anno decimo.

XVI

Ad priorem et fratres Sanctæ Mariæ de Vincareto.

13 augusti 1225.

[Mittarelli, Annal. Camaldul., IV, app. 641, n. 18.]

Regulam Sancti Marci dat fratribus de Vincareto.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis... priori et fratribus Sanctæ Mariæ de Vincareto, salutem et Apostolicam benedictionem.

Vestra nobis devotio supplicavit, ut eum desideretis assumere regulam fratrum Sancti Marci de Mantua, Apostolicæ Sedis judicio approbatam, id faciendi vobis licentiam concedere dignaremur, hoc tamen [proviso], quod prædicti fratres per hoc nullum jus in vestra sibi possint ecclesia vendicare. Nos igitur vestris, et venerabilis fratris nostri Populiensis episcopi diœcesani vestri precibus inclinati, licentiam vobis præsentium auctoritate concedimus postulatam, ipsius episcopi et ejus ecclesiæ jure salvo. Nulli ergo, etc., hanc paginam nostræ concessionis, etc. Datum Reate, idibus augusti, pontificatus nostri anno decimo.

XVII

Ad prælatos et clericos Upsalensis diœcesis.

13 augusti 1225.

[Liljegren, Svenskt dipl., I, 246, n. 239.]

Eos hortatur ut Olao Upsalensi archiepiscopo suam diœcesim visitanti procurationes debitas hilariter exhibeant.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis prælatis et clericis Upsalensis diœcesis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Quum omnibus debita cui honorem honorem, cui tributum tributum secundum Apostolum reddere debeatis, universitatem vestram hortandam duximus et monendam per Apostolica scripta mandantes, quatenus venerabili fratri nostro, Upsalensi archie-

piscopo suám diœcesim visitanti procurationes debitas ita hilariter exhibere curetis quod facientes de necessitate virtutem et ex debito vobis gratiam comparantes, ipsum archiepiscopum vobis reddatis favorabilem et benignum. Datum Reate, idus augusti, pontificatus nostri anno decimo.

XVIII

Ad Mediolanensem archiepiscopum.

16 augusti 1225.

[Hist. patr. monum. Chart. I, 1290.]

Ei mandat ut ad præbendam Aimerici cantoris Novariensis idoneum eligi in diaconatus vel sacerdotii ordine constitutum.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri... Mediolanensi archiepiscopo, salutem et Apostolicam benedictionem.

Ex parte venerabilis fratris nostri... Saonensis episcopi.... præpositi et quorumdam aliorum canonicorum Novariensium fuit nobis auribus intimatum, quod cum in ipsorum ecclesia per te auctoritate nostra statutum fuerit, ut ibi sit certus numerus sacerdotum ita quod si locum sacerdotis vacare contingeret non substitueretur ei alius quam sacerdos, vel talis qui cito in sacerdotem promoveri valeret, et nos statutum hujusmodi postmodum duxerimus confirmandum, nuper bonæ memoriæ A(imerico) cantore Novariensi, qui sacerdos fuerat, viam universæ carnis ingresso, cum vellent ad præbendam ipsius inhærentes statuto hujusmodi eligere sacerdotem et sic convenisset in Hugonem Mussum, virum utique vitæ laudabilis et conversationis honestæ, qui cum sit diaconus cito posset ad sacerdotium promoveri, venerabilis frater noster... Novariensis episcopus Johannem nepotem suum, magnis redditibus abundantem, constitutum in minoribus ordinibus, occasione cujusdam receptionis olim factæ de ipso a quibusdam concanonicis eorumdem, investiens de prænominata præbenda eumdem fecit auctoritate propria in ipsius possessionem induci, et ut eis volentibus sacerdotem eligere viam præcluderet eligendi, eos, si ad electionem procederent interdixit, propter quod cum eligere non audebant, Sedis Apostolicæ remedium implorarunt. Cum igitur non possint statuta in ecclesiis fieri, si ea et maxime utilia non serventur, fraternitati tuæ per Apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus his non obstantibus quæ per dictum episcopum taliter sunt præsumpta, facias ad præbendam dicti cantoris, per eos ad quos jus eligendi spectare dignoscitur, idoneum aliquem eligi in diaconatus vel sacerdotii ordine constitutum. Datum Reate, XVII kal. sept., pontificatus nostri anno decimo.

XIX

Ad Colocensem archiepiscopum et suffraganeos ejus.

23 augusti 1225.

[Fejer, Cod. dipl., III, II, 48.]

Idem Honorius Andream R. abalienationes in præjudicium regni factas revocare jubet; ac officiis publicis paganos et Judæos contra synodalem ac regni constitutionem præfici, per Saracenos christiana coemi mancipia, in suamque ab his trahi superstitionem, expostulat.

Honorius, Colocensi archiepiscopo, et suffraganeis ejus.

Intellecto jam dudum, etc., *ut in bulla superiori*, 15 julii, anno nono, col. 887.

Reate, X kal. septembris, anno decimo.

XX

Ad Bartholomæum episcopum Parisiensem.

28 augusti 1225.

[Sbaralea, Bullarium Francisc., I, 21, n. 19.]

Episcopo Parisiensi injungit, ut sinistram suæ concessionis interpretationem a nonnullis adinventam compescat, et fratres Minores in exercitio privilegii conservet.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Bartholomæo episcopo Parisiensi, salutem et Apostolicam benedictionem.

In his, quæ ad cultum divinum facere dignoscuntur, non maligna, sed benigna potius esset interpretatio facienda. Unde mirari compellimur, quod cum fratribus Minoribus, duxerimus indulgendum, ut ubicumque fuerint, sine parochialis juris præjudicio cum altari valeant viatico celebrare : quidam, sicut nuper fuit propositum

coram nobis, nimis stricte interpretando indulgentiam nostram asseruere, quod per eam prædicti fratres præter episcoporum, abbatum, et aliorum prælatorum assensum facere hoc non possunt; propter quod eos celebrare juxta indulgentiam Apostolicam non permittunt. Cum autem, si res taliter se haberet, nihil eis conferret indulgentia memorata, sine qua id episcopis, et aliis prælatis annuentibus liceret eisdem, fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus interpretatione hujusmodi reprobata, dum tamen ab aliis, quæ jure parochiali proveniunt, se prorsus abstineant; datam eis sic licentiam celebrandi auctoritate nostra non differas publicare, ita quod dicti fratres aliquam ex indulgentia nostra videantur in hoc gratiam consecuti. Datum Reate, V kalendas septembris, anno decimo.

XXI

Ad Guillelmum archiepiscopum Remensen.

30 augusti 1225.

[Sbaralea, Bullar. Francisc., I, 22, n. 20.]

Mandat archiepiscopo Remensi, ut sinistram interpretationem prædictæ concessionis a quibusdam inventam auctoritate Apostolica compescat, et fratres in exercitio privilegii conservet.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri archiepiscopo Remensi, salutem et Apostolicam benedictionem.

In his, quæ ad cultum divinum facere dignoscuntur, etc., *ut in præcedenti epistola.* Datum Reate, III kalendas septembris, pontificatus nostri anno decimo.

XXII

Ad archiepiscopum Lugdunensem.

30 augusti 1225.

[Regest., lib. X, epist. 33. Mss. La Porte du Theil.]

Dat ei et successoribus ejus provinciam defendendi ac tuendi libertatem quam Forensis comes hominibus villæ Sancti Ragneberti concesserat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri.... archiepiscopo Lugdunensi, salutem et Apostolicam benedictionem.

Vota fidelium pietatem in se continentia, quibus maxime libertas inquiritur, quum favorabilis res existit, favore sunt congruo prosequenda, nosque ipsis tenemur Apostolicum præsidium impertiri. Unde licet supplicationibus porrectis nobis super libertate quam nobilis vir G. comes Forensis, nepos tuus, hominibus villæ Sancti Ragneberti, et parochiarum suarum, scilicet Bonezonis, Chamblæ, Sancti Cypriani, et Sancti Justi ad monasterium de Sancto Ragneberto spectantium intuitu pietatis gratuita libertate dicitur indulsisse, de liberalitate dubitantes eadem a principio difficiles fuissemus, de ipso tamen per tuas et ejusdem comitis litteras certiores effecti, prædictis supplicationibus, devotione ipsius comitis approbata, duximus benignius annuendum. Denique sicut per litteras easdem didicimus quum comitibus Forensibus tuis et ipsius comitis progenitoribus in honoribus villæ prædictæ Sancti Ragneberti, et dictis parochiis nihil juris competeret, nihilominus occasione custodiæ locorum ipsorum, quam iidem habuerant ab antiquo, sæpe graves talias dictorum locorum hominibus contra Deum, et justitiam imponebant, et alia eis indebita gravamina irrogabant. Verum præfatus comes pio inspiratus affectu de præteritis dolens, et super futuris cupiens gravaminibus præcavere ne in usum et consuetudinem abusus hujusmodi deveniret de tuo consilio, et assensu, cum ejus diœcesanus existas pro se ac successoribus suis tallias, et gravamina prædicta remisit, plenam libertatem eisdem locis et hominibus concedendo, et quod nullo tempore contraveniret se astrinxit vinculo juramenti, statuens, quod sui successores et posteri præstare debeant simile jusjurandum. Et quia proni sunt ad malum homines potiusquam ad bonum et plures sunt, qui prædecessorum suorum non virtutes sed vitia imitantur, cum de die in diem caritas refrigescat, et iniquitas abundet multorum, auctoritate Apostolica defendi voluit quod pie super hoc duxerit faciendum. Quare concedi a nobis per litteras suas humiliter supplicavit, ut si quando ipse, ac successores sui libertatem hujusmodi violare præsumpserint, archiepiscopus Lugdunensis, qui pro tempore fuerit, nisi post admonitionem ipsius emenda exhibeatur a violatore competens infra mensem

ipsum excommunicationi et comitatum Forensem usque ad dignam satisfactionem subjiciat interdicto. Tu etiam significasti nobis per litteras tuas, quod præfatus comes diligenti secum tractatu habito de conservanda libertate prædicta sic defendi eam voluit sic servari. Præterea dicens nosse te plenius factum hujusmodi, ac illius terræ statum, et in hoc versari ecclesiasticam utilitatem non modicam, et magnum opus misericordiæ contineri, petivisti suppliciter ipsius comitis supplicationes admitti. Quocirca fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus libertatem ipsam, et immunitatem per excommunicationem in personas Forens. comitum, et interdictum in præfatum comitatum auctoritate Apostolica tuearis, quam auctoritatem ad tuos etiam extendi volumus successores. Datum Reate, III kalendas septembris, anno decimo.

XXIII

Ad capitulum Sancti Quintini.

30 augusti 1225.

[Regest., lib. X, epist. 38. Mss. La Porte du Theil.]

Injungit eis ut ipsorum decano ipsos corrigere volenti obedientiam præstent.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis capitulo Sancti Quintini, Noviomensis diœcesis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Quoniam proni sunt hominis sensus ad malum, et multa ex defectu proprio, nonnulla vero ex aliena malitia, quæ non conveniunt, committuntur, extirpari debent vitia, resecari nociva, salubria inseri, et plantari virtutes. Intelleximus sane, quod cum aliqui vestrum aliquos committunt excessus, correctionem sui decani recipere contradicunt : licet sicut ipse decanus asserit vestrarum curam habeat animarum, et singuli vestrum obedientiam ei fecerint manualem. Nolentes igitur, quod excessus vestri remaneant in vestrarum animarum periculum incorrecti, et ex officio nostro super hujusmodi, dum lis inter vos, et eum vertitur, providentes, per Apostolica vobis scripta mandamus, quatenus super singulorum vestrum excessibus ipsius decani correctionem sine utriusque partis præjudicio recipere minime detractetis. Alioquin venerabili fratri nostro... Noviomensi episcopo noveritis nos per litteras injunxisse, ut tales excessus vestros auctoritate nostra corrigere non omittat, nullo ex hoc vobis vel eidem decano in posterum præjudicio generando. Datum Reate, III kalendas septembris, anno decimo.

In eumdem modum scriptum est... Noviomensi episcopo, ut si dictum capitulum hoc non curaverit adimplere, idem episcopus tales excessus eorum auctoritate Apostolica corrigere non omittat. Datum *ut supra.*

XXIV

Ad Corisopitensem et Trecorensem episcopos et abbatem S. Crucis Camparellæ, Corisopitensis diœcesis.

1 septemb. 1225.

[Manrique, Ann. Cisterc., IV, 242.]

De testibus et attestationibus.

(Vide *Quintam Compilationem*, t. I, lib. I, col. 227-228.)

XXV

Ad Varadiensem et Geuriensem episcopos.

1 septemb. 1225.

[Fejer, Cod. dipl. Hung., III, II, 53.]

Eis mandat ut super excessibus Hospitalariorum S. Mariæ Theutonicorum, veritatem inveniant.

Honorius, etc., Varadiensi et Geuriensi episcopis, etc.

Detestabile semper est ingratitudinis vitium, quo quis accepti beneficii et benefactoris sui pariter obliviscitur, cum ad antidota quilibet naturaliter obligetur. Verum ea ingratitudo detestabilior dignoscitur, cum quis, non solum non est memor illius, a quo se novit beneficium recepisse, sed malum ei pro bono retribuit, et odium pro amore. Conquerente sane carissimo in Christo filio nostro A[ndrea] illustri rege Hungariæ, per dilectum filium Ma. Florentium, custodem Orodiensem, nuncium suum, nobis innotuit : quod cum in quadam parte regni sui hospitalariis S. Mariæ Theutonicorum, terram ad triginta dumtaxat aratra, caritatis intuitu, liberaliter contulisset,

iidem liberalitate ipsius, ac gratia non contenti, multo amplius occupavere de terra in parte prædicta; ipso contendentes invito armata manu, quod occuparunt, taliter retinere, prout præsentatæ nobis quorumdam abbatum Cisterciensis ordinis litteræ declararunt; in quorum præsentia quidam ex hospitalariis ipsis responderunt : eidem regi occupata humiliter repetenti, quod in pugna propter hoc potius mori vellent, quam restituere illa sibi; sed nec hoc contenti, homines ejus capiunt, indebitis eos exactionibus aggravantes, et aliis ipsi innumeris injuriosi existentes plurimum et molesti; ac conditiones ab eodem rege super monesta ipsius, et quibusdam aliis articulis eis impositas, cum Hungariam intraverant, servare nolentes, propter quod a nonnullis asseritur, quod tanquam ignis in sinu, mus in pera, et serpens in gremio, qui hospites suos mane remunerant, sint eidem regi hospitalarii supradicti. Præfatus itaque rex devote plurimum postulavit a nobis, ut eosdem hospitalarios liberalitate ipsius quadam tenus etiam abutentes, pro tantæ ingratitudinis vitio se reddiderunt indignos, mandaremus, esse contentos, et ab usurpatione qualibet cohiberi. Cum autem religiosi viri qui propria perfectionis amore contemnunt, aliena non debent usurpare, nec sunt, quos non dedeceat aspere contra benefactorem suum super beneficiis ejus procedere, nedum eidem injuriam vel gravamen inferre, ac pro bono retribuere sibi malum; et indignum existat, quod quis sentiat ex sua liberalitate jacturam : fraternitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus ad locum personaliter accedentes, inquisita super his summatim veritate, prænominatos hospitalarios, ut concessis eis in regia donatione terminis sint contenti; et easdem conditiones observent, per censuras ecclesiasticas, appellatione postposita, cogatis; cum eodem rege insuper, ut contra liberalitatem suam non veniat nihilominus facientes; non obstantibus litteris ad Lilienwelt, de Egris et de Kerc abbates a Sede Apostolica impetratis. Quod si non omnes, etc. Datum Reate, kal. septembris, anno decimo.

XXVI

Ad capitulum Orodiensem.

3 septemb. 1225.

[Fejer, Cod. dipl., III, II, 50.]

Præpositum, a se nominatum, Orodiensi capitulo cum reverentia suscipiendum commendat.

Honorius, etc., Orodiensi capitulo.

Jam pridem præpositura vestra vacante, cum regalis existat, et per hoc ad nos ejus collatio, ad regem vero præsentatio pertinere noscatur, eam dilecto filio, Joanni Capuc[io] subdiacono et capellano nostro duximus concedendam; super quo carissimo in Christo filio nostro [Andreæ] illustri regi Hungariæ, jam dudum destinavimus, et nunc etiam dirigimus scripta nostra; cum autem nobis esset indecens, si prænominatus capellanus circa factam sibi a nobis hujusmodi gratiam, difficultatem, vel obstaculum sustineret : nos, quidquid factum est, aliter de præpositura præfata, cum contra concessionem nostram id actum fuisset, irritum decrevimus et inane. Quare universitatem vestram monemus, per Apostolica vobis scripta firmiter mandantes, quatenus eidem capellano, tanquam præposito vestro plene de cætero intendatis; ejus nuncio de ipsius præposituræ viribus integre respondentes. Datum Reate, III nonas septembris, anno decimo.

XXVII

Ad Andream, regem Hungariæ.

4 septemb. 1225.

[Fejer, Cod. dipl. Hung., III, II, 51.]

Andreæ se præpositum Orodiensem nominasse significat.

Honorius, etc.

Jam pridem Orodiensi præpositura vacante, quum regalis existat, ac per hoc ad nos ejus collatio, ad te vero præsentatio præpositi pertinere noscatur; eam dilecto filio Johanni [Capucio] subdiacono et capellano nostro, et clerico tuo, tibi devoto, quantum in nobis fuit, duximus concedendam; monentes celsitudinem regiam, et rogantes, ut gratiam sibi faceres de hoc, quod ad te in præpositura ipsa spectaret, nullum tibi per hoc in posterum præjudicium generando. Et quidem de nostro et tuo gratificati

fuimus capellano prædicto, consulentes tibi non modicum in hac parte; quum idem, tanquam honoris tui nimium avidus, pro te apud Sedem Apostolicam semper invigilet, quasi procuratorem ibi eum ad tua negotia deputasses; qui procul dubio semper nunciorum sollicitudine frequenter se exonerare poterit; utpote, qui negotiis tuis imminet toto posse, et familiarius nobis potest exponere, quæ tibi pro tempore incumbere dignoscuntur. Quum autem nobis et tibi esset indecens, si denominatus capellanus in hujusmodi gratia difficultatem, vel obstaculum sustineret, nos quidquid factum est aliter de præpositura præfata, quum contra concessionem nostram id actum fuisset, irritum decernimus et inane. Cæterum serenitatem tuam sicut iterum, sic attentius exhortamur, quod, quum non quæramus in hoc proprium, sed tuum commodum et profectum, de hoc, quod ad te in præpositura ipsa pertinet, capellano gratificeris eidem, intentionem nostram in hac parte considerans et acceptans; ita quod prudentia tua inde valeat commendari, et capellanus ipse, tibi utique fructuosus, quum nobis et fratribus nostris carus existat; ad servitium tuum fortius accendatur, ac nos id etiam gratum habere possimus. Datum Reate, II nonas septembris, pontificatus nostri anno decimo.

XXVIII

Ad Albertum electum, abbatem S. Zenonis et Constantinum canonicum Veronenses.

6 septemb. 1225.

DE ARBITRIS.

(Vide *Quintam Compilationem*, lib. I, tit. 24, cap. 2, t. I, col. 187-188.)

XXIX

Ad Romanum, Sancti Angeli cardinalem, A. S. legatum.

9 septemb. 1225.

[Bouquet, Rec. des Hist., XIX, p. 776; Regest., lib. X, epist. 44.]

Jacobo, Aragoniæ rege, Amelianensem comitatum reposcente, discretioni legati rem Honorius committit.

Honorius, etc., dilecto filio R. Sancti Angeli diac. card., A. S. legato, salutem, etc.

Ex parte carissimi in Christo filii nostri (1), illustris regis Aragonum, fuit propositum coram nobis, quod, cum venerabilis frater noster Portuensis episcopus (2), tunc in partibus Provinciæ A. S. legatus, ipsum comitatu Amelianensi, quo eum nobilis vir comes Montisfortis [Amalricus] et episcopus diœcesanus privaverant, de mandato nostro investiverit speciali (3); nobilis vir R[aimundus] qui pro comite Tolosano se gerit, sciens eum diversis perturbationibus et guerris oppressum, ut ex hoc ad defensionem suorum jurium impotentem, memorato comitatu ipsum, ad quem hæreditario jure pertinet, indebite spoliavit; licet eum pro viribus defendere teneretur, nec ipsum, qui pupillus existit, commissum ab utroque parente tutelæ Sedis Apostolicæ, dubitaret. Nos autem, discretioni tuæ hujusmodi negotium remittentes, per Apostolica scripta mandamus, quatenus in ipso procedas prout secundum Deum et justitiam videris procedendum. Datum Reate, V idus septembris, anno decimo.

XXX

Ad episcopum et præpositum Geurienses.

10 septemb. 1225.

[Fejer, Cod. dipl. Hung., III, II, 52.]

Præpositum Orodiensem a se nominatum, remoto omni alio, investiri jubet.

Honorius, etc., episcopo et... præposito Geuriensi, etc.

Cum Orodiensis præpositura, quæ cum regalis existat, ad nos spiritualibus, ad regem vero in temporalibus pertinet, vacavisset; eam dilecto filio, Joanni Capuc[io] subdiacono et capellano nostro dudum duximus concedendam, et nuper irritum et inane decrevimus, si quod forte super hoc foret in præjudicium capellani prædicti præsumptum, cum contra concessionem nostram id existeret attentatum. Quocirca discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus ab eadem præpositura quolibet detentore amoto, prænominatum plena ejus pacifica faciatis possessione gaudere. Contradictores, etc. Quod si non, etc. Datum Reate, IV idus septemb., anno decimo.

(1) Jacobi. (2) Conradus. (3) Legendæ Honorii litteræ superius recitatæ, t. II, ad annum 1217, mense junio.

XXXI

Ad episcopum, magistrum Johannem de Monte Mirabili archidiaconum et Willelmum Arvernacensem, canonicum Parisiensem.

10 septemb. 1225.

[Regest., lib. X, ep. 52. Mss. La Porte du Theil.]

Dat eis provinciam accedendi ad monasterium Sanctæ Columbæ Senonensis et excessus abbatis ejusdem monasterii corrigendi.

Honorius, etc., venerabili fratri, ... episcopo, et magistris Johanni de Monte Mirabili archidiacono et Willelmo Arvernacensi canonico Parisiensi, salutem, etc.

Ad audientiam nostram dilecto filio S., priore monasterii Sanctæ Columbæ Senonensi intimante pervenit, quod cum dictum monasterium inter alia sibi vicina spiritualium, et temporalium consueverit ubertate florere, nunc per abbatis ipsius incuriam est collapsum adeo in utrisque, quod degentes in ipso, vix possunt de ipsius facultatibus per anni dimidium commode sustentari, nec est etiam qui excessus corrigat eorumdem. Nam dictus abbas perjurio, aliisque irretitus criminibus pro filiabus propriis maritandis bona ejusdem monasterii dilapidans enormiter, et consummans, se a rege Francorum asseruit impetrasse, ut poneretur in vinculis, qui ab ipso ad Sedem Apostolicam provocaret, excommunicando nihilominus generaliter appellantes, seu qui contra eum inquisitionem aliquam impetrarent. Idem quoque sigillum conventus violenter accipiens ad nundinas secum pluries, renitentibus monachis, asportavit, sub quo, quum proprium habeat, eum iniisse contractus metuant et præsumunt in dispendium monasterii memorati. Adhuc etiam his ad suæ iniquitatis cumulum non contentus, quamdam neptem suam cuidam monacho fertur matrimonialiter copulasse de facto, quasi legem faciens de peccato, et alia committit enormia in salutis propriæ detrimentum. Et licet super his, et aliis suis excessibus monitus fuerit a pluribus pluries dictus abbas, ipse tamen in aliquo se corrigere non curavit, quasi elegerit in peccatorum tabernaculis potiusquam in domo Domini habitare, et sic qui verbo pariter et exemplo deberet proficere, factus est multis offendiculum per exemplum. Cum igitur nostrum sit descendere, ac videre utrum clamor qui ad nos ascendit opere compleatur, cum ad nos immediate dicatur ipsum monasterium pertinere, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus ad locum ipsum personaliter accedentes, et habentes præ oculis solum Deum, eidem vice nostra visitationis officium impendatis, et inquisita super prædictis diligentius veritate corrigatis, et reformetis ibidem tam in capite, quam in membris quæ correctione, ac reformatione secundum Deum videritis indigere. Contradictores, etc. Quod si non omnes, etc. Datum Reate, IV idus septembris, anno decimo.

XXXII

Ad episcopum, priorem et archidiaconum Maclovienses.

13 septemb. 1225.

[Regest., lib. X, epist. 45. Mss. La Porte du Theil.

Mandat eis ut, juxta tenorem litterarum Apostolicarum de hoc jam ad ipsos datarum, G. pauperem clericum in ecclesia B. Martini Andegavensis præbenda faciant provideri.

Honorius, etc., venerabili fratri... episcopo, et dilectis filiis... priori et... archidiacono Macloviensi, salutem, etc.

Dilectus filius G. pauper clericus in nostra proposuit præsentia constitutus, quod cum... decano et capitulo ecclesiæ B. Martini Andegavensis preces direxerimus, et præcepta, ut ipsum quam cito se facultas offerret in canonicum reciperent et in fratrem, vobis super hoc executoribus sibi datis, vacantibus interim duabus in ecclesia præfata præbendis, dictus clericus ut mandatum nostrum exsequeremini circa ipsum a vobis cum instantia postulavit. Sed quia ipsorum decani, et capituli procurator excipiendo proposuit, nostras super hoc litteras non valere, eo quod in eis mentio non fiebat, quod præfatus decanus ex donatione regis præbendarum ejusdem ecclesiæ collationem haberet, vos mandati nostri executores non esse interloquendo dixistis, et sic illæ duæ præbendæ, quæ medio tempore vacarunt aliis sunt collatæ, et dictus clericus occasione hujusmodi quam vos maliose recepisse videmini, remansit hactenus sua provisione frustratus, propter quod idem nostram audientiam appellavit, appel-

lationi cujus dicitur detulisse. Nolentes igitur, ut sæpedictus clericus sic frustratus a vobis litterarum nostrarum commodo ulterius suspendatur, vobis firmiter præcipiendo mandamus, quatenus occasione hujusmodi, quam reputamus frivolam, non obstante, mandatum nostrum ad vos pro ipso directum taliter sine difficultate qualibet exsequimini, quod et ipse propter hoc ad nos ulterius non recurrat, nec vos possitis de inobedientia reprehendi, quæ idololatriæ comparatur. Quod si non omnes, etc. Datum Reate, idibus septembris, anno decimo.

XXXIII

Ad abbatem Sancti Godardi... præpositum Albensem, Geuriensis et Vesprimiensis diœcesum et magistrum Enoc, archidiaconum Nitriensem.

16 septemb. 1225.

[Theiner, Mon. Hung., I, 61, n. 129.]

Judicibus mandatur, ut de lite inter episcopum Vesprimiensem et fratres Hospitalis inquirant.

Honorius, etc..., dilectis filiis.... abbati Sancti Godardi.., præposito Albensi, Geuriensis et Vesprimiensis diœcesum, et magistro Enoc archidiacono Nitriensi, salutem, etc.

Venerabili fratri nostro. , Vesprimiensi episcopo, et dilecto filio R. procuratori hospitalis Hierosolymitani in Hungaria, in nostra præsentia constitutis, venerabilem fratrem nostrum P. Albanensem episcopum dedimus auditorem, coram quo dictus petiit procurator quandam sententiam, a felicis memoriæ Innocentio papa, prædecessore nostro pro ipso episcopo contra fratres Hierosolymitani Hospitalis Sancti Stephani Albensis, Vesprimiensis diœcesis super quibusdam decimis promulgatam, in melius commutari, tum quod causa super præfatis decimis coram ipso prædecessore nostro per falsum procuratorem agitata fuerat, ut dicebat, tum quod ex parte hospitalis necessariæ narrationes et probationes fuerant, sicut asserebat, omissæ, quæ si non omissæ essent, lata non esset contra ipsum hospitale sententia supradicta. Quare petebat, si forsan de falso procuratore allegato non prodesset, hospitale ipsum ad prædictas narrationes et probationes per in integrum restitutionem admitti, præsertim cum ex earum omissione sit enormiter læsum, vel saltem unum de fratribus suis statui ejusdem hospitalis syndicum nomine Romanæ Ecclesiæ, ad quam spectat, et cui est in una marca auri annis singulis censuale. Præfatus vero episcopus excipiendo respondit, quod super his respondere non tenebatur procuratori prædicto, quod cum per... de Tichon et... de Bochan abbates, quos ipse prædecessor noster deputavit executores sententiæ supradictæ, fuisset in prædictarum decimarum possessionem inductus, fratres dicti hospitalis licet ad tempus ipsi sententiæ paruissent, postmodum tamen ipsum spoliaverant decimis antedictis : quare dicebat, quod stare non debebat in judicio spoliatus. His igitur per relationem ipsius auditoris plenius intellectis, quod neutra pars eorum, quæ coram ipso auditore proposuit, potuit facere plenam fidem, de fratrum nostrorum consilio discretioni vestræ de utriusque partis assensu per Apostolica scripta mandamus, quatenus dicto episcopo prius integre restituto, si se probaverit spoliatum, et possessionem pacificam assecuto, audiatis ea quæ pars hospitalis super falso procuratore et probationibus omissis, necnon ea quæ dictus episcopus pro se duxerit proponenda, causamque super prænotatis articulis sufficienter instructam ad nostrum remittatis examen, præfigentes partibus terminum competentem, quo nostro se conspectui repræsentent, quod justum fuerit, recepturæ. Quod si non omnes, etc. Datum Reate, XVI kalendas octobris, anno decimo.

XXXIV

Ad abbatem et conventum Glastoniæ.

18 septemb. 1225.

[Dugdale, Monast. Anglic., I, 38, 47.]

Privilegium Honorii papæ III quod clerici, oblatis ecclesiis, resignent pensiones.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati et conventui Glastoniæ, salutem et Apostolicam benedictionem.

Ex parte vestra fuit propositum coram nobis, quod cum quibusdam clericis annuas concesseritis pensiones tam diu sibi solvendas, donec eis æquivalentia vel majora beneficia conferatur, licet vos volentes a solutione pensionum hujusmodi liberari eos ad vacantia beneficia, quæ ad vos pertinent,

præsentetis, illi tamen ea volentes recipere vel etiam non valentes pro eo, quod alios obtinent personatus, pensiones nihilominus exigunt importune, quare super his nostræ providentiæ remedium flagitastis; ne igitur vestra vobis liberalitas sit damnosa, si conditionem implere parati nequeatis a conditionali debito liberari, vestris supplicationibus annuentes auctoritate vobis præsentium indulgemus, ut talibus non cogamini solvere pensiones, quia a vobis oblata congrua beneficia nolunt recipere vel non valent. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Reate, XIV kalendas octobris, pontificatus nostri anno decimo.

XXXV

Ad Bartholomæum, episcopum Parisiensem.

18 septemb. 1225.

[Sbaralea, Bullar. francisc, I, 22, n. 21.]

De celebratione missarum.

(Vide *Quintam Compilationem*, lib. III, t. 24, c. 7, t. I, col. 324-325.)

XXXVI

Ad Fridericum, Romanorum imperatorem.

25 septemb. 1225.

[Ughelli, Italia sacra, I, 490.]

Eum hortatur ut novos prælatos accipiat et honoret juraque eis conservet integra, et archiepiscopum Salernitanum, exhibitorem præsentium, vultu sereno recipiat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, Frederico, illustri Romanorum imperatori.

Certam nobis fiduciam tribuit innata tibi benignitas, ut facta pio intuitu, et Deo, sicut credimus, placita, tuæ quoque sint celsitudini placitura. Sane videntes quod diutina Capuanæ, Salernitanæ, Brundusinæ, Consanæ, ac Aversanæ ecclesiarum vacatio in grave non solum rerum, sed etiam animarum periculum redundabat, et attendentes, quod id nobis, et tibi imputabatur publice ab hominibus, ac ne imputaretur a Deo anxie metuentes, ipsis ecclesiis, et famæ, ac saluti nostræ, tuæque simul curavimus providere ipsas ecclesias respectu ad solum Deum habito de personis tibi merito acceptandis, utpote scientia, vita, et fama conspicuis oriundis de regno, et tuæ sublimitati devotis ac fidelibus, ordinando Capuanum venerabilem fratrem nostrum I. Pactensem, et Salernitanum venerabilem fratrem nostrum C. Famagustanum episcopos, Brundusinum vero dilectum filium abbatem S. Vincentii de Vulturno, Consanum venerabilem fratrem nostrum, quondam priorem S. Mariæ Novæ de Urbe, ac Aversanum venerabilem fratrem nostrum quondam Amalphitanum archidiaconum, sine tuo præjudicio providentes de fratrum nostrorum consilio in pastores. Rogamus igitur serenitatem tuam attentius, et hortamur, quatenus ecclesias ipsas, sicut imperialem clementiam decet, habens pro reverentia Dei, et animæ tuæ salute propensius commendatos, eis honores suos, ac jura integra conservando, prænominatos earumdem pastores, ita favore imperialis gratiæ prosequaris, quod celsitudinis tuæ serenitas in merito debeat Deo et hominibus complacere, et specialiter nos, ac fratres nostri devotionem excellentiæ tuæ debeamus in Domino commendare. Venerabilem autem fratrem nostrum archiepiscopum Salernitanum exhibitorem præsentium nobis, et fratribus nostris carum suis exigentibus meritis et acceptum, serenitati tuæ præsenti pagina commendamus, rogantes, ut et ipsum vultu sereno recipias, et ei gratiæ tuæ favorem, in quibus sibi et ecclesiæ suæ videris expedire favorabiles, et benignos impendas. Datum Reate, VI kalendas octobris, anno decimo.

XXXVII

Ad Cletum Agriensem episcopum.

25 septemb. 1225.

[Fejer, Cod. diplom. Hungariæ, III, II, 55.]

Ad preces Cleti, Agriensis episcopi, de meliori canonicorum suorum provisione contulit.

Honorius, etc.

Significasti nobis, quod ecclesiæ tuæ canonici, diminuta ipsorum provisione, a tempore Concilii generalis, quum eis ex tunc non fuerint ad eorum sustentationem con-

cessæ capellæ, sicut antea fieri consuevit, de redditibus præbendarum suarum, quum nimium sint exiles, nequeant sustentari; propter quod plures ipsorum, eadem relicta ecclesia, in ejusdem et clericatus opprobrium, cogantur se aliorum obsequiis mancipare. Unde humiliter supplicavisti, ut de capellis eisdem provisionem eorum de nostra permissione tibi ampliare liceret. Quia vero per hoc statutis derogaretur ejusdem Concilii, quæ servari volumus inconcussa, te, prout petiisti, nequimus exaudire. Verum illorum paupertati paterno compatientes affectu, et tibi etiam, prout exposcit devotionis tuæ meritum, gratiam facere cupientes, fraternitati tuæ, de qua plenam fiduciam obtinemus, præsentium auctoritate concedimus, ut si evidens necessitas vel utilitas exigat, aliquas præbendas possis ejusdem ecclesiæ de dictis capellis in perpetuum annectendis præbendis eisdem, sicut discretione prævia expedire videris, augmentare, reservata congrua illarum capellarum presbyteris portione. Nulli igitur, etc. Si quis autem, etc. Datum Reate, VII kalend. octobris, pontificatus nostri anno decimo.

XXXVIII

Ad potestatem et populos Reatinos.

26 septemb. 1225.

[Galletti, Chiese di Rieti, 159.]

Eis significat se eos eorumque civitatem cum districtu, jurisdictione et aliis bonis ad manus suas et per se Ecclesiæ Romanæ in posterum duxisse retinendos in plena libertate qua tenet ipsas Campaniæ civitates, quæ Ecclesiæ Romanæ nullo medio sunt subjectæ.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis potestati et populo Reatinis in perpetuam memoriam.

Etsi singuli ad Apostolicæ recurrant privilegium libertatis apud quam potestatis plenitudo noscitur residere, alii ut suam justitiam consequantur, et alii ut quasi filii benemeriti consequantur gratiam specialem. Dignum est et æquitas persuadet ut et illis ordo servetur justitiæ ac aliis in Romanæ Ecclesiæ devotione jugiter persistentibus protectionis et defensionis specialis gratia non negetur. Sane nobis ex parte vestra fuit multotiens supplicatum ut vos et terram vestram ad manus nostras sicut civitates Campaniæ teneremus, præsertim cum felicis recordationis Cœlestinus et Innocentius, prædecessores nostri, Romani pontifices, id vobis promiserint, ac super hoc etiam litteras Apostolicas habueritis quæ dicebantur in exustione vestræ civitatis amisisse. Cum igitur tu, fili potestas, super iis de assensu nostro S. Salvatoris, et S. Quirici, ac Sancti Mathæi de Monticulo abbatibus assistentibus tibi, testes quosdam merito fide dignos receperis, per quos juratos constitit de promissione ac litteris supra dictis sicut litteræ dictorum abbatum et depositiones dictorum testium nobis exhibitæ declarant. Nos diligentius attendentes puritatem, devotionem, et constantiam fidei, quam ipsa civitas vestra Romanæ Ecclesiæ servavit hactenus, et servare proponit in posterum, non solum in prosperis, sed etiam in adversis, memoriter etiam retinentes qualiter vicinis vestris fere omnibus retro respicientibus præter obsessiones, insultus et minas aliorum quæ omnia sustinuistis intrepide in ipsius imperatoris adventu, qui personaliter obsedit eamdem non sine Romanæ Sedis injuria et contemptu, Reatini et re et nomine inventi fuerint et in devotione stabiles et in fidelitate constantes, vos et civitatem vestram, cum districtu et jurisdictione et aliis bonis vestris ad manus nostras et per nos Ecclesiæ Romanæ in posterum duximus retinendos in plena libertate, qua tenemus ipsas Campaniæ civitates, quæ Romanæ Ecclesiæ nullo medio sunt subjectæ. In vestræ igitur devotionis augmentum vos et civitatem ipsam nostræ petitionis [protectionis] et defensionis privilegio communimus, districtius inhibentes ne vos, tamquam Romanæ Ecclesiæ devotos filios et immediate subjectos, quisquam audeat, sine Sedis Apostolicæ speciali mandato, de cætero molestare; sed vos et vestra sub nostræ defensionis clypeo libera de cætero maneant et quieta. Sane pro iis quæ de proventibus pontis et maleficiorum judicii curia percipere consuevit, triginta libras Sedi Apostolicæ annis singulis persolvetis. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat hanc paginam nostræ protectionis et concessæ libertatis nec non et inhibitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli

apostolorum ejus se noverit incursurum.

Ego Honorius, catholicæ Ecclesiæ episcopus suscripsi.

Ego Augustinus, Hostiensis et Vellitrensis episcopus, ss.

Ego Pelagius, Albanensis episcopus, ss.

Ego Nicolaus, Tusculan. episcopus, ss.

Ego Laudo, Prænestinus episcopus, ss.

Ego Oliverius, Sabinen. episcopus, ss.

Ego Guala, S. Martini presbyter cardinalis, ss.

Ego Stephanus, basilicæ Duodecim Apostolorum presb. card., ss.

Ego Octavianus, SS. Sergii et Bacchi diac. card., ss.

Ego Gregorius, S. Theodori diac. card., ss.

Ego Rainerius, S. Mariæ in Cosmedin diac. card., ss.

Ego Stephanus, S. Adriani diaconus cardinalis, ss.

Ego Egidius, SS. Cosmæ et Damiani diaconus card., ss.

Ego Petrus, S. Georgii ad Velum Aureum diac. card., ss.

Datum Reate, per manum magistri Guidonis domini Papæ notarii, kalendas octobris, indictione XIV, Incarnationis Dominicæ anno MCCXXVI, pontificatus vero domini Honorii III anno decimo.

XXXIX

Ad Ferdinandum, regem Castellæ.

26 septemb. 1225.

[Raynald, Annal. ad ann. 1225, § 43.]

Ei gratulatur quod per se ipsum crucis inimicos viriliter expugnare cœpit, eumque monet et obsecrat, ut in tam laudabili proposito firmiter perseveret.

Honorius, etc.

« Sane sicut relatum est nobis, accensus zelo fidei per te ipsum crucis inimicos viriliter expugnare cœpisti, et cooperante jam gratia Salvatoris, qui devotum obsequium tuum et pium super hoc propositum ex alto prospexit, in manibus tuis dirigi prospere causa cœpit; super quo in laudes et gratias assurgimus Creatori. »

Et infra, ubi arma sacra correpturis indulgentiarum præmia, et clientelam Apostolicam est pollicitus, addit :

« Quocirca excellentiam tuam monemus et obsecramus in Domino, quatenus de divina confisus potentia in tam laudabili proposito firmiter perseverans, illud de bono in melius, sicut de tua speratur constantia, prosequaris, negotio Christi spiritualibus et materialibus armis munitus insistendo ex animo, et totis viribus, ut desideratum eventum habeat laborando, ne si, quod non credimus, ab incœpto desisteres, non solum Christo vel Ecclesiæ Romanæ sed et opinioni, quam de te concepimus, illudere videreris, cum credendum sit, quod is, qui per misericordiam suam bonum dedit principium, felicem processum et exitum largietur. Datum Reate, VI kalend. octobris, pontificatus nostri anno decimo. »

XL

Ad capitulum Strigoniensem.

26 septemb. 1225.

[Fejer, Cod. dipl. Hung., III, II, 56.]

Canonicos Strigonienses ad concordem A. episcopi electionem, aut postulationem urget.

Honorius, etc., dilectis filiis, capitulo Strigoniensi, salutem, etc.

Quum olim duas postulationes, unam videlicet de venerabilibus fratribus.... Cenadiensi, et reliquam de.... Nitriensi, episcopis, in vestra duxeritis ecclesia celebrandas; nos nullam etiam invenientes canonicam, utramqne repulimus justitia exigente. Unde facientes vobis tunc gratiam, licet de juris rigore aliter facere valeremus, per litteras nostras nobilitati vestræ injungimus, ut infra mensem post receptionem litterarum ipsarum conveniretis in persona idonea, per electionem, seu postulationem liberam et canonicam, Spiritus sancti gratia invocata, ita quod non videremur detulisse vobis in præjudicium Strigoniensis ecclesiæ, neque providere per nos eidem ecclesiæ cogeremur. Vobis autem nequeuntibus in unam concordare personam, quidam vestrum eumdem Cenadiensem episcopum postularunt; quidam vero Thomam archidiaconum elegerunt. Sed, quum præsentatum nobis utriusque partis processum minus canonicum invenerimus, electionem cassavimus, et postulationem non duximus admittendam. Nolentes itaque ut eadem ecclesia diutius maneat pastoris solatio destituta, per Apostolica scripta mandamus, quatenus quatuor vestrorum, quos ad hoc

reputatis idoneos, mandatum universorum habentes, usque ad proximum festum Epiphaniæ ad nostram præsentiam transmittatis, quorum consilio de persona provideamus idonea ecclesiæ memoratæ. Alioquin noveritis, quod, cum mora in talibus sit damnosa, ex tunc eidem providebimus ecclesiæ per nos ipsos. Datum Reate, VI kalendas octobris, pontificatus nostri anno decimo.

XLI

Ad capitulum ecclesiæ Paderbornensis.

27 septemb. 1225.

[Schaten, Annal. Paderb., I, 1009.]

Mandat ut canonice sibi eligant personam idoneam in pastorem.

Cum Apostolica Sedes, ecclesiarum omnium gerens sollicitudinem generalem, singularum utilitatibus pro loco ac tempore studiose providere desideret, prout sibi Dominus administrat, ne si pro aliis adeo intenta sollicitudine versaretur, quod sui quasi negligenter oblita necessitati suæ consulere prætermitteret, merito posset de minus ordinata redargui caritate, viros claros, quos ad cooperandum sibi cognoscit idoneos, frequenter ad se advocat et assumit, sic illos honorans, ut nihilominus utiliter provideat Ecclesiæ generali. Sane cum M. Oliverius tunc electus vester ad nostram præsentiam accessisset, nos ipsum, quem fama laudabilis nobis multipliciter commendarat, recipientes hilariter ac benigne, munere sibi consecrationis gratanter impenso, ipsum post aliquandiu apud Sedem Apostolicam commorantem, merita virtutum ejus, quæ prius intellexeramus probabilibus argumentis, evidenter experti, in consortium nostrum admisimus, et transtulimus in episcopum Sabinensem; qui, ut speramus in Domino, ita serviet ecclesiæ generali, ut vestræ tanquam priori sponsæ dilectionis servet gratiam specialem. Cæterum ne, quod absit, ecclesia vestra pro defectu pastoris, alicui subjaceat detrimento, universitatem vestram monemus et hortamur, per Apostolica vobis scripta mandantes, quatenus convenientes in unum, Spiritus Sancti gratia invocata, provideatis vobis de persona idonea per electionem canonicam in pastore, qui tanto congruat oneri et honori. Verum ne obrepeudi dolosis vel violentis locus pateat irrumpendi, dilectis filiis de Hesethehusen, et de Bredelare abbatibus, Paderbornensis diœcesis, nostris dedimus litteris in mandatis, ut vos ad electionem canonicam celebrandam moneant propensius et inducant. Quare vobis injungimus, ut in electione taliter procedatis, quod ecclesia nullo dissidio laceretur, nec vos exinde præter damnum conscientiæ pœnam officii veb beneficii sentiatis, sed potius mereamini apud Dominum et homines de zelo, et scientia commendari. Datum Reate, V kalendas octobris, anno decimo.

XLII

Ad abbatem monasterii Clausiensis.

1 octob. 1225.

[Fejer, Codex dipl. Hung., III, II, 57.]

Abbati de Kolos ornamenta abbatialia, salutaribus cum monitis, confert.

Honorius, etc., abbati monasterii Clausiensis de Ultrasylvanis partibus, etc.

Licet Sedes Apostolica consueverit devotos filios affectu prosequi speciali, de singulari tamen ejus gratia et benignitate procedit, cum speciales personas adornat dignitatum insigniis, quæ ad majorem domus Dei decorem accedere dignoscuntur. Unde, qui talia merentur recipere, semper hujus gratiæ memores esse debent, ut cultui honoris, quem exhibent, bonæ actionis respondeant ornamenta, et plus suorum meritorum, quam insigniorum ornatu commissæ sibi ecclesiæ venustentur. Hinc est, quod nos multa precum instantia carissimi in Christo filii nostri, illustris regis Hungariæ, ac tuæ devotionis intuitu inclinati, personæ tuæ, mitræ ac annuli usum de speciali gratia duximus concedendum, affectantes, ut cum honoris augmento gratia sollicitudinis tuæ crescere debeat, et sicut cultus est elegantior, sic et melioris vitæ actio subsequatur. Nulli ergo concessionis, etc. Si quis autem, etc. Datum Reate, VI kalendas octobris, pontificatus nostri anno decimo.

XLIII

Ad archiepiscopum, decanum et archidiaconum Rhemensem.

4 octob. 1225.

[Regest., lib. X, epist. 75. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat eis ut sententias excommunicationis in præpositos Scabinos aliosque Cameracenses cives jam latas solemniter faciant renovari.

Honorius, etc., venerabili fratri... archiepiscopo et dilectis filiis.... decano, et archidiacono Remensi, salutem et Apostolicam benedictionem.

Speravimus hactenus, ut præpositi Scabini, et alii cives Cameracenses a sua duritia moniti, mollirentur, sed mollientes potius in contrarium, percussi non dolent, et contriti renuunt recipere disciplinam, quare timemus ne ipsorum plaga fit desperabilis, quum eo insanabilis quo insensibilis sit effecta. Sed ne forte alios exempli, quod absit, inficiant corruptela, uti cogimur contra eos gladio rigidæ ultionis. Cum enim venerabilis frater noster G., Cameracensis episcopus, olim in præpositos juratos, et Scabinos Cameracenses pro eo quod quemdam clericum indebite pulsata campana banniverant, et domum cujusdam canonici Sancti Gaugerici violenter intrarant, et canonice moniti exinde satisfacere denegabant, primo, et postmodum in centum quadraginta cives Cameracenses quorum consilio, et auctoritate id factum fuerat excommunicationis sententiam protulisset, quarum unam per R. decanum Sancti Pauli, et suos conjudices, aliam vero per J. præpositum Sancti Lamberti, et ejus collegas delegatos a nobis obtinuit confirmari; tandem quia populus, cujus potentia et favore illi excesserant satisfacere moniti, et requisiti spreverunt, eos, exigente justitia, simili sententia innodavit, quæ per J. decanum Ambianensem et suos conjudices a Sede Apostolica delegatos extitit confirmatam. Verum cum populus ipse non solum a sua contumacia minime resipiscens, verum etiam iniquitatem iniquitati adjiciens, dictum episcopum contra privilegiorum suorum tenorem multipliciter molestaret, ipse ad... episcopum Noviomensem et ejus collegas super hoc litteras Apostolicas impetravit, qui legitime procedentes in causa, in eos ipsorum contumacia exigente, excommunicationis sententiam protulerunt, quam crescente contumacia eorumdem per Remensem provinciam et nundinas in Remensi et Senonensi provinciis constitutas, fecerunt solemniter publicari. At illi, qui ad percutientem se rediisse debuerant malleum velut stipulam reputantes, nec sic satisfacere hactenus curaverunt, quando etiam quidam ipsorum nuntii ad Sedem Apostolicam accedentes, licet ex parte communitatis absolutionis postulaverint beneficium, quia tamen satisfactionem, vel satisdationem præstare nolebant, a nobis sine absolutione et licentia recesserunt. Ut igitur acrior pœna pungat quos pœnitudo hactenus non compunxit, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus dictas sententias per Remensem et Senonensem provincias, et nundinas in eisdem provinciis constitutas singulis diebus dominicis et festivis solemniter innovantes, eosdem tanquam excommunicatos faciatis a quibuslibet arctius evitari. Clericos quoque qui eis communicare, ac divina temere celebrare præsumpserint pœna canonica, sublato appellationis obstaculo, percellatis. Quod si non omnes, etc. Datum Reate, IV nonas octobris, anno decimo.

XLIV

Ad Vitalem archiepiscopum et abbatem S. Pauli Pisanos.

4 octob. 1225.

[Sbaralea, Bullar. Francisc., I, 23, n. 22.]

Ni Pisani quemdam fratrem Lucanum ordinis Minorum e carcere liberent, mandat, ut eos censuris ecclesiasticis coerceant.

Honorius, etc., venerabili fratri nostro... archiepiscopo, et dilecto filio abbati S. Pauli Pisanis.

In eo, quod audivimus, quemdam, ordinis Minorum in habitu suo cum quibusdam aliis ejusdem ordinis Pisis inventum pro cive Lucano a... potestate, et consiliariis Pisanis captum, et vinculis mancipatum, iidem potestas et consiliarii non immerito possunt, si res ita se habet, quod multum defecerint ab eorum sensu et virtute, notari. Licet enim prædictus frater de civitate Lucana ducat originem, cum tamen pro amore Christi egressus de terra et cognatione sua, et eorumdem fratrum religionem ingressus

reliquerit sæculum, et penitus abdicarit, non est jam dicendus illi, qui fuit, cum separatus a mundo in virum alterum sit mutatus. Denique potestas et consiliarii prædicti prospiciant, si cives tantæ civitatis deceat etiam hostes suos, qui sicut alii ad eos pacifice veniunt, in eadem civitate capere, ac detinere captivos; cum indignum soleat, quod quis in domo sua inhoneste tractet adversarium reputari. Quia vero præfati fratres, qui cum spiritu Dei agantur, non sunt sub lege, nec alio debent quam divino jure censeri, et eorum defensio ad nos, et Romanam Ecclesiam dignoscitur pertinere; eisdem potestati et consiliariis districte nostris damus litteris in præceptis, ut eumdem fratrem pro divino officio et nostra reverentia liberent, et cum fratribus suis liberum abire permittant. Quocirca discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus, si dicti potestas et consiliarii mandatum nostrum neglexerint adimplere, vos eos ad id per censuram ecclesiasticam appellatione remota compescatis. Datum Reate, IV nonas octobris, anno decimo.

XLV

Ad Fratres Prædicatores et Minores.

7 octob. 1225.

[Sbaralea, Bullar. Francisc., I, 24, n. 23.]

Mittuntur a pontifice fratres Prædicatores, et Minores in Miramolini regnum ad fidem Christi promulgandam cum nonnullis privilegiis.

Honorius, etc., fratribus Prædicatoribus et Minoribus, et in regno Miramolini a Sede Apostolica destinatis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Vineæ Domini custodes licet immeriti positi, et cultores, necesse habemus in eam mittere operarios, distribuendo singulis ministeria secundum virtutem, juxta quam valeant officiosius operari. Attendentes igitur, quod abnegantes vos ipsos animas vestras pro Christo ponere cupitis, ut lucri faciatis sibi animas aliorum; eo quod nullum sacrificium Deo constat esse acceptius, quam lucrum quærere animarum : vos in regnum Miramolini Sedis Apostolicæ transmittit auctoritas, ut evangelizantes illic Dominum Jesum Christum, quantum ipse dederit, convertatis incredulos, erigatis lapsos, sustentetis debiles, pusillanimes consolemini, et fortes nihilominus confortetis. Ut autem ministerium vestrum confidentius exsequamini, concedimus, ut in prædicta duntaxat regione vobis liceat prædicare, baptizare Saracenos ad fidem noviter venientes, et reconciliare apostatas, injungere pœnitentias, et excommunicatos illos absolvere, qui ad Sedem Apostolicam commode non possunt accedere; liceatque vobis in terra illa in eos, quos hæreticos esse constiterit, excommunicationis sententiam promulgare. Inhibemus quoque, ne cui christiano liceat vos de terra illa ejicere violenter. Præcipimus autem vobis in virtute sanctæ obedientiæ, ut his nullatenus præsumatis abuti; sed tamquam inconfusibiles operarii Jesu Christi ita irreprehensibiliter vos geratis, quod a summo patre familias retributionis denarium mereamini, et nos majora vobis possimus committere confidenter. Datum Reate, nonis octobris, pontificatus nostri anno decimo.

XLVI

Ad archiepiscopum Viennensem et decanum Gratianopolitanum.

11 octob. 1225.

[Gallia christiana, XVI, inst. 306.]

Eis mandat ut, quum nonnulli canonicorum se a Maurianensi ecclesia pro necessariorum defectu absentare cogantur, eorum numerum imminuant.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri archiepiscopo Viennensi et dilecto filio decano Gratianopolitano, salutem.

Venerabilis frater noster episcopus et dilecti filii capitulum Maurianense transmissa nobis petitione monstrarunt, quod cum bonæ memoriæ L., prædecessor ipsius episcopi, facultatem Maurianensis ecclesiæ tenuitate pensata, in ea decem et octo canonicorum numerum statuisset, qui per continuam residentiam inibi deservirent, promittens canonicorum ipsorum redditus taliter ampliare quod exinde possent congrue sustentari et statutum hujusmodi fuisset per Sedem Apostolicam confirmatum, quia eodem prædecessore infra annum sublato de medio ipsius promissio non potuit

adimpleri, nonnulli canonicorum se ab eadem ecclesia pro necessariorum defectu absentare coguntur, propter quod dicta ecclesia debitis obsequiis defraudatur; de vestra itaque circumspectione plenam in Domino fiduciam obtinentes, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus, inquisita super præmissis et cognita veritate, provideatis super iis, prout secundum ejusdem ecclesiæ utilitatem videritis expedire. Datum Reate, V idus octobris, anno decimo.

XLVII

Ad Sigfridum, archiepiscopum Maguntinum.

11 octob. 1225.

[Wurdtwein, Nova subsidia, IV, 131.]

Ne episcopum Herbipolensem ex causis compellat venire personaliter ad concilium.

Honorius, etc., venerabili fratri... archiepiscopo Maguntino, salutem, etc.

Pro diversitate causarum varia oportet remedia inveniri, quum nec singulis languoribus unica sit opportuna curatio, nec convenientia existant uni morbo antidota universa. Nuper sane venerabilis frater noster... Herbipolensis episcopus nobis exposuit, quod quum filii Belial, nobiles quidam et potentes regionis illius cum complicibus eorumdem, bonæ memoriæ C... ipsius antecessorem et consanguineum occidissent, ipsi cum tota posteritate prout exigebat crudelitatis excessus puniti fuerunt, qui postmodum tanto scelere non contenti, successorem illius videlicet bonæ memoriæ..... Herbipolensem episcopum, ejus patruum nisi sunt occidere, tanquam qui episcopalem dignitatem didicerant fuso sanguine maculare, propter quod episcopus ipse a facie fugiens tribulantium Herbipolensem civitatem deseruit et ecclesiam, sicque vix manus eorum evasit. Unde in pœnam ipsorum bona sua extiterunt ad alios devoluta. Ob hoc ergo prædicti malefactores cum eorum filiis complicibus et amicis in vindictam rerum amissarum sanguinem ejus sitiunt, quia prædictorum episcoporum proximus et propinquus et eis in onere ac honore successit. Quum autem prænominatus episcopus pro eo quod sicut asserit de diœcesi et familia sua dicti molestatores existunt, tutum sibi fore non æstimet, ut ad civitatem vel diœcesim Maguntinam accedat, quod, ut proponit, sine periculo corporis facere non valeret, humiliter supplicavit, ut misericorditer indulgeremus eidem, ne vocatus a te metropolitano ipsius ad concilium vel ad alia venire personaliter teneatur, sed se per solemnes et idoneos nuntios præsentare; præsertim cum prænominato antecessori suo propter suspicionem hujusmodi a Sede Apostolica indultum fuisse proponat, ne ad præsentiam tuam personaliter accedere teneretur. Nos vero ipsius supplicationibus annuentes, quum nemo debeat sibi suspectis et inimicis exponi, et geminus tam diræ præsumptionis illorum conatus terrere possit eumdem episcopum, ut merito sibi debeat, qualiter cesset funesta pernicies et tanti furoris subtrahatur materia, providere, fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus quatenus contra tenorem ipsius indulgentiæ præfatum episcopum ad præsentiam tuam accedere non compellas, contentus, quod si tibi præsentet quum eum a te vocari contigerit per idoneos nuntios et solemnes. Datum Reate, V idus octobris, pontificatus nostri anno decimo.

XLVIII

Ad archiepiscopum Remensem et ejus suffraganeos.

3 novemb. 1225.

[Regest., lib. X, ep. 145. Mss. La Porte du Theil.]

Præcipit ei ut abbatibus diœcesis suæ capitulum celebrare volentibus, corrigenda quæ corrigere, se non opponat ipsosque abbates amovendos amoveat.

Honorius, etc., venerabilibus fratribus... archiepiscopo Remensi et suffraganeis ejus, salutem, etc.

Cum ex officio nostro religionem favere teneamini, et in suavi ejus odore conveniat delectari, oportet vos sollicitudinem, et diligentiam adhibere, ut in provincia vestra nec ordinis reformatio, nec excessuum correctio postponatur, cum religionis cultum nunquam melius faveri contingat, quam correctis excessibus, et ordine in quibus reformatione indiget reformato. Verum non sine grandi admiratione audivimus, quod cum per litteras nostras vobis duxerimus injungendum, ut amoveatis abbates vestræ

ditioni subjectos, qui per generale capitulum, vel visitatores ipsius vobis nuntiantur aliquando amovendi, vel volentibus celebrare capitulum, aut excessus corrigere resistatis, sicut in eisdem litteris plenius continetur, tales vos exhibuistis in facto hujusmodi, quo non alia nisi quæ sunt Christi quæruntur, ut non augmentum, sed detrimentum ordinis, et non animarum salutem, sed periculum videamini affectare. Quia vero graviter in hoc delinquitis, et sanguis delinquentium debet de manu vestra requiri, sive impediatis tantum bonum, sive detractetis super hoc facere quod debetis, fraternitati vestræ monemus per Apostolica vobis scripta sicut iterum sic attentius in virtute obedientiæ districte præcipiendo mandantes, quatenus in iteratione mandati plenius intelligentes mandatoris affectum in nullo vos opponatis volentibus celebrare capitulum, et corrigere delinquentes. Subjectos etiam ditioni vestræ abbates, qui per capitulum vel visitatores vobis amovendi fuerint nuntiati, curetis absque moræ dispendio amovere, ita quod videatur vobis sicut esse debet acceptum, quod in provincia vestra cultus religionis per reformationem ordinis et animarum profectus per correctionem excessuum procuratur. Alioquin cum tantum inobedientiæ vitium palpandum de cætero non existat, et dignum sit, et conveniens, ut in quo quis probatur delinquere puniatur, formidare poteritis, ne jurisdictionem, quam in abbatibus vobis subjectis habetis, generali eorum capitulo, et visitatoribus concedamus, quum aliis honorem vestrum dare potius volueritis quam nobis in hac parte humiliter obedire. Datum Reate, III nonas novembris, anno decimo.

XLIX

Ad abbatem S. Dionysii, decanum et magistrum Gom., canonicum Remensem.

6 novemb. 1225.

[Regest., lib. X, epist. 102. Mss. La Porte du Theil.]

Dat eis provinciam examinandi causam quæ inter episcopum, decanum capitulumque Belvacen. ab una, et J. Silvanectensem, Rothomagensem canonicum, ab altera parte vertebatur, super præbenda quam ipsorum ecclesia juxta tenorem litterarum Apostolicarum de hoc datarum repetebat.

Honorius, etc., dilectis filiis abbati Sancti Dionysii... decano, et magistro G. Gom., canonico Remensi, salutem et Apostolicam benedictionem.

Significarunt nobis venerabilis frater noster... episcopus, et dilecti filii... decanus et capitulum Belvacenses quod cum magister J. Silvanectensis, Rothomagensis canonicus, olim pro assequenda in ecclesia Belvacensi præbenda nostras ad bonæ memoriæ episcopum Parisiensem, et ejus collegas litteras executorias impetrasset, suppresso, quod præbendam in Rothomagensi ecclesia obtineret, præfato Belvacensi episcopo nobis insinuante, quod litteræ ipsæ non faciebant de præbenda Rothomagensi aliquam mentionem, ac postulante, ut super hoc ab impetitione præfati magistri absolveremus eumdem, præfatis executoribus dedimus in mandatis, ut si res taliter se haberet, in negotio non procederent memorato. Cumque iidem executores terminum partibus assignassent ad interloquendum utrum mandatum hujusmodi obstare deberet processui eorumdem, et ad petitionem præfati magistri citassent Guidonem de Pugiaco, qui obtinebat præbendam, quam idem magister ad se pertinere dicebat, ipso magistro non comparente in termino assignato, et cavillante, quod non agebat de obtinenda præbenda, sed potius de obtenta, tamdem intimante nobis ipso Belvacensi episcopo, quod iidem executores ejus cavillationibus plus debito indulgentes a processu negotii non cessabant quanquam sæpedictus magister nunquam habuisset corporalem possessionem sæpedictæ præbendæ, venerabili fratri nostro.... Parisiensi episcopo et aliis dicti negotii executoribus dedimus in mandatis, ut si constaret eisdem sæpedictum magistrum obtinere in ecclesia Rothomagensi præbendam, idque suppressisse in litteris, quas a nobis impetrarat ad ipsos pro præbenda ecclesiæ Belvacensis, nullatenus auctoritate procederent earumdem, nisi forte idem magister ostenderet se corporalem et pacificam ipsius præbendæ possessionem aliquando habuisse. Cumque iidem partes ad suam præsentiam convocassent pars prædictorum episcopi, et capituli recusarunt ipsum Parisiensem episcopum ut suspectum pro eo, quod advocatum partis alterius clericum, et commensalem suum contra eos in causa eadem eis reclamantibus admittebat, cum dixisset

publice, sicut erant parati sufficienter probare, se scire firmiter tamquam qui in tractatu ipsius negotii fuerat eum ipso episcopo qualiter res esset hujusmodi processura, atque ad cognoscendum de causa suspicionis hujusmodi arbitros petierunt, quos quia ipsi judices denegaverunt eisdem, pro parte ipsorum fuit ad nostram audientiam appellatum. Quocirca mandamus, quatenus, si est ita, revocato in statum debitum quidquid post appellationem hujusmodi inveneritis temere attentatum in causa ipsa juxta primarum continentiam litterarum, appellatione remota, ratione prævia procedatis. Alioquin partes, etc. Testes, etc. Quod si non omnes, etc. Datum Reate, VIII idus novembris, anno decimo.

L

Ad priorem S. Petri, cantorem S. Mariæ, decanum S. Crucis Stampensis, Senonensis diœcesis.

7 novemb. 1225.

[Regest., lib. X, epist. 103. Mss. La Porte du Theil.]

Dat eis provinciam examinandi causam Arnulfi clerici Carnotensis, olim in furto sacrilego deprehensi, sed qui postea litteras Apostolicas ad archiepiscopum Bituricensem aliosque conjudices, falsa suggestione obtinuerat, juxta quas episcopum Carnotensem vexabat.

Honorius, etc., dilectis filiis... priori Sancti Petri... cantori Sanctæ Mariæ, et... decano Sanctæ Crucis Stampen., Senonensis diœcesis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Significavit nobis venerabilis frater noster... episcopus Carnotensis, quod cum Arnulfus clericus in furto et sacrilegio deprehensus, et coram venerabili fratre nostro... Parisiensi episcopo tunc Carnotensi decano, sicut ex litteris ejusdem accepimus super hoc convictus et condemnatus fuisset, et eidem Carnotensi traditus puniendus, prænominatus A. reatum prium recognoscens, et tanti facinoris pœnam caute declinans in manibus memorati Carnotensis præsentibus quam plurimis, solemne votum emisit, quod ordinem Cisterciensem intraret ad pœnitentiam peragendam. Quare idem Carnotensis ecclesiastica beneficia, quæ ille habuerat, personis idoneis prout sua intererat canonice conferens assignavit. Sed dictus A. proprii voti transgressor falso nobis suggesto, quod sæpedictus episcopus ipsum sine causa rationabili ceperat, et suis beneficiis contra justitiam spoliarat eadem aliis conferendo super his, et aliis contra eumdem episcopum M. subdecanum, Stephanum archidiaconum, A. Capicerium, et matricularios Carnotenses et quosdam alios diœcesis Carnotensis ad archipresbyterum Bituricensem et ejus collegas nostras litteras impetravit, quarum auctoritate episcopum, et alios supradictos multiplici molestatione fatigat. Ne igitur ipsius falsitas veritati præjudicet, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus, si res ita se habet, ex parte nostra dictis judicibus inhibentes expresse, ne auctoritate litterarum ipsarum in negotio procedant eodem, sed revocent potius, si forsitan in aliquo processerunt, eumdem clericum ad exsequendum votum emissum, auctoritate nostra, sublato appellationis obstaculo, compellatis. Quod si non omnes, etc. Datum Reate, VII idus novembris, anno decimo.

LI

Ad abbatem et conventum Sancti Petri Carnotensis.

9 novemb. 1225.

[Regest., lib. X, epist. 374. Mss. La Porte du Theil.]

Præcipit eis ut ipse et decanus Carnotensis coram Apostolica Sede præsentant termino præfixo, ut causa quæ inter ipsos jam dudum vertebatur finis imponatur.

Honorius, etc., dilectis filiis abbati et conventui monasterii Sancti Petri Carnotensis, salutem, etc.

Cum causa, quæ inter vos ex parte una, et dilectum filium decanum Carnotensem ex altera, super diversis articulis vertitur olim inter vos ex parte una, et venerabilem fratrem nostrum Parisiensem episcopum, tunc Carnotensem decanum, ex altera, coram venerabili fratre nostro... Albanensi episcopo a nobis partibus auditore concesso aliquamdiu agitata fuisset, tandem dicto decano in episcopum Parisiensem assumpto, venerabili fratri nostro... Sagiensi episcopo et collegis ipsius nostris dedimus litteris in mandatis, ut postquam decanus esset in dicta ecclesia substitutus biennium proximo secuturum partibus terminum præfigerent infra quem pacem inter se ad invicem reforma-

rent eas ad id sollicite inducendo. Verum quoniam sicut nostris est auribus intimatum infra terminum prætaxatum inter vos concordia non potuit reformari, nos finem litibus imponere cupientes, universitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus usque ad Dominicam, qua cantatur *Lætare Jerusalem*, quam vobis et dicto decano terminum assignamus cum instrumentis, et aliis ad causam pertinentibus memoratam nostro vos conspectui præsentetis exhibituri jam dicto decano, et recepturi ab eo super præmissis quod ordo dictaverit rationis. Alioquin extunc in ipso negotio quantum de jure poterimus procedemus. Datum Laterani, V idus novembris, anno decimo.

LII

Ad abbatem et priorem S. Præjecti et thesaurarium S. Quintini, Noviomensis diœcesis.

13 novemb. 1225.

[Lockeren, Chartes et Doc. de St.-Pierre, I, 255, n. 489.]

Eis mandat ut cogant homines monasterii S. Petri Gandensis gravi onere debitorum suppressi, ut per communis collectæ subsidium moderatum ad solutionem hujusmodi debitorum abbati et conventui dicti monasterii liberaliter subveniant.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati et priori Sancti Præjecti et thesaurario Sancti Quintini, Noviomensis diœcesis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Ex parte dilectorum filiorum abbatis et conventus monasterii Sancti Petri Gandensis fuit nobis humiliter supplicatum, ut cum præfatum monasterium pro tuenda villarum et hominum ejusdem monasterii libertate, contra quam plurimum potentium, qui eam infringere temere præsumebant, ac aliis ejusdem monasterii causis necessariis gravi sit oppressum onere debitorum, subvenire eis per moderatum hominum suorum subsidium, paterna providentia faceremus. Quum igitur dignum sit ut ab his dicto monasterio in tantæ necessitatis subveniatur articulo, pro quibus dictum debitum fertur pro majori parte contractum, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus, si vobis sic esse constiterit, dictos homines utut per communis collectæ subsidium moderatum ad solutionem hujusmodi debitorum, saltem hac vice liberaliter ipsis subveniant, monitione præmissa per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, cogatis. Quod si non omnes his exsequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nihilominus exsequantur. Datum Reate, idus novembris, pontificatus nostri anno decimo.

LIII

Ad Arnoldum abbatem et conventum S. Petri Gandensis.

13 novemb. 1225.

[Lockeren, Chartes et Doc. de St.-Pierre, I, 55, 490.]

Eis concedit ut in bonis parentum illorum quos dictum monasterium de cætero intrare contigerit, sive ex testamento sive ab intestato ipsis provenerint, succedere possint.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati et conventui Sancti Petri Gandensis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Ex parte vestra fuit nobis humiliter supplicatum ut, cum a nonnullis nobilibus ac aliis illius provinciæ, super receptione filiorum suorum monasterium vestrum sit minime aggravatum et ad id post multarum precum instantiam compellatur in bonis parentum illorum, quos dictum monasterium de cætero intrare contigerit, sive ex testamento sive ab intestato ipsis provenerint, liceat vobis quatenus a jure permittitur auctoritate nostra succedere ac ea libere retinere. Nos ergo volentes ut per quos dictum monasterium oneratur, ei aliqua humilitatis solatia conferantur, auctoritate vobis præsentium concedimus postulata, salvis illorum servitiis ad quos ea noscuntur jura jure dominii pertinere. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Reate, idus novembris, pontificatus nostri anno decimo.

LIV

Ad Romanum Sancti Angeli cardinalem, A. S. legatum.

13 novemb. 1225.

[Bouquet, Rec. des Hist., XIX, 777; Regest., lib. X, epist. 109.]

Mandat ut legatus resarcienda quæ Arnaldo Agennensi episcopo Raimundus Tolosanus intulerit damna procuret, si contingat inter comitem et ecclesiam reformari pacem.

Honorius episcopus..., dilecto filio R., S. Angeli diacono cardinali, A. S. legato, salutem, etc.

Cum venerabilis frater noster Agennensis episcopus [Arnaldus IV], ad exstirpandam pravitatem hæreticam quæ in partibus Provinciæ, propagante diabolo, pullulavit, inter alios ejusdem religionis prælatos, ad defensionem fidei orthodoxæ, quondam R[aimundo VI] comiti Tolosano et aliis sacrosanctæ universalis Ecclesiæ adversariis hæretica pravitate respersis opposuerit se viriliter et prudenter, multa et gravia dispendia est a comite præfato perpessus, et comes R[aimund. VII] filius ejus, in paterna manens perfidia, non solum ipsum possessionibus et bonis omnibus spoliavit, verum etiam, præsumptione damnabili, eumdem et ejus clericos turpiter captivavit; et licet postmodum, in venerabilis fratris nostri Narbonensis archiepiscopi et quorumdam aliorum præsentia provinciæ prælatorum, se restituturum ipsum et ejus ecclesiam promiserit et juramento firmarit, quibusdam tamen ex eis restitutis in parte, ipsum, juramenti religione contempta, restituere non curavit; quin immo, adhuc eum odio persequens speciali, convocatis civibus Agennensibus, et quibusdam aliis suæ diœcesis qui sunt excommunicatione notati, adversus eum conjurationes paravit, et, eo præsente, ipsi cum quibusdam hæreticorum fautoribus in necem ejus noviter conspirarunt (1).

Cum igitur ei qui pro ecclesiæ libertate ac defensione fidei christianæ tanta sustinuit opprobria et jacturas, favor Apostolicus merito debeatur, discretionem tuam rogandam duximus et monendam, per Apostolica tibi scripta mandantes, quatenus, Ecclesiæ Romanæ more solito zelatus honorem, causam ejusdem episcopi prosequi studeas benigno favore, et sibi, ecclesiæ coadjutoribus ejus, super possessionibus, damnis et injuriis illatis, eisdem plenarie satisfieri studio vigilanti procures, si pacem contingat inter dictum comitem et Ecclesiam reformari. Datum Reate, idibus novembris, anno decimo.

(1) Denuo conversis ad Raimundi dominium Agennensibus civibus, pacta inter eos conventa, mense maio 1226, recitat D. *Vaissete*, t. III probat. pag. 307. (Bouquet.)

LV

Ad universos præsentes litteras inspecturos.

20 novemb. 1225.

[Raynald, Annal. ad ann. 1225; §§ 50-54.]

Constitutio Honorii in eos qui injuriis cardinales afficiunt.

« Universis præsentes litteras inspecturis.

« Summi providentia principis peculiarem populum, quem prætulerat aliis, gratiæ privilegio specialis fovebat manna misericordiæ, ac rigoris virga regebat, beneficiis affluens, ultionibus non remissus. Amicus etiam Domini Moyses pro eodem populo vitulum obtulit labiorum, et manuum sacrificium non omisit, post supplicationis hostiam holocausto satisfactionis oblato, causam populi coram Domino precibus, et Dei causam in populo gladiis prosecutus. Sane in maligno positi mundi malitia, dum impunitis excessibus, per campum licentiæ discurrit effrænis, claustra juris infringit, aditum pandit injuriis, legem damnat honesti, privilegium promittit errori, et dum spem impunitatis ad alios prorogat, ad culpam nonnullos invitat, sicque fit pœnalis impunitas cum pœnis reservet majoribus puniendos, et per impunitæ transgressionis exemplar blandiatur aliis ad offensam. Unde interdum utcumque tyrannice parcitur, et misericorditer desævitur, cum publicæ utilitatis intersit, ut excessum vindicta coerceat, et pœna sit limes offensæ.

« Hinc est, quod propter præsumptam in quosdam de fratribus nostris temeritatis audaciam nos, ne cœlestis regis contumeliam, qui honoratur et spernitur in ministris, dissimulationi relinquere, ac Christianæ religionis opprobrium dum Christi

Domini, quos ad Christianorum omnium salubre servitium Apostolica Sedes assumit, crudeliter impetuntur, dare negligentiæ videamur, non tanquam injuriarum ultores nostrarum, sed honoris sponsæ Christi et immunitatis domus Domini zelatores, de communi fratrum nostrorum consilio, hac in perpetuum valitura Constitutione sancimus, ut si quis in hoc sacrilegii genus irrepserit, quod S. R. E. cardinalem fuerit hostiliter insecutus, vel percusserit, aut ceperit, vel socius fuerit facientis, aut fieri mandaverit, vel factum ratum habuerit, aut consilium dederit vel favorem, aut postea receptaverit vel defensaverit scienter eumdem, sicut reus læsæ criminis majestatis perpetuo sit infamis, diffidatus nihilominus et banditus, sit intestabilis, ut nec testamenti liberam habeat factionem, nec ad alicujus bona ex testamento, vel ab intestato vocetur, quatenus ab omni successione repulsus, publicaque repulsa confusus, minus inveniat suæ malitiæ successorem. Fiant habitationes ejus desertæ, et ut non sit qui eas inhabitet, dentur cuncta ipsius ædificia in ruinam, et ut perpetuæ notam infamiæ perpetua ruina testetur, nullo tempore reparentur. Nullus ei debita reddere, nullus respondere in judicio teneatur. Quidquid etiam in bonis invenietur ipsius, fisci vel reipublicæ dominio applicetur, ut ex illis nil transmittat ad posteros, sed potius cum ipso quodammodo damnentur et sua. Si qua vero feuda, locationes, officium, vel beneficium spirituale, vel temporale ab aliquibus ecclesiis obtinet, sit eis ipso jure privatus ; quæ sic libera ad ecclesias revertantur, quod ecclesiarum rectores de ipsis pro sua voluntate disponant. Quod si filium habet clericum, non prælatum, ecclesiasticum beneficium obtinentem, illo privetur spe collationis alterius omnino sublata.

« Nulli præterea talium filiorum atque nepotum, ex virili sexu descendentium ab eisdem, alicujus aperiatur janua dignitatis aut honoris ecclesiastici, vel mundani. Ad alicujus loci regimen non accedat. Sit ei postulandi negata facultas : sit, notariæ, judicatus, et quodlibet aliud officium, seu ministerium publicum interdictum. In judiciis ejus assertio contra quemque nihil fidei, nihil credulitatis inveniat, ut ad testimonium prorsus reddatur indignus. Sit ei ad ordines ascensus inhibitus : sit ad beneficium vel officium Ecclesiasticum negatus accessus; et ut magis famosa sit ejus infamia, ad actus legitimos nullus ei pateat aditus, nulla porta pandatur eidem super aliquo præmissorum, omni spe dispensationis adempta. Præsenti nihilominus adjicimus sanctioni, ut ex insecutione prædicta, sicut ex injectione manuum violenta ipso facto excommunicationis sententiam quis incurrat, et tam insecutor, quam alii supradicti tanti mali participes, quamdiu in sua contumacia perdurarint, singulis diebus Dominicis et festivis, pulsatis campanis et candelis accensis, per omnes illius loci Ecclesias, in quo tantum fuerit facinus attentatum, nec non civitatum et diœcesum vicinarum excommunicati publice nuntientur, nec ab alio quam a Rom. Pontifice, cum fratrum suorum et injuriam passi consensu, possint absolutionis beneficium obtinere, nisi duntaxat in mortis articulo constituti.

« Cum autem fuerint absolvendi, primo sufficienter et idonee caveant, quod inferendæ pœnæ parebunt, et auxiliante Domino pœnitentiam peragent injungendam. Deinde per omnes illius loci ecclesias principales vicinorumque locorum, diebus Dominicis et solemnibus, incedant nudi coram populo, fœmoralia tantum habentes, et virgas ferentes in manibus, cum quibus per easdem Ecclesias publice fustigentur, ituri postmodum ultra mare, et ibidem acturi pœnitentiam per tres annos ad minus; nec exinde postmodum reversuri absque Sedis Apostolicæ licentia speciali. Verum cum tales gratiam reconciliationis meruerint, beneficio absolutionis obtento indulgeatur eis licentia, ut suam suorumque injuriam prosequantur; et debitorum illorum, quæ contracta fuerint, de postmodum acquisitis repetitio non negetur. Illud autem non duximus omittendum, quod si quis fuerit in præmissis, nudo consilio, vel simplici favore culpabilis, judex in talem pœnam metiatur ex culpa, ut secundum quod excessus exegerit, vindicta procedat. Præmissis etiam dignum censuimus annectendum, ut si quisquam aliquo prædictorum excessuum quemquam de clericis vel religiosis nostræ familiæ, vel cardinalium afficere forte præsumpserit, proportionetur pœna delicto, ita quod vindicta ex æquo excessui respondente; ab offensa nostrorum cohi-

beantur deinceps manus temerariæ formidine ultionis, quos Dei vel nostra, seu fratrum nostrorum reverentia non coercet. Si quis vero vel per se, vel per alium, quod absit, occiderit cardinalem, vel evidentem dederit causam mortis, nltra quam præmissa contineant, sic in eum potestas juridictionis insurgat, sic rigor ultionis insiliat, quod contra vitæ subsidium mortis solatium invocet, vivens pœnæ non culpæ, vindictæ speculum non offensæ.

« Per hæc quoque sæcularibus potestatibus non adimimus facultatem utendi legibus contra tales, quas adversus sacrilegos Catholici principes ediderunt. Quis enim locus regiminis poterit esse tutus? Quis rector securitate gaudebit, si Rom. Ecclesia, quæ omnium ecclesiarum, disponente Domino, caput est et magistra, casibus istis subjicitur? Si ejus filii speciales hujusmodi periculis exponuntur? Quem Ecclesiæ filium, quem fidei zelatorem contumelia tanta non tangeret, et confusio tam aspera non moveret? Porro qui filius est, dolebit, qui fidelis, matre fidei læsa, lædetur. Quapropter si princeps, senator, consul, potestas, vel alius dominus, seu rector, quocumque nomine conseatur, contra præsumptores prædictos, præsentis Constitutionis tenorem non fecerit observari, tam ipse quam officiales ipsius infra mensem, postquam res ad notitiam eorum pervenerit, excommunicatione notetur. Quod si populus fuerit circa ista remissus, et ad satisfaciendum rectores et officiales ejus non compulerit Rom. Pontifex cum suis fratribus omnibus infra mensem exeat, si eum ibidem contigerit tunc morari; et antequam plenarie satisfiat minime revertatur, nisi forsan inevitabilis Ecclesiæ necessitas immineret, propter quam exitus ejus et fratrum periculosus proculdubio redderetur. Præterea si populus rectorem sic excommunicatum tertio monitus, sicut poterit commoneri, a regimine amovere contempserit, subjiciatur civitas interdicto usquequo congrue satisfaciat.

« Datum Reate, kalendas decembris, pontificatus nostri anno decimo. »

LVI

Ad præpositum et capitulum S. Donatiani Brugensis, Tornacensis diœcesis.

20 novemb. **1225.**

[Regest., lib. X, epist. 116. Mss. La Porte du Theil.]

Jubet eos provisionem a pontifice in favorem magistri Roberti clerici, præbenda in ipsorum ecclesia providendi, faciant fideliter observare.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis... præposito, et capitulo Sancti Donatiani Brugensis, Tornacensis diœcesis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Dilectus filius magister Robertus clericus in nostra proposuit præsentia constitutus, quod cum ipse olim ad vos a nobis primo monitorias, ac postmodum executorias litteras impetrasset, ut cum recipientes in ecclesia vestra in canonicum, et in fratrem, provideretis eidem quam cito se facultas offerret in beneficio præbendali, dilectis filiis.... abbate Sancti Martini de Gemellis, et ejus collegis primo monitoribus, ac deinde super hoc sibi executoribus deputatis, ac vos ab eis post disceptationes quam plurimas ad Sedem Apostolicam appellantes... abbati Sancti Andreæ, Tornacensis diœcesis, et condelegatis ipsius causam appellationis obtinuissetis a nobis sub certa forma committi, tandem prædicto magistro, ac procuratore propter hoc apud Sedem Apostolicam constitutis.... priori de Fucca, et ejus collegis hujusmodi negotium de ipsius magistri et vestri procuratoris assensu sub certa forma duximus committendum. Coram quibus cum fuisset hinc inde aliquandiu disceptatum, eis tandem mediantibus inter vos, et dictum magistrum hujusmodi compositio intervenit, ut videlicet secundam præbendam primo in vestra ecclesia vacaturam dummodo presbyteralis non esset, tu fili, præposite, prout ad te pertinet conferres eidem, et ad majoris fidei firmitatem præbendam ipsam in ejusdem prioris, et collegarum suorum manibus posuisti eam ab ipsis memorato magistro cum vacare contigerit conferendam. Qui audito postmodum quod bonæ memoriæ magister J. de civitate Antin. scriptor noster, concanonicus vester, debitum humanitatis exsolverat eumdem magistrum recipi fecerunt a vobis in canonicum, et in fratrem, et ei stallum in choro, et locum in

capitulo assignari; præbendam ejusdem scriptoris, prout ad eos pertinere credebant conferentes eidem : quam quia nos mox ut idem scriptor obiit dilecto filio Cinthio capellano nostro de nostræ contulimus plenitudine potestatis, nostras vobis, et venerabili fratri nostro... Atrebatensi episcopo, et suis collegis super collatione nostra litteras dirigentes, idem magister propter hoc ad præsentiam nostram accedens, nobis humiliter supplicavit, ut ejus laboribus, et expensis compati misericorditer dignaremur. Nos autem et collationem prædicto capellano factam inconcussam servari, et supradictum magistrum gratiæ nostræ fructu gaudere volentes, præcipimus, ut præbendam ipsam memoratus capellanus cum plenitudine juris canonici sicut unus ex residentibus integre habeat, et providimus, ut eidem magistro præbenda integra conferatur, prima in eadem ecclesia vacatura, canonicatum, et quotidianas distributiones, nec non annuam pensionem decem librarum a te, fili præposite, in festo Purificationis solvendam, sibi nihilominus integre conservando, et revocando si quid de præbenda, quæ a tempore collationis nostræ prædicto capellano factæ in prædicta forsitan vacavit ecclesia, fuerit attentatum, quam volumus per executores ipsius sibi auctoritate nostra conferri. Volentes igitur præmissa firmitatem debitam obtinere, universitatem vestram monemus attente per Apostolica vobis scripta firmiter præcipiendo mandantes, quatenus consuetudine vel statuto in ecclesia vestra juramento firmitatis nequaquam obstantibus, provisionem hujusmodi, prout est expressum superius inviolabiliter observetis. Alioquin dilectis filiis... scolastico... pœnitentiario, et magistro Garnero canonico Ambianensi nostris damus litteris in mandatis, ut præmissa omnia, sublato appellationis obstaculo, fideliter exsequantur, contradictores, etc.

Datum Reate, XII kalendas decembris, anno decimo.

Illis scriptum est *fere in eumdem modum*, verbis competenter mutatis usque in finem.

LVII

Ad Arnoldum abbatem et conventum monasterii Gandensis.

22 novemb. 1225.

[Lockeren, Chartes et Doc. de Saint-Pierre, 236, n. 491.]

Eos sub beati Petri et sua protectione suscipit et ecclesias de Estgrenewiz et de Liveshem confirmat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati et conventui monasterii Sancti Petri Gandensis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Sacrosancta Romana Ecclesia devotos et humiles filios ex assuetæ pietatis officio propensius diligenter consuevit, et, ne pravorum hominum molestiis agitentur, eos tanquam pia mater suæ protectionis munimine confovere. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, personas vestras et locum in quo divino estis obsequio mancipati, cum omnibus bonis quæ in præsentiarum rationabiliter possidetis aut in futurum justis modis, præstante Domino, poteritis adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus; specialiter autem de Estgrenewiz et de Liveshem ecclesias cum pertinentiis suis, sicut eas juste, canonice ac pacifice possidetis, vobis et per vos monasterio vestro auctoritate confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ protectionis et confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Reate, X kalendas decembris, pontificatus nostri anno decimo.

LVIII

Ad priorem capitulumque Sanctæ Mariæ ad Carceres, ordinis Sancti Augustini.

26 novemb. 1225.

[Mittarelli, Annal. Camaldul., IV, app. 445.]

Eis confirmat ecclesiam S. Michaelis.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis... priori et capitulo S. Mariæ ad Carceres, ordinis Sancti Augustini, salutem et Apostolicam benedictionem.

Sacrosancta Romana Ecclesia devotos et humiles filios ex assuetæ pietatis officio propensius diligere consuevit, et ne pravorum hominum molestiis agitentur, eos tanquam pia mater suæ protectionis munimine confovere. Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, personas vestras et locum, in quo divino estis obsequio mancipati, cum omnibus bonis, quæ in præsentiarum rationabiliter possidetis, aut in futurum præstante domino justis modis poteritis adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus. Specialiter autem ecclesiam Sancti Michaelis Paduani cum pertinentiis suis a venerabili fratre nostro episcopo Paduano, sui capituli accedente consensu, pia vobis liberalitate collatam, sicut ea omnia juste, canonice ac pacifice possidetis, et in instrumento confecto exinde plenius continetur, vobis et per vos ecclesiæ vestræ auctoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum, etc. Si quis, etc. Datum Reate, VI kalendas decembris, pontificatus nostri anno decimo.

LIX

Ad episcopum Trecensem.

28 novemb. 1225.

[Regest., lib. X, epist. 120. Mss. La Porte du Theil.]

Indulget ei specialiter, ut Concilii generalis statuto jurisdictio sua in abbates diœcesis suæ imminuta reputetur.

Honorius, etc., venerabili fratri... episcopo Trecensi, salutem, etc.

Tua nobis fraternitas supplicavit, ut cum quidam abbates et monachi, et canonici regulares tuæ diœcesis occasione statuti Concilii generalis de capitulis ipsorum abbatum, et aliorum regularium celebrandis, et corrigendis excessibus eorumdem, jurisdictionem tuam reputent imminutam, ac per hoc contra te temere insolescant, super hoc paterna providere sollicitudine dignaremur. Licet igitur statutum ipsum factum fuerit, salvo jure diœcesanorum pontificum, sicut signanter exprimitur in eodem ac per hoc provisione speciali non egeas in hac parte ad abundantiorem tamen cautelam tibi auctoritate præsentium indulgemus, ut per statutum ipsum nullum juri tuo præjudicium generetur. Nulli ergo, etc., nostræ concessionis, etc. Si quis autem, etc. Datum Reate, IV kalendas decembris, anno decimo.

LX

Ad archiepiscopos et episcopos, et alios ecclesiarum prælatos per Italiam constitutos.

1 decemb. 1225.

[Sbaralea, Bullar. Francisc., I, 19, n. 26.]

Mandat pontifex, ut fratres de Pœnitentia tempore interdicti admittantur ad divina officia, ad sacramenta ecclesiastica, et sepulturam ecclesiasticam.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiscopis, episcopis, et aliis ecclesiarum prælatis per Italiam constitutis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Cum illorum, qui sua novissima, memorando non post vanitates sæculi, sed post Christum euntes, pœnitentiam in humilitatis spiritu agunt, et corde contrito castigando et in servitutem suum corpus redigendo, tota videatur intentio circa servitium Creatoris, indignum forsitan crederetur, si pro aliena culpa a divinis obsequiis, et sacramentis ecclesiasticis contingeret hos excludi; quum in iis, et aliis, quæ ad servitium Dei pertinent, favorem mereantur Sedis Apostolicæ specialem; quum igitur per Italiam tales esse nonnulli dicantur, a quibusdam fratres de Pœnitentia nuncupati, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus vos eos in ecclesiis vestris, in quibus a Sede Apostolica est concessum generaliter tempore interdicti hujusmodi, dummodo ipsi causam interdicto non dederint, ad divina officia, quæ suppressa voce, interdictis et excommunicatis exclusis, non pulsatis campanis, et clausis januis celebrantur, et ecclesiastica sacramenta, necnon sepulturam ecclesiasticam admittatis. Datum Reate, kalendas decembris, pontificatus anno nono.

LXI

Ad capitulum et episcopum Spirenses.

5 decemb. 1225.

[Wirtenbergisches Urb., III, 208, n. 723.]

Compositionem inter Berengerum episcopum et capitulum Spirenses ex una parte et Conradum episcopum et capitulum Constancienses ex altera, de ecclesia de Ezzelingen factam.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri episcopo et dilectis filiis, capitulo Spirensi, salutem et Apostolicam benedictionem.

Ea quæ judicio vel concordia terminantur firma debent et illibata persistere et, ne in recidivæ contentionis scrupulum relabantur, Apostolico convenit præsidio communiri. Ea propter, venerabilis in Christo frater episcope et dilecti in Domino filii capitulum, vestris postulationibus grato concurrentes assensu, compositionem quæ inter vos, ex una parte, et venerabilem fratrem nostrum episcopum et dilectos filios, capitulum Constanciense ex altera, super ecclesia de Ezzelingen, mediante venerabili fratre nostro C. Portuensi episcopo, Apostolicæ Sedis legato, amicabiliter intervenit, sicut rite sine pravitate provide facta est et ab utraque parte sponte recepta et hactenus pacifice observata, ac in litteris exinde confectis plenius dicitur contineri, auctoritate Apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Reate, nonis decembris, pontificatus nostri anno decimo.

LXII

Ad decanum, cantorem et scholasticum Insulenses, Tornacensis diœcesis.

18 decemb. 1225.

[Regest., lib. IX, epist. 136. Mss. La Porte du Theil.]

Mandat eis, ut juramentum relaxent, quod præpositus S. Audomarii super alienatione quarumdam villarum ad præposituram spectantium ante electionem suam incaute præstiterat.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis... decano... cantori, et scholastico Insulensibus, Tornacensis diœcesis, salutem, etc.

Suscepti cura regiminis nos inducit, ut pro statu ecclesiarum simus solliciti, et ut non diminutionem incurrat, sed potius augmentum suscipiat diligenti studio prospicere debeamus. Unde cum Ecclesia Dei distracta sit suis dignitatibus, et officiis, ex quorum lapsu ejus contingit statui derogari, si quando ecclesiasticum ministerium patitur detrimentum, quum res animata, quæ casum suum exponere valeat non existat, nullo etiam prosequente sibi est per Sedis Apostolicæ providentiam succurrendum. Ad nostram sane audientiam noveritis pervenisse, quod quum... præpositus ecclesiæ Sancti Audomari, Morinen. diœcesis, villas scilicet Escham, Ahirmghiem, Euchin a tempore cujus non extat memoria possedisset, G. ejusdem ecclesiæ præposito naturæ debitum persolvente, capitulum ejusdem ecclesiæ, villas easdem de facto cum de jure nequiverit præposituræ subtraxit, statuendo ad præbendarum suarum augmentum ut censum centum sexaginta librarum currentis monetæ ipsis redderent annuatim, et astringendo se vinculo juramenti, ut quicumque pro tempore foret præpositus censum solveret supradictum. Cumque unus ex eis, videlicet bonæ memoriæ W. decanus in præpositum fuisset electus, et statutum hujusmodi tanquam iniquum non duxerit observandum, tandem votum crucis quam sumpserat non valens prosequi plurimis debitis obligatus, ut capitulum ad subventionem induceretur ipsius coram diœcesano episcopo, et ipso capitulo recognovit dictas villas, et quamdam aliam, de qua capitulum prius non contenderat ad idem capitulum pertinere; recognitione itaque tali facta, præfatum capitulum de contrahendo mutuo ducentarum marcarum litteras sibi concedens, quædum alia super magisterio scolarum, et quibusdam aliis officiis ejusdem ecclesiæ cum eodem W. in enorme præposituræ dispendium ordinavit, et confirmatione super hoc per dictum episcopum, et Apostolicam Sedem obtenta, post decessum W. ejusdem in partibus transmarinis, vacante præpositura, villas occupavit easdem, et confirmationem hujusmodi quum ad eligendum præpositum convenisset, se juravit perpetuo servaturum, existente tunc

decano ipsius ecclesiæ dilecto filio... nunc præposito, qui cum esset de corpore ipsius capituli ea quæ superius sunt expressa cum aliis procuravit, et post electionem simile præstitit jusjurandum. Quia vero hæc dicuntur in enorme præposituræ dispendium attentata, nos super hoc volentes ex officio nostro procedere, cum jusjurandi religio non ut esset iniquitatis vinculum fuerit instituta, et quod non juramenta sed perjuria potius sunt dicenda, quæ contra utilitatem ecclesiasticam attentantur, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus si ex præmissis præposituram ipsam enormiter esse læsam [constiterit], reductis villis ad jus, proprietatem ipsius [confirmetis et], cætera, quæ in ejus præjudicium sunt præsumpta, in irritum revocetis, et quia opportunum dignoscitur, ut præpositus ipse negotium hujusmodi prosequatur, injungatis capitulo, ut relaxet, quod super hoc præstitit idem præpositus juramentum; quod si capitulum non fecerit, vos juramentum prædictum auctoritate Apostolica relaxetis, ut eo relaxato insistere possit præpositus prosecutioni negotii memorati, contradictores censura ecclesiastica, sublato apellationis obstaculo, compescendo : pro juratione tamen incauta injungatis eidem præposito pœnitentiam competentem. Quod si non omnes, etc. Datum Reate, nonis decembris, anno decimo.

LXIII

Ad universos Christi fideles in Rothomagensi provincia.

11 decemb. 1225.

[Bullarium Romanum, III, I, 138.]

Canonisatio S. Laurentii archiepiscopi Dublinensis, regis ac reginæ Hiberniæ filii, ejusque relatio in numerum sanctorum confessorum, et festivitatis ejusdem præfinitio pro die decima quarta mensis novembris quotannis celebrandæ.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, universis Christi fidelibus in Rothomagensi provincia constitutis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Ineffabilis providentia Dei, congruentia singulis quibusque temporibus ordinate dispensans, in splendoribus sanctorum, Ecclesiam suam quasi ex utero genuit, dum eos in exordio ipsius nascentis Ecclesiæ crebra miraculorum coruscatione mirificans, et in ipsorum miraculorum fulgore obstupefaciens gentes, ac prædestinatos in fide generans Jesu Christi, in cujus hæc fieri nomine ac virtute videbant, ipsos filiorum adoptionis numero aggrevavit.

Deinde crescente fidelium numero, et multitudine, populi vocati de tenebris, ambulantes juxta ipsius vaticinium in lumine Domini Dei sui, mirabilis dispensator in pluviam fulgura sua fecit, dum signis, sive miraculis, quæ non erant jam fidelibus necessaria, intermissis, super novos populos, pastores, qui eos pascerent scientia et doctrina, sicut per os Hieremiæ promiserat, suscitavit, Doctores Ecclesiæ scilicet, qui terram cordis fidelium imbre doctrinæ compleveramt, et extirpatis sentibus vitiorum, eam ad proferendum virtutum germen, et fructum boni operis secundarent.

Cæterum quia caritate frigescente ab exercitio hujusmodi boni operis torpet catholicus, errore devio abducente delirat hæreticus, cæcutit, velamine adhuc super cor permanente, Judæus, et in tenebris ambulat sidere lucis nondum sibi oriente Paganus; misericors Dominus, qui neminem vult perire, signa interdum innovat, et mirabilia miseratus immutat, ex numero illorum, quos in ecclesiæ triumphanti glorificat, aliquorum fidem et merita in militanti miraculis declarando. Ut per ea Catholici, mentis torpore discusso, ad boni operis excitentur instantiam, hæretici, errore dimisso, ab invio reducantur ad viam. Judæi atque Pagani, vero lumine cognito, de tenebris et umbra mortis currant ad Christum, lucem, viam, veritatem et vitam.

Sanctæ igitur memoriæ Laurentio Dublinensi archiepiscopo apud ecclesiam S. Mariæ de Augo Rothomagensis diœcesis, ubi corpus ejus feliciter requiescit, claris divino munere coruscante miraculis, venerabilis frater noster archiepiscopus, et dilecti filii capitulum Rothomagense una cum abbate, et conventu Ecclesiæ supradictæ, multisque aliis archiepiscopis et episcopis, abbatibus, et religiosis viris, ejus venerabilis vitæ insignia, et coruscantia miracula suis nobis litteris intimantes humiliter supplicarunt, ut ipsum sanctorum catalogo adscribere curaremus, quatenus auctoritate Apostolica, dignus honor illi exhiberetur in terris, qui sic claris signis, et evidentibus argumentis apparet honoratus in cœlis.

Licet igitur quos divina honorat dignatio, humana devotio prompto affectu debeat honorare, volentes tamen in hujusmodi negotio, secundum consuetudinem Apostolicæ Sedis cum digna maturitate procedere, præfato archiepiscopo, et N. decano, et N. thesaurario Rhothomagensi dedimus in mandatis, ut super dicti viri vita, et miraculis inquirerent diligentissime veritatem, et eam nobis fideliter intimarent; ut, ea plene comperta, pro supplicantium desiderio, securius annuere valeremus.

Ipsi autem mandatum nostrum cum diligentia exsequentes, quia de præfati viri conversatione, ac vita, per homines de partibus illis certificari nequebant, eo quod per partes illas transitum faciens in ecclesia prædicta correptus infirmitate decubuit, et infra octavum diem ab hac luce migravit, scripsere venerabili fratri nostro archiepiscopo Dublinensi, ut veritatem super hoc inquisitam, eis per suas litteras intimaret. Qui citra mare Hibernicum, illustris regis Anglorum negotiis occupatus, non valens inquirere id per se ipsum, venerabilibus fratribus nostris, Darensi episcopo suffraganeo suo, ac priori S. Trinitatis Dublinensis, commisit in hujusmodi negotio vices suas. Ac demum eorum litteras, sanctitatem vitæ, et conversationis, sæpe dicti viri plenius continentes, suo et ipsorum sigillis munitas, destinavit eisdem. Quas una cum depositionibus testium super miraculis receptorum, nobis sub sigillis propriis transmisere. Collegimus autem ex ipsarum serie litterarum, quod sæpedictus vir, regis et reginæ Hiberniæ filius, extitit. et ab infantia sacris litteris eruditus, senilem gessit in juventute gravitatem, et mundanarum illecebras vanitatum a se, ultra quam ætas illa solebat, abdicavit.

Deinde in archiepiscopum Dublinensem assumptus, sic in virtutem de virtute profecit, ut in oratione assiduus, austerus in maceratione proprii corporis, ac in eleemosynarum largitione profusus, se totaliter Domino dedicarit.

Per depositiones vero testium prædictorum constitit evidenter, sanctam vitam ejusdem esse tot sequentibus miraculis comprobatam, quod non parvam texet historiam, qui volet ea singula scribere seriatim. Sed ut prætereamus, quod claudi gressum, cæci visum, surdi auditum, muti loquelam, leprosi mundationem et variis afflicti languoribus sanitatem ad invocationem ejus nominis receperunt, et hæc sola, quæ inter cætera emicuere miracula breviter perstringamus. Idem sanctus, imo Dominus, ob ipsius merita gloriosa, septem mortuos, quorum unus triduanus erat, mirifice suscitavit.

De ipsius igitur sanctitate tantis certificati miraculis, divinumque secuti judicium, per quod ejus glorificatio nobis tam evidentibus innotuit argumentis, eumdem beatum virum catalogo sanctorum adscripsimus, et annumerandum decrevimus sanctorum collegio confessorum, ac inter eos a Christi fidelibus venerandum, statuentes, ut ejus veneranda festivitas de cætero annis singulis octavo decimo kalendas decembris solemniter celebretur. Monemus autem universitatem vestram, et hortamur in Domino, quatenus Deum devotis mentibus collaudantes, et studentes proficere tantæ virtutis exemplo ejusdem gloriosissimi confessoris apud Dominum suffragia humiliter imploretis. Nos autem de omnipotentis Dei misericordia, et beatorum Petri et Pauli auctoritate confisi, omnibus vere pœnitentibus et confessis, qui ad præfatam ecclesiam in die solemnitatis ejusdem gloriosissimi confessoris, vel infra octavas cum devotione accesserint ejus orationum suffragia petituri, viginti dies de injunctis sibi pœnitentiis misericorditer relaxamus. Datum Reate, III idus decembris, anno decimo.

LXIV

Ad abbatem et priorem Haffligemenses et abbatem Ninivensem, diœcesis Cameracensis.

23 decemb. 1225.

[Lockeren, Chartes et doc. de Saint-Pierre, 256, n. 492.]

Eis mandat ut cogant abbatissam et sorores de Harnes, Cisterciensis ordinis, ut, concessione olim Adæ fundatrici domus earum facta contentæ, nihil prorsus contra condictum ab illa cum abbate et conventu S. Petri Gandensis initum attentent.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati et priori Haffligemensi et abbati Ninivensi, Cameracensis diœcesis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Dilecti filii abbas et conventus Sancti Petri Gandensis sua nobis petitione mons-

trarunt, quod olim Adæ mulieri liberaliter concesserunt, ut in eorum territorio de Harnes ad opus quarumdam religiosarum mulierum domum construere et capellam: ipsam domum ab omni subjectione monasterii sui, nec non a decimatione ac parte oblationum, quas in domo ipsa offerri contingeret, absolverunt. Cæterum præcavere volentes ne hujusmodi liberalitas sibi damnosa existeret in futurum, cum præfata muliere taliter condixerunt, ut videlicet personæ prædictæ domus non possent emere vel in eleemosynam seu in pignus recipere aut titulo quocumque acquirere possessionem aliquam, ad præfatum territorium pertinentem; et eorum concessionem factam sub pactione hujusmodi diœcesanus episcopus, ad ipsorum et prædictæ mulieris instantiam, approbavit. Cumque abbatissa, quæ ibi creata postmodum extitit et sorores ipsius Cisterciensis ordinis venire contra id indebite attentarent, dictus abbas volens indemnitati sui monasterii præcavere, fecit sub certa pœna in villa de Harnes arctius inhiberi, ne quis in villa ipsa præfatis abbatissæ ac sororibus possessiones aliquas, ad prædictum territorium spectantes, donaret, venderet vel legaret. Abbatissa vero et conventus prædictæ ad cantorem Sancti Amati in Duaco et conjudices suos a nobis impetraverunt litteras contra eos, quæ nullam faciebant mentionem de concessione, pactione, inhibitione prædictis, sed simpliciter continebant quod abbas et conventus prædicti super terris et rebus aliis injuriabuntur eisdem; et quum abbatissa et conventus peterent occasione hujusmodi litterarum ut dictus abbas inhibitionem, quam fecerat, revocaret, et dies ad proponendas omnes dilatorias esset partibus assignata, abbatissa et conventus a negotii prosecutione cessarunt. Unde abbas et conventus jam dicti attendentes quod sine gravi detrimento monasterii sui non posset infringi pactio supradicta, nobis humiliter supplicarunt, ut pactionem eamdem tanquam proinde factam et ut dictum est per diœcesanum episcopum approbatam, faceremus inviolabiliter observari. Ne igitur gratiam dictæ mulieri factam in dictorum abbatis et conventus monasterii præjudicium retorqueri contingat, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus dictam abbatissam et conventum (moneatis) ut concessione fundatrici ipsius domus facta contentæ, nihil prorsus contra prædictum condictum attentent; immo potius revocent, si quid fuerit attentatum, monitione præmissa, mediante justitia compellatis. Quod si non omnes his exsequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nihilominus exsequantur. Datum Reate, X kalendas januarii, pontificatus nostri anno decimo.

LXV

Ad consules Terracinenses.

23 decemb. 1225.

[Contator, Hist. Terracin., 183.]

Eis mandat ut, quum imperator petat ab eis res balistariorum, quæ apud Terracinam existunt, tale super hoc habeant consilium, quod inde difficultatem incurrere non possint.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis consulibus Terracinensibus, salutem et Apostolicam benedictionem.

Cum sicut intelleximus per litteras vestras imperator petat a vobis res balistariorum, quæ apud Terracinam existunt, nos volentes ei occasionem tribuere, unde contra vos ipsum moveri contingat, præsentium vobis auctoritate mandamus quatenus tale super hoc habeatis consilium, quod inde difficultatem incurrere non possitis; quidquid tamen de rebus fieri debeat, personas nulla ratione tradatis. Datum Reate, X kalendas januarii, pontificatus nostri anno decimo.

LXVI

Ad Sarisberiensem et Eliensem episcopos.

(Absque nota chronologica.)

[Manrique, Annales Cisterc., IV, 290.]

Eis scribit de Dunelmensi episcopo reo sanguinis, simoniæ, adulterii, sacrilegii, rapinæ, etc.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis fratribus Sarisberiensi et Eliensi episcopis, salutem, etc.

Ita nobis in odore bonæ opinionis fratrum, et cooperatorum nostrorum convenit delectari, ut in pestilentibus vitia non palpemus, cum non deceat pro reverentia ordinis, sustinere peccantes, quorum culpa tot eos dignos mortibus facit, quot ad subjectos perditionis exempla transmittunt, qui, sola

quæ pravitatis exempla conspiciunt, imitantur. Hinc est quod, quum de venerabili fratre nostro, Dunelmensi episcopo, sæpius nobis insinuata fuissent, quæ ab episcopali dignitate nimium dissonabant, tandem inculcatis clamoribus excitati, ut pateremur, cum perditione multorum quiescere amplius, in suis enormitatibus episcopum memoratum, de quo insinuatio clamosa processit, quod, postquam fuit ad officium pontificale promotus, reus sanguinis, simoniæ, adulterii, sacrilegii, rapinæ, perjurii, ac dilapidationis multiplicis est effectus : non formidans clericos, orphanos, ac viros religiosos opprimere, testamenta decedentium impedire, etc.

APPENDICE DU LIVRE VI.

NOTES COURANTES SUR LES ÉPITRES DU LIVRE VI.

Ep. 22. Droit ecclés. Aucune censure n'est encourue *sine malitia vel contemptu*. Cependant, on peut accorder l'absolution *ad cautelam*. — Ep. 31. Droit ecclés. Le titre nouvel ne vaut que selon la teneur de l'ancien, « quum innovatio nec jus novum conferat, nec etiam tollat vetus ». — Ep. 32. Historiq. Honorius déplore cinq années d'efforts perdus en Orient; il en impute la faute à l'empereur et s'accuse lui-même de trop d'indulgence pour Frédéric : « Contra nos et contra te murmurat, imo clamat populus christianus ». —Ep. 34. Droit eccl. Il n'est pas dérogé au privilège spécial par un statut général. — Ep. 44. En matière de canonisation, le peuple ébranlé par la vue des miracles, décerne parfois à l'avance, « instinctu divino », le nom de *saint;* mais l'autorité Apostolique procède avec maturité, même en ce cas, suivant les règles d'une procédure régulière. — Ep. 60. Droit eccl. Les églises et chapelles doivent être dotées par les fondateurs, de manière à subvenir aux diverses charges, ou supprimées par l'autorité de l'Ordinaire. —Ep. 66. Droit ecclés. Le quatrième degré de consanguinité est une nullité absolue de mariage, qui ne peut être couverte par la cohabitation et la survenance d'enfants. — Ep. 68. Droit eccl. Le fils ne peut être le successeur immédiat du père dans la possession du bénéfice ecclésiastique. — Ep. 73, 75. Droit eccl. L'unité du diocèse ne permet pas l'existence simultanée, en Orient, d'un évêque grec et d'un évêque latin pour le même territoire. — Ep. 79. Droit eccl. Il est permis aux couvents d'affermer les dîmes sans être obligés de les donner à ferme aux seuls curés dans la paroisse desquels elles existent. Il est défendu de les inféoder, de les aliéner. En thèse générale, le couvent a capacité pour les contrats qui rendent sa condition meilleure. — Ep. 80. Maxime de droit canon bien connue dans la procédure : « Spoliatus ante omnia restituendus ». — Ep. 83. Discipline. La canonisation ne peut être prononcée par Rome qu'après la procédure en la forme ordinaire; mais elle peut être précédée par la concession du privilège particulier pour une église de rendre un culte et d'implorer les suffrages : c'est, dans le langage actuel, la béatification. — Ep. 86. Droit eccl. Les prébendes sont comprises dans les dispositions du droit qui parlent des bénéfices. — Ep. 94. Historiq. Témoignage de la vigilance des Pontifes, comme aussi de la nécessité de cette vigilance pour obvier parfois à de grands scandales : « Fontis Ebraudi moniales, ex eo quod, præ nimia multitudine, de propriis facultatibus sustentari non possunt, in lenocinium et alia impudica et enormia plerumque, propter intolerabilem paupertatis inopiam, miserabiliter incidunt, in suæ salutis dispendium ». — Ep. 97. Historiq. Les Nestoriens, Jacobites et autres isolés, sans chef, acéphales, qui se rencontrent dans les divers diocèses d'Orient, doivent être ramenés à la soumission envers l'évêque. — Ep. 99. Enumération des fonctions et des obligations des Pontifes romains. — Ep. 103. Cf. *Quint. Compil.*, lib. I, tit. III, c. 2, col. 129. — Ep. 108. Culte de la sainte Vierge. Eglise autorisée à faire son office chaque semaine. — Ep. 123. Droit public. Nul ne doit être cité, en temps de guerre, devant des juges résidant dans les pays occupés par l'ennemi. — Ep. 126. Droit public. Très-remarquable. Le don d'un immeuble offert à l'Eglise romaine doit être précédé d'une enquête qui fera connaître à qui appartient l'immeuble et à quel titre, si c'est au donateur ou à sa femme, si c'est à titre de fief ou à titre patrimonial. — Ep. 153. En-

fant d'un premier lit retenu prisonnier durant toute la vie du père; captation d'héritage par la belle-mère au profit de ses propres enfants; intervention du Pape. — Ep. 194. Le Pontife défend d'exiger des mourants un don pour l'église, tel que serait la troisième partie des biens. On peut voir un vestige de cette disposition canonique dans nos lois, qui défendent d'instituer le confesseur pour héritier ou légataire. Cod. civ., art. 909. — Ep. 156. Axiome juridique : La cause du mariage est toujours *favorable*, c'est-à-dire que tous les moyens de droit qui peuvent être invoqués pour maintenir le lien tirent une nouvelle force de la circonstance qu'il s'agit d'un mariage. — Id. Devoirs du Souverain Pontife : « In justitia omnibus sumus debitores ». — Ep. 159. Droit public. Excommunication emportant privation du *commercium*, du droit de contracter, suspension des dettes à l'égard de l'excommunié créditeur, séquestre sur ses biens se trouvant en des mains étrangères. — Ep. 160. Une dispute entre deux ordres religieux sur la forme de l'habit serait un objet de dérision qu'il faut éviter : considération qui dispense le Pape de prononcer avec autorité. — Ep. 166. Eloge de la gloire militaire de la France : Regnum quod belli gloria consuevit gentes alias anteire. — Ep. 170. Droit public; devoir des princes : « Sæcularis potestas tenetur rebelles gladio materiali comprimere, quos spiritualis gladius non potest a sua malitia cohibere, et quod principes terrarum debeant purgare malis hominibus terras suas; ad hoc etiam, si negligentes extiterint, a sancta Ecclesia de jure possunt compelli ». — Ep. 170. Le domaine hérétique est transféré par le Pape et donné à un autre prince. — Ep. 178. Historiq. Avidité du patriarche de Constantinople, dépouillant les églises et allant jusqu'à voler les plombs. — Ep. 180. Le Pape permet au légat, pour venir en aide à la Terre Sainte, de contracter un emprunt remboursable sur le produit futur de la *vicesima*. — Ep. 181. Historique et droit public. Raymond hérétique privé de ses terres; le doute sur l'effet de la sentence n'est pas permis. — Ep. 187. Cf. *Quint. Compil.*, lib. V, tit. VIII, col. 356. — Ep. 198. Cf. *Quint. Compil.*, note, col. 135, tome I. — Ep. 219. Droit public. A défaut d'amendement du roi (Alphonse de Portugal), ses terres seront livrées au premier occupant, qui les possédera à toujours. — Ep. 220. Historique. Un évêque, qui abolit les privilèges d'un couvent en jetant au feu les titres ou les faisant laver (lorsqu'ils sont sur parchemin). — Ep. 222. Discipline. Le clerc ne doit pas exercer l'office de procureur. — Ep. 223. Coutume du pays de Saintonge. L'étranger qui n'a point de seigneur, s'il demeure l'an et jour dans le pays, devient l'homme du roi, « homo regis. » — Ep. 241. Droit civil privé. La comtesse Blanche de Champagne a transmis à son fils un immeuble chargé d'une dette, au paiement de laquelle il s'est obligé; elle refuse de payer la dette reconnue par elle antérieurement : Honorius décide qu'elle payera, parce qu'elle est engagée, mais qu'elle exercera son recours contre le détenteur actuel de l'immeuble et ses cautions.

APPENDICE DU LIVRE VII.

LES ALBIGEOIS.

Honorius III n'a pas seulement continué l'œuvre de ses prédécesseurs pour affermir la chrétienté du côté de l'orient, par la lutte contre les musulmans d'Egypte et maitres de la Terre Sainte; il a vu dans l'existence des Albigeois l'un des grands périls de la chrétienté en Occident, l'un des grands obstacles au développement de la France catholique en particulier. Les destinées de la France, son rôle dans le monde, sa civilisation, tout pouvait sombrer si l'hérésie albigeoise n'était domptée. Pourquoi et comment ces hérétiques avaient-ils choisi le midi de la France pour siège de leur puissance, nous n'avons pas à le dire. Mais il est certain qu'ils y étaient fortement établis, grâce à la connivence des seigneurs, et que l'union des forces de la royauté et du Pontificat devint nécessaire pour le triomphe.

Nous empruntons sur ce sujet une note excellente que nous fournit M. l'abbé Guyard, grand vicaire de Montauban, dans son livre intitulé : *Saint Antoine de Padoue, sa vie, ses œuvres et son temps*, Paris, 1868, 2e édition, page 109 et suiv. :

« Les Albigeois n'étaient pas, comme on pourrait le croire, les habitants du pays d'Alby. Originaires de la Thrace et de la Bulgarie, où ils avaient déjà inquiété l'Église, sous le nom de *Pauliciens*, ils ne s'étaient jetés sur la partie occidentale de l'Europe qu'après avoir été expulsés par les Grecs. On les

appelait, en Italie : *Paterini*, *Cathari*, *Bulgari*. En France on les désigna sous le nom d'Albigeois, du mot *Albigia*, Alby, où ils furent condamnés, dans un Concile tenu en 1176. On appela du même nom tous les dissidents qui adoptaient plus ou moins les doctrines du Manichéisme, et qui faisaient cause commune avec ses sectateurs.

« Les Albigeois étaient très nombreux et très puissants dans le Midi de la France. Tous les auteurs et tous les monuments de l'histoire l'attestent.

« L'abbé de Cisteaux et treize autres abbés dudit ordre, gens sçavans et approuvez, furent envoyez ès pays d'Albigeois, Cahors, Narbonne, Carcassonne, Bigorre, Provence et autres, pour y prescher la foy chréstienne contre les herétiques Albigeois et les autres qui estoient en nombre innombrable, obstinez en leurs maux et péchéz, tellement qu'ils ne vouloient acquiescer à aucuns bons enseignements : ains comme un aspic, ils estoupaient leurs oreilles, afin que leurs mauvais vouloirs et pensées ne fussent enclins à ouïr la foy chréstienne qu'on leur préschait, et quand lesdits abbés eurent esté aucun espace de temps en icieux pays, voyans qu'ils ne profitoient guères ils s'en retournèrent (1). » On voit quels hérétiques opiniâtres et endurcis étaient les Albigeois. Mais tout ne s'arrêtait pas là.

« Les Manichéens, connus sous les noms de Cathares, de Patarins, d'Albigeois, ne se contentaient pas de nier telle ou telle vérité particulière ; ils rejetaient toute vérité, toute religion, toute morale, toute justice, toute société. Il est facile de s'en convaincre. Voici, de l'aveu de tout le monde, le principe fondamental du Manichéisme : « Le mal, le péché, ne procèdent pas du libre arbitre de l'homme ; ils viennent du mauvais principe, du Dieu méchant, du Dieu de Moïse, de celui qui a produit cet univers et qui punit le crime. Quant au Dieu bon, il n'a rien fait de visible, et il ne punit point le mal. De là cette conclusion : Puisque le mal est l'œuvre du Dieu méchant, il est injuste d'en punir l'homme ; la justice humaine qui punit les malfaiteurs par le glaive est une *injustice* atroce qu'il faut abolir par le for et le feu. Ceux qui, comme le Pape, les évêques, les prêtres catholiques, enseignent que l'homme est libre et par conséquent responsable de ses actions, sont des imposteurs, des ministres de Satan, *auxquels il faut courir sus*. Le mariage est une œuvre de Satan, une œuvre maudite, qu'il faut abhorrer et empêcher par tous les moyens. » Mais les sectaires ne dévoilaient leurs *mystères secrets*, les abominations dont ils se souillaient qu'à ceux qui y étaient préparés par divers degrés et auxquels ils donnaient le nom d'élus. Aux yeux des autres ils savaient se cacher avec le plus profond artifice ; et ils ne laissaient voir qu'une vie extérieurement chaste, pauvre et même mortifiée.

« Pierre le Vénérable, ayant fait un voyage dans le midi de la France, fut témoin des ravages exercés par les Albigeois. Il revint de ces contrées le cœur navré de douleur. Pour essayer de ramener ces malheureux hérétiques, et surtout pour préserver les catholiques de leur séduction, il entreprit de réfuter leurs erreurs les plus connues dans un écrit adressé aux archevêques d'Arles et d'Embrun, aux évêques de Die et de Gap, qui s'étaient employés, de tout leur pouvoir, à purger leurs diocèses de ces hérésiarques. Il fait connaitre en peu de mots les excès des Albigeois : « On a vu, dit-il, rebaptiser les peuples, profaner les églises, renverser les autels, brûler les croix, fouetter les prêtres, emprisonner les moines, les contraindre à se marier par les menaces et les tourments ». Il réduit à cinq celles de leurs erreurs qu'ils répandaient le plus parmi le peuple : « Refuser le baptême aux enfants avant l'âge de raison, ne permettre ni autels, ni églises, défendre d'adorer ou d'honorer la croix, ordonner même de la briser et de la fouler aux pieds ; nier non seulement la réalité du corps et du sang de Jésus-Christ dans le sacrifice qui s'offre tous les jours sur nos autels, mais défendre encore de l'offrir ; enfin, rejeter les prières et les autres bonnes œuvres faites par les vivants pour les morts ». Pierre le Vénérable réfute, avec étendue et solidité, toutes ces erreurs (2).

« Un écrivain contemporain des Albigeois, et dont le témoignage ne saurait être suspect aux yeux des philosophes et des ennemis de la Papauté, s'exprime ainsi au sujet des nouveaux Manichéens : « De nos jours l'audace de certains hérétiques, connus en Gascogne, dans la contrée Toulousaine et le Royaume d'Aragon, sous le nom d'Albigeois, s'est tellement accrue, qu'ils ne se contentent plus de propager leurs erreurs en secret, comme ailleurs, mais qu'ils se mettent à prêcher publiquement, et qu'ils séduisent les faibles et les ignorants. On les appelle Albigeois, du nom de la ville d'Alby, où l'on dit que leur secte a pris naissance. Ils en sont venus à un tel excès de perversité que, méprisant toutes les menaces divines, ils ont osé, en présence des évêques et des prêtres, jeter le livre des saints Évangiles dans les égoûts et profaner hideusement les calices et les vases sacrés, en haine du corps et du sang du Christ » (3).

« Voilà ce qu'étaient les Albigeois ; voilà ces hommes qu'une foule d'écrivains des XVII[e] et XVIII[e] siècles, et même du XIX[e], s'efforcent de défendre en les représentant comme des hérétiques ordinaires, des hommes inoffensifs, ne s'occupant que

(1) Nicole Giles, *Annales de France*, fol. 134. — Guillaume Dupeyrat, *Traité de l'origine des cardinaux*, p. 37. Cologne, 1605, in-12.

(2) Rohrbacher, t. XV, p. 463.

(3) Matthæi, Parisii, *Historia major*, p. 167, in-fol. ; Parisiis, 1644.

d'erreurs purement spéculatives, et qui ont réellement été les victimes du *fanatisme* religieux et de l'ambition des rois de France. En entendant ces choses, n'est-on pas autorisé à s'écrier avec un illustre auteur, que *depuis trois siècles, l'histoire n'a été qu'une vaste conspiration contre la vérité, contre Dieu, son Christ et son Église?* Les chrétiens des XIIe et XIIIe siècles, avec le sens droit qui les distinguait, eurent bientôt compris que, pour avoir raison d'une secte qui débutait par l'impiété, la trahison et le *meurtre*, il ne fallait pas s'amuser à *temporiser*, à *parlementer*, à *concilier*, mais que le seul moyen était d'arracher *l'arbre pestilentiel*, et de le jeter au feu. Et c'est ce qu'ils exécutèrent par les croisades contre les Albigeois.

« Qu'on médite les lignes suivantes d'un auteur qu'on ne regardera pas comme suspect en cette matière. Michelet parle ainsi des nobles du midi : « Armagnac, Comminges, Béziers, Toulouse n'étaient jamais d'accord que pour faire la guerre aux églises. Les interdits ne les troublaient guère. Le comte de Comminges gardait paisiblement trois épouses à la fois. Le comte de Toulouse, Raymond VI, avait un harem ; dès son enfance il recherchait de préférence les concubines de son père. Cette Judée de la France, comme on a appelé le Languedoc, ne rappelait pas l'autre seulement par ses bitumes et ses oliviers, elle avait aussi Sodome et Gomorrhe » (1).

« Qu'on ose nous répéter après cela, que le Pape abusait de son pouvoir spirituel en excommuniant Raymond VI, et que la Croisade prêchée contre ce prince n'avait qu'un but purement politique. N'est-on pas forcé, devant les faits, d'avouer que le comte de Toulouse n'avait que trop mérité tous les châtiments qui lui furent infligés? Si l'on pouvait reprocher quelque chose au Saint-Siége et aux rois de France, ne serait-ce pas d'avoir usé d'une condescendance et d'une patience excessives vis-à-vis d'un homme qui foulait aux pieds toutes les lois divines et humaines? »

NOTES COURANTES SUR LES ÉPITRES DU LIVRE VII.

Ep. 6, 12. Routiers. Les bandes connues sous ce nom se formèrent en France au milieu du XIIe siècle. Ils se livraient souvent au pillage et vivaient sans discipline. Au XIIIe et au XIVe siècles, on les regarda comme un fléau; mais ces mercenaires étaient les précurseurs des armées permanentes, et ne disparurent qu'au temps des armées permanentes, sous Charles VII. — Ep. 18. Allégorie peu ingénieuse. La liberté de l'Eglise a été blessée, et, versant des larmes, s'est réfugiée près de la justice, qui s'est tournée vers nous, etc.

Ep. 27. Exemple de l'établissement d'une censive perpétuelle. L'un des serviteurs de la cour pontificale a reçu du cardinal du titre de Sainte-Anastasie la concession d'une vigne, appartenant au domaine de l'Eglise de Rome, pour en jouir durant tout le temps de la vie du cardinal, agissant en qualité de « rector civitatis Signinæ ». Honorius voulant ajouter une nouvelle faveur à la première, « aliquid volentes adjicere, » concède la vigne, sans détermination de temps, c'est-à-dire à perpétuité, au même possesseur et à ses héritiers, sous la seule condition d'un denier, monnaie du sénat, à payer chaque année à titre de redevance. La vigne ne sort pas du domaine de saint Pierre; elle reste possédée en censive. — Ep. 33. Sens embarrassé, qu'il faut rétablir. Les tribulations du temps présent et nos mérites ne suffisent pas pour obtenir *de condigno* la récompense éternelle. Il est donc nécessaire aux enfants du siècle présent, qui offensent souvent et gravement les yeux de leur Créateur, que devenant des fils de lumière, « ut filii lucis (sous-ent. facti) », ils aient recours aux pénitences corporelles et aux œuvres de piété pour se faire, « quasi de mammona iniquitatis », des amis qui, lorsqu'ils viendront à quitter ce monde, les reçoivent dans les tabernacles éternels. Ou bien, autre sens : Il est nécessaire aux enfants du siècle présent... de se faire des amis parmi les enfants de lumière, « ut *ex* filiis lucis faciant amicos ». La leçon *ex filiis* est celle que donne G. Kohler; elle nous paraît moins bonne. De telle sorte que, continue Honorius, ce que leur possibilité ne peut obtenir, leur soit donné par l'intercession de ceux qui, vivant dans la chair et prévenus par la grâce, ont mérité d'être faits enfants de Dieu. La difficulté d'interprétation de cette seconde phrase vient de l'expression : « illorum ». 1o On peut entendre que les enfants du siècle s'étant fait des amis *parmi* les fils de lumière (et alors il s'agit nécessairement des clercs qui reçoivent les offrandes pieuses portées dans le sanctuaire, dont la visite est l'objet de cette épitre), ils recevront ce que leur possibilité ne pouvait obtenir, par l'intercession de ceux (les clercs) qui ont mérité d'être faits enfants de Dieu. C'est un sens fort clair. 2o On peut entendre également bien que les enfants du siècle *devenus* fils de lumière reçoivent des saints, en visitant les sanctuaires, ce que leur propre possibilité ne pouvait obtenir et que les saints leur accordent *en intercédant*. Dans ce cas, ce ne sont plus ceux qui vivent et ont mérité d'ê-

(1) *Hist. de France*, t. II, p. 409.

tre faits enfants de Dieu qui accordent, mais ceux qui *ont vécu* et ont mérité, « viventes meruerunt ». Le sens paraît d'autant plus plausible de la sorte, qu'il est question ici de la visite d'une église dédiée à saint Pierre, et dans laquelle l'apôtre Paul « coapostolus », doit être honoré en même temps. On s'explique mieux avec ce second sens ces paroles : « Labores corporis et opera pietatis quasi de mammona iniquitatis ». Car, les œuvres de piété ne désignent pas plutôt les offrandes entre les mains des clercs que la prière, et les fatigues du corps (ou la pénitence) peuvent toucher les saints, sans profit pour les clercs. Il serait donc difficile de voir comment les fatigues et la prière nous feraient sur la terre des amis pour le royaume du ciel. Une objection se présente toutefois ; il faudrait, ce semble : Sua intercessione, sua ipsorum intercessione, à moins que l'on ne supprime absolument : illorum. 3° Un troisième sens serait le suivant : Les saints, ceux qui ont vécu et ont mérité d'être faits enfants de Dieu, donneront aux enfants du siècle, ou accorderont *à leur prière* ce que leur propre possibilité ne pouvait obtenir, *eis donent, intercessione illorum;* ils accorderont dans le temps de la prière adressée à ces saints, par le fait de la prière. Nous poursuivons : « Et illis auxilium implorare ». Deux sens. Il est avantageux aux enfants du siècle (expedit) d'implorer le secours céleste ou utile pour le ciel, de ceux (les clercs desservant le sanctuaire) qui, dévotement, s'efforcent d'obtenir le patronage des saints. Le sens est plausible ; mais dans l'hypothèse qui applique aux clercs les paroles : *viventes, meruerunt*, il n'a pas été question des saints, et l'on ne comprend plus : « patrocinium eorumdem ». En outre, « auxilium cœleste » ne se prête pas beaucoup au genre de secours qui consiste dans la prière adressée par les clercs pour les pieux pèlerins. Second sens : Il est avantageux aux enfants du siècle qui veulent dévotement obtenir le patronage des mêmes saints, d'invoquer le secours céleste. Ajoutons une dernière remarque sur le texte de cette épitre. Nous lisons, vers la fin : « Ad cognitionem deitatis in qua vita æterna consistit » ; ou, suivant une variante que nous préférons, « in quo » : la connaissance de Dieu dans laquelle consiste la vie éternelle. Le rapport de *qua* est amphibologique ; on ne sait si le pronom se rapporte à *cognitionem* ou bien à *deitatis*. Avec *quo*, nous traduisons : Ce en quoi consiste la vie éternelle, et alors il y a analogie avec ce qui suit : « Redemptore nostro dicente *hoc* esse vitam æternam ».

Ep. 38. Discipline. Une provision sur les biens doit être réservée à l'évêque démissionnaire, pour assurer sa subsistance. — Ep. 40. Discipline. Si les archevêques et évêques ne peuvent porter l'excommunication directement contre un monastère exempt, ils ne peuvent atteindre le même résultat indirectement en excommuniant ceux qui ont des rapports avec eux, pour leurs moulins ou fours, pour l'achat ou la vente, etc. — Ep. 41. Le lieu d'élection des sépultures doit demeurer libre, de même que les pieuses aumônes qui en sont la conséquence. — Ep. 42. Durant tout son pontificat, Honorius s'est cru à la veille de la délivrance de la Terre Sainte : « Propius et certius, ut speramus, ejusdem terræ liberatio appropinquat ». — Ep. 43. Rites. Le pallium a toujours été envoyé après avoir été déposé au tombeau de Pierre, « ipsum de corpore beati Petri sumptum ». — Ep. 47. Discipline. Concession pour la création d'un archiprêtre en pays infidèle, comme supérieur du clergé, en attendant que le nombre des chrétiens augmenté permette l'érection d'un évêché : institution analogue à celle des vicariats Apostoliques modernes. —Ep. 54. Dans plusieurs privilèges de monastère. comme dans celui-ci, il est défendu d'excommunier les personnes qui travaillent au service du couvent, aux jours qui ne sont pas fêtes chômées par le couvent, bien qu'elles soient telles pour le voisinage : il s'agit des fêtes d'obligation purement locales, telles que les fêtes de patrons. — Ep. 55. Discipline. Les moines qui ne veulent pas se soumettre à l'autorité du légitime abbé sont excommuniés, puis dégradés, à l'exception des moines âgés et valétudinaires, ce qui est digne de remarque, puis expulsés à l'aide du bras séculier, « adjecto ut, ad ejiciendum eos, si opus esset, assumeretis auxilium brachii sæcularis ». Sur l'exécution par le bras séculier, Laferrière, *Essai sur l'Histoire du droit français*, 2e éd., Paris, 1859, tom. I, p. 206, rapporte ce qui suit, concernant saint Louis, dont le règne commence quand finit le Pontificat de Honorius : « Les évêques et archevêques, dans une assemblée générale, firent de vives remontrances à saint Louis, qui revenait des Croisades. Nous empruntons ici le langage de Joinville : « Sire, lui dit l'évêque d'Auxerre, parlant pour eux, tous ces seigneurs qui ici sont, archevêques et évêques, m'ont dit que je vous dise que la chrétienté se périt et fond entre vos mains. Le roi se signa et dit : Or, me dites comment ce est. Le prélat ayant alors exposé qu'on prisait si peu les excommunications que les gens se laissaient mourir excommuniés, avant que de se faire absoudre, et ayant demandé au roi qu'il commandât à ses baillis et sergents de les contraindre à faire satisfaction à l'Église, le roi répondit qu'il le commanderait volontiers, pourvu qu'on lui donnât connaissance si la sentence était droiturière ou non. Et sur le refus des prélats disant qu'ils ne croyaient en aucune sorte qu'ils ne dussent connaissance de leur cause, le roi répondit avec fermeté que, tant qu'ils ne la donneraient pas, il ne commanderait pas à ses sergents de contraindre les excommuniés à se faire absoudre à tort ou à raison, car si je le faisais, ajouta le roi, je ferais contre Dieu et contre droit. Or, frapper sur la sanction réelle des sentences, c'était porter un coup qui ébranlait jusque

dans sa base la juridiction ecclésiastique. » Honorius suppose toujours le concours du bras séculier accordé lorsqu'il sera requis, et il fait de ce concours l'un des devoirs du prince. V. notes courantes sur le livre VI, ép. 170. — Ep. 60. Droit privé. La composition ou transaction consentie par un couvent, emportant aliénation éventuelle soumise à l'approbation ou confirmation du Souverain Pontife. — Ep. 61. Historique. L'impôt du vingtième pour la Terre Sainte, parfois objet de fraudes pour payer en moins : Cette ép. n'est pas la seule qui en conserve la trace. — Ep. 62. Discipline. Les informations canoniques pour l'élection de l'évêque abrogées à raison des temps difficiles ; les opposants présumés en faute par le seul effet du délai apporté à fournir leurs preuves. — Note empruntée à Berardi, *Institutiones juris ecclesiast.*, Venet. 1777, part. II, lib. I, tit. 5 : « Quicumque ad episcopatus honorem promoventur, de quocumque episcopatu agatur, etiam de maximo Pontificatu, hoc ordine dignitatem obtinent. 1° Fit electio, vel actus non absimilis, qui electioni æquipolleat ; 2° Succedit confirmatio ; 3° Ubi quis confirmatus est, consecratur ; 4° Consecratione facta, nihil aliud superest quam in possessionem inductio ». — Ep. 63. Le *plebanus*, dont il est question dans cette ép., et dans plusieurs autres, est défini par Berardi, loc. cit. : « In ecclesiis cathedralibus utile visum fuit præficere sacerdotibus sacerdotem unum quem archipresbyterum nominaverunt, eadem ratione diaconis præfectus est archidiaconus ; sed erat in cathedralibus singulis eligendus sacerdos ad cujus specialis cura spectaret animarum in plebe : hunc plebanum nuncupaverunt ». — Ep. 68. Historiq. Les évêques hostiles aux chevaliers Teutoniques recevaient les lettres du Pape en leur faveur, mais ne les lisaient pas : cet abus doit cesser. — Ep. 70, col. 289, lig. 10, lisez : Imo detestanda contubernia. — Ep. 78. Droit privé. Possession d'une prébende pendant 36 ans, ne couvrant pas le défaut du titre, c.-à-d. la succession immédiate dans le bénéfice paternel. Le Pape, usant d'indulgence, ordonne la collation d'un autre bénéfice. — Même ép. Correction probable : Non solum hactenus tolerasti *silentio*. — Ep. 80. Historiq. Violences et raffinements de cruauté contre un évêque. — Ep. 81. Belle page sur l'allégresse, trop tôt finie, causée naguère par la prise de Damiette. Exhortation chaleureuse à la nation française, si chrétienne, « gens tam christiana ». Notez que le roi de France est appelé *christianissime principum*, bien que les historiens reportent à une époque postérieure la qualification de *rois très-chrétiens* donnée aux rois de France. — Ep. 82. Droit public. Aucun péage ne doit être exigé des croisés qui se rendent dans la Terre Sainte. Historique. Etablissement d'un impôt de Terre-Sainte pour trois ans, d'un tournois pour chaque maison, ou monnaie équivalente. — Ep. 83. Discipline. La clôture des Cisterciens empêchant les femmes de pénétrer dans leur couvent, Honorius accorde à la reine Blanche, pour une fois dans sa vie, l'autorisation de visiter le couvent, au temps du chapitre général, avec dix femmes de sa suite. — Ep. 27, lig. 6. Probabl. : Non solum tua regia [celsitudo]. — Même épitre. Ponctuation à rectifier : Data sibi quasi undique quiete, regno Hungariæ dilatato, quum alia regna sint circumquaque concussa. Numquid non a Domino factum est istud, qui excelsus dominatur in regno solus, et cui voluerit dabit illud ? Tacti sumus, etc. — Ep. 91, lig. 9 : Ac demum extorserunt. — Ep. 92, 147. Honorius s'est préoccupé, à plusieurs reprises, des abus de l'*advocatia*. Un seul *advocatus*, dit l'ép. 92, suffit pour la défense du monastère, et, s'il y en a plusieurs, il en résulte des extorsions, ou pour le moins une charge inutile, *gravamen*. L'Eglise avait subi l'influence féodale ; les monastères et les populations qui vivaient sur leurs terres subissaient une administration laïque qui les régissait, jusqu'à certain point, concurremment avec le pouvoir ecclésiastique ; car les communautés nommaient, pour les défendre, des avoués, avocats, vidames, et l'on comprend combien facilement les abus pouvaient s'engendrer ; V. Minier, *Précis hist. du droit franç.*, liv. II. — Ep. 95. Enseignement dogmatique sur les qualités des corps glorieux ressuscités : Resurgent fulgida, agilia, subtilia, et impassibilia. — Ep. 97. Droit public. Très-digne de remarque. La féodalité avait constitué la justice seigneuriale en appelant le vassal aux plaids et jugements du suzerain, à titre de service rendu par le fief. L'épreuve judiciaire ou le combat étaient les véritables moyens de preuve juridique conformes au principe féodal. Ce fut à la renaissance des études du droit romain en Europe, et grâce à cette renaissance, aussi bien qu'à l'intervention du droit canonique, qu'il fut donné de voir les juristes, les hommes qui représentaient la science des lois, siégeant à côté des représentants de la féodalité militaire, en attendant que, par le progrès des temps, ils parviennent à expulser les barons et les seigneurs des sièges conservés par eux. Honorius se trouve placé à l'époque intermédiaire entre la justice féodale primitive et la justice des temps nouveaux. Il autorise les évêques à refuser de comparaître devant les cours nobles dans les provinces où ces cours ne comprennent pas l'élément nouveau, dans les contrées où les seigneurs siègent seuls et où les jurisconsultes font défaut, « in quibus jurisperitorum copia non habetur ». Cet acte du Souverain Pontife est certainement l'un des plus hardis, au point de vue des relations avec la société civile. C'est d'ailleurs l'un de ceux qui hâtent l'évolution ou la transformation juridique ; c'est un titre de gloire pour le Pontificat. — Ep. 99. Cf. supr. Note sur l'ép. 78. — Ep. 102. Historiq. La bataille de Bouvines ayant été livrée en 1214, le comte de

Flandres, dont le Pape demande la mise en liberté, était captif depuis neuf ans déjà. Motifs: Il y a plus de grandeur dans le pardon que dans la vengeance. Style : « Affectuosius exhortamur ». — Ep. 104. Sommaire : Honorius quod promissum fuerat Orodiensi ecclesiæ et capitulo, si rex Andreas, etc. — Ep. 108. Honorius confirme, pour le monastère, toutes les possessions qui ont quarante ans de date, sans parler de titre pour ce cas. — Même ép. Discipline. Ceux qui ont fait élection de la sépulture du monastère doivent être inhumés librement, et de même ceux qui, à raison de la parenté et du sang, *appartiennent* à cette sépulture. Dans ce dernier cas, c'est la sépulture de droit pour la famille, à défaut de l'élection. — Ep. 109. Cf. ép. 104. — Ep. 111, lig. 7. Duos archidiaconatus. — Ep. 114. Argument proposé au roi de France pour la croisade : Quand la terre du suzerain est envahie, celui qui a reçu de lui un fief n'est-il pas obligé de prendre les armes ? — Ep. 115. Rapports entre l'autorité temporelle et l'autorité spirituelle, basés sur l'esprit de conciliation. — Ep. 120. Cf. ép. 82. — Ep. 122. Cf. ép. 82 et ép. 120. — Ep. 119 et 127. Biographie de Honorius : ses bienfaits et son attachement pour un monastère de Cisterciens. — Ep. 133. Historique. Moines dégradés par autorité du légat pour avoir porté les armes contre l'Eglise, en se joignant aux Albigeois. — Ep. 124. Histor. Honorius s'est opposé, en plusieurs rencontres, à l'établissement de l'organisation municipale, dont la constitution lui paraît, dans le cas particulier de l'ép., inique et contraire aux libertés ecclésiastiques. Les habitants ont eu la témérité, dit-il, de se choisir un maire, des consuls, des conseillers, qui veulent soumettre à leur juridiction et aux impôts décrétés par eux, les clercs eux-mêmes. De plus, ils admettent dans la cité, à titre d'hommes libres, ceux qui habitent sur les terres d'église, et, de la sorte, ces terres abandonnées vont devenir désertes et incultes. La juridiction ancienne et légitime, « jurisdictionem cousuetam et debitam », doit être rétablie. — Ep. 139. Discipline. Les moines « malefactores » peuvent être retenus « sub custodia ». — Ep. 140. Historiq. Reginald, roi des Iles, devient feudataire du Saint-Siège, en lui concédant l'île de Man. — Ep. 143. Témoignage du souci des moindres détails : il s'agit d'une simple recluse qui demande l'admission parmi les sœurs d'un monastère; le Pape accorde, afin que cette âme puisse marcher de vertu en vertu, dans les voies de la perfection. — Ep. 144. Discipline. Les quêteurs pour la restauration de l'église de Reims seront reçus, en parcourant les diocèses, par les processions du clergé et du peuple, le jour sera solennisé comme un dimanche, et l'interdit sera levé, ce jour-là, s'il existait en quelque endroit. — Ep. 147. Cf. supr. note pour l'ép. 92. — Ep. 152. L'une des plus importantes et des plus notables, pour faire connaître les dispositions du Pontife dans ses relations avec Frédéric II, sa modération et sa condescendance paternelle. — Ep. 154. Discipline. Très curieuse. Institution d'une solennité dans laquelle sera portée l'image du Sauveur envoyée de Rome dans la Saxe; mille pauvres assistant à la procession recevront chacun, tous les ans, au même jour, un denier pour le pain, un denier pour le vin, un denier pour la viande, fournis par le trésor du Souverain Pontife, et les chanoines douze pièces de monnaie et un cierge d'une livre de cire, outre les indulgences concédées. — Ep. 156. Evêque élu, lorsqu'il n'était pas encore diacre. — Ep. 159. Evêque accusé de violences. — Ep. 163. Discipline. Remarquable. Le Pape défend de porter en divers lieux des reliques prétendues de S. Antoine, en leur attribuant des miracles supposés, et trompant la crédulité des peuples pour recueillir des offrandes. En tout temps, l'Eglise condamne les abus et les trafics impies; elle l'a fait même dans les siècles que l'on appelle les siècles d'ignorance. — Ep. 166. Historiq. Lutte des statuts locaux contre les appels en cour de Rome : violences commises. — Ep. 172. Trait de mœurs fort curieux, et discipline. Le chapitre de Novarre faisait ses récoltes, paraît-il, et vendait ses produits, ou l'excédant, notamment le vin à la petite mesure, « vinum vendere ad minutum ». Le Pape prohibe cette vente du vin au détail.

APPENDICE DU LIVRE VIII.

DE L'ÉGLISE GRECQUE SOUS L'EMPIRE LATIN DE CONSTANTINOPLE.

Les circonstances qui ont amené l'établissement d'un empire latin à Constantinople sont du nombre de celles que les historiens pourraient ranger parmi les hasards historiques. Ce fut malgré la défense du Pape qu'une armée de croisés, levée par les ordres du Pape, et composée d'hommes

qui n'avaient pas songé un instant à la conquête de l'empire grec, s'empara de cet empire et y établit un souverain latin. Mais, comme toutes les foules, l'armée des croisés pouvait être dirigée et fut dirigée vers un but imprévu, qui ne lui parut être que le moyen le plus sûr d'arriver à ses fins.

Les croisés étaient à Zara, attendant le printemps. Le prince Alexis leur demande de l'aider à monter au trône : il donnera 10,000 hommes de secours, 200,000 marcs d'argent, des vivres pour l'armée, et l'empire sera ramené sous l'obéissance du Saint-Siége. Que pouvait Alexis sur ce dernier point? C'est ce que les Latins n'examinèrent pas. Quelle fut la réalité des faits après ces promesses? Nous l'allons dire.

Le jeune Alexis, devenu empereur, s'empresse d'écrire au Pape en disant qu'il va travailler de tout son pouvoir à l'union. En même temps, pour tenir ses engagements pécuniaires, il enlève aux églises jusqu'aux vases sacrés et aux ornements. Le peuple se révolte et il est renversé. Murzulphe le remplace. Le souverain détrôné n'a réussi qu'à poser la question devant son peuple, en la rendant plus difficile par ses procédés gouvernementaux.

Les croisés ne veulent pas entendre parler de Murzulphe ; ils lui font la guerre. Mais cette fois, le but direct et avoué est le rétablissement de l'autorité du Saint-Siége. Les évêques présents dans l'armée, et délibérant avec les chefs militaires, ont jugé que c'est là ce qui justifie la guerre, en retardant la délivrance de la Terre Sainte. Constantinople est prise d'assaut et livrée au pillage. On enlève les pierreries, l'or, l'argent *et les reliques*, que l'on transporte en divers lieux de l'Occident. L'Eglise grecque est conquise aussi bien que l'empire. Six électeurs vénitiens et six électeurs français nommeront un empereur *et un patriarche*. La nation qui n'aura pas fourni l'empereur aura le patriarche pris dans son sein. Le patriarche fut le Vénitien Morosini. Rien n'était moins compliqué que de tels procédés. L'union était faite.

Le Pape, qui était alors Innocent III, ne voyait pas les évènements de la même manière. Il déclara tout d'abord que les croisés étaient tenus de faire pénitence pour les profanations et les désordres dont ils s'étaient rendus coupables : il enjoignit de restituer les trésors des églises, les vases sacrés, les croix, les reliquaires; et en même temps, confirmant l'élection de Morosini en vertu de la plénitude de la puissance Apostolique, malgré les défauts de régularité dans la forme, lui accordant divers privilèges, voulant le sacrer lui-même, il écrivit aux évêques de France d'envoyer en Grèce des ecclésiastiques recommandables par la science et par la vertu, afin d'amener par la persuasion et le temps ce que les seigneurs et les barons avaient considéré comme l'œuvre d'un jour. Nous avouons ne pas avoir trouvé dans ceux qui ont écrit l'histoire de cette époque des détails suffisants concernant l'influence exercée sur l'Eglise grecque par les prêtres pieux et instruits de l'Occident que le Pape y appelait.

Dans le même moment, les Bulgares avaient secoué le joug de Constantinople et voulaient devenir une nation indépendante, avec un chef qui fût roi. Joannice demanda la couronne au Pape, et, de son propre mouvement, offrit de soumettre son royaume à l'Eglise Romaine. Un primat de Valachie et de Bulgarie fut établi par le Pontife, avec autorité sur les métropolitains des deux provinces. Là encore, l'autorité civile suffisait à opérer la réunion, qui semblait une conséquence du mouvement des croisades et de la vitalité manifestée par l'Occident dans son intervention en Orient. Mais l'Eglise Romaine cherchait à rendre durable ce que des circonstances passagères avaient amené. Les Papes ne se trompaient pas, en jugeant que de tels changements étaient plus superficiels que profonds.

Chose étrange ! quelques échappés des confins de l'Empire grec et de la Bulgarie, quelques sectaires Pauliciens ébranlaient bien plus profondément l'Occident, où ils étaient devenus les *Albigeois*, Cf. la note de l'Append. du liv. VII, sous ce titre. Les Pauliciens, disciples prétendus de saint Paul, n'avaient jamais joué en Orient qu'un rôle très-obscur : Pierre de Sicile et Photius les ont fait connaître. Au temps où le premier les visita pour étudier leurs doctrines, leur principal siège était à Téphrika, en Arménie. Il furent persécutés, à divers temps, par les souverains de Constantinople. Sous l'impératrice Théodora, la persécution en fit mourir, dit-on, 100,000. Ils prirent les armes, formèrent un parti de rebelles qui, se retirant sur les terres de l'Islamisme, faisaient parfois des incursions et livraient de véritables batailles. Ce fut l'empereur Zimiscès qui mit fin à des siècles de discordes ou de luttes, en les faisant transporter à Philippolis, en Thrace. Et ce fut de la Thrace et de la Bulgarie, quand l'Orient s'en débarrassa, qu'ils pénétrèrent en Italie et en France, où Patarins et Albigeois mettaient sourdement la foi en péril, quand ils n'attaquaient pas ouvertement les croyances et la société tout ensemble.

Nous ne voulons rien affirmer; mais, en voyant ce que peuvent quelques représentants isolés d'une doctrine, et connaissant d'autre part les effets désorganisateurs du travail des sectes, il nous est impossible de ne pas croire à une influence réelle des Latins sur l'Eglise grecque à l'époque qui nous occupe, par suite de la présence du clergé latin implanté en Orient par la prévoyance des Papes, en même temps qu'il nous paraît démontré, en quelque sorte *a priori*, que cette église a été préservée pour l'avenir du ravage produit par le dissolvant sectaire.

L'Eglise d'Orient des premiers siècles a gardé la pureté de la foi, mais la subtilité de l'esprit grec

a multiplié les hérésies durant cette période. Nous estimons donc que le même esprit grec, agissant sur une Eglise séparée de l'unité, devait la livrer à tous les vents de l'erreur, dans les siècles suivants, tandis que, à partir du jour où un clergé latin s'est implanté fortement en Orient, pour y demeurer jusqu'à nos jours en présence du clergé grec, la situation a été toute différente. Le catholicisme, vivant en Orient, a été l'arome qui a préservé le schisme de la corruption et de la dissolution. L'Eglise grecque est demeurée, et elle est encore une Eglise ayant une discipline, une foi, une hiérarchie.

L'histoire des faits était celle-ci : les croisés avaient institué des patriarches latins à Antioche, à Jérusalem. Le patriarche grec d'Alexandrie, Nicolas Ier était entré dans l'union. Des théologiens avaient surgi, du milieu des Grecs, tels que Nicétas, archevêque de Thessalonique, le moine Nicéphore Blammide, Beccos, archiviste de l'Église de Constantinople, qui, au point de vue doctrinal, venaient en aide au retour des esprits. Peut-être, on n'éut pas assez de souci des dissidents. Le patriarche de Constantinople, remplacé par Morosini, se retira, avec ses partisans, à Nicée, où Théodore Lascaris avait fondé un royaume des débris des provinces grecques. Les patriarches d'Antioche et de Jérusalem avaient quitté leurs sièges. Mais, quand l'empire latin s'écroula, il emporta avec lui l'union, et ces patriarches, exilés volontaires, reprirent tranquillement possession de leurs sièges.

C'est après l'exposé de ces événements que l'on doit lire et étudier la Bulle du 4 septembre 1223, la Xe du liv. VIII, supr., col. 409, contenant incluse et confirmant une Bulle d'Innocent III. L'œuvre commune des deux Pontifes est une sorte de charte de l'Eglise grecque. Les tendances organisatrices de la Papauté n'ont rien de commun avec les procédés sommaires d'une armée conquérante, on peut s'en assurer.

La surveillance du Siège Apostolique, dit Honorius, s'étend sur les nations et les royaumes; il arrache et détruit; il édifie et plante; il se sert de la modération, de la douceur ou de la sévérité, selon les temps et les lieux; il ramène tout à la règle, il rend à César ce qui est à César, à Dieu ce qui est à Dieu. Or, il est arrivé que les princes de l'empire romain ont fait preuve d'une présomption qu'il faut réprimer; que des abus se sont enracinés; qu'ils donnent, au gré de leurs caprices, des biens aux églises, pour les en dépouiller ensuite; que, principalement, les possessions des abbayes sont détournées pour leur avantage propre; que les prélats grecs, moyennant quelque présent, élèvent indifféremment celui-ci ou celui-là au sacerdoce; que notamment le prince d'Achaïe, profitant de ces coutumes abusives, retient en ses mains les abbayes, les possessions ecclésiastiques et les fruits qui en proviennent; qu'il traite les popes sans aucune considération, en sorte qu'il a fallu recourir à l'excommunication pour le décider à s'amender. C'est pourquoi nous lui avons imposé de conformer sa conduite à la constitution de Ravenica, c'est-à-dire à l'acte de paix consenti par les ecclésiastiques et les barons de Constantinople les plus dévoués à l'Eglise Romaine. Mais, parce qu'il a éludé nos ordres en faisant accéder les archevêques et évêques de la province à un compromis que nous déclarons illicite et injuste, nous avons donné mission à des prêtres cardinaux de Rome et aux clercs des églises dont il s'agit qui se trouvaient aussi à Rome, de préparer une ampliation de la constitution de Ravenica, avec les modifications nécessaires, et nous avons réglé ce qui suit : Toutes les églises, toutes les possessions des églises leur appartenant depuis le couronnement d'Alexis Bambacorax, seront exemptes de toute exaction, libres de toute juridiction laïque, sauf l'*acrostichon*, pour lequel d'ailleurs on restera dans les termes de modération fixés par nous. Toute composition ou compromis demeurera de nul effet, même s'il a été stipulé à perpétuité. En outre, là où il existera de 25 à 70 feux, il y aura deux popes, avec leurs femmes, leurs fils, leur famille, exempts de la juridiction laïque, si ce n'est pour les fils, qui demeureraient hors de la maison de leur père. S'il se rencontre plus de 70 feux, il y aura quatre popes, libres comme ci-dessus. Au delà de 125 feux, six popes. Au-dessous de 25, on réunira des maisons du voisinage, pour compléter le nombre. Les popes ruraux continueront, du reste, les relations avec les laïcs, comme par le passé; mais ils jouiront du privilège des clercs, et le seigneur temporel ne pourra lever la main sur eux. D'autre part, on ne pourra célébrer sur une terre [sans doute en cas d'interdit] contre les ordres des clercs latins. Les popes des villes jouiront de la même liberté que les popes ruraux, ceux des cathédrales, également. Les popes libres de la juridiction laïque payeront l'*acrostichon*, mais les latins payeront la dîme, eux et les Grecs qui leur seraient soumis et n'y feraient point difficulté. Le Pape fixe ensuite les revenus des églises de Patras, Corinthe, Lacédémone, et autres, à prendre sur un fond de restitution des biens enlevés aux églises. Cet acte de paix et de concorde est suivi de la teneur de la constitution de Ravenica, qui date du Pontificat d'Innocent III. Les moines grecs, dit la constitution, les popes, les caloyers, ceux qui sont constitués dans les ordres moindres ou dans les dignités, ceux qui ont un office quelconque seront libres, sauf le paiement de l'*acrostichon;* tous les clercs jouiront des privilèges des clercs Romains; les églises, les monastères, leurs biens actuels ou futurs, les personnes qui habitent les couvents, les serviteurs, les hommes qui leur appartiennent ne pourront être soumis aux tailles, aux services féodaux, aux angaries et parangaries. Les fils des popes, les femmes des popes, leurs héritiers prélèveront ce

qui leur revient, mais sans pouvoir aller au delà de leur droit. Les fils des popes pourront être ordonnés et obtenir les dignités qui leur seraient interdites en Occident, d'après la discipline en vigueur.

Quiconque lira soit le texte, soit l'analyse que nous en donnons, sera convaincu qu'il y eut un effort puissant tenté par la Papauté pour ressaisir l'Église grecque par les moyens d'équité et de sagesse les plus conformes et les mieux adaptés à sa situation. Si l'on ajoute ce que nous avons dit en commençant de l'appel fait au clergé latin instruit et pieux, si l'on se rend compte de l'infiltration de cet élément nouveau parmi ces Grecs qui connaissaient si peu l'Occident, on devra conclure, malgré le défaut d'attention imputable aux historiens, qu'il s'opéra dans la société, au point de vue religieux, des modifications d'une certaine portée. En tout cas, la Papauté eut la claire vision de ce qui pouvait s'accomplir, et elle y travailla.

Au point de vue du raisonnement humain et des hypothèses, on pourrait juger que ce qui a manqué, ce fut une milice spéciale, un ordre religieux, comme cela s'est vu en d'autres temps et d'autres lieux, acceptant la mission de perpétuer l'union et de vaincre les obstacles inévitables qui devaient surgir. Les disciples de saint Dominique étaient occupés contre les Albigeois. Ceux de saint François songeaient de préférence, comme leur fondateur, à la conversion des Musulmans ou au martyre enduré par les mains des Musulmans. Et toutefois, les Ordres religieux ne se sont pas abstenus. Nous en trouvons la preuve dans l'ép. suivante, la 11e du liv. VIII, dans laquelle Honorius règle un point de discipline pour des religieuses Cisterciennes résidant dans le diocèse de Constantinople, ce qui est un autre fait bien digne remarque.

Les ép. 10 et 11 du liv. VIII ne sont pas les seules dans lesquelles Honorius ait statué sur l'organisation et le gouvernement de l'Église grecque. Nous nous abstenons de renvoyer soit à la *Quint. Compil.*, lib. I, tit. 20, tom. I, col. 176, soit aux divers livres des Epîtres.

NOTES COURANTES SUR LES ÉPITRES DU LIVRE VIII.

Ep. 9. Maxime dont la vérité est prouvée par les faits de l'histoire : « In pace principum sæcularium, ecclesiarum tranquillitas ex magna parte consistit ». — Ep. 10. Très-importante. Véritable charte de l'Église grecque après la réunion opérée par la conquête, portant délimitation des diocèses, nombre des popes, privilège des monastères, etc. V. ci-dessus. — Ep. 13. Sévérité du Pontife pour l'inexécution des ordres donnés à l'archevêque. — Même ép., col. 419, l. 10 : Libera fuerit tributa facultas; col. 420, l. 10: Affacinata, impudente, de l'italien *affachiato*. — Ep. 17, col. 435, l. 36 : Regni tranquillitatem zelantes et pacem, et multiplicem, etc. — Ep. 25. Droit public. La dette contractée au nom du couvent n'oblige pas, s'il n'y a eu l'assentiment de la majeure et plus saine partie des intéressés. — Ep. 30. Histor. Le comte de Zwerin retenant le roi, son suzerain, prisonnier, agit « contra Deum et Romanam Ecclesiam »; il encourra l'excommunication s'il ne délivre son captif. — Ep. 31, col. 440, l. 18 : probabl. « Licet Apostolatus officium nos [erga] universos constituat debitores ». — Ep. 38. Cf. *Quint. Compil.*, lib. II, tit. v, c. 1, col. 208 du tome I. — Ep. 40. Cf., ép. 103 du liv. VII. — Ep. 44. Droit ecclésiast. L'appel frivole est réputé nul; il n'en est pas tenu compte. — Ep. 45. Droit privé. L'emphytéose requiert l'approbation du Pape dans les cas où cette approbation est nécessaire à l'aliénation, c'est-à-dire pour les biens d'église. — Ep. 48. Remarquable. Le Pape, qui condamne les pactes et statuts des villes, tantôt comme contraires à la juridiction ecclésiastique, tantôt comme directement contraires aux libertés ecclésiastiques, par faveur spéciale pour le commerce, autorise les marchands de Pérouse à choisir parmi eux des préposés dont il n'indique pas le nom, ayant charge de punir l'emploi de faux poids et de fausses mesures, d'assurer l'entretien des routes et la liberté de circulation, sans toutefois faire revivre indirectement, à cette occasion, les statuts. On sait que la juridiction consulaire, concédée aux corps d'états et aux marchands, a été, en divers lieux, un acheminement vers les franchises. Mais il est intéressant de comparer les dates. « Le commerce et l'industrie, dit Laferrière, *Essai sur l'hist. du droit franç.*, tom. I, p. 274, ont secondé l'affranchissement des serfs, formé les grandes communes ou contribué à payer leur liberté rachetée du seigneur. Néanmoins ce fut dans le XVIe siècle seulement (300 ans après Honorius) que l'industrie et le commerce commencèrent à avoir, en France, une juridiction à part. Une ordonnance de 1560 créa pour eux la juridiction arbitrale. Une autre, qui suivit de près, permit aux marchands d'avoir et de faire imprimer leurs statuts. En 1563, grâce au chancelier de l'Hôpital, la ville de Paris obtint le droit de faire l'élection d'un juge des marchands et de quatre consuls; cette élection devait se faire entre cent marchands choisis par leur prévôt et par les échevins. L'édit de création servit de type à la juridiction commerciale établie par imitation dans les

principales villes de commerce, telles que Lyon, Bordeaux, et appliquée aux faits de marchandise entre marchands. L'institution se répandit bientôt dans les villes de tout ordre; mais l'ordonnance de Blois y apporta certaines restrictions. » Le sage novateur n'était pas l'Hôpital. Un Pape l'avait devancé. — Ep. 49. Règle de saint François, admirable dans sa simplicité. L'Ordre nouveau étant destiné à la prédication, on peut noter la méthode que le saint trace aux prédicateurs : Parler pour l'utilité et l'édification du peuple, l'entretenir des vices et des vertus, du châtiment et de la récompense, avec brièveté du discours. — Ep. 50. Cf. Sur le même sujet, les ép. 54, 55 du liv. IV, t. III, col. 351, 354. — Ep. 54. Historique. Clercs excommuniés, « propter manifestam mulierum cohabitationem », continuant à célébrer. — Ep. 63. Historique. Évêque ne se bornant pas à excommunier, mais faisant couper les arbres et incendier les vignes d'une cité. — Ep. 65-69. Concernant uniquement les Albigeois. Le Pape exhorte Amaury et Louis VIII; il ordonne de lever l'impôt du vingtième et de l'exiger même des exempts dans les provinces de Sens, de Reims et de Rouen. Il rappelle que l'Église romaine n'a pas traité la croisade albigeoise comme secondaire : « Romana Ecclesia plurimum laboravit, non solum spirituale sed et temporale auxilium quod potuit impendendo; nihilhominus parati sumus et laborem ad hoc assumere et consilium et auxilium impertiri ». Il apprécie cette croisade en formulant un jugement, qui est le jugement définitif de l'histoire et qui pourrait surprendre dans un Pontife du XIII[e] siècle. Si ces hérétiques, précurseurs de l'Antechrist, dit-il, pouvaient répandre le poison de leurs doctrines, il y aurait lieu de craindre que l'Église ne soit ébranlée dans l'une de ses principales parties, c'est-à-dire dans un royaume où Dieu a établi la foi avec une puissance plus manifeste, et qu'alors une nouvelle ère de persécutions ne soit réservée à l'Église. La France n'est pas seule intéressée. Ep. 66, 67. Le nom de roi très chrétien donné à Louis VIII. Cf., supr. notes courantes du liv. VI sur l'ép. 81. — Ep. 72. Véritable nature du vœu : il est libre, non nécessaire, mais celui qui l'a émis est obligé, s'il n'est relevé de sa promesse, « liberum in vovendo arbitrium, nec necessitas in votis locum habeat, sed voluntas; usque adeo tamen solutio necessaria est post votum, ut non alicui resilire liceat ». — Même ép. Situation de l'excommunié et définition de son état dans la société : « Inter homines vivere, ac humano carere solatio ». — Ep. 73. Envoi des *Sermons* publiés pour la première fois dans la présente édition, tom. I et II. — Ep. 74. Lettre sévère pour révoquer des fonctions de légat. Correction probable : Turpe est doctori, quum redarguit, ipsum culpa [esse irretitum]. — Ep. 78. Par concession, l'évêque obéré pour la cause de la foi pourra prélever sur chaque église de son diocèse un subside modéré. — Ep. 92. Règle du gouvernement diocésain, pour l'évêq. nouvellement élu : « Ut in corrigendis subditis plus apud te valeat ratio quam potestas, atque te boni ducem, mali vero pium sentiant correctorem ». — Ep. 95. Cf. *Quint. Compil.*, lib. V, tit. 10, c. 2, tom. I, col. 359. — Ep. 99. Discipline. Le clerc ordonné par un autre évêq. que le sien propre, peut recevoir une dispense du Pape pour exercer les fonctions ecclésiastiques dans son diocèse. — Ep. 106. Cf., ép. 95. — Ep. 113. Le soin d'entretenir des prédicateurs dans la Livonie et les pays limitrophes est une des préoccupations du pontificat de Honorius. — Ep. 122. Les syndics de l'église sont ceux que l'on appelle ailleurs les patrons, les défenseurs; mais cette appellation est moins fréquente. — Ep. 128. Discipline. Le droit de sépulture est distinct du droit de cimetière, les membres du chapitre pouvant être inhumés dans l'église, sans posséder un terrain spécial dans lequel ils feraient également l'inhumation d'autres personnes, d'après le choix de celles-ci. — Ep. 129. Honorius, pour exciter à la croisade d'Orient, rappelle la parole du prophète disant que le tombeau du Sauveur sera glorieux, tandis qu'en réalité il est au pouvoir de ses ennemis. Il fait de la parole prophétique une application matérielle, qui ne s'est pas trouvée justifiée. — Ep. 133. C'est une formule habituelle pour le Pape de promettre à ceux qu'il protège, ou de demander pour eux : Consilium et auxilium, Cf., infr., ép. 135, 136, supr. note sur l'ép. 65. — Ep. 143. Historiq. Le prédicateur de la croisade touche le fruit de son bénéfice, bien qu'absent, il lève au jour de son passage l'interdit d'une église dans laquelle il se présente, il ordonne des processions auxquelles vient la foule, il accorde des indulgences, il peut commuer le pèlerinage de Saint-Jacques en celui de Terre Sainte, il absout des crimes d'incendie et de violences à l'égard des clercs. — Même ép. Quelques-uns ont trouvé le moyen d'accomplir avec trop de facilité le vœu de pèlerinage en Terre Sainte : « Solent salutare limina Terræ Sanctæ, ac continuo redeunt ». — Ep. 144. Historiq. Les clercs qui vivent à Besançon pour leurs études ont coutume d'aller de porte en porte demander leur subsistance; quelques-uns les battent avec la connivence des chanoines de Saint-Jean : ils encourent les peines du canon. — Ep. 145. Inventaire exact des biens du monastère, des revenus, des dettes, dont un exemplaire doit être envoyé à Rome et gardé aux archives. Cf., ép. 146, 147. — Ep. 149. Le mérite personnel efface la tache de la naissance illégitime, Cf., liv. III, ép. 29. — Ep. 150. Cf., ép. 143. — Ep. 151. Liturgie. Chant du *Te Deum* et du *Gloria in excelsis*, en Carême et en Avent; aux fêtes, de neuf leçons. — Ep. 153. Discipline. L'archidiacre *jus habet personatus*. — Ep. 162. Discipline. La tonsure doit être donnée par l'évêque, non par d'autres clercs ou par des laïcs. — Ep. 167. Droit privé. L'évêque qui possède un comté, par droit

héréditaire, ne peut être cité comme comte « ad loca remotiora », en taisant sa qualité d'évêque. D'où suit que l'évêque, en thèse générale, ne sera pas cité *ad loca remotiora*, et que même en le citant pour question litigieuse concernant la fortune privée, il faut énoncer sa qualité d'évêque pour savoir si, dans le droit du moyen âge, il est obligé de répondre. — Ep. 168. Maxime juridique d'application générale : « Privilegium meretur amittere qui permissa sibi abutitur potestate ». — Ep. 169. Améliorations faites par l'usufruitier, acquises au propriétaire à la fin de l'usufruit, sans récompense, en matière de bénéfice. — Ep. 174. Frédéric II ayant, à la prière du Pape, rendu la liberté au comte Roger, en gardant son fils, Honorius lui fait remarquer que, selon la fiction légale, le père et le fils ne font qu'une personne, et qu'il a accompli seulement la moité de l'œuvre, oubliant que Jésus-Christ n'a pas seulement racheté et délivré la moitié de l'homme, mais l'homme tout entier. Argumentation un peu singulière. — Ep. 178. Image. Les impies, dans leur conduite envers l'Eglise et le clergé, ressemblent à la mer, dont le bouillonnement et le gonflement des flots sont incessants. Très-belle comparaison. — Ep. 185, col. 599, ligne 7. Le compromis exige, comme l'aliénation, le consentement de la *pars major et sanior*. — Ep. 191, ligne 17 : Cum multa precum instantia. — Ep. 197. Cf. *Quint. Compil.*, liv. I, tit. 3, c. 3, tom. I, col. 130. — Ep. 201. Droit privé. Cause intéressante pour la marche de la procédure. L'abbé et le couvent de S.-Thomas sont en cause avec un laïc, et devant la cour laïque pour un héritage. A Nicolas, qui se dit héritier, et qui revendique *jure hæreditario*, le couvent oppose le défaut de filiation légitime, et le procès se trouve porté devant l'archevêque, à qui appartient la décision sur ce point. La cause étant instruite, l'archevêque allait prononcer, lorsque des pupilles, dont il n'avait pas été fait mention antérieure, interviennent, se disant filles légitimes du défunt, à qui l'héritage avait appartenu. Et, parce que, contrairement au droit romain, la coutume du royaume, le droit coutumier local ne permet pas la *restitutio in integrum* en cas de lésion du mineur, elles s'opposent, ou le tuteur en leur nom, à ce que l'archevêque prononce, attendu que sa sentence pourrait éventuellement leur porter préjudice, et elles font appel au Pape. Celui-ci, considérant le dommage que cause au monastère la défense de procéder au jugement, autorise l'archevêque à porter sa sentence, mais respectant le principe de la faveur due aux pupilles, il ordonne que leurs intérêts seront sauvegardés par tous les moyens de droit, parmi lesquels on doit entendre, à ce qu'il semble, la caution donnée, « quarum indemnitati præcaveas omnibus modis ». — Même ép., lig. 15 : Super legitimitatis articulo. Lig. 18 : quæ in causam. — Ep. 207. Sommaire : habitum deferendi licentiam concedit. — Ep. 216, col. 637. Les contrats concernant l'église de Ravenne, valables antérieurement sans aucune solennité, seront nuls dans l'avenir s'ils ne sont en la forme solennelle, avec présence de témoins : Application du principe qui subordonne la validité des conventions aux règles établies par le législateur concernant l'instrument de preuve. — Ep. 224. Historiq. Débat entre le chapitre, le doyen, le prévôt et la commune : Appel au Pape sur ce débat, au nom de la commune et de ses jurés. — Ep. 226. Sentence pontificale, avec mise en scène des personnages, leurs discours, la décision du Pape : forme très-rare. — Ep. 228. Honorius appelle l'empire latin de Constantinople une extension de la France, une nouvelle France. — Ep. 230. L'évêque a fait mettre en prison le prévôt de Sainte-Marie *in Goslaria*, comme hérétique. Le Pape ordonne de faire comparaître le prévôt devant le légat et plusieurs prélats instruits, afin d'examiner si le prévenu s'est écarté de la vraie foi, ou s'il doit être absous comme orthodoxe. — Ep. 233, col. 664, lig. 22. Les privilèges et confirmations accordés aux monastères sont toujours à peu près dans les mêmes termes, qui sont de style. Mais le mouvement communal, qui s'accentue chaque jour davantage, fait insérer, pour la première fois, dans le présent document, cette clause que les bourgeois placés sous la dépendance du couvent devront être maintenus dans leurs anciennes « libertés », tout ce qui se faisait de nouveau étant réputé une dérogation aux libertés antérieures. — Ep. 234. Discipline. Les portionnaires, dont il n'a pas été question jusqu'ici dans Honorius, sont des clercs qui reçoivent leur subsistance ou portion en raison de l'assistance à l'office, et à qui l'on fait une retenue pour telle ou telle partie de l'office à laquelle ils ont fait défaut. — Ep. 246. Maxime. La vérité est aussi bien altérée par le défaut d'intelligence que par la malice des hommes. — Ep. 247. Cf. *Quint. Compil.*, liv. I, tit. 1, c. 7, tom. I, col. 130. — Ep. 249, ligne 18 : Nullus ad majorem numerum. — Ep. 252. Cf. *Quint. Compil.*, lib. III, tit. 15, c. 1, tom. I, col. 295.

APPENDICE DU LIVRE IX.

DE LA POLITIQUE SACRÉE D'APRÈS HONORIUS,

ET DU GOUVERNEMENT DES ÉTATS.

La politique, considérée comme science, n'est pas absolument moderne. Platon a écrit la *République* et les *Lois;* on connaît la *Politique* d'Aristote; Cicéron a composé aussi ses traités de la *République* et des *Lois.* Mais ce n'est pas seulement dans l'application pratique que réside la difficulté de cette science spéciale. Le point de départ a été sujet à controverse. La politique doit-elle avoir en vue l'utile? Elle n'est qu'une science des intérêts. Cherchera-t-elle la justice, de telle sorte que, dans un Etat bien organisé, chacun jouisse en paix de ses droits les plus essentiels, avec les seules restrictions sans lesquelles la société serait impossible? Ce n'est encore qu'une politique des intérêts, avec un idéal un peu plus élevé, au moins en apparence. Ou bien, comme on l'admet aujourd'hui, la politique poursuivra-t-elle un but moral, en demandant à la société que chacun puisse atteindre au développement de ses facultés dans la mesure de ses devoirs et arriver au but moral de son existence? Nous le voulons bien. Mais alors, en quoi diffère cette politique de celle que l'on a appelée la politique sacrée, si ce n'est que la politique morale s'arrête à mi-chemin?

Bossuet a écrit la *Politique tirée de l'Ecriture Sainte* et le *Discours sur l'Histoire universelle* avec cette pensée dominante que la société humaine doit accomplir ses fins ici-bas, en permettant aux individus de parvenir à la société immuable, non passagère, non transitoire des élus, en subordonnant dans une juste mesure ce qui passe à ce qui doit durer et subsister. Honorius III professait la même doctrine que Bossuet, et, au XIIIe siècle, il s'élève, à cause de cela, à une grande hauteur de la pensée et du langage, dans l'Ep. 4 du liv. IX. Cette épître précède de deux ans l'avènement au trône de saint Louis, qui fut un si grand roi, et elle est adressée précisément au roi de France Louis VIII, son père. La reine Blanche de Castille dut méditer et faire goûter à son fils ces maximes de la politique sacrée formulée par un Pontife qui aimait spécialement la France.

La longue prospérité dont le royaume de France, dit Honorius, a joui dans le passé, et qui y est demeurée florissante, ainsi que chacun le reconnait, tandis que presque tous les autres Etats étaient livrés aux troubles, a pour cause principale, conformément à l'opinion de tous, la foi et la piété de ses rois, aussi bien que leur dévotion signalée envers cette sainte Eglise de Rome que Dieu lui-même a établie mère et maitresse de tous les chrétiens.

Que l'on dise cette politique vieillie, cela se peut. Mais elle ne manque ni de logique, ni de grandeur. Et, en tout cas, nous devons la signaler dans l'œuvre d'Honorius. La logique de l'idée est celle-ci : Dieu veut que les hommes soient sauvés par le Christ; ceux qui se distinguent entre les autres par la foi et la piété doivent trouver la paix, parce qu'ils sont dans la voie voulue par Dieu, et la prospérité, qui est une conséquence de cette paix. Dieu a donné à l'Eglise Romaine la charge de gouverner et diriger les chrétiens; donc, les Etats, de même que les individus, qui acceptent cette direction, pourront rencontrer les difficultés inhérentes à la marche des affaires humaines, mais non celles qui auraient pour cause le défaut de conformité avec le plan divin dans le gouvernement du monde. En outre, parce que Dieu se réserve son rôle d'intervention ici-bas, sa providence, « providentia Dei », viendra en aide pour assurer cette paix et cette prospérité, qui ont besoin des efforts humains, mais aussi de la rosée du ciel, sans laquelle tout se flétrit et se dessèche. La théorie est aussi simple et claire qu'elle est logique, et sa grandeur résulte de ce point de vue que l'homme, gouvernant ou gouverné, devient ainsi le collaborateur de Dieu dans les évènements. Telle est la politique sacrée.

A quelle autre cause *aussi digne,* continue Honorius, (et il faut remarquer combien lui-même est persuadé de la grandeur de cette politique qu'il expose) pourrait être attribuée, la félicité continue de ce même royaume qu'à l'abondance de la piété et de la miséricorde de Dieu, dans la main de qui sont toutes les puissances, les droits des empires, de qui viennent tout bien et tout don parfait, dont la grâce prévient et accompagne ceux qui opèrent le bien, qui distribue les vertus avec une ineffable bonté, afin d'avoir l'occasion de les récom-

penser? Il n'est pas permis de douter du don de Dieu, accordé au roi et à ses pères, en vertu duquel ils se sont montrés pleins de foi et de dévotion, pas plus qu'il n'est possible de douter de la récompense accordée à leur correspondance au don de Dieu, récompense consistant dans cette prospérité temporelle, nous l'avons dit, par laquelle ils ont été élevés au-dessus des autres souverains du monde.

A cette belle page de politique sacrée, nous joindrons une autre page de politique purement humaine, qu'une analogie partielle du sujet nous porte à placer ici. Il est de l'intérêt public, est-il dit dans l'ép. 10, que les dominateurs et les gouvernants de ce monde soient craints par ceux sur lesquels ils ont l'empire, c'est l'expérience qui nous l'enseigne. Sous des gouvernants méprisés, les excès des pervers se multiplient, le trouble est partout, la notion du juste et de l'injuste disparait. Sous celui que l'on craint, tout est en paix, l'audace des méchants est comprimée, chacun se réjouit de voir une heureuse tranquillité et l'ordre être l'effet de la crainte. C'est pourquoi parmi vous (Ad fideles per Campaniam et Maritimam), il s'élève de fréquentes dissensions, des scandales surgissent, les meurtres et les incendies se multiplient; vous êtes devenus audacieux par l'impunité, et, au lieu de la tranquillité et de la paix, vous n'avez obtenu que votre propre dommage, qui retombe sur vous.

En matière de gouvernement, et toujours en nous éloignant davantage de la politique sacrée, nous ne pouvons passer sous silence l'ép. 34 du même livre IX. Nous analyserons, mais en nous gardant de toute réflexion. Ce n'est pas sans danger que les gouvernants s'aventurent sur certains terrains où la pente est glissante.

Honorius s'adresse aux archevêques, évêques, abbés et à tous ceux qui se trouvent dans l'empire romain (de Constantinople) en deça de la Macra. C'est un commun proverbe, dit-il, qu'aux grands maux il faut opposer les grands remèdes et la nécessité brise les lois. L'empire latin est dans le plus grand péril; c'est la loi du salut public qu'il faut appliquer. Le marquis de Montferrat rassemble une puissante armée qu'il est indispensable de soudoyer. Mieux vaut donner une part de vos biens, de ceux des églises, *ad tempus*, que de perdre le tout pour toujours. C'est pourquoi, nous ordonnons que chacun remettra aux agents du marquis de Montferrat la moitié des revenus de l'année et la moitié des richesses mobilières qu'il possède dans l'empire, à l'exception des vêtements, des chevaux nécessaires pour l'usage de chaque jour, et des ustensiles dans lesquels il n'entre point d'or, d'argent ou de pierreries à titre d'ornement. Cet emprunt forcé sera restituable après le succès de la guerre. Il sera accompagné du serment prêté d'avoir fidèlement remis la quotité prescrite, et, s'il y a fraude, outre le parjure, la peine sera un prélèvement égal au montant de la fraude, à prendre sur la moitié que l'on avait droit de garder. Ni les Templiers, ni les Hospitaliers, ni les Cisterciens, ni les religieux de tout autre ordre, jouissant de privilèges, indulgences ou rescrits, ne seront exempts de cette prestation. Les richesses mobilières pourront être remplacées par leur valeur, suivant estimation. L'absence d'un bénéficier, les dettes antérieures qui grèvent le bénéfice ne pourront être alléguées comme moyen d'excuse ou de dispense. L'appui du bras séculier pourra être invoqué contre les récalcitrants, et l'impôt ou emprunt frappera également, ép. 35, les Grecs et les Latins.

NOTES COURANTES SUR LES ÉPITRES DU LIVRE IX.

Ep. 1. Honorius transmet diverses injonctions à l'archevêque de Brême, et confère à un abbé, à un prévôt la délégation pontificale, en vertu de laquelle ils pourront agir s'il y a mépris des ordres donnés, « contempto præcepto nostro ». En d'autres termes, même à l'égard de l'archevêque, l'exécution ou la sanction de l'ordre pontifical sont aux mains d'un supérieur de couvent. Les moines sont, à ce temps, les agents de la Papauté à l'égard des grands, soit de l'ordre ecclésiastique, soit de l'ordre civil. Cf. ép. 4, col. 695, lig. 4; ép. 5, col. 695, lig. 5 de l'ép.; ép. 6, col. 696, lig. 1 de l'ép.; Cf. ép. 29.—Ep. 3. La dot n'est acquise que par le mariage : le comte de Lusignan, fiancé à la sœur du roi d'Angleterre, ayant reçu la ville de Saintes et l'ile d'Oléron pour la dot, restituera parce qu'il n'a pas contracté mariage. — Ep. 4, col. 694, lig. 29. Les croisades sont surtout une œuvre française, due à l'initiative, au concours de la France. — Ep. 8. C'est par l'assimilation au crime de lèse-majesté, conformément aux lois des premiers empereurs chrétiens, que l'hérésie prive de tous les biens et possessions. — Ep. 16. Discipline. Les supérieurs ecclésiastiques ne doivent pas régler leur conduite à l'égard des inférieurs d'après les bruits vagues et les rapports occultes. — Ép. 19, col. 707, avant-dern. lig. : Quum ergo juramentis. Col. 708, lig. 19 : Divina celebrare officia; lig. 24 : Quidam monachi. Col. 709, lig. 27: relaxare nollet. — Même épitre. Discipline. Le procès canonique exige la monition préalable, mais il n'en est pas ainsi pour la visite, *inquisitio*, qui suit

la clameur publique, *insinuatio clamosa*. Le procès peut motiver l'appel; il n'y a point d'appel pour la correction des abus, « non est a correctione excessuum appellandum ». — Même épitre. Historique. Témoignage rendu à un abbé : « Fama satis integra et illæsa, secundum fragilitatem nostri temporis ». — Ep. 22. Explication très ample et fort nette de l'origine et de la nature d'une difficulté sur laquelle Honorius a dû s'expliquer maintes fois dans ses épitres. Ce sont les abbés de l'ordre de Citeaux qui, au temps du Concile, et sur l'invitation d'Innocent III, ont statué qu'à l'avenir, pour ne pas rendre odieux les privilèges signalés à eux accordés par le Saint-Siège, et pour ne causer aucun détriment aux églises, la dime serait payée par eux aux églises pour les terres qu'ils viendraient à acquérir dans la suite, cultivées de leurs propres mains ou à leurs frais, le taux de la dime demeurant ce qu'il était antérieurement, et sans égard à l'amélioration nouvelle donnée par la culture, à la condition toutefois que des conventions particulières intervenant entre les couvents et les églises pourraient déroger, dans les cas spéciaux, à la règle générale. Cette concession de l'ordre de Citeaux, contrairement à ses privilèges, avait paru de nature à concilier les prélats, « ecclesiarum prælatis », et à les engager à prendre la protection et la défense des maisons Cisterciennes contre tous agresseurs, « de suis malefactoribus ». La mesure prise avait ensuite été généralisée et appliquée à tous les réguliers, pour leur assurer des avantages pareils. Mais aucune protection plus efficace, dit Honorius, ne fut accordée par les prélats à ceux qui s'étaient placés en quelque sorte sous leur juridiction, au moins partiellement, par la renonciation à leurs privilèges, et les mêmes violences, non réprimées, étaient commises tous les jours. D'un autre côté, l'esprit de chicane s'était donné libre cours, et les religieux étaient tous les jours inquiétés à propos de la nouvelle règle disciplinaire. Elle n'était pas comprise. Car, en les obligeant à la dime *pro terris acquirendis*, il avait été fait une exception « pro *novalibus* quæ propriis manibus aut sumptibus excolunt, pro hortis, virgultis, piscationibus, vel animalium suorum nutrimentis », et les adversaires des religieux ajoutaient : « pourvu qu'il s'agit de biens acquis avant le Concile ». Mais puisque les biens acquis avant le Concile ne devaient pas payer la dime, puisqu'il avait été statué pour l'avenir, la question était jugée. Aussi le Pape déclare qu'il faut entendre *de novalibus acquisitis sive ante sive post*. C'est seulement dans la présente épitre que les faits sont exposés avec étendue et discutés. — Ep. 23. Même sujet. Ne doivent pas être considérées comme terres acquises après le Concile et sujettes à la dime les terres que les Cisterciens avaient concédées pour être cultivées par d'autres, par suite d'une utilité ou d'une nécessité quelconque, et qui sont *revenues dans leurs mains* pour être cultivées par eux. — Ep. 27. Cf. *Quint. Compil.*, liv. III, tit. XXIII, col. 317, t. I. — Ep. 29. Cf. supr. notes cour. sur l'ép. 1. Le Pape accorde à un abbé, pour qu'il puisse se livrer sans obstacle à la vie contemplative, la décharge de toute mission pouvant être conférée au nom du Saint-Siège dans les règlements d'affaires temporelles hors du monastère, ces missions étant devenues fréquentes et ordinaires. — Ep. 32. Historique. On usera d'indulgence envers les clercs excommuniés comme concubinaires dans la Normandie, qui ont continué néanmoins l'exercice de leurs fonctions, attendu le trouble qu'une conduite contraire apporterait dans les églises et la difficulté de les remplacer par d'autres. *Nota*. Le concubinat des clercs doit être entendu, en général, dans le sens juridique du droit romain, comme n'étant point assimilé aux *justæ nuptiæ*, mais aussi comme n'étant pas l'union fortuite, antisociale et contraire à l'esprit de famille, que rappelle aujourd'hui à l'esprit la même expression. — Ep. 34. Cf., liv. VIII, notes courantes sur l'ép. 10. — Ep. 36. Honorius rappelle la fondation d'Alexandrie en 1562 par les habitants des villes ruinées de Crémone et de Milan cherchant un abri contre Frédéric Barberousse. Le pape Alexandre III avait donné son nom à la nouvelle ville. — Ep. 41. Historique. Violences en plein synode et dans le chœur de l'église cathédrale de Tulle de la part des moines et de l'abbé de Saint-Asper. — Ep. 44. Alecium ou allecium, d'après le *Lexicon infimæ latinit.*, désigne trois harengs réunis, ce qui se faisait sans doute pour la vente. Il s'agit donc ici d'une rente annuelle de 30,000 harengs de Dieppe. — Ep. 51. Début allégorique. La Sagesse, voulant habiter parmi les hommes, « habitatura, » s'est choisi le cloître comme un paradis de délices, et le Dieu béni a livré à Benoît ce paradis pour le cultiver. Nous lisons : « Benedicto Dominus benedictus tradidit excolendum ». — Même ép. La réforme est devenue nécessaire. Expressions énergiques et tableau saisissant : « Prælati quidem et subditi, majores pariter et minores, absorpti a vino, præ ebrietate nescierunt videntem, et judicium ignoraverunt, quorum mensæ sunt vomitu sordibusque repletæ. Et quid sequatur ex his, qui audit, prudenter advertat. Quoniam venter et genitalia sunt propinqua ». Il est inutile de faire remarquer, sans doute, que l'audace de ce langage rend impossible toute traduction. Les satiriques d'aucune époque, chez les Grecs ou chez les Latins, n'ont jamais flagellé les débordements avec plus de véhémence et sans égard pour les transgresseurs des lois divines et humaines. — Ep. 55. La forme est celle d'une causerie, dans le sens moderne de ce mot. Elle rappelle par le style les *Familières* de Cicéron. Les termes sont choisis, l'expression affectueuse; des traits historiques sont rapportés, commentés; deux vers sont intercalés avec à propos; ce qui est dit de l'élévation et de la chute

des empires, de la fortune inconstante et variable, est, pour la pensée, dans le genre d'Horace. En un mot, c'est une épître littéraire qu'on est surpris de rencontrer en cet endroit. — Même ép. Droit public. La querelle entre le roi d'Angleterre et le roi de France, purement féodale, resterait comme telle en dehors de celles qui peuvent motiver la censure canonique, « quod res de quibus agitur constat existere feodales ». Cependant, s'il y avait péché mortel dans la cause, la règle serait celle-ci : « Ad Romanum Pontificem, qui sacerdotii obtinet principatum, spectat omne peccatum mortale evellere ». Et si cela ne se peut sans la coercition, elle devra être employée : « Ad nos omnis censura peccati pertinere dignoscitur », dit Honorius. — Ep. 57. Cf. t. III, col. 907, Append. du liv. IV, *La Hanse*. — Ep. 61. Discipline. Etendue des pouvoirs confiés à l'évêque allant évangéliser la Livonie et la Prusse : Potestas ordinandi ecclesiam, et novos in ea creandi episcopos, et creatos consecrandi. — Ep. 66. Discipline. Honorius remplace les taxes de la cour Romaine pour les affaires traitées à Rome, lesquelles seront désormais expédiées gratuitement, par la réserve d'une prébende ou du revenu équivalent à la prébende, dans chaque cathédrale, dans les églises collégiales et les maisons des Réguliers. — Ep. 67. Exemple de condamnation d'un livre par le Saint-Siège, avec peine d'excommunication pour ceux qui le gardent en leur possession. Le premier catalogue ou index de livres condamnés par Rome date de 1559, sous Paul IV, et la Cong. de l'Index fut instituée par Pie V, en 1565. Le livre ici condamné était de date déjà ancienne, puisque Jean Scot appartient au IXe siècle. Le titre complet est περὶ Φύσεως μερισμοῦ. C'est le plus important des écrits de l'auteur, et celui qui contient toute sa philosophie, en 5 Livres, et sous la forme du dialogue. Il a été imprimé à Oxford en 1681, et plus récemment en Allemagne. Au temps de Honorius, vécut un autre Scot (Michel Scot), qui fut l'un des savants attirés à la cour de Frédéric II. Il connaissait le grec et l'hébreu, l'arabe, le chaldéen. Il collabora à la traduction des œuvres d'Aristote, entreprise par ordre de Frédéric II, et fut regardé comme l'un des plus illustres docteurs de son siècle, sans doute en raison des services rendus pour la diffusion des écrits du Stagirite. A cet égard, il prépara S. Thomas. Il avait étudié l'alchimie; ses contemporains lui attribuaient une grande habileté dans les sciences occultes, auxquelles le moyen âge attacha une si haute importance que l'on répandit des traités de magie sous le nom de personnages pieux, ou même sous le nom des Papes, tels que, par exemple, le *Grimoire du Pape Honorius*, avec un recueil des plus rares secrets (imprimé à Rome, en 1760, in-18). — Ep. 72. Relations du pouvoir spirituel et du pouvoir temporel, non destructives des libertés ecclésiastiques. — Ep. 78. Confiance inaltérable de ceux qui dirigent l'Église, au milieu des plus grandes tempêtes. — Ep. 83, col. 790, lig. 1 : Nolentes. — Même ép. Le concours des séculiers pour les œuvres spirituelles doit être accueilli, non repoussé. — Ibid. Maxime de droit : Ce qui est un obstacle légal à la conclusion du contrat ne l'invalide pas toujours lorsque, néanmoins, il a été contracté. — Ep. 86. Discipline. L'évêque démissionnaire peut être autorisé à exercer les fonctions pontificales dans les diocèses, avec l'assentiment de l'Ordinaire. — Ep. 88. Cf. *Quint. Compil.*, lib. III, tit. 8, c. 1. — Ep. 98. Ponctuation : Super quibusdam incendiis, succensione vinearum, corporis captione, et aliis. — Ep. 99. Droit civil. La règle qui dispense le religieux du serment en justice ne donne pas à son affirmation pure et simple une force juridique équivalente à celle du serment. — Ep. 103. Discipline. En quoi consiste la portion congrue. — Ep. 104. Cf. *Quint. Compil.*, lib. I, tit. 5, c. 3, col. 138. — Ep. 105. Cf. Notes courantes supr. ép. 22. — Ep. 106. Cf. *Quint. Compil.*, lib. III, tit. 8, c. 1, col. 303. — Ep. 108. Les religieux qui desservent les églises, en demeurant seuls, doivent être ramenés à la vie de communauté. — Ep. 110. Historiq. Les prêteurs à un taux usuraire se fondaient, dans le pays de Péronne, sur une coutume locale pour restituer à la mort le tiers des intérêts indûment reçus : le Pape déclare la coutume abusive. — Ep. 111. Cf. supr. notes courantes, ép. 29. — Ep. 114. Discipline. Confirmation de privilèges sous forme d'ampliation d'une bulle de date antérieure. — Ep. 115. Droit ecclés. Nul laïque n'a droit sur les églises, sur les personnages et les choses ecclésiastiques. — Même ép. Historiq. Clerc écartelé, au mépris du privilège clérical. — Ep. 122. Discipline. En haine du meurtre de l'évêque, approuvé par les habitants, le lieu où le crime a été commis cessera d'être habité : on ne pourra réédifier ce pays et l'office divin ne sera plus célébré dans l'église; l'excommunication atteindrait celui qui rebâtira en ce lieu un édifice détruit ou qui n'abandonnera pas un endroit voué à l'anathème. — Ep. 131. Droit ecclés. L'évêque dont l'élection est annulée doit la restitution *entière* des frais et revenus perçus par lui depuis l'élection. — Ep. 141. Historiq. Une partie de la ville de Marseille est soumise au pouvoir temporel de l'évêque, et non l'autre. La première conclut une union avec la seconde pour échapper à la juridiction : le Pape s'y oppose. — Ep. 147. Historique. La Marche d'Ancône, pendant la minorité d'Azon, s'était soustraite à l'autorité de celui qui gouvernait en son nom; le Saint-Siège, comme suzerain, a repris possession du fief, que Honorius consent à inféoder de nouveau au pupille devenu majeur. — Ep. 151, col. 847, lig. 14. Correction probable : Si eadem appellatio aliqualiter tenuit, dicebat, ou, avec le même sens : aliqua forte fuit. Le procureur de l'abbesse soutenait que l'appel était non fondé, ou que, s'il avait quelque consistance apparente, il y

avait omission de la question préjudicielle de l'existence du procès devant les juges de Châlons et de la juridiction acquise à ces mêmes juges. En effet, il est dit plus haut qu'après l'appel en cour de Rome, intenté au nom de l'archevêque, ayant pour but de soustraire la connaissance de l'affaire aux juges inférieurs, le même procureur avait obtenu des lettres, en vertu desquelles il avait proposé cette même question préjudicielle « in audientia communi ». — Ep. 155. Terres occupées par les hérétiques, dévolues à l'Eglise archiépiscopale, pour assurer a perpétuité le maintien de la foi. — Ep. 163. Cf. *Quint. Compil.*, lib. III, tit. 1, c. 1, col. 265. — Ep. 170. Historiq. Droit public. Le Pape demande pour des réfugiés Anglais le droit de demeurer librement en France. Tous les Etats accueillent aujourd'hui les réfugiés, sans que l'on sache qu'un Pape se faisait leur protecteur au moyen âge. — Ep. 179. Historiq. Démêlés du roi de Hongrie avec les Teutoniques. — Ep. 183. Historiq. L'église de Worms s'est endettée envers des créanciers Romains qu'il faut payer. La somme due sera prélevée sur les chanoines, les clercs, les vassaux de l'église, les citoyens, les Juifs, en contraignant ceux-ci, s'il en est besoin, par l'interdiction de tout commerce avec les chrétiens, et une somme de 1620 marcs d'argent sera envoyée. On a déjà vu, dans les lettres d'Honorius, que le Saint-Siége appuyait en pareil cas les réclamations des créanciers Romains. — Ep. 187. Historique. Des moines du couvent de Saint-Germer ont dérobé le sceau du Chapitre et pris la fuite : tout acte auquel le sceau sera apposé frauduleusement sera révoqué, particulièrement tout emprunt de somme d'argent. — Ep. 189. Droit public. Le Pape annule les aliénations du domaine de la couronne faites en Hongrie, même avec serment. Ce n'est pas sans peine que, chez différentes nations, cette inaliénabilité a été établie, et en France il faut arriver jusqu'aux temps modernes pour qu'elle soit incontestée. Cf. ép. 190. — Ep. 190. Sommaire, dernière ligne, au lieu de: expostulat, lisez inhibet. — Même ép. Cf. *Quint. Compil.*, lib. III, tit. 5, c. 2.

In lib. X, nihil notatione dignum.

INDEX MATERIARUM

QUÆ IN HOC TOMO QUARTO CONTINENTUR.

EPISTOLÆ LIBER SEXTUS.

LIBER SEPTIMUS.

LIBER OCTAVUS.

LIBER NONUS.

LIBER DECIMUS.

APPENDICES.

EXTRAIT DU CATALOGUE DE LA BIBLIOTHÈQUE ECCLÉSIASTIQUE

Pagnier et Cie, Avenue d'Orléans, 32, à Paris.

Sancti Gregorii VII, Romani Pontificis, Epistolæ et Diplomata pontificia, accedunt Vita ejusdem Pontificis et Appendices amplissimæ veterum ac recentiorum monumenta perplurima Gregorii VII apologetica, vel ætatem ejus illustrantia complectentes. 2 vol. in-8° raisin. 10 fr.

Sancti Thomæ Aquinatis Summæ theologicæ Compendium auctore P. Alagona, S. J. Notis locupletissimis ditavit et collatione perpetua cum variis auctoribus, tum in Philosophia, tum in Theologia aut in Jure probatissimis et vulgatissimis, necnon SS. Patrum sententiis auxit Horoy, Dr Rom. in sacra Theologia, etc. 1 vol. in-8°. 5 fr.

Le principal ouvrage d'Alagona, savant jésuite du XVIe siècle, est le *Compendium* de la *Somme* de S. Thomas qu'on a réimprimé à Rome, à Cologne, à Venise, à Lyon, à Rouen, et dans les derniers temps à Turin. Cet ouvrage n'eut pas moins de dix éditions consécutives, ce qui nous dispense d'en faire l'éloge. Le savant P. Ant. Zaccaria a revu l'édition du *Compendium* de la *Somme* publiée en 1763 et fit entrer ce livre dans son *Trésor théologique* où il figure dans le treizième volume.

Nous avons ajouté à Alagona des notes explicatives du sens de saint Thomas, de sa doctrine et de ses formes de langage. En outre nous avons renvoyé constamment pour chaque question traitée aux auteurs les plus répandus, en indiquant le tome et la page de ce tome où se trouve développée la question. Nos renvois se font ordinairement aux livres classiques qui sont dans toutes les mains, ou du moins à portée de chacun.

La Clé du Syllabus, nouveau Commentaire historique et doctrinal d'après les *Acta*, avec une Introduction faisant connaître : 1° le sens général et la portée du *Syllabus;* 2° sa signification spéciale comme condamnation de la Révolution; ouvrage renfermant, pour la première fois, les divers compléments d'après les *Acta*, et une Note sur : Ce qui n'est pas dans le *Syllabus*, par Horoy, avocat romain, Dr en théologie. 1 fr. 50

Essai théologico-philosophique sur la Providence DANS L'ORDRE PHYSIQUE, MORAL, RELIGIEUX, SOCIAL ET POLITIQUE, *et dans l'ordre surnaturel de la rédemption et de la vie future*, d'après les Livres Saints, la tradition sacrée, la philosophie et l'histoire profane, par M. l'abbé Mazagot, chanoine honoraire de Saint-Flour. 1 vol. in-8° 460 pages, *franco*. 4 fr.

Origine divine du Pouvoir civil et *Constitution divine des Nations dans l'Église*, ou l'UNIQUE SALUT DES NATIONS, par Mgr Maupied. 1 vol. in-12 de XVI et 362 pages. 3 fr. 50

La Science sacrée, par M. l'abbé Berseaux, ancien professeur au grand séminaire de Nancy. 4 beaux vol. sur papier vergé. 16 fr.

1° Préparation évangélique. — 2° Démonstration biblique. — 3° Démonstration ecclésiastique. — 4° La Trinité chrétienne. — 5° Le Dieu-Homme et la Vierge-Mère. — 6° Les sept Sacrements. — 7° Splendeurs du culte.

La Vie chrétienne, *lectures pour les familles et instructions pour les paroisses*, par M. l'abbé Berseaux; nouvelle édition. 2 vol. in-12. 5 fr.

Cours d'Instructions pastorales, par M. l'abbé Barbier, du diocèse de Cambrai, ancien aumônier du Lycée, à Douai, et depuis vingt-huit ans curé de Saint-Souplet; *avec approbation des Supérieurs ecclésiastiques.*

1re partie, le Symbole. 3 vol. in-8° compacts, d'environ 600 pages, 2e édition. 10 fr.

Les Mystères divins, Trinité, Création, Incarnation, Rédemption, Éternité, en 186 Instructions, par M. l'abbé Himonet, curé-doyen de Souilly, diocèse de Verdun. 3 beaux et forts volumes in-12 de 1,406 pages. 9 fr.; et, rendus *franco* par la poste. 10 fr. 50

Marie, ses Mystères et son Culte, ou 83 Instructions inédites sur la sainte Vierge, par le même. 2 vol. in-12. Prix, *franco*. 4 fr.

L'Oraison dominicale développée en 26 Instructions nouvelles. 1 vol. in-12; *franco*, par la poste. 1 fr. 70

La Voix du pasteur au jour de la première communion, *ou vingt-quatre Instructions nouvelles et très-variées pour ce grand jour.* 1 vol. in-12. 1 fr. 50; *franco*, par la poste. 1 fr. 70

Premiers communiants en retraite, ou Trois cours divers d'exercices préparatoires à la première communion. 1 vol. in-12, *franco*. 2 fr.

Ces trois derniers ouvrages sont de M. le curé-doyen Himonet.

Marie invoquée sous le titre de N.-D. Auxiliatrice, pour la délivrance des âmes du Purgatoire, par M. le Dr Horoy. 1 vol. 50 c.

Origines du Christianisme *d'après la tradition catholique*, par M. l'abbé Castan, chanoine de Moulins, docteur en théologie. Un beau volume in-8°. 4 fr.

Exposition du mystère de la Souffrance, développement du livre de Job, par l'abbé Castan; ouvrage dédié à Mgr l'Archevêque de Paris. 1 vol. in-12, *franco* par la poste. 1 fr. 75

Origines du Christianisme *d'après la critique rationaliste contemporaine*, du même auteur, fr. beau volume in-8°.

De l'Union de la Religion et de la Morale, du même auteur. Un beau volume in-8°. 4 fr.

De l'Idée de Dieu *d'après la tradition chrétienne et les diverses autres théodicées*, du même auteur. Deux beaux volumes in-8°. 8 fr.

Du progrès dans ses rapports avec l'Église, du même auteur. Un beau volume in-8°. 4 fr.

J. de Maistre. **Considérations sur la France,** suivies de l'*Essai sur le principe générateur des constitutions politiques*, avec un Aperçu sur le cléricalisme, des Notes et Appendices par Horoy. 1 vol. in-18. 3 fr.

Le Haut Enseignement, Universités, Droits et Prérogatives de l'Etat, Valeur des grades canoniques, par M. le Dr Horoy. 1877. 1 fr.

Mariage, Unité, Indissolubilité, Nullités, du même auteur. 2e édition. 1877. 2 fr.

Philosophie : Mathématiques, Médecine. De l'alliance des Mathématiques et de la Philosophie, du même auteur. 1877. 60 c.

Histoire de la Papauté : 1° Saint Pierre et les temps apostoliques; 2° Persécutions contre le christianisme, chute du paganisme; 3° Moyen âge, comprenant les temps barbares et les temps féodaux; 4° Renaissance et temps modernes, par l'abbé Castan. 4 vol. 20 fr.

Paris. — Imp. Pagnier et Cie, Avenue d'Orléans, 32.

